P. ANDREÆ

PINTI RAMIREZ,

VLYSIPONENSIS,

E SOCIETATE IESV,

Canticum Canticorum SALOMONIS.

Dramatico tenore, Litterali allegoria, tropologicis notis explicatum.

OPVS

Noua tantum explicatione contentum; vbi ad eorum, quæ afferuntur, caussas, aut rectâ duceris, aut coniecturâ induceris.

TOMVS VNVS,

Indicibus necessarijs clarus, nunc primùm editus.

CVM PRIVILEGIO.

M. DC. XLII.

LVGDVNI,
Sumpt. Hæred. GABR. BOISSAT, &
LAVRENTII ANISSON.

SANCTISSIMO
PATRIARCHÆ
IGNATIO:

Diuinorum congreſſuum myſtico Agonotheti: exercitiorum ſpiritualium benefico Munerario: Societatis Imperatoris IESV Duci præſtantiſſimo: natorum minimus, militum ignauiſſimus

D. C.

SORDET munus, quamuis opulentiâ graue, ni grauidum myſterio. Dicatis telis Marti, belligerum: muſicum plectris Phœbo ſacratis palpabant veteres. coronabant Venerem ſanguine, ſed illo roſeo: comebant Iunonem lacte, ſed liliato: illa perſtillantis vulneris, vberis iſta meminit perfluentis. Quid vana congero? mactatur Philiſthæorum donis arca, non tam auro, quàm indiee pretioſis: admiſſis iam fulgentibus, immiſſis priùs fœdè, triumphum perennabat memor anathema. Litat Abelis agnus, cœleſtis ignis profluuio incineratus: diuinum ſcilicet Agnum referebat, qui ab ipsâ infantis Orbis cunâ ferebat iam ſepulchrum. Sic quæuis in vtrauis paginâ admittuntur vt propria, quibus de repræſentatione blanditiæ non venerint alienæ. En ergo tibi diuina Canticorum ænigmata enarro barbarus, quæ tu viuens adhuc, ſacratiſſime Pater, penetraſti cultiſſimus: quidni? expertus lectitabas, quorum expers ſcribo. Feliciſſima connubia, ab ardenti animâ tuâ, & ardentiore amante Chriſto inita, humilis admirator noſti, fruitor hilaris: & quidquid obſcuris lineis in hac Salomonis chartâ ſcriptum cernitur, id totum clariſſimis affectibus in tabulâ cordis tui cernebatur tranſcriptum: quod ibi caligabat, hîc adlucebat. mu-

nuſculum ſic noſtrum, accepto tibi muneri adblanditur. Sed quid elucubratiunculas noſtras, & has tenebricoſas defero iam Beato, cui adhuc in huius vitæ tenebris viatori, nox ipſa illuminatio fuerat ad delitias? imò & ideo, ô ſuauiſſime Pater, ô amor filij huius iucundiſſime! vt exhibitam mentis noſtræ miſeratus caliginem, & ſcriptorum, ſcribendis deinceps nouam impetres lucem, radios meliores: amantis donum mitto, ſed hamatum. Hoc ſi feceris, (quid autem non ſperem à parente piiſſimo faciundum?) honori cœleſtis lucernæ, Agni ſcilicet nitidiſſimi, vnde lux à te mihi conſequenda, ſedulus laborabo, ad cuius gloriam maiorem direxti cuncta: vt hilareſcas de filio eumdem ſcopum ſaltem intendente, quem intentum dexterrimè transfixiſti. Æternum iam gaudes, gaudeas: felix olim votum, felicior nunc ſupereſt gratulatio. Non. Februar. 1635.

ANDREAS PINTO.

DOCTIS

DOCTISSIMO
ET RELIGIOSISSIMO PATRI
ANDREÆ PINTO RAMIREZ,
E SOCIETATE IESV.

OPVS *tuum omnibus numeris absolutum, Vir Religiosissime, de immaculata Virginis conceptione, & doctissima tua in Cantica Commentaria, quæ ad me misisti, cùm legissem perlegi, in quibus ærarium tuæ doctrinæ doctissimum omnibus reserasti, vnde dites ingenia opulentiora: at quidni lætandum? imò mirandum vtilia, subtilia, recondita, noua, & profunda, neruoso venustè sermone contexta, sanctorum Patrum, & omnium ferè Theologorum arcanis respersa sententijs, cum humanarum pariter disciplinarum cognitione. Latebat hæc tua doctrina æternâ digna recommendatione, præ modestia tua: sed charitas quâ ardet in proximum, quæ non est otiosa, & agit non perperam, tot singulares labores nobis communicat. Perge, perge, vir doctissime, quòd si expensas times, habebis me rerum tuarum sollicitum curatorem: adest consanguineus tuus D Emanuel Aluarus Pinto, & Ribera, vir generosus, quem nuper Monarcha Catholicus purpureo diui Iacobi ense insigniuit, & ob præclara merita dominio trium oppidorum insuper decorauit; vir est vt egregius, sic mihi amicissimus, qui te tuaque haud mediocri amore prosequitur, hunc adibo, quem, scio, tuo & meo nomine exorabo, vt labores eiusmodi suis expensis imprimendos curet; scias oportet, amice, quòd artuum vitali compagine dissoluta æternum viuitur ingenio. Vt viuas ita scribe, vt scribas viue. nam semper studiosos habebis lectores, & consanguineum ad expensas impressionis persoluendas generosum condonatorem. Vale. Matriti pridie Idus Octobris 1640.*

Tuus ex animo

AVGVSTINVS BARBOSA.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Castillana.*

EGo Ildefonsus del Caño, Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Castillana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Mutio Vittelesco Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt liber inscriptus, *Canticum Canticorum Salomonis*, &c. à P. ANDREA PINTO, nostræ Societatis, compositus, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Vallisoleti, in Collegio S. P. Ignatij, vigesima 8. die Augusti anno Domini 1639.

ILDEFONSVS DEL CAÑO.

CENSVRA OPERIS.

NOs infrascripti testamur, nihil nobis in hoc Opere P. ANDREÆ PINTI RAMIREZ, è Societate IESV, prorsus occurrisse à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placitis alienum. In cuius rei fidem hoc testimonium, manu nostra subscriptum, dedimus. Lugduni 10. Octobris 1641.

IOSEPH GIBALINVS, è Societate IESV.

CAROLVS DV LIEV, è Societate IESV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGo Ioannes Gayetus, Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis: Opus, quod inscribitur, *P. Pinti Ramirez, è Societate* IESV, *Canticum Canticorum Salomonis*, &c. trium Societatis eiusdem Theologorum iudicio probatum, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant: Permitto Laurentio Anisson, Bibliopolæ Lugdunensi, vt ad decem proximos annos excudere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni, 28. Octobris 1641.

IOANNES GAYETVS.

IMPRIMENDI FACVLTAS.

IOannes Claudius de Ville, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D. D. Alphonsi Ludouici Duplessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius Generalis Substitutus: Opus inscriptum, *P. Pinti Ramirez Canticum Canticorum*, à Theologis visum & approbatum, in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni die 30. Ianuarij 1642.

DE VILLE.

PERIOCHA
Notationum Tropologicarum.

In Canticum Canticorum.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

§.2.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

APPENDIX TROPOLOGICA.

IN

IN CANTICA CANTICORVM SALOMONIS PROLEGOMENA.

§. I.

Ratio scribendi.

POST diutinos, etsi minus vtiles, litterarum labores; numquam animus integro alicui è sacrorum numero volumini propendit explicando, cùm pauca addi possent grauissimis aliorum scriptis, neque caleographias noui tantummodo tituli phantasmate onerare collibet; quotquot ergo viscata, vt aiunt, manu mihi lecta & electa in aduersariis reposita spicilegium aliquod cogitabant, illorum scilicet, quæ ab eruditioribus (spreta fortè potius, quàm non visa) relinquebantur. Nuper igitur, dum per otium aduersaria nostra euoluo, longè plura in Canticum hoc, quàm in libros cæteros sacros video adnotata, siue quòd breuius memoriter totum poterat penè retineri, vnde facilè inter studendum ad illius gustum dicta pluscula sibi carpebat; siue quòd dum cordi dulcius infigitur, sibi cogebat præ cæteris allusum. Vidi igitur si dispersa tam diuersis chartis & temporibus membra in corpus vnum redigerentur, integrum Canticum denuò explicari; iámque contra priscam mentem nihil fieri existimaui, si totum volumen aggrederer commentandum, quando in toto propria solummodo explicatio inculcanda, non quòd illorum scripta doctiora, & structiores epulas non agnoscam, sed, ne quæ illi optimè condiderunt, insipida reddantur, de noua ad ignem reductione, & importuna recoctione decoquantur. Ausus verò indemnis inde, quia sanctorum Patrum (qui toti ad mysticum) alij penè, alij penitus, dramaticum sensum deseruerunt; aliàs in re tam graui pia vestigia temerè reliquissem. Quòd si quis adhuc mordeat nouitatem dramaticæ explicationis, legat Alcaçaris nostri in Apocalypsim notationem decimamnonam procemialem, & cessabit. Ego enim quid vltrà adderem non curaui, cùm illa plus, quàm satis videantur. Quæ affero, omnia non vendo pro certissimis, cùm sæpe coniecturis sit insistendum; si probabilia ad maiorem Dei gloriam duxeris, votum habeo, quidquid vltrà prosequaris, consequar vltra votum. Habes consilij mei rationem, si placet perge; sin minus, legisti satis. Abi felix, vbiuis interpretum huius Cantici (imprudenter negarem & impudenter) sat scio, meliora inuenturus. Neque enim quòd multa à me verè, plura probabiliter tantùm inuenta putem, aliorum aut veritati detogo, aut probabilitati, quando diuini Spiritus vbertas eiusdem litteræ & fontis plures sensus & fluuios emunere voluerit, & emanare. Quia verò multa, quæ ego mihi laboriosiùs condideram, à parthenico

nostro Sanchez, postea deprompta vidi feliciùs (testes mille possem adhibere) præter nonum meum etiam illum illius sensum locupletabo: non tam ab illo præoccupatum dolens, quàm quod tanto viro consenserim, gauisus: inde enim aliis meis auguror veritatem, quod alia eiusdem generis (quibus timueram) tanta mente viderem asserta, tanto calculo confirmata. Pro his ergo, in quæ inscius alterius incidit vterque, emineat ille gloria rectè scripti, mihi saltem non mali cogitati maneat conscientia.

---

§. II.

Acoluthia dramatis.

QVi diuini huius Epithalamij totam concatenaret seriem, ordinem inueniret aptum, præter vnum, aut alterum non inuenio: mihi vulgari Theseo, nouum adinuentum filum sacro labyrintho: an purpureum illud, & sericum, Ariadnæ alicuius nouellum amoris inuentum, non contendo; continuum tamen & deductum, non addubito. Viam facilem, planam, rectam possum polliceri, amœnam, aut pretioso lapide constratam non possum; rem ergo sic deduco. In omnibus nuptiis tria solent semper tempora considerari: primum illud, quando amores ebulliunt, feruent desideria; & vtrimque sponsorum parentes de vita, deque moribus, genere & genio illorum inquirunt. Secundum, cùm iam de his facti certiores, & sibi complacentes celebrant sponsalia. Tertium, cùm legitimæ nuptiæ ineuntur. Quæ tria tempora optimè distinguit Terentius in Andr. --- *Placuit despondi: hic nuptiis dictus est dies.* Catullus etiam *in carmine nuptiali.*

> *Hespere, qui cælo lucet iucundior ignis?*
> *Qui desponsa, tuâ firmes connubia flammâ?*
> *Quod pepigere viri, pepigere ante parentes,*
> *Nec iunxere prius, quàm se tuus extulit ardor.*

Vbi bene Passeratius. *Ergo*(inquit)*viri ipsi, id est, mariti futuri & proci, & procorum virginumque parentes, primum id sibi placere ostendunt: deinde spondent & despondent. sic in Terentio, vbi tria tempora obseruanda, placuit, despondi, nuptia; sic sperata pacta, sponsa, nupta.* Idem disco ex Homero *Odyss.*4. vbi de Menelao missuro filiam mariro, ita habet.

> Ἐν Τροίῃ γὰρ πρῶτον ὑπίσχετο, καὶ κατένευσε
> Δωσέμεναι· τοῖσι δὲ θεοὶ γάμον ἐξετέλεον.
> *In Troia quidem primum spoponderat, atque annuerat*
> *Daturum. Illis autem Dij nuptias perficiebant.*

Vbi expressa vides sponsalia & nuptias; præcedentes verò proci amores & desideria, conficis necessariò per τὸ κατένευσεν. neque enim annuere dicitur, nisi derogato: neque rogaret aliquis, puto, nisi cupidus & desiderans puellæ. Statius pulchrè *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, de puella à Venere persuasa.

Statius explicatus.

> *His mulcet dictis, tacitumque inspirat amorem*
> *Connubij, redeunt animo iam dona preces que,*
> *Et lachrymæ vigilesque viri prope limina questus.*

En iuuenis desideria. deinde ineuntur sponsalia puella annuente,

> ———— *Iamque aspera cœpit*
> *Flectere corda libens, iamque sibi dura videri.*

Tandem fusus pergit describendis nuptiis.

> *Macte thoris Latios inter placidissime vates*
> *Quod durum permensus iter cœptique laboris*
> *Prendisti portum.*

Denique ferè nullus nuptiarum descriptor hæc tempora non attingit, legendus præ aliis, si vacat, Ouidius *Metam.*4. vbi Andromada visa amatur: despondetur seruanda: & nubit seruata Perseo. Sic etiam in sacris, quippe hæc tria tempora in nuptiis Iacob & Rachel apertè proposita disponuntur. *Rachel decora facie, & venusto aspectu, quam diligens Iacob ait*, &c. Genes. 29. n. 18. En tibi amores, en tibi desideria. Deinde subditur: *Seruiam tibi pro Rachel filia tua septem annis. respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem, quàm alteri viro.* Vides iam complacente sibi proco in puella, & puellæ patre in proco iniri sponsalia: voluntas enim Rachel præsumitur, & supponitur ab scriptore sacro. Tandem post septennium iam nuptiæ describuntur: *potius optatis nuptiis, amorem sequentis priori pratulit, num.* 30.

Genes. 29. 18. declaratur.

Hæc

Hæc ergo tria tempora sic in Cantico nostro expressa habentur, sic suo ordine proferuntur, vt mihi nulla dubitationis ansa relinquatur, quo minus satis probabiliter putem, horum temporum seriem illucidandam diuinum drama sibi destinasse. In capite quidem primo & secundo amores scintillant, iuuenis procus inuitatur, & puellam inuitat, interque castas mille & cautas affectuum teneritudines, nusquam sponsorum nomen vsurpatur: certè, quia nondum contractus iste celebratus; D. Bernardus enim, qui *serm.* 61. *ad cap.* 2. *num.* 13. legit *sponsa mea*, iu mendosos codices incidit: certè *speciosa* legendum nemo negat. Iam in tertio capite, vbi festiuus lectulus, idest, currus proci stipantibus amicis laudatur, coronæ festiuæ, & desponsationis mentio habetur. *in cap.* 4. vbi post contractum, Salomon laudes puellæ recinit, toties de noua lætitia sponsæ titulus vsurpatus, vt singulis verbis identidem repetitus ab ore nunquam cadere videatur. *& in cap.* 5. vbi in eodem pergitur, iterum sponsæ compellatio resumitur. Perge ad sextum, & deinceps, ac nullibi hanc vocem audies iteratam, equidem quia iam sponsalia transierant ad nuptias: ideo 6. *cap.* tunc primùm puella dicitur Sulamitis, id est, à Salomone, siue pacifico, pacifica appellatur. & statim *cap.* 7. filia Principis dicitur, quia nuptiali die in familiam mariti translata materfamilias, loco filiæ veniebat. clauditurque eodem die caput octauum, inito festiuè matrimonio de præsenti. Magnæ verò felicitati mihi à piis dandum spero, in cortice ea tempora expressa demonstrare, quæ in nucleo vtplurimum diuinus Spiritus sectatur. lege diuinas illas mansiones, quas Tereza diuino imbuta nectare construxit: in quarum quarta & quinta, quæ iam ad mysticam pertinent, amores & desideria plenè leges, & de sibi complacendo, vt monet ipsa, futuri sponsi laborant: in sexta post mille labores, eàdem docente panguntur sponsalia: & in septima spirituale & felicissimum illud connubium initur. quæ tria tempora disertè expressa, bellè designauit illa Abulensis Heroina, Sibylla Euangelica, Carmeli flos, quæ pede fausto discalceatos duxit stellis calceandos.

4. *Cantici series.*

Bernardus correctus.

Igitur re, vt in se est, in seriem dramatis deducta, prædicta tria tempora tribus actibus in suas scenas diuisis accommodaui: scenas verò pro ratione capitum, quæ in vulgari nostro habentur, subdiuisi: sic enim diuisionis etiam minuti apices in vulgatis nostris, mihi ad reuerentiam, vt nefas ducerem, aliunde scenas meas inumbrare.

---

§. III.

Genus Poëseos.

Recentiores Hebræi poemata sua bipartiuntur, in Odam scilicet, siue Epigramma, פסוק vocant, quasi vna periodo contentum, continetque ad summum decem carmina: vel in Canticum שיר dicunt, quod à decem, in quemuis vltra numerum excrescit. Versus omnes hemistichiis constant, hæc pedibus, pedes syllabis longis, breuibus, aut breuissimis ex scheua simplici, aut composito constantibus: quæ omnia in Græcorum Latinorumque methodum referri posse feliciter contra Scaligerum facto ipso probat noster Iordinus aureo suo libello de radicibus Hebraicis, *animaduersione sexta.* hæc tamen, vt dixi, recentiorum inuenta sunt: veteris enim Poëseos Moysis, Salomonis, & Prophetarum notitia penitus interiit, & ignoratur.

5. *Poësis prisca Hebræa, & recentior.*

Inuenio tamen prisca illa prophetica recentiorum instar suo rhythmorum & consonantium sale condita pariter: totam Hispanicam Thaliam spirat illud Dauidis *Psalm.* 34. *num.* 4.

דרשתי אֶת יהוה	*Darasthi eth Adonai*
ועַנני	*Veganaui*
ומכל מגורי תי	*Vmiccol meguro thai*
הצילני	*Hitsi lani.*

Et iterum *num.* 5. alio rhythmo penè Gallico illo heroico,

הביטו אליו ונהרו	*Hibbitu elau venaharu*
ופניהם אל--יחפרו	*Vph nehem al iech paru.*

Alibi ex Prophetis plura adnotasse memini. nunc satis sint prædicta huius. Psalmi, qui totus summo studio, alphabetico ordine à Propheta dulcissimè afflato, decantatur. cur autem nomen ineffabile è tetragrammaton per *Adonai* explicarim, docti norunt, nec est huius loci longior disputatio.

6. *Pastores olim, venatores.* Vnum constat dramaticum esse præsens Canticorum opus; illud verò in dubium nullus vertit, an drama bucolicum & pastoritium, an verò venatorium sit dicendum: quod quidem si attendis, difficultate carere non videtur. cur enim pastoritium dicatur, quòd semel *cap.* 1. gregum, & pastorum tabernaculorum fiat mentio, ac non potiùs venatorium, cùm *cap.* 2. semel, & iterum *cap.* 3. puellæ venatrices de felici inter venandum fortuna legantur adiuratæ? nihilominus puto simpliciter drama pastoritium & bucolicum appellandum: res enim pastoritia apud priscos, permixta venatoria, ac ea carmina quæ planè ab omnibus bucolica habentur, mille venatoriis delitiis scatent. Horat. *Epod. Oda* 2.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Vbi pastoris pariter, & agricolæ siue labores dixeris, siue voluptates permixtas vides. talis in hoc Cantico describitur puella non solùm oues pascens, sed & in vineis custos, & segetum curatrix. deinde iam venationis & aucupij delicias sic adnectit:

Aut trudit acreis hinc, & hinc multo cane
Apros in obstanteis plagas:
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.
Pauidumque leporem, & aduenam laqueo gruem,
Iucunda captat præmia.

Ouidius *in Epist. OEnonis*, vbi puella ad Paridem amicum, qui purus putus pastor inter greges describitur, sic habet.

Sæpe greges inter requieuimus arbore tecti,
Mistaque cum foliis præbuit herba thorum.
Sæpe super stramen, fœnoque iacentibus alto,
Depressa est humilis cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos,
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?
Retia sæpe comes maculis distincta tetendi,
Sæpe citos egi per iuga summa canes.

Athenæus explicatus. Vnde colligo quid sibi velit Athenæus *Dipnosoph.* 14. *cap.* 3. Vbi ita. *Clearchus libro Amatoriorum odam quamdam scribit his verbis: Pastorale vocatum fuisse ab Eriphanide. Eriphanis lyrica cùm Menalcam venatorem amaret, ac venaretur, desiderii obtemperans, omnia montana quereeta cùm discurreret, fabiuis vt esset fabula dicti Inui cursus: ita vt non homines solùm, maximè beneuolentia expertes, verùm etiam crudelissima fera illius doloris gratia lacrimarentur, cùm sensu desiderium amoris illa conciperent.* Vbi vides venatorum amores, dici pastorale opus; quia pastor à venatore olim vtplurimum non distinctus. In sacris etiam Genes. 25. num. 29. *factus est Esau gnarus venandi, & homo agricola.* in Hebræo est, *vir agri*, vbi hominem intelligo non solùm agris colendis, sed etiam pascendis armentis deditum, simul tamen venatorem.

Genes. 25. 29. explicatur.

7. *Poëses bucolica inuentor.* Bucolicorum inuentum fermè Stesichoro refertur. Do Ælianum *lib.* 11. *cap.* 18. vbi narrata fabula Daphnidis de perfidia in amoribus obcæcati, concludit. ἐκ ἢ τούτου τὰ βουκολικὰ μέλη πρῶτον ᾔδη: καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος τὸ μετὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ: καὶ Στησίχορον τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιΐας ἀπάρξασθαι φασὶ. quorum verborum talis est sensus germanus: *exinde ergo bucolica carmina cantari cœpta, sumpto argumento à Daphnidis cæcitate: Stesichorumque Imeraum omnium primum id generis versus incepisse ferunt.* Sed ignorarunt Ethnici Salomonem, cui non falsò Apolline, sed vero Numine aspirante, bucolici carminis gloria referenda, ille Amebæorum leges docuit, illius sacræ fistulæ resonuere siluæ Solymitanæ, auræ adsibilarunt, perstrepuerunt frondes, fontes dulciter admurmurarunt. Omnes postea profani, duce Theocrito (qui hoc Canticum sine dubio legit apud suum Ægyptium Ptolomæum) secuti Salomonem, nullus nec à longè assecutus: nihil non friget ad diuinum hunc ignem, nihil non desipit ad nectar istud cæleste.

8. *Cātici drama an repræsentatū?* An verò drama istud, ab authore Salomone in theatrum aliquando induceretur: quid pro certo rem à nomine quem viderim ventilatam, audeam asserere? illud vnum

pro

procerissimo affirmarim, si fortè quandoque exhibitum, id non vulgari turbæ, neque frequenti populi conuentui, sed priuatis quibusdam scribis, & senioribus probatissimis, quibus latens in cortice, spiritus nucleus subolerêt, repræsentatum. Si enim Canticum hoc in tanta veneratione habitum apud Hebræos, vt eius lectio ætati nondum prouectæ esset in prohibitis: quis ita hebes vt crederet frequenti & ignaro populo, iuuenum puellarúmque permixto cœtui exhibendum? Cæterùm doctrinæ causa, vt seniores suos sapientissimus Princeps prudentiam doceret, præmonstrato nucleo, non indecens, & fortasse conueniens videbatur, si drama in secretiori aula palatij, adolescentibus, è templo, & selectiori Leuitarum comitatu in personas repræsentaturas petitis, ederetur, viuidiusque per oculos, quàm per aures, his quos edoctos volebat Salomon, instruerentur. quandoquidem, vt bene Horatius *in Arte*,

> *Segnius irritant animos emissa per aures,*
> *Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ*
> *Ipse sibi ponit spectator.*

Neque obstat quòd ferculum geniale, nuptialis pompa in Cantico describatur, quod in theatrum traduci, gestarique posse non videtur: passim enim hodie in tragœdiis sacris, quas scholarum nostrarum adulescentes Vlysippone repræsentant, vastas moles, triumphales currus, miro ordine, ingenti spectatorum plausu, & externorum stupore, in theatrum immissos cernimus. Imò & olim Euripides *in Aulide*, nuptiale ferculum immisit, vbi noua nupta cum matre Clytemnestra ferebatur: hinc illud,

Theatra olim currum preferebant.

> Συ ὦ τέκνον μοι λεῖπε πωλικὰς ὄχους
> Ἁβρὸν τιθεῖσα κῶλον.
> *Tu verò, ô filia mea, relinque equestres currus*
> *Delicatum ponens pedem.*

Et statim fœminarum chorus excepturus regiam virginem inuitatur: hæc tamen, vt dixi, de sola mera coniectura possunt inuestigari, alios quippe Prophetas scimus oculis populi multa ad rerum significationem protulisse.

---

§. IV.

Stylus operis.

9\. *Comparatiua nota in sacris subticentur quandoque.*

STylus vt floridus, sic etiam vtplurimum subobscurus de metaphorarum frequentia: maximè, quia similitudinis nota comparatiua plerumque in Scripturis, vsitato iam more desideratur. Imò noster Vulgatus aliquando notam subticet, quæ expresè retinetur in Hebræo. sic cap 8 num. 1. *Quis mihi det te fratrem meum.* Hebræa signatè habent, *tanquam fratrem meum*. quæ particula variis in locis si suppleatur, clariora apparebunt, quæ aliàs caligare videbantur. Iam verò ipsæ similitudines, quæ à campis, arboribus, floribus & fluminibus, fontibus & animalibus petuntur pro decoro, & si rus oleant, non tamen, vt multi putant, affectatam quamdam rusticitatem: nihil enim elegantius, grauius, aut politius dici potuit. Accommodat se nimirum Spiritus sanctus organo assumpto, & qui per Amos pastorem aliàs subrusticum, subrusticam visus contexere cantilenam: per Isaiam politissimum aulicum, per Iobum regalissimum virum sic eloquitur, vt rhetoricis quibusuis profanorum luminibus antecellat: sic in præsenti per Salomonem cultissimum & sapientissimum mortalium locutus, sub stylo merè pastoritio nescio quid regale abscondere videtur: semper flores gemmis intermittent, stillant vnguentis pelles: vt dempta improprietate pastores non ex tugurio, sed ex palatio iudices prodite.

Spiritus S. accommodat se organo assumpto.

10\. *In Scriptura res non vt in se, sed vt in hominum opinione versantur, sæpe proferuntur.*

Multæ in hoc Cantico sententiæ, sicut in aliis sacris libris, non à re vt in se est, sed vt in hominum opinione versatur, & sermone, proferuntur: hinc apud Iobum Oriona legis, Syrenes apud Isaiam, apud Ieremiam lamias, apud Dauidem ex Tertulliani iudicio Phœnicem vrabicam auem: non quòd ista vera existimentur, sed quòd ita ex hominum opinione peruagantur. Videndus de hac re Sanchez *in Isaiam cap.* 3. *& in Zachar. cap.* 9. alibique passim. Hinc ergo est quòd in Cantico legis poma philtrica, lasciuum Aquilonem, lunam bibentem, & similia, vt infrà declarabo, quòd rales vulgo *vrbico*, nedum apud pastores indoctos (quales hic describuntur) habeantur.

§. V.

Operis Topographia, & Chronographia.

11. *Scenarum Cantici series, & topographia.*

TOtum drama vt paſtores decebat in prædio Solymitano actum fingitur: vnde puellæ de vicinitate filiæ Sion, & Ieruſalem dici potuerunt: adhuc tamen diuerſæ ſcenæ, diuerſis locis habitæ. Scena prima actus primi habetur domi matris puellæ; ſecunda in ſponſi horto. Tres ſcenæ actus ſecundi, in eadem puellæ domo; ſicut etiam prima & ſecunda actus tertij: tertia verò eiuſdem partim in via dum nuptiali ferculo deferuntur, partim ad veſtibulum villæ ipſius ſponſi? & quidem mirari non deſino, eos qui in octauo capite nuptias etiam celebrari ſunt ſuſpicati, pompam in Ieruſalem duci arbitratos: bene eſt, paſtor & tabernaculorum habitator deſcribitur ſponſus, vt paſtoritias nuptias vrbi obtruderet? imò crederem etſi aulicus ſponſus induceretur ad hortum, ſi fortè haberet, pompam nuptialem feſtiuiùs adducturum. Certè apud priſcos id in more: colligo ex Homero 23. *Odyſſ.* vbi cùm Vlyſſes domi ſuæ procos occideret, ne populus tumultuatus incurreret, fingit ſe nouum maritum, qui Penelopem duceret, & celebraturus matrimonium de more ad hortos excurreret, deinde ita ad ſuos.

Nuptiæ apud priſcos in agro celebratæ.

> *Primum quidem lauamini & induimini veſtes,*
> *Famulaſque in domo iubete veſtimenta capere:*
> *Et diuinus cantor tenens citharam ſtridulam*
> *Nobis præeat ad ludricam ludorum ſaltationem:*
> *Vt aliquis dicat nuptias celebrari extrà audiens,*
> *Vel per viam iens, vel qui propè habitant:*
> *Ne antea fama lata cædis in ciuitate fiat*
> *Virorum procorum, quàm nos exierimus*
> *Agrum ad noſtrum arboriferum.*

Ne te Græcorum ſcrupulus moneat, verſu quinto adducto habet γάμον ἔμμεναι. quid clarius? quæ omnia ita facta proſequitur Homerus.

12. *Idem apud Hebræos.*

Sic ergo puto eueniſſe apud Palæſtinos: quis enim credat nuptialem illam pompam (Homericæ de Muſica perſimilem) qua filij Iambri nuptam adducebant longis itineribus duraturam: *Et ecce tumultus & apparatus multus, & ſponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & muſicis & armis multis.* 1. Machab. 9. n. 39. Sed quidquid ſit de cæteris Palæſtinis; Hebræos quidem non ſolùm ab vrbe in campum, ſed à vico & pago penè campeſtri, in ſecretiorem villam & hortum nuptias aliquando deduxiſſe, omnino credo ex hoc Cantico (licèt etiam in vrbe aliquando celebrarentur,) & penitus videtur confirmari ab Oſea *cap.* 2. *n.* 14. vbi ita, *propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* ac ſtatim *num.* 16. huius in ſolitudinem eductionis caſſam ſubſcribit: *Vocabit me: Vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim.* clariùs num. 19. *& ſponſabo te mihi in ſempiternum.* ibi nimirum in ſolitudine, vt nihil dubij relinqui poſſe videatur, quominus Hebræas nuptias in ſolitudine quandoque celebrari exiſtimemus: non initiatiuè, & deinde in vrbe perficiendas (vt hîc putat Sanchez,) ſed certè in pago de vrbe inchoatas, & rure complendas. Eſto hoc ratum. Suſpicor verò traxiſſe hunc morem Hebræos, quòd Deus vt Synagogam ſibi deſponſaret, illam ab Ægypto tranſtulit in deſertum: has quippe Dei & Synagogæ nuptias, paſſim apud Prophetas, ſi quid attentè legiſti, legis. habeo pro hac coniectura ſignatum locum, & gemma ſignabile apud Ieremiam 2. num. item 2. *recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* qui etiam ex dictis optimè in extremo illuſtratur.

Oſeas c. 2. n. 14. explicatus.

13. *Ver amoris delitijs aptum.*

Quod attinet ad Chronographiam, res eſt manifeſtior: ſuo enim iure affectus amatorij veris amœnitatem poſtulabant. ideo nullus veterum Venerem cum vere non coniunxit, vt ver ipſum à Venere dictum videatur, viſus alludere Lucretius *lib.* 4.

> *It ver, & Venus, & Veneris prænuntius antè*
> *Pennatus graditur Zephyrus.*

Certè Aprilis menſium vernator, & ſacer Veneri, & ab eadem quod pueri norunt, creditur appellatus: vnde Aprilis quaſi *Aphrilis*, ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ *ab ſpuma* ſcilicet, ex qua Venus orta, vnde & illa Aphrodites; elegantiſſimè igitur Catullus (ſi is eſt) in peruigilio Veneris.

Cras

Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet:
Vernorum, ver iam canorum, vere natus orbis est:
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resoluit, de maritis imbribus:
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat gazas virentes de flagello myrteo:
Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno
Cras amet, &c.

Scilicet non poterant figuratiuè sacri huius Cantici delitiæ suauius, quàm sub hoc tempore, quàm in hoc loco describi. Amor veri, ver prato imperat: imò & ipse amor rure natus, verno educatus fingitur blandimento. Non piget plura transcribere ex peruigilio.

14. *Amor rure natus.*

Rura fœcundat voluptas, rura Venerem sentiunt,
Ipse Amor puer Dione, rure natus dicitur:
Hunc, ager cùm parturiret, ipse suscepit sinu,
Ipse florum delicatis educauit osculis.

Aduerte tamen diligenter, actum primum adulto penè iam vere repræsentari, ideo tempus frondationis dicitur: ideo grossi in ficulnea, ideo flores in vinea: paulo pòst actus secundus habetur, nec inter aromatum messes, vini lactísque delitias maturi fructus numerantur. tandem actus tertius oppetente vere, appetente æstate fingitur exhibitus, ideo palma si minus mites dactylos (qui ad autumnum,) tamen fructus alios, & puellarum cupedias datura præsumitur: vt suo loco fusiùs declarabimus.

---

§. VI.

Sponsus Salomon.

Diuinum Poëtam, & regium Prophetam Salomonem, Dauidis filium, non sibi in hoc Cantico sponsi personam, aut dramatici pastoris partes subrogasse, mihi est certissimum. non tamen valde probabiles (ni fallor) duæ rationes, quibus id Sanchez noster *Proleg.* 2. (vbi de parabola sponsi & stylo libri) nititur persuadere. *Non posset*, inquit, *saluo pudore atque modestia sibi arrogare, quòd sit candidus & rubicundus, electus ex millibus.* atqui non video cur ex dictis rubore suffunderetur, qui non tam autor Cantici, quàm scriptor, imò amanuensis & calamus scribæ velociter scribentis, non tam sibi visa, quàm ab Spiritu sancto suggesta proferebat. maioris ponderis de se laudes Paulus, Ioannes, Ieremias, Moyses, omni salua modestia scripsere. videndus Magnus Gregorius *in præfat. Moral. cap.* 2. idem *cap.* 8. ad illud num. 12. *mille tui pacifici*, sic subdit: *Non est hic Salomon rex, vt suprà pluribus probatum est: quibus præterea adde quòd pro regia maiestate amoreque tanto quo sponsa prosequebatur, satis angusta, indignaque videretur illa dos, (eo præsertim tempore, in quo argentum nullius pretij putabatur) quæ mille tantùm argenteos quotannis redderet.* quasi verò millenarius numerus in diuinis libris pro indeterminato, sed penè infinito, singulis penè paginis non sumatur, & in hoc loco pro ingenti & condigno vinearum prouentu non posset vsurpari, maximè si vineæ balsameæ intelligerentur: aliunde igitur ratio petenda est.

15. *Cãtici, sponsus quis?*

Et quidem si concatenatio nostra non est futilis, res est aperta, ibi enim *cap.* 3. à Rege Salomone, ad alium Salomonem sponsum deducitur comparatio: sed hæc catena non cæteros, vt me, arctissimè tenebit, qui ibi non similitudinem, sed identitatem, vt dicitur, recognoscunt: inde ergo, credo, sententia probabilis omnibus reddetur, quia esset drama quidem perplexum & obscurum, & absque proprietatis decoro, si idem modo pastoritio, licèt pereleganti habitu, iuxta greges, & in tabernaculo pastorum, & paulo pòst in ferculo gemmeo regaliter induceretur, si bubulci modò, modò Regis appellatione salutaretur. Neque illud Daphnidis, quod ex Virgil. affert Legionensis de allegoria quandoque deserta, obstat: ibi enim epicedion canebatur: hic repræsentatur drama, quod repentinas has mutationes solet abhorrere. Atqui, inquis, Rex saltem dicitur, non de potestate regia, sed de more amorum, quod in meo Salomone infrà probabo. Atqui hoc ipsum, inquam, ego ingenti æquiuoca-

tione laboratet, nec sine ingenti necessitate, (quæ nulla vrget) sacro textui adhibenda: satis se occuluit diuinum Numen, cur nouas laboremus tenebras adducere, cùm discutiendis laborandum potiùs? Deinde quo magis Salomonem regem ab sponsi persona amoueamus, eo securiùs suspicionem remouebimus allusionis in hoc Cantico ad nuptias ipsius cum filia Pharaonis: quam tamen allusionem Catholicus nonnullus perperam aliorum iudicio, deglutiuit.

16. *Amor pacis Deus.* Est igitur sponsus pastor prædiues & nobilissimus, vt tunc ferebat ætas: quæ viros vtrimque maximos, & opibus & nobilitate conspicuos rure detinebat, eodem tamen, quo Rex appellatus nomine, Salomon: vt sicut ex pastoritia vita (quod iam omnes notarunt) sincerior amorum professor; sic etiam ex pacis appellatione, quam sonat Salomon, ni fallor ego, blandior indultor affectuum cognoscatur: norunt id etiam Ethnici, Propert. *lib.3. eleg 5.*

Pacis amor Deus est; pacem veneramur amantes.

Et pulchra quidem mixtura pacis & ruris, primas quippe belli clades experitur agricultura. Prudenter Virgil. *lib.8. de bell. ducibus.*

——— vndique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.

Paulus Hebr. 13. n. 20. explicatus. Hinc explico latentem emphasim, quam iam videre licet in verbis Pauli Hebr. 13. n. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. pacificus enim pater præmittitur, vt congruè filius pastor emittatur.

§. VII.

Sponsa Sulamitis.

17. *Cãtici sponsa quæ?* PEregrinam & alienam à populo puellam fingi in hoc Epithalamio aliquorum fuit Patrum sententia. probant nonnulli, quia sic rectiùs Christus Dominus gentilicæ Ecclesiæ conquisitor & amator significatur. non vrgent: amores enim Christi in hoc Cantico ad Ecclesiam tendunt, prout ex vtroque populo componitur, & ad singulas animas fideles & sanctas eadem ratione. Sto ergo illis, qui Hebræam puellam hanc supponunt, nostras quibus moueor rationes, præter illas quas alij posuerunt, infrà dabo, priùs enim pro virium nostrarũm imbecillitate, argumenta quibus pro Gentili decertat Sanchez, infringenda. Primum quòd sponsa vocetur de Libano, Amana, Sanir, montibus scilicet à Iudæa peregrinis: atqui non inde vocari, sed exinde eidem coronam parati, probo suo loco, maximè cùm per Libanum Ierusalem, aut Solymitana prædia possint intelligi. Secundum, quia sub arbore malo relicta dicitur, à matre nuper edita: indeque à marito excitata, quod gentibus, & non Hebræis in vsu erat: sed ego locum longè aliter explico, quàm de materno partu, & expositione: sed esto quòd putant de partu, edita dicitur, non relicta, excitata inde à coniuge, vt meliori modo adoptaretur: quod adoptionis genus etiam Hebræis in vsu sole clarius declarabo in spicilegio meo. Adde, vt ipse vidit Sanchez *cap* 8. hæc non tam facta scribi, quàm supponenda ac si fierent: cur ergo etiam cum puella Hebræa locutus, non potuit maritus vt pressiùs vrgeret, vti à gentilismo, (quod sæpe) alibi petita similitudine? Tertium, ponitur sponsa, abiecta & humilis, & fusca facie, spoliata pallio. in somnis res euenit: sed quid si, vt putat, vigilanti, nunquid Hebræá militibus pallium non eripeтetur? in cæteris, ego illam & nobilem, & ingenuam latè probabo. & quid tunc si fusca facie? an Hebræa melioris conditionis esset, ne rusticans sole offuscaretur? Quartum, alluditur in hoc Cantico ad Epithalamium Psalmi 44. vbi tamen sponsa peregrina ponitur, quæ obliuisci iubetur populum suum, alienum vtique & religione & loco. possem dicere etsi in aliquibus alludat, non in hoc tamen: deinde cùm vxor apud Hebræos in domum, familiam, & nomen mariti duceretur, de quo infrà, etiam Hebrææ obliuio populo & patris potuit commendari, vt tota in mariti obsequium transiret & amores, quem vt dicam patris loco sortiebatur. Hæc sunt rationum momenta, quibus se munit Sanchez *Prolegomeno* 3.

Fortior tamen insurgit adhuc ad illud capitis primi, *filij matris meæ*, &c. vbi eruditè, vt assolet, ostendit gentibus in vsu fuisse virgines suas ruri nuncupare: non

ita

ita Hebræis, quibus Eccles. 7. præcipitur seruare corpus filiarum, quod in agris vbi indigna omnia suadet solitudo, difficillimum est. Item, quia Virgines apud Hebræos absconditæ dicuntur. Adhuc tamen non vrget. Scio enim ex sacro textu Hebræas puellas etiam rusticis operibus vacasse, sic Ruth 2. num 8. *Iungere puellis meis, & vbi messuerint, sequere.* & mihi mirum est Sanchez ipsum sui oblitum ad hunc locum num. suo marginali 17. mordicus contendisse, Hebræas fœminas, aut Hebræis cognatas & vicinas, rusticis laboribus attendisse, neque negari posse has puellas Booz, metendis frugibus studuisse. periculum à solitudine fateor, quamuis certè æuum illud pacatius, sed tamen datum: ideo ex illius occasione lex diuina: *Si in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus; puella nihil patitur, nec est rea mortis; quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius: ita & puella perpessa est. sola erat in agro, clamauit, & nullus fuit qui liberaret eam.* Deuter. 22. num. 23. sermo est de virgine desponsata, nondum tradita marito, vt obseruant interpretes, & ex contextu satis patet. Supponit ergo lex non rarò virgines, vtpote rustico labori intentas, in agro posse inueniri. Iam verò vt virgines dicantur absconditæ, satis est si non ita frequenter foras prodirent, vt nuptæ: satis est si vultu subabscondito incedentes profusa de more ad genas cæsarie cernerentur. Equidem Rebecca deuia à paternâ domo haustura aquam, sola in campo, ab hospite eo titulo appellatur: *& virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam*, Genes. 24. num 43. in Hebræo est: עלמה, id est, *abscondita*, ne tam religiosè sumenda hæc vox existimetur, cùm virgo tunc maximè patens abscondita dicatur.

Deuter. 22. n. 23. explicatur.

Virgo cur abscondita vocatur.

Aliam igitur opinionem denuo sic confirmo. quia nimirum cùm ex altero populorum (nisi aliquis mixtam aliquam somniaret) necessariò typica sponsa esset inducenda, faciliùs & clariùs Hebræo sponso puella adscribitur Hebræa; robur verò sententiæ inde comparo, quia cùm in toto hoc Cantico ritus omnes nuptiarum ad vnguem exprimantur, miri instar esset, nullam ex Deuteronomio attingi illarum cæremoniarum, quibus puella Gentilis in Hebræi matrimonio initianda: quæ quidem ceremoniæ, non solùm captatæ in bello puellæ, sed etiam cuiuis proselytæ, videntur communes: nam prædictorum rituum causæ, prout à Doctoribus explicantur, militaut vtrobique. Et quidem, si ex Ethnica puella typica mysterium aliquod huic Cantico accidisse vellet Spiritus sanctus, credo prædictas cæremonias, tanquam præcipuas inter nuptiarum ritus non omissurum. Sed præcipuum, meo iudicio, argumentum ad probandum Hebræas virgines, licèt ditissimorum pastorum filiæ, qualis hæc erat, forent, rebus etiam rusticis adlaborasse, ex aduersa etiam depromo sententia. pende mihi amabo aut à sodalibus, vt putat Sanchez, aut ab sponso, vt ego existimo cum plurimis, ipso capite primo inuitari sponsam, vt pascat hædos suos, & iuxta pastorum tabernacula immoretur: at cuius frontis, quæso, esset, cuius pectoris, vt puella licèt ab Amorrhæis & vilissimis parentibus orta, iam tamen à nobilissimo viro desiderata, imò, vt illi innuunt, desponsata, & ad cultiorem adducta regionem, Solymitanam scilicet, (nam inter filias Sion ipso statim initio dicitur habitasse, quas compellat, quibus excusat nigredinem) ad id muneris impelleretur, nisi ingenitæ virgines, quæ illam ardentissimè colebant & laudabant, idem assuescerent? Maneat ergo, Hebræas virgines, maximè in villis & vicis degentes, opera paterna rustica fouisse, nec ex hoc capite quòd puella vineæ custos præscribatur, alienigenam necessariò computandam. probaui hoc fusiùs, quia tota dramatis series hinc mihi pendet maximè.

1

---

§. VIII.

Semichorus: Chorus.

IN Græcis dramatibus Semichorus ille est, qui quandoque emittitur nouo euentui celebrando, cuius partes ordinario Choro non ita decenter conuenirent, exempla ibi inuenies. hinc ergo est, vt festiuam illam turbam, quæ *cap.* 8. venientes coniuges excipit, Semichori titulo insignirem: re enim vera, talis est. Chorum ordinarium bipartior, hinc virgines Sulamitidis sodales, inde iuuenes Salomonis comites alternis canunt. & mihi mirum ab aliis rarò hæc iuuenum officia hic explicata, cùm totus dramatis lepos in amœbæis consistat, semperque garrulas puellas, & elingues sæpe iuue-

18.

Chori, & Semichori dramatici conditio.

nes

nes ponere deforme videatur: festiuiùs sanè ad voluptatem dramatis, & altiùs ad literæ mysterium, Chorus subdiuiditur. sic etiam in hoc genere res euenit apud profanos. Catullus in suo carmine nuptiali sic iuuenes immittit prouocantes virginum Chorum hymenæo celebrando.

Cernitis, innuptæ iuuenes? consurgite contrà:
Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre:
Sic certè, viden' vt perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere, canent quos vincere par est.

Vbi deinde gratis amœbæis hymenæo litant. De amœbæo verò carmine ita Seruius ad Eclog. 3. *Amœbaum carmen est quoties ij, qui canunt, æquali numero versuum vtuntur: & ita se habet ipsa responsio, vt aut maius, aut contrarium aliquid dicant*; & iterum ibidem; *In amœbæo carmine difficilior pars respondentis est, qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut maiorem, aut contrariam format responsionem.* Non adstringitur his legibus diuinus Spiritus, eo tamen artificio drama sacrum composuit, vt has leges dedisse videatur, indeque ad profanos (quibus nucleus clausus) fuisse deriuatas, vt ex paraphrasi nostra constabit apertè.

Carmen amœbaum.

19. *De Choro plura.* Neque te turbet, Chorum quandoque in singulari numero vocem exprimere, quale est illud: *Dixi, ascendam in palmam*, Cant. 7. & similia; quia, vt bene iam notauit Sanchez *ibi num. marginali* 60. etiam in profanis dramatis id in vsu: lege quæ ille ibi. Ego verò puto id inde ortum, quia si canerent, quasi vno ore loquebantur: si dialogizarent, vnus omnium mentem declarabat; quæ enim esset confusio & barbaries, si multi simul loquentes inducerentur. ille ergo vnus, aut vna, nunc in singulari ponitur, quia talis, nunc loquitur in plurali, quia pro multis apud Euripidem in Tauris, loquitur Chorus.

Χόρεις ἢ σταίω, ὅθι κἀ
Παρθένος εὐδοκίμων γάμων.
Choris adessem, vbi pariter
Virgo laudatarum nuptiarum, &c.

Chorus similiter apud Sophoclem *in Aiace*.

Κεῖμαι ἀμαχέτης ἔτως.
Iaceo incuratus ita.

20. *Item alia de eodem.* Chorus vtplurimum (licèt non semper ita eueniat) consonat personæ, quæ præcipuas dramatis partes obtinet. Sophocles in Electra regiæ puellæ puellarum indigenarum tribuit Chorum: ὁ χορὸς συνίστησιν ἐξ ἐπιχωρίων παρθένων. Similiter in trachiniis Deianiræ datur iam nuptæ χορὸς γυναικῶν τραχινίων, *chorus trachinensium matronarum*. Apud Euripidem in Hecuba, reginæ captiuæ. χορὸς συνέστηκεν γυναικῶν αἰχμαλωτίδων τρωάδων, *chorus adstat concaptiuarum fœminarum Troianarum*. sic in nostro Cantico pastrici & venatrici virgini, pastori & nobili iuueni, similium virginum & adolescentum Chorus adsignatur. Sicut autem puellæ istæ filiæ Sion dicuntur & Ierusalem, sic simili appellatione apud externos: & sicut illis inducitur aut inquisitio sponsi, aut nuntiorum delatio, aut sponsæ consolatio; sic etiam apud prophanos, hæ penè partes Choro inducuntur. Do vnum, vel alterum exemplum, vt non solùm bucolicos scriptores (quod iam alij viderunt) hinc pluscula appareat didicisse, sed etiam dramaticos. Electra ergo apud Sophoclem ad Chorum.

ὦ γένεθλα γενναίων πατέρων
Ἥκετ' ἐμῶν καμάτων παραμύθιον.
O filia generosorum parentum,
Venitis meorum laborum consolatio.

Phædra apud Euripidem *in Hippolyto.*

Τμῆς ἢ παῖδες εὐγενεῖς τροιζηνίαι
Τὸ σοὶ δέ μοι παράσχετ' ἐξαιτουμένη,
Σὺ γῇ καλύψατ' ἃ ἐνθάδ' εἰσηκούσατε.
Vos verò puellæ nobiles trixeniæ,
Hoc vnum mihi concedite roganti,
Vt silentio inuoluatis quæquæ audistis.

21. *Vrbs ciuium mater.* Quid? vt Ierusalem puellarum mater appellatur, sic apud Euripidem, vbi Chorus, vrbem vastatam igne ferro, plangentium Troianarum matrem appellat.

ὦ τάλαινα ἐρῆμος πόλις; ὦ μήτηρ
Ἀπολέλοιπας ἡμῶν.

O filia

O filia, deserta est ciuitas: mater Disseritur vestra.

Parco multis, quia dicta satis. Solùm aduerte, vt in Cantico nostro, sic *in Psalmo 67.* quem nuptialiter Sanchez peroptimè illucidauit, puellarum etiam & iuuenum Chorum permisceri. Sic explico illud num. 26. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.*

Psalm. 67. n. 26. explicatus.

§. IX.

Methodus procedendi.

IN ipso fronte, & quasi libri proscenio, totum drama paraphrasticè exhibeo enucleatum, vnde facilè operis contextus pateat: deinde singulos vulgati nostri versus sic propono, vt fontes postea cùm res postulet propinem inter explicandum ipso suo natiuo apparatu: quo fastidiosos etiam nedum sitientes pelliceant viatores; iam verò quanræ sit operæ pretium non omnino peregrinorum idiomatum ignarum ad explicationem vulgati nostri interpretis accedere, ignorat nullus: maximè, cùm LXX. pro Græca versione, non solùm humana doctrina, sed etiam Spiritus diuini afflatu putentur instructi? Hebræi fontis dignitatem à Deo ipso manantis, quis non firmè probauit eruditè gemmeo suo libello de radicibus Iordinus noster linguæ huius excellentiam & artem, quâ à Deo, & Deo similis prouenit: voluit enim Deus vt interdum in vna littera non minus, quàm in tribus (quibus vtplurimum propria radix constat) integra vocis significatio retineretur, vt sciremus veritatem non minus residere in tribus, quàm in vna persona Trinitatis. huc vsque ille. Addo ego id maximè cerni in hac voce אשר quæ relatiuum significat omnis generis, & omnis numeri, pro qua sæpissimè ponitur sola litera ש sequenti dictioni adnexa: putoque non solùm attributa diuina singulis personis, vt omnibus communicata significare: sed etiam illarum nomina, imò relatiuas notiones subnotare. nam prima littera א patrem virtualiter continet, qui Hebræis dicitur אב. Secunda ש filium exprimit, qui Hebræis est שׁ. Tertia ר innuit Spiritum sanctum, qui dicitur רוח. Hæc si fortè minus verè, saltem piè excogitara mihi, impium duxi mi lector tibi inuidere. pergo.

22. Linguarum notitia Scripturæ intelligenda necessaria.

Hebræa linguæ dignitas.

Vbiuis sacrorum librorum dum mera littera explicatur, humana litteratura veniat in famularum necesse est: in hoc tamen Epithalamio quàm maximè, vbi nuptiarum ritus, rusticæ sine rusticitate similitudines, cordium affectus, amoris teneritudines, suo iure, vt loquitur Augustinus, totius Ægypti exigunt spolia. Sat scio hæc aliis suspendenda naso, aliis nauseam prouocatura: vt tamen viderint (si fortè videnr) sine his profanorum facibus, diuina nobis densis tenebris delitescere: sannam deponent, & fastidium: an verò rancidam, & aliunde corrogatam, attulerim eruditionem, an ex ipsis fontibus haustam, ac vtplurimum illibatis, & integris, lector non indoctus iudicabit.

23. Humanior litteratura Sacræ necessaria.

Accuratè igitur pro virium nostrarum tenuitate dramatico in primo libro sensu declarato, in secundo allegoricum, id est, propriè huiusce libri litterarum, breuiter aperiemus, quòd has partes longè pleniori spiritu à sanctis Doctoribus impletas inueniamus: & vt verum fatear, quia mystica doctrina, non tam à libris discitur, quàm à Deo, quem tot vitiis obrutus præceptorem sortiri non promerui. Tandem fusius concionaturienti sæculo, in tertio notationes adscribemus, quæ formandis moribus vitæ commodiores. De Deipara Virgine integrum opus meditor, sic quod hic desiderare posses, pleniùs suo loco, ac longè fœnerantius persoluetur.

§. X.

Fides Auctorum.

PRæter classicos Patres atque Doctores, qui vbiuis in promptu, & cuiuis in manu, alios ignotiores, nec tamen ignobiles huc appello: quorum ne fidem lector spernas, hic tibi fontes resignandi in primis noster Gretserus tomo secundo multas de cruce edidit orationes, quas nullibi apud nos, aut saltem difficillimè reperias: ille hasce

24. Auctores citandi.

hasce ex variis bibliothecis compilauit, quas confirmandæ auctoritati declarat. Vide de eisdem Gerardum Vossium in Scholiis ad D. Ephrem. easdem mihi percurrere non inutile putaui, & gemmas quas ille non ponderat, sed promit, mihi seligere: quasque vir magnus in conchis adhuc sordentes inculcat (sic enim ad eius institutum veniebant) easdem iam politas examinare, & morum auro interserere. quoniam verò horum aliquos etiam aliunde cito, vt loci harum orationum designentur, addam n. apud Gretserum.

Ex catena nostri Delrij cito quos ille affert manuscriptos, quorum integerrimam fidem piissimus & doctissimus Pater ibi explanat. notior sylua Tilmanni, quam adduco.

Deinde ex Photio Archiepiscopo Constantinopolitano, cuius Bibliothecam Græcam ciuitate donauit eruditissimus noster Andreas Scotus, conuoco pluseulos. Aduerte tamen me, licèt in multis versioni nostri Scoti adhæream, at in aliquibus dissentire: quod iure ne fecerim, an iniuria, ex notulis nostris in nonnullos locos Photij, collato Græco textu, patebit puto: interim dum non condemnor, in locis quos affero sto mihi, quod idem in Basilio Seleuco factum nota.

Cito etiam alicubi operum meorum, licèt rarò, Ruffinum Aquileiensem, non quòd sit animus, illum ab errore vindicare: quis enim illum ab Antagonista Hieronymo liberauerit? impar congressus Achilli amisit palmam, insuper censoria Geladij perustus notâ vix vnquam infames titulos euaserit. cito tamen, quia quâ libuerit seueritate illum cum doctissimo Baronio exagites, nunquam illum deterioris conditionis reddideris, quàm Tertullianum, & Origenem, similisque farinæ homines: qui ergo horum defæcata citas, laudas, cur trepides ad Ruffini defæcatiora, qualia sunt in explicatione Symboli, in benedictionibus Prophetarum. damnetur Ruffini error, excidat proteruum opus, pia cætera nequaquam oblitterentur.

Attende tamen diligenter Commentarios in Oseam, Ioel, & Amos, qui sub huius Ruffini Aquileiensis nomine circunferuntur, per summam melioris Auctoris iniuriam, isti assignari. Non leui coniectura putat Ribera noster in Oseam *cap*, 2. *num. marg*. 78. alteri esse Ruffino tribuenda. Certè ego non mediocri diligentia, opus egregium, ab iniusto possessore ereptum iri, curaui: litem si non absolui, promoui puto. Pende in primis styli diuersissimum tenorem, ab illo, quo cætera siue germana, siue supposititia, Aquileiensi impio subscribuntur. Equidem hi Commentarij, grandiloqui insurgunt, & sæpe cothurnati: vt si quod vitium habere videantur, illud sit, quod serio, & addictissimo scholiasti, penè declamatoria methodus, & oratorij cincinni penitus assumantur: nihil tale in Psalmorum Commentario apparet. Dices Psalmodicam explicationem non esse Aquileiensis: esto, id enim non vanis argumentis probat Lorinus: at hinc etiam obiter poteris coniectare, opus hoc propheticum non esse Aquileiensis, potuisseque pari iniuriâ, cum alienis Psalmis illi assignari: sed redeo. Certè scripta contra Hieronymum, benedictiones Prophetarum, quæ penè omnium calculo Aquileiensi tribuuntur, quàm sint alterius limæ cæcus iudicauerit. fateor explicationem Symboli, quæ Aquileiensis creditur germana, sub homogeneo ferè stylo, cum hac nostrâ prophetica videri conscriptam: non tamen eam similitudinem, nedum eumdem characterem lector sedulus deprehendat, quam nequeat diuerso calamo assignare. nam phrases propriæ prophetici huius Scholiastis, quibus *color* dicitur de figuratâ dispositione, *pompa* de ostentatis solummodo pœnis, & intentatis minis, *prophanitas*, de moribus deprauatis, & similes quæ passim ab illo vsurpantur ab Aquileiensis, si rectè memini, exulant scriptis. Impolitum sanè & penè barbarum, vixque constantis Grammaticæ, magistri adhuc ferulæ subdendum, Aquileiensem illum, denotauit in suâ Apologia D. Hieronymus, nec immeritò, si cum ipso sancto Doctore comparetur: at tu lege Propheticos hos Commentarios, & si sapis, quàm alio sint ponendi in numero, iudicabis: quos proinde imperiti sermonis, sola possit aut imperitia, aut calumnia, quæ longè à D. Hieronymo absunt, condemnare. Præterea, scriptor iste Propheticus in præfatione operis, Commentarios suos in Salomonem, non sine communi plausu, iam olim memorat publicatos: at Aquileiensi, nemo, quem viderim, huiusmodi scripta aliqua in Salomonem assignauit.

Non itaque video, quo prætextu Ruffini nostri prophetica explicatio Aquileiensi illi attribuatur, nisi quòd interdum, solita ac iste, in magnum Hieronymum vtatur mordacitate, licèt non pari frontis depositione: sed id non satis, potuit & alteri minus etiam arridere summus Doctor. quid? & in præfatione, & in corpore huius operis,

inde

inde maximè reprehenditur noster Hieronymus, quod minus solidis allegoriis Origenis in explicandis Prophetis assuescat. hæc autem exprobrara, Aquileiensis palato temere & infausto calamo Origenem, vt scimus, propugnantis, quasi ab hæreticis interpolatum, quis putet dulcuisse? Atqui, inquis, Renatus Laurentius, & cultissimè diligens Senensis, aliique, boc opus Aquileiensis germanum habuete. Sed quidem post hos omnes, non insetiotis diligentiæ fuit Bellarminus, & tamen nec leui verbo, in eius censura, & catalogo operum Aquileiensis, hæc Prophetica expositio, (vel saltem vt spuria) memoratur, cùm iam tot ante annos legererur: illud verò ignorasse doctissimum Cardinalem, nec etiam lingua petulans asseuerer.

Hæc igitur addita illis quæ Ribera noster cirato loco dedit, probabilirer satis meliori Ruffino hoc opus assignauerint: dignum sanè quod legatur, firmandæque litteræ, & motibus formandis vsurpetur. eo vel maximè, quòd, quando reuera Aquileiensis fuerit, nil vetabat, vt dixi, in scripta adduci, è suggestu sonare, cùm Origene suo, & Eusebio, cum Tertulliano & aliis, quorum fidem damnamus meritò, nec immeritò rectè scripta comptobamus; nimirum è luto gemmas, è cœno aurum eruere quis despexerit. hunc ergo deinceps, distinctionis causa, Ruffinum secundum appellabo.

Circunfertur etiam, non vulgo credo satis nota, Catena in Pentateuchum, quam è Græco Latinam reddidir Franciscus Zephyrus: vbi nonnulli Pattes apptimè eleganres, nec dum alibi in lucem ediri, adducunrur. legi, extraxi, dedi, quos è propria sede repetere non valetem, vt Acassium, Diodorum, Seuerum, & alios: additâ nota, *in catena parua*; quia hæc, etsi cum aliis similibus de petitiâ contendat, non tamen venit volumine comparanda.

Illis, quos ab homiliarum Bibliotheca, è Tomis de Historiâ Sanctorum Lippomani, & Metaphrastis, aut è quadrigâ Euangelica nostri Haye, excerpsi, etiam distinctionis notam adhibebo, ne cum aliis ipsorum scriptis, quos in proprio volumine legeram, confundanrur. In catena Ioannis à versione cultissimi nostri Corderij, diuerto rarus: nimirum nouerat non solùm idiomata, sed materiam.

In Diuo Petto Chrysologo, quem passim adduco, id quandoque notabis, quòd nonnulla verba, & plures interpunctiones ordinariis exemplaribus non respondent, quia corrupta puto, vt in animaduersiunculis meis ad hunc sanctum Doctotem ostendam, Deo auspice. idem in nonnullis aliis Patribus euenit, aliunde correctis in lucem mihi dandis.

D. Eucherius, quem in homiliis cito, est auctor illarum homiliarum, quæ immetirò huc vsque Græco & hæretico homini, scilicet Eusebio Emisseno, tribuebanrur, quod clarè probat Baronius. Aliis verò non ram Eucherius Lugdunensis, quàm Eusebius Gallicanus harum homiliarum auctot credirur: deinde nota, esse ibi aliquas homilias ad Monachos, & item alias de Paschate, quæ in 2. romo bibliothecæ Patrum D. Cæsareo Atelatensi assignantur: igirur in re dubia nunc istum, nunc illum dicam, ne aliena non domino addicam omnino. tantum Emissenum illum penitus tacebo, vt ab iniusta præda detrudatur.

Explicatio Psalmi centesimi vigesimi septimi, quam cum multis ttibuo Zenoni Veronensi, etiam apud Hilarium reperirur. Epistolam de cibis Iudaicis ab aliquibus Nouatiano adsctiptam, malo cum aliis D. Cypriano assignare: minus enim incommodi quòd Cyprianum non sapiat stylum, quàm quòd piissima doctrina hæretico tribuarut. quinimo librum de Trinitate vtplurimum eidem Nouatiano assignatum, cùm non liqueat, malo incerto alicui, cum aliis tribuere. D. Ambrosium in Cant. ferè cito, vt in extracto eius habetur, ideo signatiùs libtos non explico.

§. XI.

Indices affigendi.

Indices duos singulis libris appono: dramaticum intelligo, & tropologicum. nam in mystico superuacaneum duxi. Primum sacrorum oraculorum, quibus obiter noua lux darur, quæque facem quam immittunt, admittunr muruo: quæ verò splendores alios capiunt & alienos, Indici obtrudere non curaui. quod etiam circa alios authores obseruo, vt tunc solummodo ad Elencbos reuocentur, cùm noua explicatione declarantur.

25. *Indices librorum.*

rantur.

rantur. Secundum, rerum & verborum, quæ visa sunt notatu digniora. Desideras tertium de more pro concionibus pangendis. non dabo. absit à me piaculum quod puto grauissimum, vt illis Concionatoribus materiam administrem, qui nisi infantium instar præmansum cibum digerere potuerunt. hoc concionandi munus doctis tantummodo cupio commendatum, indoctis doleo. irrepsit hæc labes non sine magno discrimine Ecclesiæ, non solùm è vernaculis concionum libris, quos omnes hoc cordis mei sanguine deletos vellem, sed etiam ab Elenchis Latinis: sic quiuis è vulgo leui tantùm Grammatica tinctus, audet grauissima tractare, & testamentum diuinum assumere per os suum: suum inquam, id est, ignorans, ineruditum: heu quanto periculo? discurrit per pagos aliena scripta, & illa optima, histrio sacrilegus effundens: admiratur inscia & incauta turba: & de verbis, profundam hominis scientiam suspicata, eundem de difficillimis moralis doctrinæ arcanis consulit: qui ne laruam deponere cogatur, timeo ne temere soluat, mores corrumpens ne pudore rumpatur. Atqui, inquis, Concionatorum selectiores ad pagos raró diuertunt, vrbibus vt plurimum occupati: præbendus ergo vulgaribus fomes, quo rusticiores, saltem de alieno labore informent. præbendus, inquam, ego, sed planus, sed simplex, Catholicæ nimirum doctrinæ institutio, & clarior Euangelij explicatio: hæc satis, pro dicentium humilitate necessaria, pro discentium capacitate: fomes pinguior similes auditores & Doctores, non illuminat, sed perurit. Atque vtinam ad solos pagos & vicos hæc labes detruderetur: curias inuadit, & vt quisque voce, verbis, manus venustate pollet, aliena scripta recitat, pari fortasse ac in vicis, tenore consultus, sed maiori damno, vt suspicor, vt sunt grauiora quæ illi post concionem proponuntur: vt est difficilius apud Dynastas ignorantiam fateri ingenuè, quàm apud rusticos. Timeo ergo moribus ab hoc genere Concionatorum, quia & illorum fastus timeo: arma in scriptis meis, his talibus porrigere præcauebo: imò & verba nectere, & stylum obscurare mallem, ne quouis modo illis patere possim. quæ ergo concionibus multa subnotaui, illis elaborata volo lubentissimè, qui Scholasticis, moralibus, vel expositiuis sedulò occupati, Sanctorum peruestigandis viridariis de temporis pulchrè collocati inopiâ non sufficiunt. His si quandoque suggestus ascendendus, apparatus præbeatur, non in Elenchis præmansus, sed in solis notationum titulis præmonstratus: hoc enim viris doctis plusquam satis.

Concionandi munus grauissimũ.

---

§. XII.

Auctor. Auctoritas. Scopus.

26. Canticorum liber canonicus.

QVæ huc vsque dixi, tanquam leuia ab aliis sunt prætermissa: præsens titulus, qui grauissimas inuoluebat quæstiones, sic exactè à Doctoribus euolutus, vt nisi terendo tempori, & insumendis chartis factum, facere non videam necessarium. Vno verbo. scriptor, licèt Salomon rex sit: auctor tamen & dictator operis est ipse Deus: vnde iam sequitur auctoritatem esse diuinam, & canonicam: idque fide sancitum. Consonat scopus: procul sunto fœtulenti halitus, impij grunnitus illorum, qui puros hos fontes, qui sacros istos hortos, immundum quidquam lasciuiæ exhalare, blasphemarunt. Sacrum istud volumen hoc differt à sacris cæteris, quòd perpetua quadam allegoria, sub cortice dramatis, nucleum abscondat mysterij. tendit igitur declarandis liliatis nuptiis Agni & sponsæ: Christum intelligo, & Ecclesiam, aut quamuis animam, & maximè Marianam. Sic omnes Catholici, à quibus in hac re nefas discedere.

Obiter tamen sancti Patres, aliud quid sacrarum nuptiarum solent immiscere inter Verbum & humanam naturam celebratarum: quod etiam cur in Cantico nostro intentum & contentum non dixerimus, non video, vnde hoc dissonet pietati? certè ab Adam vsque ad Abraham ardentia desideria humanæ naturæ licèt intelligere ab Abraham, cui Incarnationis facta expressa promissio, iam habes sponsalia. à Verbo incarnato per totam deinde æternitatem, nuptiæ celebrantur: quod enim semel assumptum est, non dimittetur. hoc si placeat, nec posse displicere puto, prehenso filo nostro, facile Canticum, non solum quo ad drama, sed etiam quo ad litterarum totum denuo explicabitur. hoc præstabo.

Illud vnum aduerte, me nunquam illis potuisse assentiri, qui in hoc Cantico incipientium, proficientium, & perfectorum vias permixtim asserunt contineri? si vt euenit,

nit, has illorum synonymas esse putent, quas purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam dicunt, ordinarias nimirum, & de solita Dei gratia iam dictas naturales. in hoo Cantico series est deductissima & mystica, filium integrum, vt Christo auspice clatissimè propalabo: nulla hic perplexio, nulla interruptio. Pende ergo in ipso statim limine osculum, & si sapis, statim tibi vnio supernaturalis respirabit. Purgatio & illuminatio naturalis (habituales intelligo, & quasi permanentes) ab osculi sacti suspitio, id est, diuinæ vnionis gradu remouentur. Cæterùm & in ipso vnitiuo & supernaturali statu, alius incipit, hæc sunt desideria felicis: alius proficit, & felicior init sponsalia: alius perficitur, tunc fruitur optatis nuptiis felicissimus, & in hoc sensu illorum dicta vellem interpretanda.

---

§. XIII.

Titulus libri.

HOc opus non ita ab Hebræis dicitur שיר השירים quod Græci dicunt *ἆσμα ἀσμάτων*, nos, *Canticum Canticorum* appellamus, quasi ex multis canticis componatur: sed quòd, vt omnes obseruant, canticorum omnium primas teneat, suoque iure coronam sibi repetat. Hebraismus quippe frequens est, vt patrius pluralis eiusdem nominis recto additus excellentiam denotet: sicut dicitur, Dominus dominantium, noua nouarum, Deus Deorum, cæli cælorum, Sancta Sanctorum, & similia passim: Addo similem loquendi formam apud alios. Persæ siquidem Regem suum Regem regum appellabant, id est, Principum excellentiorem. probauit multis Serarius ad caput tertium Iudith: quibus annecte hos paueulos, in quos incidi. Auctor Epistolæ Alexandri ad Aristotelem. *Age gratias Macedonia iuuenum virtuti, & inuicto exercitui nostro, qui in ea patientia perseuerauerit, vt Rex regum appellarer.* Trebellius Pollio in Valeriano. *Rex regum Bel solus,* & iterum *ibidem*, amici congratulantes sapori Regi. *Sed captum Valerianum, Principem Principum, non satis gratulor.* quid? quod etiam apud Romanos Pater Patrum pro Principe Pontifice sumebatur: vnde in veteribus inscriptionibus P.P. de Patre patrum explicatur: vt habet Gruterus *de iure Pont. lib. 1. cap. 25.* Vide eundem *ibidem cap. 7.* vnde puto ad hanc formulam dictum sæpe apud Homerum *δῖα θεάων*, *diua diuarum*. Nota obiter illud Ezechielis 16. num. 7. *peruenisti ad mundum muliebrem:* in Hebræo legi, *ad ornamentum ornamentorum*, quia ornatum maximum, & cultum excellentissimum consecuta.

27. *Hebræa phrasis.*

Hæc habui, mi lector, quæ tibi in Prolegomenis præmonerem: vtere igitur, fruere opellâ nostrâ, cuius vnus ab eadem radice scopus bifidus, & Societati IESV semper intentus: Dei gloria, & proximi vtilitas: & cùm me, vt spero; promissis stantem subnotaueris, verissimum Gilberti dictum inuenies de hoc Cantico, serm. 5. *Quid enim? cur non ficus frequenter concutitur, cuius fructus plenè nunquam excutitur? quid mirum, si conuellitur sæpiùs quæ propria expoliatione fæcundior effecta, cum vellicantis videtur certare manu, & decerpentis auiditatem vbertate conuincere?* VALE.

LIBER PRIMVS DRAMATICVS.

TOTIVS DRAMATIS SYNOPSIS.

SALOMON pastor prædiues contribulem deperit puellam, ab eadem inuicem ardenter redamatus: qui mille desideriorum toleratis fulminibus, mille inter amandum lachrymarum fluminibus superatis, despondentur: tandémque post nuptiales coronas felici nuptiarum coronide copulantur. Totum igitur drama in tres actus diuiditur: *Primus* desiderij ardorem: *Secundus* solemnitatem sponsalium: *Tertius* nuptiarum continet celebritatem. Res acta fingitur in agro Solymitano: Personæ sunt Salomon, Sulamitis, duplex chorus, constat hic ex virginibus, ille ex adolescentibus: & semichörus mixtus. Proloquitur Sulamitis.

CANTICVM CANTICORVM.

DRAMA.

ACTVS PRIMVS.

ARDENTIA DESIDERIA.

SCENA PRIMA.

Salomon, Sulamitis, Chorus virgin. adstans.

ARGVMENTVM.

FINGITVR *adolescens iam tunc procus, nondum sponsus exceptus conuiuio à matre Sulamitidis, qui iam eumdem futurum sibi generum destinabat. Puella interim (vt assolet) è penitiori cubiculo, aut per ostij rimas, aut per aulæorum iuncturas pastoris pulchritudinem contemplata, negotij complementum, & matrimonij pignus suspirat osculum: de se suisque agit cum sodalibus. Tandem finito epulo, foras prodit: tenerrimisque, sed castissimis amœbæis dilectum excipit, excipitur dilecta.*

CAP. I. SVLAMITIS.

1. 2. Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Hem quo rapior! opiparum conuiuium, & festiuos intuita conuiuas, nullatenus aut ferculorum suauitate, aut conuiuarum aspectu allector: in meum vnum Salomonem collineat aspectus, collimat desiderium. O quando solemni illo osculo, quo inuicem commeant animæ feliciùs in alienis, sed amatis corporibus respiraturæ, alter alterius particeps efficiemur? & quid mirum in hoc conuiuio, tu solus mihi famem ingeras, commoueas saliuam? quando fragrantissima vina, fercula scitissima, desipere & fœtere mihi visa: si cum voluptate, quam è blan

è blandiſſimo complexu tuo, nuptialibus imbuendo odoribus, iam nunc mihi præſagio comparentur.

Sed proh! quàm inſulſam ſortiris encomiaſtriam dilecte mi! quæ externis vnguentis indigum ad exhalandum ſuauius te proruli: cùm tu te ipſe (quod experta dum tibi connutrior, ſubnotaui) de naturalis complexionis virtute reſpires ſuauiſſimus: adeò vt omnes domeſticæ puellæ, à quibus propterea diligeris ardenter, nunquam vſitatiori vocabulo, quàm exhalantis vnguenti nomine te compellent: ſicque in pagis noſtris, & Salomon & vnguentum pro eodem vſurpari iam videtur.

3. Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.

Si ferrum eſſem, occultâ vi me traheres magnes dulciſſimus: nunc autem iam emollita, & penè liquefacta, non violento impetu, ſed voluntario affectu ad te rapior: ſi trahit ſua quemque voluptas, tu volupe meum magis ac magis me trahe, non reſiſto: magis ac magis incende, non repugno. imò quod mallem, nuptiali iam ritu rape me: quæ quamuis morarum aliquid de more faciam, tamen affectu toto poſt te curram: atqui nec ſola ô dilecte, ſed ego tibi & puellæ mihi innexæ, amatoriam catenulam, annulis quodammodo inter ſe connexis efficiemus, vt non ſolùm de vſu dominam, ſed & de affectu toto te dominum ſubſequi videantur. Experta (quod iam dixi) loquor: memini quippe cùm me aliquando ipſis ſociantibus in theſaurum deliciarum immiſiſſes, inter tot alia aromata, nihil te nobis ſuauius reſpiraſſe: cuius adhuc dulcedinem mens eructat; memoriaque iucundiſſimè eâdem titillatur: vnde perennem exultationem lætabundè auguramur. neque mirum, ſic enim alieni cuiuſvis affectus, factus illex, vt quiſquis non toruo de inuidia vultu, non obliquis de liuore, ſed rectis, vt par eſt, oculis te conſpiciat: neceſſariò tuis dotibus capiatur.

4. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum: introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.

Iam ad vos redeo amicæ virgines, connutritæ ſodales, impotentis affectus mei teſtes, & ardentis ſuſpirij admiratrices: in conſpectúmque dilecti proci (finitur enim epulum) vobiſcum euocabor: nec timebo, etſi de campeſtri puluere nondum bene excuſſo, nigricans egrediar: aliàs enim, vt noſtis, non indecora. Sic paſtoritia tentoria, ſolita Cedarenorum mercimonia, nobis allata, etſi puluere nigricent, & crebro reſperſa flamine de foris ſordeſcant: intus tamen à Salomone meo, emptis pictarum ferarum pellibus, pulcherrimè inſternuntur, aduentitia nigredine propriam ſpecioſitatem non tollente.

5. Nigra ſum, ſed formoſa filia Ieruſalem: ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Neque vos moueat quòd cutis etiam ipſa offuſcetur: candidam ſcitis, quæ nunc de Solis calore decolor inumbror: & quidem vertendum mihi vitio fateor, ſi dum procurantur ſponſalia, faciem ſolito diligentiùs non curarem: ſi ordinariis ruris attenta exercitiis, auara magis lucro, quàm ſedula pulchritudini ſtuderem: verùm ego id temporis, eâ de causâ, vineam meam, & agros hæreditarios dotis nomine à patre mihi relictos, paulùlum obliuiſcendos exiſtimaui: interim tamen fratres mei (vt ſunt duri) tanquam ignaua otia, comptus mei negotia interpretantes, inter domeſtica iurgia, ad vinearum ſuarum curam compulerunt. Nunc ergo egrediamur.

6. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.

Quando ſic mihi fauſta illuxit dies, vt te domus noſtra apertum nuptiarum mearum exciperet petitorem, meum eſt, vt te priùs compellem ſalutatura: interim igitur dum beneuoli parentes, fratréſque quaſi aliud acturi receſſerunt, vt liberiùs inter coæuas ſodales tecum loqueter, non vanis, ô dilectiſſime, immorabor: iam inde, te ſemper præſente, frui vnica vota mihi: age dum, indica ſis, vbi ſoleas paſcere, vbi merediari, & ſolſtitium paſto pectori defendere: ne vaga in tui inquiſitionem tempus teram: dúmque erro aliorum paſtorum captare videar blandimenta.

7. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

SALOMON.

Quid iſta quæris, ô fœminarum pulcherrima; cùm tute poſſis tabernaculum meum inuenire? hædulorum tuo-

8. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, &

& abi post vestigia gregum: & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.

rum, si nescis, expedit sequi vestigia: ipsi quibus ego notissimus, quosque in tui gratiam, dum à pastricibus tuis adducuntur, apud me foueo, te mihi adducent: quòd si fortè absim, iuxta pastorum tabernacula pasce secura: neque aliquid indecens suspicabor, de tanta fide certus, de tanti pudoris pulchra strenuitate securus.

9. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Neque mirum: quæ enim equæ meæ formosæ de pulchritudine mihi assimilaris: eiusdem etiam bellicos & generosos spiritus, dum curtui alligatur, repræsentas: generosam, nec tangendam pastoribus (si quis procax) exhibens pudicitiam.

10. Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

Et quidem allucet ista in genis tuis pulcherrimis, quas vel quia in conspectum nostrum adduceris, vel quia veras ab hoc pectore laudes audis, turturis pudicitiam exhibens, pudibundo colore infecisti: & quàm grata mihi turturis, aut columbæ incidit comparatio: vt enim ista ad collum torquata conspicitur, & vario lucis fulgore quasi pretiosis monilibus redimitur: sic collum istud tuum innata pulchritudine, nec admisso gemmarum splendore tanquam optimis torquibus coronatur.

11. Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

At quamuis satis hæc essent pulchritudini tuæ, nunquam alienæ opis indigæ: non tamen officio meo, semper vt procum decet, debitis intento: aureos igitur turtures murænularum instar circumuolutas, tibi fieri curabimus: splendentibus guttis affabrè variegatos. nec poteris de generoso spiritu munuscula nostra spernere, quæ non tam de pretio grata, quàm, de similitudine, tibi pretiosa: vt quæ naturalis turturis pudorem ad genas, ad collum torques procedis imitata, turturibus artificialibus delecteris.

SVLAMITIS.

12. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Bene est: venient quidem munera ista tua, sed nostra præuenerunt, nec etiam à similitudinis gratia aliena: noris enim, velim, ô amor, qui cordis nostri tanquam Rex potentissimus imperas affectibus, coronam illam nardinam, & nardinum vnguentum, quibus nuper dum conuiua discumbebas, vnctus & redimitus recreabaris: & illud à me conditum, & illam hisce manibus fuisse consertam: licèt à te dilecte odoratissime, aut nouum mutuarentur odorem, aut totum tuum exhalarent, quòd te coram, partem aliquam sui exhalare non præsumerent.

13. 14. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.

Et quid mirum non solùm munus, sed etiam tibi mentem præuenitem? quid mirum te quem & aroma & florem semper putaui, aromate & floribus putarem excipiendum? quid enim tu mihi aliud, quàm myrrhinorum granorum fasciculus ad pectus amoris sedem, vnde ipsum cordis medullium penetret, apponendus? quid aliud quàm vernans cypri ramus, tacematim flores emittens in Engadditanis cypretis vinearum instar virescentibus?

SALOMON.

15. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.

Excelsis certè non solùm specie, sed etiam ingenio: vbique pulchra conspiceris, pulchra meditaris: proh, quàm habes ab aliis fœminis oculos diuersos? illæ miluorum instar prædæ inuolant, amatorum spoliis tantummodo inhiantes, quasi in ipsis oculis vngues gerere videantur: oculi verò tui columbini, nesciunt prædam, spolia ignorant, qui in vnum directum collineant cordi infigendum, quem etiam muneribus præuenisti.

SVLAMITIS.

16. 17. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus: tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

Imò tu pulcher es, dilecte mi, &, quod maius est, in ipsa pulchritudine decorus, ingenuitatis ingenitæ specimen formâ ipsâ testificans: moribúsque, & motibus, & verbis latentes affectus venustè repræsentans. pulchritudo foris apparet florida instar lectuli nostri conuiualis amœnè vernantis, vbi nuper discubuisti? Decor latentem

nobilita

nobilitatem, & affectus interiores manifestat, ſicut cedrina noſtra tigna, & cupreſſina laquearia, latentes flores & occulta vnguenta per appoſitas canales, irrorandis delitioſè conuiuis propalabant.

ACTVS I. SCENA II.

Salomon, Sulamitis, Chorus itidem adſtans.

ARGVMENTVM.

CVPIDA *puella frequentiùs procum ſuum inuiſendi, ab eodem in vineam ſuam inuitata, eò perrexiſſe ſupponitur caſto virginum amicarum ſodalitio conſtipata: ibi inter loquendum amoris deliquio collabaſcens: paulo pòſt ſolerti occaſione repetit cantilenam, qua ab inuitante dilecto illuc allecta fuerat. tandem diſcedunt.*

SALOMON. CAP. II.

Ecce iam ruſticamur, ô dilecta: & quem nuper domi tuæ florem appellaſti, eiuſdem te in campo, ad vmbram mendiantis cupidam adſignificans, nunc tibi iam non domeſticus, ſed campeſtris flos appareo: adſum & amore, & ſilentio roſa tibi: incenſus corde, nec tamen propalando fauori iactabundus. ex quibus & lilium amœniſſimum me reputem, neceſſe eſt, grandi, de exitu nuptiarum noſtrarum, ſpe concepta. ſic tibi non degener amator obtingo: quæ inſtar lilij in delitiis habiti, & propterea ſpinoſo ſerto redimiti: corona virginum, quæ te pulcherrimam; pulchræ colunt, cuſtodiris.

1. Ego flos campi, & lilium conuallium.

2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

SVLAMITIS.

Atqui non ſatis dixti, ô dilecte, dum te ſolummodo florem appellaſti, de amore gratum, de ſpe lætum: amatoriæ te mallem malo onuſtæ fructibus comparaſſes. Sicut enim inter ſiluestres arbores, incultas plantas, malus gratiori excedit pomorum vbertate: ſic tu inter coæuos adoleſcentes, omnigenis gratiarum fructibus antecellis. Scilicet hæc erat vmbra, hoc regumen, quod vehementiori pectoris, quàm temporis æſtui, mihi exoptabam: hanc ſpirantem arborem, multis mihi titulis peramabilem, cupiebam: nunc eá inuentâ, iucundè requieſco: pulchritudine tua oculos, & verbis aures reficiens maiori dulcedine, quàm ſi vllos arborum tuarum fructus deguſtarem.

3. Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios, ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Sed hem ſodales! hac ipſa oculorum & aurium refectione, quaſi in vinariam apothecam à dilecto introducta, & ibi immoderatiùs pota, impotentioris amoris vino tota inebrior, non vltrà iam liberæ mentis compos euaſura: iam enim amatorij vexilli facta ſignifera, tam turpe mihi ab amore diſcedere putarem, quàm eſt indecorum ſignifero, ſi ignauiter vexillum ſibi ab hoſte eripi patiatur. amorî omnes noſtri ſenſus coniurant militaturi, vnicus amor, primas obtinebit.

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

Vos igitur ſedulæ, floribus & pomis amatoriis, (quæ ſpem dilecto firment, & meum illi propalent ſenſum) collabantem, & nimia amoris teneritudine liqueſcentem, quaſi philtro potionatam confirmate.

5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Sed quàm vana, heu! remedia deſideraui, quàm laborâtis in caſſum, ô puſſimæ ſodales! hoc vulnus, ſolis percurientis manibus ſanabitur: tunc ſolummodo conualeſcam, cùm nuptiali die, vſque tunc languida, ſiniſtræ dilecti ad caput fulcimento, & dextræ complexu perfruar iucundiſſimo.

6. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

SALOMON.

O ceſſate iam virgines, ceſſate: quid mihi gratam prædam ereptam vultis: ſic vobis inter venandum, nunquam capreæ iacula ſemel accepta demittant: ſic nunquam

7. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare

euigilare faciatis dilectam, quo ad vsque ipsa velit.

cetul iam capti retia perrumpant: ne sagittam amoris, dilectæ cordi infixam, amoueatis, aut dulces desiderantis languoris laqueos explicetis. Sinite eam mihi tam dulci vino consopiri, sinite mihi tam suaui deliquio ad nuptiarum vsque tempus elanguere: inebrietur, langueat: tunc magis optatis meis vigil, cùm magis hoc languore sopita conquiescit.

SVLAMITIS.

8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Proh! quàm innata tibi hæc vox, quàm propria ista adiuratio: caprearum enim, ceruorúmque constringis iuramento, qui nuper me huc aduocaturus, præcipiti (vt procum decet) celeritate, saliens in montibus, transiliens colles, capreæ similis, ceruum exprimens, ad domum meam conuolasti. Stabat ille quidem ô sodales, (adhuc imago ob oculos oberrat) ex decoro, furtiuè sublatitans ad parietem nostrum, deinde amoris impatiens, ad fenestras quasi aliud ageret accedens, limis oculis cautè perspiciebat: instárque floris è semi adaperta vaginula erumpentis, & totam foliorum ambitionem iamiam emissuri, ac vndique vitili cancellarim contextu circumsepti, sese pulchrum per cancellos ostendens: spem præsentiæ, quam tota modò fruor, faciebat.

10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

Sed libet quæ tunc ille verba dixerit, imò quam tunc mihi insusurrauit melodiam, vobis repetere. permulcebit, sat scio, aures vestras, etsi non pari lepore recinatur. Surge, inquiebat, in agrum meum properatura dilecta, imò grata columba adulatura. Surge formosa mea, pulchritudine tua, cuncta mihi venustatura.

11. Iam enim hyems transiyt, imber abyt, & recessit.

12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.

13. Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem. Surge amica mea, speciosa mea, & veni.

Omnia te vndique dum inuitant amœnè, prouocant amatoriè: fugiit hyems, & imber: ver repet hilaris, ridet ager comptus, amoris & ignibus, & affectibus indulgentes. Terra vndique floribus iucundè vestita, amoribus destinatur. imò & frondatores, acerbis & pullulantibus adhuc fructibus congruos radios immissuri, folia lasciuè succrescentia amputantes: agrum si qua parte non floret, vernantibus rapetibus sternunt: aliunde verò amputatæ, & insitæ arbores aliæ, dum alienos insertos sibi surculos fouent vberiùs, amoris tibi prædicant naturam Gemit turtur tenera flagrantis pectoris suspiria exemplo grato tibi inducturus. Ficus (ô iustam mihi inuidiam, quem diu spei flos illudit, amoris fructus non cumulat) non spes in floribus, sed possessionem exhibet in fructibus, dum grossis floret, & ipso nouo florum ingenio fructificat. Florent vineæ, & quia mitiores fructus ferre tempus prohibet, at saltem quem possunt, odoris innati fructum non inuident exhalantes: vt dum morantur nuptiæ, saltem aspectus colloquijque tui fructus, mihi non denegandos instituaris. tot amœnitatis illecebris, tot amoris exemplis adblandientibus, quid moraris dilecta mea, quid pulcherrima mea detineris?

14. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam. sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Veni igitur quæ parietibus domesticis concluderis, columbæ instar, quam hiberni turbinis horror, & pluuiarum inundatio, petrarum rimis, & latibulis deniter parietinarum. nam cùm temporis, & agri pulchritudo, tam auium cantus, absque te mihi sordent & desipiunt: exhibe ergo mihi faciem tuam ver verum, demulceat me loquela tua, merum mel: ab illa enim emanant pulchritudines, sicut ab hac dulcedines stillant.

15. Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.

O quis mihi daret, vt iam sint captæ vulpeculæ, quæ pro temporis & regionis nostræ cōditione, florentes etiam vineas, (& nostra iam florida est) solent infestare! ne fortè prætenro illarum fastidio, dilecta ab egressu retardetur.

16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

17. Donec aspiret dies, &

En vobis quàm amanter, & amœnè pariter dilectus, me huc vocauerit: quid ergo mirum, si me penitus illi dedam, qui se meum esse totum profitetur: spe tamen liliata contentus degat interim, qui liliatam pascuorum vberratem

vbertatem gregibus suis solet frequentare. Iam verò discedendi horam crepuscula suadent. Tu ergo, ô amor meus, dum adhuc viuit dies, & ab inclinatis vmbris oppressus, non tamen compressus penitus, respirat paululum, ociùs te proripe, & caprinæ ceruinæque celeritati æmulus, qua me huc vocasti, in pagum reuertere: nos subsequemur postea gradu lentiori, ne quis maleuolus te nobiscum in vinea fuisse, aut inter eundum puellis prolixiùs allocutum possit obtrectare.

inclinentur vmbræ, reuertere: similis esto dilecte mi capreæ hinnulóque ceruorum super montes Bether.

ACTVS SECVNDVS.

SOLEMNIA SPONSALIA.

SCENA PRIMA.

Salomon, Sulamitis, Chorus virginum vnus, Chorus alter adolescentum.

ARGVMENTVM.

POST tot ardentia desideria, mater, fratres, propinquique puellæ in iuuenis sibi dotibus complacentes, hanc illi tradendam decernunt. Accedit procus, mox futurus sponsus geniali ferculo vectus in socrus domum iuuenum coæuorum caterua stipatus. Breuiter somnium felicitatis suæ prænuntium enarrat puella. Alternis canunt hic virgines, inde iuuenes: & inter fausta omina, peracta iam, concelebrant sponsalia.

SVLAMITIS.

CAP. III.

Igitur aliquid ponderis habuit felix illud somnium, quo nuper recreabar. In lectulo meo post longas amatoriæ sollicitudinis vigilias sopore mersa, ecce vobis mihi visa, noctu aperto ostio dilectum inquisiisse Salomonem, ibidem & per vicina, vbi illum fore sperabam, nec tamen diligenter quæsitum inuenisse.

1. In lectulo meo, per noctes, quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni.

Tunc ego: Quid, inquam, mœrore pressa iaceo? age dum: ignauo dolore excusso, non solùm per vicinos pagos, & nota compita, sed etiam per omnes ciuitatis regiones (eo vsque meus inter dormiendum æstuans aduolauit) quæritabor, animæ meæ desiderium: sed proh dolor! ibi etiam diligenter quæsitum nusquam apparebat.

2. Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

Interdum dum excurro anxia, dumque quocumque aduenio, non inuenio: occurrisse mihi visum vigiles, quibus ciuitatis custodia incumbit noctu: quæro sollicitè de dilecto, nec ad rem respondentibus, dum pergo.

3. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, numquid quem diligit anima mea vidistis?

Vlteriùs, paulo pòst obuius mihi venit amplexandus, tunc, teneo te, inquam; apud me lubèns commoraberis, iam meus es dilecte Salomon: nec vltrà dimitteris donec in matris meæ conclauem, & thesaurum instar pretiosissimæ gemmæ adducaris. Hæc vobis dicta sunto per compendium de somnio, cuius hodie felicem exitum expectatis: ecce enim iam dilectus domesticus & desponsus nobis adest.

4. Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

SALOMON.

Quàm iucunda mihi narratio e fictæ imagines factæ mihi amoris tui certissimæ indices. Adiuro ergo vos puel-

5. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum,

camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

læ Sionitides, sic vobis felicia semper venationis solitæ eueniant exercitia: vt quantumlibet dilecta iterum dormiat, nunquam illam à tam suaui quiete excitetis: quoad voluerit, mihi dulcis dormiet, quæ etiam inter dormiendum, me somniat, me suspirat.

CHORVS VIRG.

6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij.

Papæ! quàm venusta, quàm suauis ad sponsalia procedit virgo nostra! neque mirum: sic enim in campis nostris exsurgit gratiosa, florescens crescit, vt odoratæ palmæ, aut similis fragrantiæ plantæ æmula videatur: quemadmodum enim ardentes isti surculi, & flammis noctem vincunt, & suffitus pariter omni myrrha, omni thure fragrantiores emittunt: sic illa & venustatis lumine, & odorum suauitate recreat, & permulcet.

CHORVS ADOLESC.

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.

8. Omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Et quidem agnoscit Salomon noster virginis istius vestræ pretium eximium, dotes peroptabiles: ideo enim lecticam, qua isthuc modò vectus, multis amicorum armatis, iisque strenuissimis circumcinxit: ne quis corriualium felicitatis suæ inuidens, & puellæ venustatem deperiens, nocturnas venienti insidias alicubi impediendis sponsalibus pararet.

CHORVS VIRG.

9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.

10. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.

Et quid inueniret talis ad delitias pastor vester Salomon? quidni per pulchrum ferculum appararet? sic Rex Salomon Dauidis ille filius ad delitias suas currum curauit extruendum: ex incorruptibilibus cedris Libani machina contignabatur: striatur in columnas argentum, & aurum pro reclinatorio flammescit purissimum, purpureisque tapetibus gradus sternuntur. ad medium viuum amoris hieroglyphicum ignitis & radiantibus lapillis effigiatur, quo Solymitarum virginum oculos ad se traheret.

CHORVS ADOLESC.

11. Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

At vos, ô Sionitides puellæ, in admirando & laudando Dauidici Salomonis ferculo, iusto longiùs excurristis. O he! satis est: ea agite, egredimini iam ab hac mente, & fixis totis oculis contemplamini pastorem nostrum Salomonem, qui totum alium exprimit, & obumbrat sponsali hoc suo vectus ferculo: vnum videbatur deesse, corona regni: at in die desponsationis suæ iucundissima, qua à matre florido serto pergit coronatus, melioris regni puellæ nimirum suæ ius aliquod adepturus: nec corona deest, nec regni meritissimo titulo defraudatur.

ACTVS II. SCENA II.

Salomon loquitur, cæteri adstant.

ARGVMENTVM.

LVCVBRATISSIMVM carmen, *desponsatæ iam sibi virgini profert sponsus, vndequaque spirantes affectus connectens, & castissimas laudes concatenans: totum è rure petitur, sed perurbanè.*

CAP. IV. — SALOMON.

1. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo

Papæ! quàm pulchra nites dilecta, quàm speciosa! Ecquis singulas venustatis tuæ dotes dignè descripserit! oculi præter id, quod de columbarum ingenio commendaui,

dauì, nescio quid arcani radiant fulgoris, quod sentitur acriùs, dum sublucet occultiùs. Iam verò cæsaries hinc ad faciem propendula, inde retropendula ad ceruicem: hâc ad humeros ventilata, illac renodata ad verticem: nunc vndatim sinuosa, nunc concinnatim subcrispa: grato errore ordinata, ordine comprodeuia: cui melius comparabitur, quàm Galaaditico caprarum gregi, petulco semper ad incessum, erroneo ad delitias, qui dum caprario ad tegendum est difficilis, fit aspicienti gratior ad voluptatem.

quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

Vt error, accuratâ incuriâ placet in crinibus, sic ordo placet in dentibus: vnde grex illis caprarum lasciuiens, istis ouium compositus adscribetur: ouibus ergo dentes comparabo, & lotis, & gemelliparis, vt à grege, ordinem, à lauacro, candorem, à gemellis, continuationem referant, & minutiem: ecquid vltrà in dentibus requiratur, quàm si sint æquales, non prominentes: candidi, non luridi: coniuncti, non rari: minuculi, non enormes?

2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

Sic pulchros dentes, pulchra pariter labia roseo cocco flammantia venustant, è quibus loquela melle dulcior emanat: genæ tuæ florenti malo granato similes, non vnde in membranulis tenuissimis purpurascit, sed vnde in succulento cortice turgescit, qui penè carneus ad tactum, plenè rubeus ad aspectum: inde mihi gratiores, quod cùm de virginea rubeant verecundia, latentem pectore pudorem manifestant.

3. Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce, sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.

Collum tuum marmoreum, non superbè elatum, sed grauiter erectum, & proportione compositum, Dauidicam turrim marmoream repræsentat, inde amabilius, quod pudicitia venustum, venustate pudicum efformetur. Vt enim clypeos victis ereptos in triumphi memoriam è turrilla suspendit Dauid: sic colli tui ferociens pulchritudo, mille deuicta corda corriualium meorum detriumphata gerit: vtque illic propugnaculis turris, insuper omni iaculorum, & clypeorum genere abundat, hostiles, si qui forent, propugnatura incursus: sic pudor collum tuum obarmat, nulla vnquam libidinis nota penetrandum.

4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Gemella vbera tua dum tumidè sororiant, & sic turgentia erumpũt de virginitate, vt duriusculis papillis fasciam pectoralem, qua astringuntur, summouere, & perrumpere videantur: hædulos appellarim gemellos, qui in vberrimis pascuis ad vesperam vsque saturi, & inde petulantiores, blandè alludunt festiuè quæque obuia conisantes. Quidni ergo his vberibus delitias omnes procurem, maximè in illis, vt tute olim confessa, commoraturus? Ibo igitur, ibo, si res postulet, in odoratos montes, omnium aromatum genera conquisitum, quibus de more pectus istud, & vbera pulcherrima perfundas. Sed quorsum ego, singillatim pulchritudinis tuæ partes percurro, quasi aliquam silentio dissimulandam sortiretis, quæ me laudatorem, à te tota simul commendanda, retardaret? certè tota quota es, pulchra es: & nihil quod iure reprehendatur, exhibes indecorum.

5. Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.

6. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Ah quando sponsa iucundissima, te nouam nuptam abduxero! O veni iam mecum, ab hoc Libano tuo in villam meam, amœniorum nobilioris Libani collium, Amana scilicet, Sanir, & Hermon floribus nuptialibus corōnāda: iisque inter leonum cubicula & spelæa tigriū collectis, vt corona sit de peregrinitate gratior, de periculo pretiosior.

8. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Neque mirum, ô suauissima sponsa, ô nomen hodie identidem de lætitia repetendum: neque mirum, inquam, felicius nuptiarum tempus sic suspirem, tótque in coronæ tuæ gratiam periculis me exponā, cùm penè ad insaniam excors, penitus te deperiam: sic enim ad viuum præcordia transfixisti, & in directum ictus collineasti, vt instar sagittarij destinatum scopum dexterrimè

9. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

terrimè attingentis, altero quodammodo oculorum clauso, sagittas in cor immiseris: percussúmque adamantini instar vinculi, delicatulo crine (tantum est robur pulchritudinis tuæ) concatenatum teneas, non amplius fugiturum.

10. *Quam pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*

Ast nemo putet hæc mihi acerba vulnera, dutum seruitium: qui vberum odoratorum tuorum pulchritudine sic volenter afficior, & voluptuosè, ac si condito vnguentis vino indulgens festiuissimè recrearer. & quàm è re, vini & vnguentorum huc venit comparatio! vt enim soca vino & odorato pharmacolita vulnera curari solent: sic cordis mei vulnera odorata vberum tuorum, vbi commoror, pulchritudine, omni vino, & vnguento potentiori, dulciùs & efficaciùs confouentur.

11. *Fauus distillans labia tua. sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Et certè iam inde lætior, quia firmior per sponsalia in medio hoc tuo pectore, inter sic faustè medicantia vbera commorabor: quid enim votis meis annuens nisi vbertimam possessionem tui, quasi melle & lacte manantem terram: labiis linguáque, melle & lacte quodammodo manantibus promisisti! hi sunt quos laudatæ supra pulchritudinis effectus experior: quam tandem odoratissima veste exornas magis.

12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.*

Ast, sorderent hæc mihi omnia pulchritudinis tuæ decoramenta, nisi illibatis pudoris gratiis decorata; in te verò immortale amicitiæ fœdus pudicitia & pulchritudo conseruarunt: sic hortus septus, illæsos semper flores: sic fons signatus, nitidos semper latices custodit.

13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorũ fructibus. Cypri cum nardo.*
14. *Nardus & crocus fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.*

Nihilominus, sicut quãtumuis hortus sepiatur, per muros & cancellos diuitiarum suarum emittit spectandum apparatum, punicorum scilicet malorum ramos, exhalátque mixtam cyprorum & nardi redolentem suauitatem: Nardi & croci, fistulæ & cinnamomi fragrantiam, cum omnibus tunc frondibus odoratis tunc arbusculis aromiferis, quibus extat Libanus: sic pudicitia tua de oculorum modestia, & vultus grauitate, & incessus pondere, totius denique corporis compositione enitescit, virtutísque odores suauissimos emittit.

15. *Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Idem in fonte euenit, qui licèt signatus desuper, tamen per appositos labiis canales, vndas euomit nitidissimas: quemadmodum ergo iste in Libano scaturiens per eiusdem cliuos, aquas hortorum amœnitati præcipitat, de niue leues, de exercitio molles, limpidas decursu: ídque léni susurro, murmure iucundo, vt oculis pariter & auribus blandiantur: sic pudor tuus, limpidissimi candoris amores, aspicientibus exhibet: dúmque optimos de se commouet rumores, aures quasi susurro gratissimo demulcet.

16. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

Tam ergo pudicos mores, tam castum hortum, vndique integritatis odores respirantem: nihil vel leuiter pollutum audeat attingere: abi hinc Aquilo, impudicitiæ solitus damnari: propera Auster, tu solus castiori hunc perfla respiramine: foue aromata, quorum fluxu inebrieris: sic in dilecta mea gratus boni nominis odor perennabit.

ACTVS II. SCENA III.

Salomon, Sulamitis, Chori adstant.

ARGVMENTVM.

COMMODA *sumpta occasione sponsa ad somnij sui narrationem redit: ex quo dicta sibi ab sponso encomia, festiuissimo amœbæo remensurat.*

CAP. V. SVLAMITIS.

1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.*

Quàm profusus, dilecte mi, (quo iure tute videris) in me instar horti laudanda processisti! isthic, quid non arescat? præstaret, sat scio, hortum illum tuum elegantissimè

tissimè satu... & excultum, vbi nuper conuenimus, adire, ibique præcoces fructus tibi carpere, quam in nullius penè vtilitatis hoc horto, tamdiu immorari.

SALOMON.

Id iam perfectum, ô soror, ô sponsa iucundissima: quippe hodie vt in tam solemnitatem cõcedebat, hortum meum adiui, beatas aromatum segetes demessui, fauos è cauis arborum depromptos apparaui, vina miscui, lac apposui, & amicos, qui sponsalia nostra decoraturi, mille delitiis, & conuiuio opiparo excepi: sed sordent mihi omnia, nauseo ad illas horti emortui voluptates, dum te hortum meum viuidum contemplor.

Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

SVLAMITIS.

Igitur, ô dilecte, quandoquidem tibi, ne rustica & ingrata videar, laudatorium carmen remetiendum: ad somnium quod attigeram nuper, lata & læta recurro: habet illud laudes tuas non de præmeditatione compositas, sed ab affectu expromptas: quanto tuis ad elegantiam obiectiores, tanto quidem de sinceritate gratiosiores (attendite sodales) narratiunculæ. Dormiebam itaque, sed assiduis rerum suarum imaginibus mens euigilabat: ecce vobis, videbar vocem eius, & pulsati ostij strepitum audire, solitisque suauitatis, qua pollet, blandimentis: aperi mihi, insusurrabat, soror mea, dilecta dulcis, columba suauissima, meæ irreprehensibilis pulchritudo: ah si videres hoc caput nocturno rore madidum, & cincinnos stillantibus guttis humescentes!

2. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

Tunc ego, (scilicet confusus sopor, quid nisi futiles excusatiunculas ministraret) abi, inquam, dilecte, quid intempestiuus delicatulam puellam inquietas? iam lotos vnctósque pedes, admisso vel pluuiusculo coinquinabo?

3. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Ille interim per reticulata ostij foramina, digitos immisisse visus, non tam quod sperare videretur, sed ne quid intentatum prætermitteret: dùmque crebra pulsatione, & tactu, eum incassum imaginor laborantem, sic mihi intimis visceribus visa commoueri, vt corde tremulo miserans palpitarem.

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

Exsurrexisse igitur mihi visa, omni excusso torpore illi apertura: quæque priùs pigritans, pedibus lotis, & vnctis vtcumque, à puluere timueram: iam nec manibus exquisitissimè myrrha perunctis optima, parcendum decerno, eásque etsi molles, duris destino vectibus amouendis.

5. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Vbi aperui, amoto pessulo, ostium, dilectum susceptura, video discessisse: & iustas inter somniandum torporis & ignauæ excusatiunculæ pœnas dabam, absentem suspirans: ipse enim qui mihi vita suauis, dulcis anima, nimiâ teneritudine me inter compellandum liquefactus, adeò vt rupes perfringere potuisset, me duriorem reliquerat subitatus: adhuc tamen tento per vmbras, quæro, nec inuenio: voco, (& nescio an ita dormiens vocem emiserim) nec tamen respondere dignabatur.

6. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.

Maius nunc mirum, dulcior ille lecebrosi somnij affectus: in lecto iacens, septa claustro, domo circumclusa, videbar nihilominus mihi, non solùm per vicinos pagos, & nota compita, sed etiam per vicos, vt suprà attigi, & plateas vrbis excurrens circumcursasse: visa mihi, vrbis vigiles circitores incurrisse, à quibus amentis, & vociferantis ebriæ instar, vapulans discedo. nec id satis: dum fortè aliò pergo, ecce tibi murorum custodes, qui vt militum fert conditio, rapinis viuunt, à prioribus percussam, insuper pallio spoliant.

7. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserũt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Vociferanti interim & gementi, accurrisse mihi visæ & vicinia, miseriam meam fœminæ miseratæ, quibus, dum-

8. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum,

meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.

multa quærunt, dum queruntur vicem: ego nihil aliud, quàm rogare, quàm adiurare, si dilectum fortè me felicio-res inuenerint: (omnibus enim æquè ac mihi metipsi notum, amoris vehementia suggerebat:) non tam errantem vagè, durè percussam, impiè spoliatam: quam ad deliquium vsque eiusdem desidetantem oculos, nunciarent.

9. Qualis est dilectus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

At, quibus, inquiunt, notis pulchritudinis, quibus insignibus, iuuenes alios, etiam amore dignos, dilectus ille tuus antecellit, vt, si fortè eum inueniamus, veniat agnoscendus? quid enim tam arctè adiuratæ non flectamur? eo vel maximè, quòd quæ semper pulchra, vt apparet, nunc obortis decoris lachrymis, incensis gratissimis genis, visa omnium pulcherrima: à feris, nedum à fœminis extorqueas pietatem.

10. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

Attende nunc qualem in somnis te describerem, non quæsitis longo studio fucis, sed provt in hoc corde meo effigiaris. Dilectus, inquam, meus ô fœminæ Solymitanæ, & candido rubore, & candore purpureo suffusus, is est, quem inter mille ac mille procos, nuptias meas auidè petentes, tanquam omnibus venustiorem, mihi diligendum putaui, & deligendum.

11. Caput eius aurum optimum: coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

Cincinni capitis eius, ex auri splendore venusto, & splendente corui nigredine temperati, sub flauo quodam medio colore, extremum pulchritudinis attingunt: imò, vario lucis reflexu, nunc ad superficiem aurei coruscant, nunc intus nitida corui nigredine splendescunt: quos, dum ad humeros pendent, aut flores racematim sparsos, aut racemos floridè pendulos reputetis.

12. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lactè sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima.

Oculi eius viuidi, clari, nitentes aliquid commune habent cum columbis delicatioribus, quibus adhibito fuco venustior candor quæsitus: sicut enim istæ dum riuulos pellucidos superuolitant, imaginem suam è vitreo illo humore, tanquam ab speculo puro immissam exultantes cernunt: sic oculi illi dum mihi specula puta esse solent, meam mihi imaginē repræsentant: in illis me, quam identidem columbam suam appellat, dilectus gestat: vnde & ipsos oculos meritissimò columbas appellauerim: vt enim specula, imagine sibi obiecta vestiuntur, sic illi ex assiduo meo conspectu, quem percipiunt, quodammodo columbescunt.

13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consita à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

In maxillis eius ver totum floret, lanugo vernat mollis, vnguento delibuta, sic à natura factæ, vt fictæ arte odoratotum florum areolæ vernantes. eius labia purpurantium liliorum instar leuiter repanda venustantur: vnde medicata & medicantia pariter verba, quasi pretiosa illita myrrha solent emanare.

14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

Si manus aspicitis, læues illas, teretes, sueculentas quasi formatas torno mirabimini, de gemmatis etiam, quibus ornantur armillis, splendentes. sic pectus eius qua parte nudum sub collo datur conspici, & natiuo candore albicat, instar eboris, & torquibus è gutture demissis, sapphirinóque splendore micantibus decitatur.

15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.

Sic elegans pulchritudinis ædificium, naturæ studio diligentissimè laboratum, cruribus rectis, & candidis, tanquam tyriis niuei marmoris columnis iisque super pedes pulcherrimos, tanquā super aureas bases impositis, sustentatur: quod vbi videritis, saltus Libani palatium, qua speciosum, qua procerum conspici reputabitis: vtque hoc, tyrannidem temporis, annorum iniuriam cedrina incorruptibilitate diuiùs superabit: sic illud de optima humorum temperie, longissimo viridantis iuuentutis vigore auguror vernaturum.

16. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.

Habetis oculis à forma signa clarissima: vult ni & auribus? mel merum, imò ipsam dulcedinem, si eius vocem auditis, haurietis: inde fit, vt vndequaque amores conciliet, rapiat desideria. Satis signorum: ite nunc quæsitum: talis est dilectus meus, talis vera protuli, nec illis verbum additum ab affectu, nunc maximè absentem suspirasse.

At,

At, in quænam loca, inquiunt, ſolet diuertere dilectus iſte tuus, neſcimus quomodo in tanta formæ ſuauitate duriuſculus, tui pulcherrimæ dolores non miſeratus, quæ etiã ferrea ingenia poſſet emollire? quò ſolet declinare, vt diuerſis viis, ſed eadem tecum cura, eũdem perquiramus? talem, ô Amor meus, te ſomnians delineaui: nec aliunde, vigilans voluí encomium contexere, quàm vnde cor ipſum non affectato fuco, ſed affectu proprio locutum intelligitur.

17. Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

ACTVS TERTIVS.

LEGITIMÆ NVPTIÆ.

SCENA PRIMA.

Salomon, Sulamitis, Chorus virginum, Chorus adoleſcentum.

ARGVMENTVM.

POST ſponſalia, nuptiarum felicius tempus iam elucet: fingitur & ſupponitur, acceſſiſſe ſponſum ad ſocrus domum, ab eiúſque gremio, ſimulata vi, puellam rapuiſſe, inde eam ſecum in villam ſuam celebrando matrimonio obducturum. proloquitur ergo puella, quam iuuenis nouo encomio deindè celebrat: choris interim fauſtis acclamationibus rem proſequentibus.

SVLAMITIS. — CAP. VI.

En tandem, dilecte mi, patet tibi hortus ille, quem toties celebraſti, & cæteris, vt par erat, concluſus tibi vni, ſanctis connubij legibus poſſeſſori legitimo, delitias illas ſuas, aromata, fructus, lilia conſecrabit.

1. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

Dum ambibas procus, & feruentia pectoris deſideria propalabas, priùs te meum dixeram, deinde me tuam: vt de virgineo pudore non tam prouocans promptior, quàm reſpondens obligatior intelligeret: nunc vbi de grata connubiorum ſeruitute agitur, prius me tuam fateor, ô Amor, ô paſtor meus liliatus, quàm te meum: caſta enim vincula, & debitum obedientiæ præſtandum obſequium, pronam & promptam ſubite, mihi decorum.

2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

SALOMON.

Semper tu mihi pulchra, ô dilecta: nunc verò, nouo ſuauitatis decore etiam exornata: cùm te, (quæ de prædictis dotibus, pulcherrimæ & ſuauiſſimæ vrbi ipſo nomine pacem exhibenti, æmularis) poſſeſſor iucundiſſimè pacificus iam obtineo: ſed papæ! quam te paulo antè terribilem expertus ſum! quam anxiè teniti viſam: quam acriter pro matris gremio pugnare, cùm inde ſolemni nuptiarum more, ficto raptu, ſimulata vi abducere te conaret.

3. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Imò videris in hac media pace, in hac tanta ſuauitate, noua prælia identidem comminiſci: auerte, quæſo, auerte oculos iſtos tuos à me: tanto enim collucent fulgore, vt ſingulis aſpectus radiis, fulmina euibrare videantur: quibus præſtrictus aut conſumar, ſi immoror: aut imbecillis fugiam neceſſe eſt, hinc auolans: ne tanquam mollis auicula captus trahar; qui modò, dulci te traxi violentia.

4. Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.

De his iam cap. 4.

5. Capilli, &c. Dentes, &c.

Indidem repete.

6. Sicut cortex, &c.

Quid ergo mirum, talem te deperiam? inter millia millium procorum, me vnum tibi elegiſſe, & dilexiſſe dixeras: par pari refero; mille quippe etiam virgines dilectum iſtum tuum ſuſpirarunt: multæ, vt cum Rege hoc tuo, quem vocas, tanquam præcipuè vxores, & domus dominæ conregnarent: plures nòn tantùm auſæ, at ſecundariis

7. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.

8. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa

electa genitrici suæ. Viderunt eam filia, & beatissimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

vt scriberentur nuptiis, exoptantes: innumeræ, (quibus inferior sors) quoad minus, vrbanis, & amatoriis obsequiis, dum lætitiæ causa conuenimus pastores, è turba minus ingratæ noscitarentur: sed has omnes præteriui tibi vni columbæ meæ, vnus astringendus, & inter mariti teneritudines, prouida parris cura consulturus: sed eo affectu, quo tenerior mater, vnicæ filiæ indulget blandimẽtis: ne matris, cuius è gremio te rapui, desiderare delitias videaris. Hinc ipsæ etiam virgines, tot quot fuerunt, priùs nostri cupidæ, dum te mihi nuptã agnoscunt, se meritò postpositas recognoscunt, & quantũ illis excellas ingenuè professæ, tum te beatissimam prædicant, quòd me habueris, tum dignam ea beatitate laudibus prosequuntur.

CHORVS VIRG.

9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

En fidem tuam liberamus, ô pulcher Salomon: & neque inuidæ, neque maleuolæ, præconia dilectæ nuptæ tuæ, omnium puellarum Sionitidum nomine decantamus. Quid nisi progreditur illa inter sodalium choros, tanquam inter astrorum tripudiantes choreas, Lucifer erumpens: tanquam inter nocturna sidera, splendens luna: vniuersæ pulchritudinis sol sola: puellas cæteras dulci speciositatis armatura sic euincens, vt Lucifer, Luna, Sol, cætera videntur lumina triumphare: vt hinc meritò instructa formositatis acies cæteras debellans formosas meritissimò veniat appellanda.

SVLAMITIS.

10. Descendi in hortũ nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerẽ si floruissent vinea, & germinassent mala punica.

11. Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Ast videte, ne vrbanè ista magis, quàm verè dicta fuerint: quis enim appellatam me terribilem, & aciem instructam, non derideat? Vultin' scire quàm sim strenua? attendite. Descenderam diebus præteritis in hortum, visura florentes vineas, poma erumpentia, punica germinantia: ignara fore, vt id temporis quadrigas suas, (quas rex Salomon ad vrbis præsidium, ad ostium terrorem illi commendarat) exerceret Aminadab: vt vidi, vt tremui penè exanimata, turbata penitus: ite nunc, & me aciem, & me terribilem appellate.

CHORVS ADOLESC.

12. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

Quid ad solas amicas virgines attendis noua nupta? ad nos quoque mariti sodales, iucundúmque festiuæ pompæ satellitium, conuertere Sulamiti: hoc iam tibi faustum nomen, à Salomone tuo deriuatum, pro tempore debetur: vt non solùm amatoris dulcis, sed dulcioris mariti, (instar patris tenerrimè te adoptantis) in illius insertæ familiam, familiarem titulum ritè sortiaris.

ACTVS III. SCENA II.

Sulamitis, Chorus virg. Chorus adolesc.

ARGVMENTVM.

ALTERNIS *vterque chorus, in laudes sponsæ progredientis, & nuptiale ferculum ascensuræ, prouehitur: illa ad finem dilecto suo, quàm auidè festinet, adsignificat.*

CAP. VII.

CHORVS VIRG.

1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Iunctura femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

Quid, ô adolescentes, in hac pulchra Sulamitide aspicietis, nisi pulchritudinem nostram, vt diximus, superatam, quæ nostrarum instar acierum, in ipso pulchritudinis certamine bene ominantes choreas iam producit? ipse modestus maiestatis incessus, quasi facto dotium agmine, rem annunciat. Ah quàm pulchris gressibus, quàm pulchro calceamento noua nupta, noui sponsi tui (qui te hodie, tanquam felix comparat regnum) solemni titulo filia procedis! de cætero quàm compta vndique? vestus à summis femoribus, non ordinaria filorum futura, sed continuis gemmearum fibularum iuncturis, ex vtraque parte connectitur: quæ dum miro ordine in longum concatenantur, monilia bacchata affabrè constructa exprimere videntur.

CHORVS

CHORVS ADOLESC.

Iam verò ſuperius indumentum, quod ab humeris ad imum pectus circumducitur, dum artificioſa ſinus corrugatione vmbilicatur; craterem ſtriarum tornatilem adumbrat, qui inſtar plenæ cuiuſdam lunæ (nunquam rorem vt fulgeat ſitientis) ſplendeſcit, & tremulos laticum fulgores eiaculatur. Nec ignobilior textura partis quæ ventrem tegit, radiantibus enim auri guttis, granorum minutulorum inſtar, ad medium miro ordine confluentibus, aureum tritici aceruum repræſentat: cùmque ad fimbrias, miti artificij pendentia pretioſa lilia cingunt, & venuſtant.

2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.

CHORVS VIRG.

De hoc iam ſuprà cap. 4.

3. Duo vbera, &c.

CHORVS ADOLESC.

Collum tuum qua rectum, læue & candidum, eburneam turrim meritò appellarim. Oculos verò ſerenitate gratos, riſu ſerenos vt ſponſo, pellucidorũ fontium inſtar, natiua & iucundiſſima ſint ſpecula, nitidiſſimis Heſebon ſtagnis comparabo: quæ ad celebriorem vrbis portam, (de Rabbat quam reſpuit, nomen mutuatam) pulcherrimè perennãt. Naſus tuus penè de forma, & penitus de læuore, & candore, eburnea pyxis, pyrgus alabaſtrinus, vaſculũ turritum: vnde tam ſuauis halitus, & thureum quodammodo emittitur reſpiramen, vt omnes Syriæ voluptatis, omnes Damaſci odores, prouocare, & vincere poſſit facile: & quanta laus iſta? vt cùm cæteræ puellæ olfactoriola naribus admoueant ad delitias: tu pro naſo viuum olfactoriolum gerere videaris.

4. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

CHORVS VIRG.

Caput tuum purpureo comptu, & omnigenis floribus, ſed maximè nobili roſarum rubore coronatum, delitias carmeli ipſo rubentis titulo effigiat. Sed quid mirum, & comptus, & flores rubeant pulchrius, rubentem comarum tuarum flauitiem æmulatæ? Cæſaties enim tua inſtar regiæ purpuræ fulgurans, in cauos concinnos vincta, conſtipatóſque anulorum veluti canales contorta, mirè radiat.

5. Caput tuum vt Carmelus: & coma capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.

CHORVS ADOLESC.

Licèt, ô Sulamiti, omnia tibi pulchra, nihil tamen in hac pulchritudine gratius, quàm delicati ſexus metæ non violatæ. Ah quàm dulci decoro, quem venuſto, delicatum fœmineæ conditionis tenorem conſeruas! vt neque Salomonis tui amor diffluas in mollitiem faſtidioſam, neque agreſtibus exercitiis virile videaris duritiem affectare: ſed inter gratos delicatæ pulchritudinis terminos contineаris.

6. Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima, in delicijs!

CHORVS VIRG.

Quidni ergo, cedamus tibi libenter, & palmam tibi formæ concedamus, quæ ipſo corporis habitu, & egregia proceritate, palmam victricem, arborúmque reginam adumbraſti, eiúſque botros, mammillatum vireſcentium adhuc tumore, & obducta veſte prominula, effigiaſti.

7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

CHORVS ADOLESC.

Proh, quàm aptum virgines ſymbolum, tibi, Sulamiti pulcherrima, inuenerunt! ergo nunc iam meditamur vbi primùm ad hortũ accedamus, palmas cõſcendere, & inde tibi meliori palmæ, delitias quaſi ſpolia offerre: non adhuc quidem adeò maturi fructus, ſed tamen gratæ puellatum cupidæ carpentur, elatæ ſcilicet dactylorum odoriferæ, & caulium medullæ ſuauiſſimæ: quas vbi pectori admoueas, odorem, tanquã botrum vineæ cypariſſantis emitteret: vbi guſtes, ab ore ſuauiſſimũ, tanquam malorum, halitũ reſpirabis.

8. Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum.

CHORVS VIRG.

Certè pulcherrima Sulamiti, curtus adoleſcentum chorus inter munuſculorum officia ad tuas laudes procedit; qui elatis ſuis conciliando oris odori quaſi hoc fuco egentem, vſuram exiſtimauit: cùm ea ſis, quæ natura ipſa à penitiori gutture, & viſceribus, eum odorem reſpi-

9. Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.

res,vt odoratissimo ab amphora vino,quo etiam, dilectus nobis tuus Salomon (aliàs scirissima gustus fastidiens irritamenta) non solùm cùm voluptate, sed etiam cùm tegustarione vteretur, veniat comparandus.

SVLAMITIS.

10. *Ego dilecto meo,& ad me conuersio eius.*

Atqui, ô vos Sionitides puellæ, adhuc in Salomonem meum,tanquam in cœlibem olim, amoris luditis blandimentis,& titulo dilecti compellatis: non subirascor zelotypa, sed amica moneo; nunc iam meus est, & vt ego me illi totam, sic ille se totum mihi radidit,imò & magis,qui me obsequibundus respicit,quem ego semper obsequens videbat respectura.

11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

Sed quid hîc tamdiu detinemur? age dum,dilecte Salomon, currum conscendamus: egrediamur in villam illam tuam, desiderij nostri scopum priscum: ibi quidem post nuptias spreto pago, diutiùs commoremur: quomodo enim possimus, à tam felici loco, ranti nos voti compotes faciente, separari.

12. *Manè surgamus ad vineas.videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

Ibi ergo diu immorantes,matutinis verni temporis horis,industriè curaturi vineas consurgemus: notabimus an floreant,an in omphacinos botriculos erumpant, an mala punica germinent feliciter, sedulè, sed voluptuosè contemplabimur. ibi amoribus meis scintillantioribus,& ardentioribus penitioris cordis ignibus, iam dominus, iam maritus gratiùs perfrueris.

13. *Mandragoræ dederunt odorem.In portis nostris omnia poma: noua & vetera,dilecte mi.seruaui tibi.*

Hæc feliciter cùm euenerint,aduenisse laboris mei finẽ, mihi gratulabor:namque hucusque curis saucia insomnes duco noctes,suauissimè conquiescã,& quasi percepto mãdragorarum odore,sedata sollicitudine in vtrãqne aurem dormiã iucundissimè.vna solummodo cura,sed ista dulcissima,perdurabit,qua tibi,quidquid pomorum,& sui,& alieni temporis fuerit,asseruabo: suaui hoc leuamine,quotiescumque ex rusticis laboribus domum redieris à sedula vxore ad portam,excipiendus.

ACTVS III. SCENA III.

Salomon. Sulamitis. Semichor. Chorus virg.

ARGVMENTVM.

CONSCENDITVR *tandem currus nuptialis: & inter peruenturientis sponsæ vota,ad sponsi villam & hortos peruenitur:excipiuntur noui coniuges promixta familiæ festiua turba,id est, obuio exultabundo semichoro, ibi ad fores sponsus connubialis militiæ leges exponit, inculcat sacramenta, & quæ sunt ab hostibus pericula, enuntiat sponsæ: illa & leges amplectitur, & sacramento arridens,contra insidias se tutam satis protestatur. tandem adeuntur domus penetralia, vbi vltimas nuptiarum cæremonias complendas insinuatur.*

CAP. VIII.

SVLAMITIS.

1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris,& deosculer te,& iam me nemo despiciat.*

Proh! quàm longa hæc via, quàm tardus cursus! ô si iam,dulcissime fratercule,qui matri tuæ sic habitus in delitiis,quasi adhuc lactens inter illius vbera requiescas:ô si iam, inquam, foris extra hunc currum te haberem,& solemni illo nuptialique osculo te mihi necterem! tunc tot præteritorum amorum meorum murmura,tot fabulæ,tot irrisiones,quibus despecta subsannabar, peractis matrimonij ritibus consummentur.

2. *Apprehendã te,& ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito,& mustum malorum granatorum meorum.*

Vbi ad felices illas fores peruenerimus,ipsa quæ ducor, suaui violentia te inducam, in cubiculum tenerrime te diligentis matris tuæ,(in cuius adducta familiam,matrem iam meam meritò compello) satis hoc facto exprimens, quàm lubens,priscæ meæ familiæ oblita,tibi veniam. ibi quidem me tanquam animæ tuæ dimidium, nihil rerum ruatum, siue arcani, siue doctrinæ sit, celabis, sed docebis cuncta. nec poteris non cor

istud

istud meum, secretorum tuorum thesaurum constituere: quandoquidem amore meo te inebrians vehementiùs, tanquam ab homine vnguentari vini, & siceræ punicorum pretiosioris, vi saucio, omnia suauissimè extorquebo.

Tunc, ô sodales amicæ, eueniet mihi requies huc vsque denegata, & suauibus dilecti mei innexa amplexibus inperturbatum somnum carpam iucundissimè.

3. Laeua eius sub capite meo, & dextera illius complexabitur me.

SALOMON.

Id ergo cùm aduenerit, obtestor vos virgines sodales, ne sponsam, aut puellarium ludorum, aut rustici exercitij prætextu suscitetis. Ah liceat quoad voluerit post tot curarum æstus suaui quadam incuria conquiescere: vacet aliquando illatum pondere, vt aptiùs postea rei familiari curandæ vacare possit.

4. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

SEMICHORVS.

Io, Io, en adsunt noui coniuges: ecquæ est ista, quàm pulchra, & quàm decora, quæ ad sinum dilecti mariti reclinata, amore languida diffluens delitiis, à subiecto agro in æditam nostram villam, nuptiali vecta curru gratissima ascendit?

5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?

SALOMON.

Ad ingressum noui hospitij, ô dilecta, nonnulla nobis conuenientia tibi vellem submonita: meministi, qualis nuper dum domi esses in interiori pomario, sub amatoria malo, è matris gremio solemni cæremonia te rapuerim, ab illiúsque amplexibus, quasi sacra violata arce, quasi præruptis muris te euellerim.

Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

Iam ergo priscæ tuæ familiæ castra quodãmodo transfugiens, sub amoris maritalis vexillo (quod olim tu, soluto adhuc amore, confessa es) mihi militas: igitur me, debitam mihi curam, & sollicitudinem, nomenque mariti, sic cogitatibus tuis infige, ac si in hac amoris militia, cor tuum impresso charagmate meo aduteretur: sic operibus impone, ac si militis instar profani inustum in brachio ducis tui typum circumferres, nec nimis tibi videat postulare: si enim, propterea milites characterissantur, ne vnquam transfugæ deserant vexilla, sed quouis fugiant, de impresso signaculo noscitentur, iterum ad præstitum sacramentum compellendi: tu nunc illam te militiam noueris subituram, vnde nulla honesta missio vnquam datur: nam sicut, quantumuis quis fugiat, mortem, de impresso innatæ corruptibilitatis signo, randem morti traditur, quæ mortali naturæ militantes, emeritos nunquam emisit: & sicut qui inferni claustra semel introiuit, nulla aliquando redemptione regreditur: sic à maritali amore, vincula matrimonij colligante, & ab eius ingenita æmulatione, recessus non conceditur. Iam verò cùm infernum audis, nihil hic propterea existimes horribile, & tenebricosum, sola tenacitas adducitur in exemplum: neque ista tamen tyrannici imperij, aut duri seruitij, quale sub amore turpi, cæco illo, & commilitones suos excæcante, tantummodo vrente, non illuminante, violenter toleratur: amor enim noster, totus è rationis ductu proueniens, sic vrit, vt illuminet: sic accendit, vt fulgeat: lux conuictæ menti, & ardor affectui inflammato: ideo faces illius, non solùm ardentes igne, sed etiam flammis illuminantes proferuntur.

6. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

Atqui timeas fortè, ne (quantumuis fidelis) ab amore hoc excidas, non tam de tuo libito, quàm de aliquo eius infortunio: pone metum, securam te esse iubeo: nulla vis, nullum aquarum pondus, nulli fluminum vortices ignem istum extinguere poterunt, oppugnetur quantumuis laboribus & cruciatibus amor iste, sed non expugnabitur. quia verò in re bellica, dum vrbes, aut castra obsidentur, deficientibus viribus, aliò recurritur, & quod ferrum non poterat, aurum superat: tam incontaminati spiritus amorem hunc noueris, vt nullis possit muneribus corrumpi: imò hæc pro nihilo, ab hoste adultero prodigè oblata solet reputare.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

CHORVS VIRG.

Sulamitis nostra, dilecta nobis sodalis, ô Salomon, vt nouæ huius tuæ militiæ, sic etiam ætatis suæ potuit iuuen-

8. Soror nostra parua, & vbera non habet: quid facienus

mus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

cula tyrocinium : quod ex eius vberibus immaturis, paruulis, & penè nullis apertè conijcitur : quid ergo, si quæ nec violentiæ cedat, neque muneribus corrumpatur : fucatis corriualium verbis, omni vi, omni auro potentioribus pertentetur? Vndenam eius innocentiam, & candidam simplicitatem obarmabimus?

SALOMON.

9. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

Si ea est dilecta, vt credo, quæ firmo iam proposito procacibus procorum verbis, decreuerit obsurdescere, & quasi adamantino obiecto muro aures cinctas & impenetrabiles gerat : non tamen adhuc, contra tam violentam machinam se reputet securam, sed noua ac noua semper prædicto muro munimina superaddamus. Quòd si fidelis & cauta, minus tamen, quod non puto, de ætate prudens, ostium sibi satis existimauit : cùm hoc facilè aperiri & ab ostibus valeat perrumpi, tunc cedrina incorruptibilitate, omnem rimam & cariem euitante, cedrino munimine illud roboremus, ne vel minimum verbum possit commeare, & omnis in illud impetus collabascat.

SVLAMITIS.

10. *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

Capite animos, ô virgines, sodales mihi charissimæ, nec quid molle in ætatis meæ teneritudine pertimescite: nam & aures impenetrabili muro cinctas gero : & vbera, siue ætatis primordia, quibus à simplicitate timuistis, in propugnacula, dilecto Salomoni desiderata, & fortissimas turres, quodammodo efformo : vnde factum, vt sic terribilis corriualium appaream procacitati, vt desperata victoria facessant, nec vllo modo castas has aures verborum lenociniis audeant permutare : ac proinde ego, licèt maritalis fidei castris alligata, & militari constricta iuramento deinceps iam habenda, quasi in tranquilla pacis quiete, nobilioris generis triumpho comparato, apud Salomonem meum, commotor, commotabor.

11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.*

12. *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.*

Illud in Salomonis mei gratiam, addiderim, ô amicæ puellæ, vt in amoris huius militia stipendiorum illi amoueam sollicitudinem : solent milites vulgares prædiis donari, ditari vineis, vbi post labores fessi requiescant: hac spe castris hærent, hac esca illos dux in castris retinet. Vineas, & prædia habet dux meus in vberrimo agro Baalamon, quæ famulorum curæ committit, quæque si vellet elocare, facilè mille argenteos, à conductore quolibet reportaret. his fortasse alia inescata stipendiis militaret : ast non ego quæ stipendij mercede his castris non adscribor, satis sum Salomone meo pulcherrimo, contenta : illo vno, pro vineis, pro domo, pro diuitiis dego beatissima. Quare tu mihi, & tibi sint opes tuæ, dulcissime Salomon, dux virginitatis meæ amabilissimus : & mille illi argentei, quos recipis quotannis, tibi apponantur : ducentique alij, quos & colendæ vineæ, & custodiendæ soles impendere, conductis operariis teseruentur.

SALOMON.

13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam.*

Papæ qualia verba! quàm mihi mulcent aures? obtestor sponsa dilectissima ne cesses: perge, perge similia enuntians, aut dicta repetens : quæ voti compos optatis villæ nostræ iam hortis frueris, quid me mea defraudas voluptate? O quid taces! en amica turba ab ore tuo pendet, prudentiam, & constantiam tantam admirata, méque maritorum felicissimum prædicatura.

SVLAMITIS.

14. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum super montes aromatum.*

Imò, ô dilecte, non ideo ego tantopere aduentum in hanc villam exoptaui, vt ad eius vestibulum tamdiu verbis immoraret, sed vt intus solemnitate solita, daris ritè dextris, completis nuptiarum cæremoniis, te pleno ore iam meum appellarem. Quare age dum, festina, propera, ingtedere : ô ne tardes! & qui hodie legitimè capreolus & hinnulus ceruorum appellatis, illorum celeritatem æmulare, tot inter odores gaudens, vt illi in montibus aromatum exultant.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

VERS. 1. & 2. Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

SVASSSS huic capiti conuiuium, non dubito: tum à vino, vnde sumitur comparatio in boc versu, tum ab accubitu, & lectulo florido, de quibus infrà. Procum igitur Salomonem à parentibus puellæ augurot inuitatum, quem iam futurum generum meditabantur. Posset igitur aliquis existimare, puellam in hoc conuiuio discubuisse pariter: tacitàque & susurranti voce egisse cum sodalibus, osculique suspirium enuntiasse, quin à viris audiretur: fas enim credere, etsi in eodem conuiuio, lectulis tamen separatis, fœminas & virgines discubuisse: certè apud Græcos ita eueniebat in ipso etiam nuptiarum epulo: (licèt vt plurimum id temporis in sponsi sinu sponsam legamus apud Romanos & alios acclinatam.) apertè pro hoc more Lucianus *in dialogo Lapitharum, siue in Conuiuio.* de aliis tamen epulis res certior, interesse eisdem virgines. Apud Massilienses in epulo, vbi de futuris sponsalibus agendum erat, adfuisse puellam desponsandam, legis apud eundem Lucianum *in Toxari.* quid? in conuiuio celebri Principum Legatorum, imò & Procorum apud Bosparanos Macaea virgo ambita discumbebat: vt *ibidem* refert idem auctor; apposita iam erat mensa, & allata fercula seruo Abrahamitico apud Laban, nec tamen aberat Rebecca virgo, vt colligo ex Genes. 24. num. 51. *En Rebecca coram te est: tolle illam, & proficiscere, vt sit vxor filij domini tui.* ex quibus omnibus, hanc existimationem, si quis haberet, non omnino falsum denotarem.

28. *An in conuiuio fœmina discumberent?*

Genes 24. n. 51. declaratur.

Nihilominus apud Hebræos, sicut apud plerasque alias nationes, virorum conuiuia extra nuptias, fœminis, nedum virginibus interdicta credo. notant plusculi interpretes ad illud Esther 1. num. 8. *Regina quoque Vasthi fecit conuiuium fœminarum in palatio.* quod ibi in Cicerone *act. 3. in Verrem*, & item ex Herodoto illustrat Sanchez, quodque etiam apud Hebræos vsitatum aucupatur ex Herodis epulo natalitio, vbi recursus puellæ saltatricis ad matrem Herodiadem clarè firmat, seorsim illam cum fœminis intus discubuisse. addo signatum locum *Genes. 18. num. 10.* vbi de Sara auditis conceptionis faustæ promissis, dicitur: *quo audito Sara risit post ostium tabernaculi.* aberat igitur: vnde & illam Angeli inter epulas quæsierunt, latentem scilicet. Puto igitur omnino latentem in hoc loco fingi puellam, quæ de more aut per ostij rimas, aut per aulæorum juncturas (quod Saræ euenit) Salomonem suum contemplata, denuoque defixa, osculi desiderium suspirauit.

29. *Osculum so-*

Osculetur me. Nihil hic minus castum, impudicum nihil, nihil quod purissimam virginem, sed tamen nuptias non abhorrentem, imò peroptantem dedeceat. Sanchez noster *ad hunc locum*, & magis *ad cap. 8.* vno verbo suspicionem suam prodit, an in Hebræis nuptiis ius osculi esset solemne. Ego non suspicor, sed rem omnino probabilem id esse ex vtroque loco arbitror. igitur osculum hîc capio nouæ nuptæ libarum, non solùm affectuosum ab honesto coniuge, sed etiam solemne, & sine quo nuptiæ, vt aiunt, de præsenti, non valebant; quasi hac phrasi nihil aliud, quàm casti matrimonij tempus anhelet sponsa. Testor Tertullianum, hucusque sine hac luce caligantem, *de velandis virginibus cap. 16.* vbi Hebræis, hunc morem adnectit. loquitur de Rebecca. *Dum ad sponsum ignotum, adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quia de longinquo prospexerat, non sustinuit dextera collustrationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem: sed confessa quod senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem.* q. d. nuptiarum fœderatis dextris, & osculis porrectis contractum celebrandum, præuenit mulier iam spiritu Christiano, quæ nouerat etiam sine his, ea solo desiderio, virginem quodammodo delibari. Clariùs *ibidem* ad suos morem deducit, solemnitatem osculi nuptialis significans. *Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixta sunt, per osculum & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritus, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerint confusionem, quanto magis tempus illas velabit, sine quo sponsari non possunt,* &c. dat, & accipit lucem hinc Catullus de nuptiis Manlij.

lemne in nuptiis.

Tertulliano lux.

Non diu remoratus es,
Iam venis: bona te Venus
Iuuerit: quoniam palam
Quod cupis, capis: & bonum
Non abscondis amorem.

Catullus explicatus.

Vbi Passeratius ad oscula thalami voluptuosa rem deducit. non capit: locus sanè capiendus de osculo solemni, quod ideo signatè *palam* capiendum dicitur. quibus omnibus adlucet denuo Statius *de nuptiis Violantilla:*

Item Stat.

Fama tace, subiit leges & fræna momordit
Ille solutus amor, consumpta est fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oscula ciues.

ciues nimirum, qui matrimonio celebrando applausores, aut testes confluxerunt.

30. *Anima per osculum commeantes.*

Mos verò inde ductus videtur, quia, vt ex Ambrosio hîc iam omnes ad rem aliam notarunt, per oscula animæ transfusæ inuicem credebantur. quam opinionem abundè ab eruditioribus confirmatam, his illibatis denuo confirmato. Claudianus *in Epithalamio Palladij*, de Venere locutus.

Claudiano fax.

Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit: & his vltrò sancit connubia dictis.
Viuite concordes, & nostrum discite munus:
Oscula mille sonent, linescant brachia nexu,
Labra ligent animos.

Quæ verba Tertullianum formant: sicut enim iste dextera osculo in nuptiis, sponsam corpore & spiritu, sponso connecti dixit: sic in hoc loco

Venus

Venus corpora datis dextris coniungit, & oscula ligandis animis suadet. Bion *Idyllio* 1. in Epitaphio Adonidis, vbi Dea ad puerum moribundum ab illo versu,

Δύσποτμε μεῖνον Ἄδωνι πανύστατον ὥς σε κιχείω:
Ὥς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω,

& sequentibus; quorum sensus,

Miser mane Adoni, vt te postremum inueniam,
Vt te amplectar, & labra labris misceam.
Expergiscere Adoni, iamque postremò me osculare:
Tantisper me osculare donec viuit osculum:
Donec ab anima meum os & in meum iecur
Spiritus tuus fluxerit, & tuum dulcem amorem
exsuxero
Atque imbibero: osculum autem hoc asseruabo
Tanquam ipsum Adonidem, quando tu infelix fugis.

Tritius illud Petronij Arbitri, *transfudimus hinc & hinc labellis errantes animas.* Cephalus apud Ouid. 7. *Metam.* describens moribundam vxorem.

Dumque aliquid spectare potest, me spectat, & in me
Infelicem animam, nostroque exhalat in ore.

in postremo nimirum osculo.

31. *Coniux mutuò alterius pars.*

Atque ab his osculis animam transfundentibus, factum existimo, vt coniux mutuò pars alterius animæ diceretur. Statius *lib.* 5. *syl.* 1. de Abscantij vxore moribunda.

Tunc sic vnanimem moriens solatur amantem:
Pars animæ victura meæ, &c.

Q. Curtius lib. 4. de rebus Alexandri. *Non tamen defecere animis Tyrij, quamquam ab ingenti spe destituti erant: sed coniuges liberosque deuehendos Carthaginem tradiderunt, fortius quidquid accideret laturi, si charissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent.* Patheticus magis Ouidius 2. *Trist.* gaudens inter naufragandum, quòd vxorculam non ferret.

At nunc, vt peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia saltem parte superstes ero.

Malachias 2. n. 14. & 15. explicatus.

Qui loquendi modus etiam Hebræis vsurpatus, & fortasse ab his, quibus osculum magis solenne ad gentes deriuatus: sic capio Malachiam cap. 2. num. 14 & 15. *quia Dominus testificatus est inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, & hæc particeps tua: & vxor fœderis tui. Nonne vnus fecit, & residuum spiritus eius est.* vbi Hieron. *eius siue Dei, vt quidam putant, siue mariti, vt quidam suspicantur.* maritum capio, quod per fœdus legitimum matrimonij, (quod nunquam sine osculo) spiritus partem vxori instillauit.

Columba osculum.

Et fortasse propterea in hoc Cantico toties puella aut dicitur columba, aut columbis comparatur; quia vt hæ sine osculo masculis non adhætent, de quibus Ælianus ait lib. 1. cap. 15. *masculum non prius fœminam inire, quàm osculum illi porrexerit, non enim admittere fœminas marium commercium φιλήματος ἔρημον, osculo vacuum.* sic sponsabus per osculum solemne, legitimum ius copulæ acquirebatur. huc visus allusisse Chrysostomus *homil. de Turture tom.* 5. vbi post multa de columbis, ad hunc locum diuertens ait: *propterea dicit, Osculetur me ab osculo oris sui: desponsata sum cœlesti sponso per legem & Prophetas, &c.* vt meritò columba iam desponsata, pignus matrimonij debitum, suspiret osculum. Maneat igitur certum nihil petulanter, aut lasciuè protulisse puellam, quæ de matrimonij desiderio & amore, morem solemnem sine mora complendum suspirabat.

Chrysost. explicatus.

32. *Oscula solemnia in nuptiis plura.*

Osculo oris. In Hebræo est מנשיקות id est, *in osculis.* præpositio enim מן aliquando *in* significat. consonant LXX. ὑπὸ φιλημάτων, *ab osculis*, vt videatur solemnitatem nuptiarum non vno, sed pluribus osculis perfici solitam. Sic Statius suprà,

——— *Viderunt oscula ciues;*

& paulo pòst rem comparatione illustrans, subdit,

——— *Tumida sic transfuga Pisa*
Amnis, in externos longè flammatus amores,
Flumina demerso trahit intemerata canali,
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes: miratur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.

Hoc si verum, vulgaris noster interpres, per numeri enallagem singularis osculi expressionem satis duxit: sin minus, similem figuram Hebræo Græcoque textui assignaueris.

33. *Suus emphasim importat.*

Oris sui. id est, ni fallor, oris pulcherrimi, suaueolentis, & rubicundi, sui nimirum qualeque decet meum Salomonem: expressum quippe pronomen emphaticæ. tale quid subodoror in re diuersissima quando blasphemantes Iudæi illotas discipulorum manus Christo obiiciebant. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, non enim lauant manus suas cùm panem manducant,* Matth. 15. num. 2. suas, inquiunt, id est, immundas, & piscaturæ sordibus infectas, quas sordentes etiam sine traditione, millies abstergendæ salsugini, & fœtori, abluere oportuisset. Redeo ad rem amoris, in qua sum. Propert. ergo *lib.* 1. *eleg. item* 1.

Matth. 15. num. 2. explicatus.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Vbi Scholiastes. *Non vacat significantiâ suis. id enim est, formosissimis, vt propria sit laus Cynthiæ.* sic *lib.* 2. *eleg.* 26.

Quòd si fortè tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionij facta puella maris.

Iterum *lib.* 2. *eleg.* 15. totus ad rem nostram,

Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo.

quod Catullus dixerat *epig.* 26.

Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suauiata.

Sic nullum in Cantico nostro verbum aut non plenum mysterij ad litteram, aut pro dramate vacuum leporis.

34. *Vbera virorum.*

Quia meliora sunt vbera tua vino. Amoris vi rapitur, & amor totus in affectus defixus, vt nunquam errat scopum, sic sæpiùs à certo orationis tenore visus aberrare, sed certius intimandus: hinc ergo est, vt quæ quasi secum locuta osculum ardebat, iam ad dilectum quasi attenderet, quasi tacita vota perciperet, sermonem dirigat. Assignat ergo rationem, cur spreto epulo quod aderat, tota nuptialem diem exoptaret. quia nimirum vbera, id est, sinus & complexus eius odoribus ad nuptias imbuendus, iam tunc omni sibi epulo voluptuosior præsagiebatur. *Vbera* igitur in hoc loco capio sicut iam alij alia huius Cantici loca, non tam pro ipsis corporis partibus, quàm pro illecebroso amplexu, quo in sinu res amata ad pectora & vbera constringitur. At dices: saltem ab vberibus naturalibus loquendi formula sumitur, cùm vbera tamen viris à natura denegentur. id nego: nam partes illæ virilis pectoris tumentiores etiam vbera solent appellari. Lucianus *in amorib.* iuueni tribuit. Μαστοὺς βραχὺ τὴν φύσιν ὑπεροιδοῦντας: *vbera paululum pro natura sua prominentia.* Igitur in amplexu colligati noui coniuges oscula sibi solemnia porrigebant; quas delitias puella in hoc loco omni sibi epulo futuras dulciores augurator. proprium id amantibus. Lucianus *in Dial. Iouis & Iunonis*, de eodem osculante simul amores, & nectar bibente. καὶ τὸ φίλημά σοι ἥδιον τοῦ νέκταρος:

Osculum nectareum.

νεκτάρεος· καὶ διὰ τοῦτο ἰδεῖν διψῶν πολλάκις αὐτοῦ πίνω: *& osculum tibi dulcius ipso nectare; proinde nec etiam sitiens frequenter inuolando osculo, potum postulas.* & iterum, φιλημάτιον τοῦ νέκταρος τὸ φίλημα: *osculum nectare pretiosius.* Vinum verò pro epulo in sacris passim.

35. *Pectora vncta.*

. *Fragrantia vnguentis optimis.* An quia ipsa pectora vncta? sic aliqui, nec ineptè: inde ergo ad amplexum, & sinum constringentem fragrantia respiraret: pectora verò ipsa vncta probauit iam Roa ex Athenæo: sic explico illud Prou.27. n.9. *vnguento & variis odoribus delectatur cor.* An quia sinuosa ipsæ vestis respersa vnguento? credo: sic *Psalm.* 44. myrrha, cassia & gutta vestimentorum celebratur. & infrà odor vestimentorum sponsæ omnibus odoribus præponitur. Sed quid si dicam alludi ad coronas, quæ è collo ad vbera & super pectus gestabantur? fortè non aberrabo. de his Minutius Felix ita. *Quis autem ille est, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cùm capiamus & rosam verie, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi odoris & coloris est? his enim & sparsis vtimur mollibus ac solutis, & sertis colla complectimur. Sanè quòd caput non coronamus ignoscite, auram boni odoris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire.* Auidius apud Vulcatium sic scribit: *Nihil tam expedit, quàm homo seuerior Græcanicis militibus: ille sanè omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu excutiet.* lege Sueton. *in Tiber. cap.69.* Tibul. *lib.1. eleg.7. fine.* Atqui, inquis, non tam flores in Cantico assumuntur, quàm vnguenta optima: fateor, sed vnguentum ipsarum coronarum explicatur: solebant enim ipsas coronas floridas vnguento imbuere: multa, si sapis, legisti pro hoc vsu. Cape nunc Ælianum *lib.14. cap.49.* de Antalcida apud Persarum regem commorante, ὁ περσῶν βασιλεὺς στέφανον εἰς μύρον βάψας (ἀνθῶν δὲ ῥόδων) ἔπεμψεν Ἀνταλκίδᾳ. *Persarum rex coronam vnguento delibutam (corona verò e rosis erat contexta) misit Antalcidæ.* Vel si mauis, vnguentum ipsum è pectore, & vnguentatas ibidem, imò & indidem coronas, explicaueris. Athenæus lib.15. cap.5. *Est autem rationi magis consentaneum, cùm omnes sensus in capite reperiantur, illud idcirco præcipuè coronari, vel quia tegi caput conferat, atque vinciri frontem: idcirco tempora coronabantur, &c. Coronabant verò & pectora, atque vnguento perungebant, quoniam ibi est cor.*

Corona vnguentata.

36. *Vnguenta in nuptiis.*

Sed vndecumque hæc sponsi vnguenta prouenirent, cùm sponsa nuptiale, vt sæpe dixi, tempus cogitaret, non potuit non vnguentorum meminisse: licèt enim priscis vnguenta semper in vsu, maximè tamen ad nuptias exquisita. ideo Catullus *in nuptiis Manlij,*

> *Diceris malè à te tuis*
> *Vnguentate glabris marite*
> *Abstinere, sed abstine.*

Ideo Aristophanes *in Pluto.* ἔτι δ' οὐχ ἕξετε ἔτι νύμφην μύρῳ χρίσαντες, ὁπόταν νύμφην ἀγάγησθε. *Sed neque dabitur vnguentis vngi pretiosis, quando nuptam duxeritis.* & iterum *in Pace*, de sene ducturiente vxorem: αὖθις νέος ὢν πάλιν μύρῳ κατάλειπτος. *iterum reiuuenescens vnguento delibutus.* ex dictis ergo iam huius versiculi paraphrasim sic expromo.

PARAPHRASIS.

Hem quò rapior? opiparum conuiuium & festiuos inuita conuiuas nullatenus aut ferculorum varietate, aut conuiuarum aspectu allector: in meum vnum Salomonem collineat aspectus, collimat desiderium. O quando solemni illo osculo, quo inuicem commeant animæ, feliciùs in alienis, sed amatis corporibus respiraturæ, alter alterius particeps efficiemur? & quid mirum in hoc conuiuio, tu solus mihi famem ingeras, commoueas saliuam quando scitissima fercula, fragrantissima vina desipere & fœtere mihi visa: si cum voluptate, quam è blandissimo complexu tuo nuptialibus imbuendo odoribus iam nunc mihi præsagio, comparentur.

Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. VERS.3.

Non ab vnguentis dictis, adeò sponsus odoratus commendatur, vt non solùm vnguentatus, sed etiam vnguentum, nominetur: quòd post doctissimum Legionensem, assumunt alij; quin potiùs per correctionem ista dicta puto; quasi verò se accuset, imò excuset sponsa, quòd ad fragrantiam sponsi commendandam, alienos aliunde supponeret odores corrogatos, cùm ipsemet odor suauissimus sit, & fragrantissimum vnguentum, adeò vt in pagis noto iam vocabulo vnguentum appellaretur. quod blandimenti genus etiam aliis in re simili vsurpatum. Bion *Idyll.* 1. in Epitaphio Adonidis.

37. *Vnguenti vocabulum inter amatoria.*

> *Depone illum inter coronas & flores omnes cum eo,*
> *Postquam ille mortuus est, omnes flores contabuerunt.*
> *Riga autem ipsum myrtis, variis oleis, riga vnguentis:*
> ὀλλύσθω μύρα πάντα, τὸ σὸν μύρον ὤλετ' Ἄδωνις.
> *Pereant vnguenta omnia, tuum enim vnguentum perit, Adonis, scilicet.*

Auctor incertus *in florilegio 7. cap.1. epigram.59.*

> ἡ δὲ πάρος σε καλεῦσα μύρον, καὶ τέρπνον Ἄδωνιν
> Μηνοφίλα, νῦν σοι τοὔνομα πυνθάνεται.
> *Quæ nuper te vocabat vnguentum, & pulchrum Adonim*
> *Menophila, nunc ipsa tuum nomen ignorat.*

Puto verò ista non solùm in meris amoris blandimentis fundata voluisse sponsam demonstrare, sed magis in ipsa iuuenis proprietate, significans ita naturâ fictum & efformatum, vt de naturali complexione odorem suauissimum exhalaret. huc facit quod ipsa subdit in hoc cap. num. 11. *dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* in Hebræo, quod nemo nescit, legitur, *odorem eius*, quod à multis Regi sponso accommodatur: & expressè in Græco ὀσμὴν αὐτοῦ, pro nomine masculino, quod nullatenus fœminini generis nardo potuit conuenire: quasi nardus ab sponso odoris sui oblita, nouum odorem exhalatura mutuaretur: quod obiter illustro ex eodem florilegio *Epig.169.*

38. *Humana corpora quandoque naturaliter odorata.*

> Πέμπω σοι μύρον ἡδύ, μύρῳ παρέχων χάριν, οὐ σοί·
> Αὐτὴ γὰρ μυρίσαι καὶ τὸ μύρον δύνασαι.
> *Mitto tibi vnguentum: illi beneficium præbens, non tibi,*
> *Ipsa enim odoratum reddere ipsum vnguentum potes.*

Ibidem iterum *Epig.96.*

> Πέμπω σοι μύρον ἡδύ, μύρῳ τὸ μύρον θεραπεύων
> ὡς Βρομίῳ σπένδων νᾶμα τὸ τοῦ Βρομίου.
> *Mitto tibi vnguentum suaue: vnguento vnguentum colens:*
> *Sicut is qui Baccho sacrificat laticem Bacchi.*

Hinc est quòd guttur, siue halitus illius suauissimum *cap.5.* celebratur: & certè aliquos fuisse ita constitutos, vt etiam sudorem odoratum immitterent,

terent, legitur apud priscos. Plutarch. de Aleandro, ait: *Cute, ore, totoque corpore miram reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant propter concoctos calore humores in corpore existentes, qui sunt putredinis materia.* Tale aliquid de Salomone ipso suspicatur Pineda *in suo præuio lib. 6. cap. 4. num. 2.* Quidam apud Aristophanem in Pluto, muliercula dictum refertens ἡδὺ τὸ χρῶμα ... : *redolere corpus meum dicebat suauissimè.* nec fortasse mirum erit, si dicamus, Christum Dominum, cuius figuram exprimit sponsus, sicut ab oculis, teste Hieronymo, diuinum quid fulgoris emittebat, aliquid etiam odoris de optima corporis compleatione immisisse: ad quod respicetet Salomon, dum hæc scripsit. Iam verò in hoc loco oleum pro vnguento sume, clarius quàm luce egeat: quid denotet τὸ *effusum* iam alij notauere.

Adolescentulæ. Contribules puellas significari, asserunt Doctores: ego malo domesticas adolescentulas & sponsæ ancillas intelligere: multum quippe refert proci felicitati, si ambitæ virginis famulas habeat propicias, quo illi dotes iuuenis suggerant, dotes commendent, animum emolliant: hinc sæpe apud auctores has tales à procis legimus rogatas, nunc precibus, nunc muneribus illarum animos propitios sibi reddere tentantibus: bas ergo hoc in loco vocat adolescentulas, quæ sine dubio Salomoni allectæ eius dotibus & innato odore fauebant instanter: mens ergo versiculi præsentis sic haber.

PARAPHRASIS.

Sed proh! quàm insulsam sortiris encomiastiam, dilecte mi! quæ cæteruis vnguentis indigum ad exhalandum suauius te protuli: cùm tute ipse (quod ea perta, dum tibi connuttior, subnotaui) de naturalis compleaionis virture respires suauissimus: adeò vt omnes domesticæ puellæ, à quibus propterea diligeris ardenter, nusquam vsitatiori vocabulo, quàm exhalantis vnguenti nomine te compellent: sicque in pagis nostris & Salomon & vnguentum pro eodem vsurpari iam videtur.

VERS. 4. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

39. *Simulata rapina in nuptys.*

Eruditissimus noster Salazar ad illud *Prou. 4. num. 8.* vbi de sapientia tanquam de sponsa est sermo, *Arripe illam, & exaltabit te*, putat Hebræos vim simulasse in nouis nuptis trahendis: cùm enim Persica & Hebræa gens vicina sit, penè eisdem moribus vtebatur: apud Persas autem, vt Brissonius *libro de regno Persico*, est auctor, solebant mariti rapere, & simulata quadam violentia trahere vxores: vt innueretur pudicitia puellarum, quæ non nisi per vim amittendo flori virgineo adducebantur: concluditque sic Prou. loco, verbum arripiendi posse intelligi. Adde apud Romanos, qui etiam hunc raptum simulabant, præter notissimam illam caussam de imitando raptu Sabinarum, qui illis felicissimè cecidit, similem Persicæ, caussam afferre Plutarchum in Probl. rem. num. 28. *Quid est quòd nouam nuptam ipsum limen transcendere, non permittant? an quod qui primas mulieres rapuerunt, sic eas domibus intulerunt, non ipsæ ingressæ sunt? an eo inuitæ ingredi volunt videri, vbi virginitatem sunt amissuræ?* Vnde sua Optato Mileuitano (quem longè aliter explicat noster Sanchez *ad Psalm. 67. num. 45.*) qui de viduæ nuptiis locutus: *si alicui maritum mutare contigerit, non reperitur illa temporalis festiuitas, id est, non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.* Cùm enim suo adhuc æuo Ethnici aliqui ritus perdurarent, tollebantur raptæ ad limen virgines: non ita bigamæ, quibus amissa priùs virginitate inutilis simulatio. Sed iterum ad rem.

Optatus Milleu. explicatur.

40. *Rapina simulata an apud Hebræos qui nuptiales ritus cum gentibus communes.*

Ego quidem ad minus, satis iudico probabile, simulatum hunc raptum apud Hebræos sicut apud alias gentes, etiam percrebuisse, vt hic & infrà haud inanibus coniecturis latissimè iam ostendo. & in primis pende, amabo, omnes ferè alios nuptiarum ritus gentibus & Hebræis communes fuisse: apud Hebræos coronantur sponsi, emitur sponsa, osculum solenne porrigitur, ducitur puella in mariti domum, in curru, cum musica, excipitur noctu facibus accensis: nomen mariti accipit, & in eius familiam loco filiæ adoptatur: flammeum fortasse gerit, obtento pallij acceptatur: vnde aliqui explicant illud infrà, *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi*, & claret vsus ex *Ruth 3. num 4.* idque Ethnicis commune probant aliqui ex Euripide apud Stobæum, vbi pater ad filiam nuuam nuptam ita: *Cum sub egregij viri pallium veneris, reliqua studia viro sinite.* &c., vt in prologomenis diximus, vbi de Chronographia Iudæi & gentes in agro nuptias celebrabant. Cætera omnia quæ diximus, vtrisque communia, infrà suis locis solo clarius comprobabo. Cur igitur gentibus tantùm, & non Hebræis pariter simulatum raptum tribuemus? Nemo nescit Spartiatas, ideo maximè Hebræorum fratres intro fœdere appellati, quia ductam sibi ab Abrahamo originem gloriabantur: id expressum habes 1. *Machab. 12. num. 21.* nullis autem Græcorum simulatus hic raptus fuit solemnior, quàm Spartiatis. Plutarch. in Lycurgo. ἐγάμουν δὲ δι' ἁρπαγῆς, οὐ μικράς, οὐδ' ἀώρους πρὸς γάμον, ἀλλὰ ἀκμαζούσας, καὶ πεπείρους. τὴν δ' ἁρπασθεῖσαν, ἡ νυμφεύτρια καλουμένη παραλαβοῦσα, &c. *vxores ducebant raptu, non pusillas atque impuberes, sed adultas & maturas. deinde puellam raptam suscipis pronuba*, &c. potuit ergo hic mos vtrisque esse communis.

Quid? sicut Romani ex fausto raptu Sabinarum, quod proauis suis euenit feliciter, simulatum tapiendi vsum imitati voluerunt: cur Hebræi, qui per omnia nuptiis Dei eum Synagoga, in nuptiis suis voluerunt expressas, (quod iam in prolegomenis, & infrà iterum sæpiùs indicabo) etiam raptum, quem Deus ab Ægypto fecit, non imitarentur? adde nonnulla Scripturæ loca, quæ hunc Dei raptum videntur insinuare. *Psalm. 135. num. 11. & 12.* de Ægyptiis prostratis, subdit David: *qui eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso.* quæ pia Domini violentia sæpiùs in Scriptura commendatur. *Oseæ cap. 2. num. 14.* vbi Deus de instaurandis cum Synagoga nuptiis multa connectit, additur num. 15. *& canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* id est, ni ego hallucinor: sicut quando gens ista mihi desponsanda erepta est de manu Pharaonis, sic modò iterum à culpis & captiuitate eripietur. & quidem, si vera est explicatio Sanchez *ad Psalm. 67.* vbi ad illud num. 19. *ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*; scribit, instar sponsæ Synagogam in currum sponsi Dei tolli: totusque Psalmus verè est, vt putat, nuptialis:

Ceremonia nuptiales apud Hebræos à nuptiis Synagoga.

Psalm. 135. num. 11. explicatur.

Item Oseas 2. num. 14.

lis: iam ad rem meam mira est versio D. Pauli *Ephes.4. num.8.* qui legit, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Cur enim captiuitas ab sponso captiua duci dicatur, nisi quia rapta quodammodo in prælio instar captiuæ habebatur? sic in re simili Catullus in carmine illo suo nuptiali,

Item Paulus Ephes.4.n.8.

Hespere qui cælo fertur crudelior ignis
Qui natam possis complexu auellere matris,
Et complexu matris retinentem auellere natam:
Et iuueni ardenti castam donare puellam.
Quid faciunt hostes captâ crudelibus vrbe?

Quòd si à Deo Hebræos raptum non didicisse dixeris; cur saltem, Beniamitas suos exprimendos non curarent, quibus felicissimæ nuptiæ de raptu? *& rapta ex eis singulis vxores. Iud. 21. num. item 21.* certè nihil video cur Salsxaris inuentum improbabile videatur, maximè si addas quæ plura *cap.6. num.3. & cap.8. num.5.* adnotabo.

41. Trahendi, & rapiendi verba sympathica.

Mihi quidem hic vsus pro Hebræis approbatur, potoque huc allusisse sponsam in hoc loco, vt sicut in primo suspirio osculum legitimum, sic in secundo raptus solemnitatem postularet: nec obstat quòd trahendi magis, quàm rapiendi verbo vsa sit, nihil enim rapitur, quod trahi violenter non videatur. ideo *Psalm. 10.* ex comp. Hebr. num.9. *Insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* & sicut in loco *Prou.4. num 8.* vbi arripiendi verbo vsus, in Hebræo est radix סלל, quæ propriè significat *exaltare*, quia quod arripitur attollitur & exaltatur: sic in hoc loco, quia quod rapitur, trahi necesse est: trahendi verbo Salomon vti voluit. hinc est, vt Festus cùm de hoc Romano ritu loqueretur, vtrumque verbum coniunxerit, quasi alterum pro altero supponeret. eius verba sic habent: *simulatur rapi virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur: quòd videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Claudianus etiam in Epithalam. 10. Palladij fingens cupidinem loco viri puellam rapuisse, ferè eodem verbo vtitur:

—— *Flentemque Cupido*
Detraxit matris gremio: matura tumescit
Virginitas.

42. Trahere, vox amatoria.

Hæc ni placeant, aliter locum planiùs, nec cum minori epitasi explicabo. Erat puella tota in hospitem pulcherrimum defixa, sentiebat se amore rapi, trahi desiderio: tunc indulgens affectui, libenter ab amatorio suo magnete trahi profitetur, & vt amplius & amplius trahatur pathetice concedit. quasi dicat: Trahis me ó dilecte, non abnuo: trahe lubentem, & post te, si opus fuerit, cursuram etiam. sic trahendi verbo dat dulcem violentiam illud Ouidij *Trist.2. eleg.1.*

Vtque trahunt oculos radiantia lumina Solis,
Traxissent animum sic tua facta meum.

Pulchriùs in re amoris *lib.3. de arte amandi.*

Se quoque det populo mulier formosa videnda,
Quem trahat è multis forsitan vnus erit.

Propert. item *lib.1. eleg.2.*

Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Auecta externis Hyppodamia rotis.

Tritum illud Poetæ,

Trahit sua quemque voluptas.

quod Augustinus attrahenti corda numini accommodauit. Magis ad rem meam Hieronymus *ad cap.9. Matth. lib.1.* de Christo Domino locutus. *Certè fulgor ipse & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se venientes trahere poterat aspectu: si enim in magnete lapide & succinis hæc esse vis dicitur, vt anulos & festucas & stipulas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos vocabat.* Et fortasse præuidebat ingenium istud Christi Salomon hæc scribens. Concludo verbis Luciani rem amatoriam tractantis, in imaginibus. *Abducet te alligatum quocumque collibuerit, quemadmodum lapidem magnetem ferrum ad se trahere perhibent.* Dum ergo se trahi sentit sponsa, tractioni indulget dum ampliùs suspirat vt trahatur.

Post te curremus. Explicat iam quid sentiat se facturam, cùm felix raptus sui hora appropinquauerit: nimirum, & si aliquid morarum de more ionexura videatur, vt dicam *cap.6.* tamen toto affectu maritum secuturam. Porrò verbum *currendi* in re simili amatorium totum est, & voluptatem adhærendi dilecto pathetice demonstrat, cupiebat hanc sibi demonstratam Propert. *lib.3. eleg.20.* ad amicam.

43. Currere vox amatoria.

Fortunata domus, modò sit tibi fidus amicus,
Fidus ero: in nostros curre puella thoros.

Tibullus *lib.3. eleg.4.*

Et celer in nostros ipse recurre sinus.

Iam verò *curremus* dixit, non per numeri enallagem de se sola locuta, sed se pariter & ancillas significans: de more, ni fallor, quo puellam marito abductam, domesticæ ancillæ in partem dotis, sequebantur. Sic explico illud Psalm. 44. nuptialis num.15. *adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Sic etiam nupturam Rebeccam puellæ prosequuntur: *igitur Rebecca & puellæ illius ascensis camelis secuti sunt virum*, Genes. 24. num.61. Tobiæ etiam in partem dotis pro sacra tradiderunt parentes puellæ: *dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, & pecudibus*, Tob.9. num. item 9. hinc bona lux obscuro Tertulliano de resurrect. carnis cap. 63. *nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine, sequetur animam caro: non erit anima prostituta, vt nuda suscipiatur ab sponso: habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem, vt collactaneam comitabitur.* Deinde verò odori vnguentorum signatè addidit *curorum* interpres noster ex LXX. (hæc enim verba in Hebræo desunt) vt puellas sponsæ ipsamque sponsam non alieni odoris fuco, sed ingenitæ Salomoni fragrantiæ illecebra attractas significaret.

44. Ancillas secum nupta deferebat.

Psalm 44. num.15. explicatus.

Tertull. explicatus.

Introduxit me rex in cellaria sua. Assignat iam causam, cur non aliorum, sed Salomonis sui odorum fragrantia alliciatur; quia nimirum experta fuerat, cùm aliquando ipsa cum puellis suis in eius thesaurum & apothecam adduceretur: (quod aliàs factum, vt assolet in dramatis, supponitur) inter tot vnguenta, nihil illis, ipso suauius respirasse: adeò vt tantæ fragrantiæ memoria adhuc titillante, æternum se, illius consortio, cùm detur, exultantes lætabundas auguretur. Est autem amatoribus ingenium, amasias, si possunt, in thesauros & apothecas suas introducere, (quod in Iudith apud Holophernem hospitio satis patet) vt auidum fœminarum ingenium, conspectis fortunæ dotibus alliciatur. Obiter autem crederem, se suasque ab hoc affectu excusare voluisse sponsam, dum non tam diuitiarum, quàm Salomonis sui memoriam celebrat repetitam. Quod autem dixit *introduxit*, quasi de se tantùm, cùm & puellas pariter introductas intelligere ex additis par sit: ex vsu prouenit, quo persona, in cuius gratiam fit aliquid, & si alij sint participes, totam sibi gratiam solet imputare: sic dicimus Magnatem, v.g.

45. Amasia in thesauros introducta.

Pintus in Cantica.

adire palatium, quem tamen comitatus stipatorum non deseruit. Vbera autem, vt sæpe in sacris litteris capio, pro delitiis & suauitatibus, quas ab vnguento suo, suo nimirum Salomone, participarunt omni vino, id est, omni voluptati (hæc etiam vini significatio in sacris passim obuia) præponendis. pro *Cellariis* in Hebræo est חדר locus abditus, penetrale secretum, vno verbo adyrum. Sumitur certè pro thesauro, vbi omnia pretiosa reconduntur: sic Prou. 24. num. 4. *In doctrina replebuntur cellaria, vniuersâ substantiâ pretiosâ & pulcherrimâ.* in Hebræo eadem vox חדרים Græca non dissonant, notarunt alij.

46. *Oculus inuidorum toruus.*

Recti diligunt te. quasi dicat: is es, vt quisquis inuidiæ maleuolentia non laboret, necessariò te dilexerit. dubitas? attende pluscula. in Hebræo est מישרים quam vocem omnes deducunt à ישר rectum esse, seu placere. Video tamen meritò Sanctem Pagnin. putasse litteram מ in hoc loco, non esse heemanticam nominis formatiuam, sed præpositionis loco positam: quo posito, (& quidem satis probabiliter,) iam habeo nomen esse ישר vnde infero contra communem opinionem posse eius radicem esse שור id est *aspicere*, *intueri*: per detractionem vau, & additionem heemantici iod: quod quidem iod iam multi additum volunt nomini illi ישרים id est *rectus*, præter communem formationis regulam, vt à verbo שור & non ישר deducatur: est ergo in hoc loco rectus, seu rectitudo illa propriè, quæ in videndi acie non torua inuenitur: rectus obtutus, pro vt toruo opponitur simplex aspectus, non inuidus: vnde *Ieremiæ* 21. *num.* 13. eadem vox per planitiem explicatur; quia inuidus aspectus non simplex & planus, sed totus salebrosus & fucatus. hinc ergo in sacris litteris, & profanis rectus & toruus intuitus pro non inuido, & inuido vsurpatur. pulchrè Statius *Sylu.* 5.

Quisnam impacata consanguinitate ligauit
Fortunam inuidiamque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deus? nullam ne notabit
Illa domum, toruo quam non hac lumine figat?

Clariùs Ouid. 2. *Metam.* de eadem.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Aureola verba Chrysologi. *Inuido vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor, rabida, & effrenata conuitia, & manus ad violentiam prompta.* hinc explicarem illud 1. *Reg.* 18. *num.* 9. vbi postquam laudis epicinium cantatur Dauidi, additur de Saul. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* quia nimirum iam habebat de inuidia toruos, &, vt Horatius loquitur *epist.* 1. obliquos de liuore. Nunc iam integri versiculi accipe paraphrasim.

1 Reg 18. num 9 explicatur.

PARAPHRASIS.

Si ferrum essem, occulta vi me traheres magnes dulcissimus. nunc autem iam emollita & penè liquefacta, non violento impetu, sed affectu voluntario ad te rapior: si trahit sua quemque voluptas, tu volupe meum magis ac magis me trahe, non resisto: magis ac magis incende, non repugno, volens sequor, lubens afficior. imò, quod mallem, nuptiali iam ritu rape me: quæ quamuis morarum aliquid de more faciam, tamen affectu toto post te curram. atqui nec sola, ô dilecte, sed ego tibi, & puellæ mihi innexæ, amatoriam catenulam annulis quodammodo inter se connexis efficiemus: vt non solùm de vsu dominam, sed & de affectu casto te dominum subsequi videantur. Experta (quod iam dixi) loquor: memini quippe cùm me aliquando ipsis sociantibus in thesaurum delitiarum immisses, inter tot alia aromata, nihil te vno nobis suauius respirasse: cuius adhuc dulcedinem mens eructat, memoriaque iucundissimè eâdem titillatur: vnde perennem exultationem lætabundæ auguramur. neque mirum, sic enim alieni cuiusuis affectus, factus illex, vt quisquis non toruo de inuidia vultu, non obliquis de liuore, sed rectis, vt par est, oculis te conspiciat, necessariò tuis dotibus capiatur.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. VERS. 5.

Hæc submissiori voce, imò susurranti suspirio huc vsque protulisse videtur sponsa, tota ad aspectum dilecti inebriata, & ab illius vultu vnicè pendens. interim sodales virgines, (quæ id temporis aut conuiuij ministerium adiuturæ, aut publicam iam proci ambitionem, amicæ gratulatu celebraturæ, vt assolet, supponuntur accurrisse.) innuitur in aspectum puellæ, vt & illa in pastorem suum fuisse defixas, miros nimirum affectus subnotantes, & cordis amicæ interiores affectus, eiusdem variis motibus, & coloribus vultus sublegentes: quod cùm ad se reuersa cognosceret puella, iam ad illas conuerso sermone, cùm videret finiri epulum, & paulo pòst sibi foras (vt videbimus) prodeundum in dilecti colloquium: nihil habuit prius, quàm illa excusare quæ proci oculos offensura poterant existimari: vnde ait, tacitæ obuians obiectioni: *nigra sum*, &c.

Nigra sum, sed formosa. Diuerterat paulo antè sponsa è vico suo, ad vineas fratrum curandas, vt *numero seq.* dicitur, inde ab agresti exercitio, vt fit, puluerulenta redierat, nec dum satis excusso puluere persistebat: his tamen decoris sordibus pulchritudinem suam haud imminutam asseuerat, nec timet quòd pastori suo minus pulchra videatur: sicut pastoritia tabernacula, quæ Cedareni ad Hebræos pro solitis mercimoniis asportabant, & si puluere rustico nigri carent de foris, pictis tamen pellibus ab Hebræis pastoribus ditioribus, (quod à Salomone suo factum significat) pulcherrimè ornabantur. Moueor ad hunc sensum: quoniam puellam istam naturâ ipsâ subnigram fuisse, nunquam potui deglutire: quis enim collum eburneum, quod infrà dicitur, nigro vultui sine monstro, subditum dixerit? aut quomodo in facie fuscâ natura ipsa, genæ turturis, malo punico similes splenderent, quæ magis innato candori admixtæ solent celebrari? adde *seq. num.* ipsam cuti fuscum colorem non à natura, sed à sole contractum declarare. Esto hoc ratum. Iam verò nigredinem huius versiculi præcipuè rustico pulueri assigno, quia vxor שחרה ab eadem radice est, vnde & שיחור id est, *Nilus*, Ægyptius fluuius, qui quoniam de puluere & arenis turbidus effluit, niger appellatur. Firmo simili Latinorum locutione. Valer. Flaccus dixit *Argon.* 1. de Tiro,

47. *Nigredo à puluere.*

Solymo nigrantem puluere.

Horat. *lib.* 1. *Oda* 6.

— Puluere Troico
Nigrum Merionem.

& *lib.* 2. *Oda* 1.

Duces

Ducti non indecoro puluere ſordidos.
quia puluis aut ex paſtoritiæ, (vt in ſponſa,) aut ex bellicæ vitæ honeſto exercitio contractus, non dedecorat, ſed venuſtat. Venuſtè Martialis *lib.* 8. *Epig.* 69. de Domitiano locutus:

Hic ſtetit Arctoo formoſus puluere belli
Purpureum fundens Cæſar ab ore iubar.

Claudianus de ſuo Honorio *in 3. conſulatu.*

——— Sic flamine crebro
Turbidus, & grato reſperſus puluere belli.

Pulchriùs de eodem *in 4. conſ.*

Ipſe labor, puluiſque decet, confuſaque motu
Cæſaries.

Sed pulcherrimè ad rem noſtram Statius de iuuene inter venationis exercitia ruſticante:

Ille aderat multo ſudore & puluere maior:
Dulcis adhuc viſu, niueo natat ignis in ore
Purpureo, fuluoque nitet coma gratior auro.

Ambroſ. explicatur.

Ego putatem hæc omnia imaginatum D. Ambr. cùm ad hunc locum ſcripſit: *nigra exercitij ſui puluere: nigra ergo dum præliatur, decora dum victoria ſua inſignibus coronatur.* Similem pulueris nigredinem dat Paulinus *epiſt.* 4 crinibus ſponſi, qui aliàs aurum optimum: de exercitationis internæ quaſi bellico puluere, vel puluerulento ſudore nigrantes, quæ omnia floridiùs in Epiſtolario olim dilataui, breuiter, ſi Deo placet, in lucem dando. hæc ſatis vt innatam nigredinem puellæ amoueamus: maximè, quoniam ſi vultui natura fuſco, purpureos crines infra celebratos addere præſumam, præterquam quòd id ſit contra naturam, neſcio quid vſquam fœdius, imò & horribilius cerni poſſit. Quid autem formoſitas importet, vide *cap.* 2. *num.* 10.

48. Nigredo pulchra.

Quia tamen ferè omnes aut innuunt, aut contendunt innatam ſibi nigredinem excuſare, non grauabor illibata nonnulla in eorum gratiam adnotare de nigredine pulcbritudini coniuncta, quibus illorum opinio alius (non mihi in hoc loco) reddatur probabilior. Theocritus *Idyl.* 10.

Βομβύκα χαρίεσσα, σύραν καλέοντί τυ πάντες
Ἰσχνὰν, ἀλιόκαυστον. ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον,
Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.
ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.
Bombyca gratioſa ſyram vocant te omnes
Gracilem, ſole toſtam: ego verò ſolus meliſimilem,
Et viola nigra eſt, & notis ſcriptus hyacinthus;
Sed tamen texendis coronis primas habent.

Gratior mihi Aſclepiades *in floril. lib.* 7.

Τῷ θαλλῷ Διδύμη με συνήρπασεν, ὤμοι! ἐγὼ δὲ,
Τήκομαι ὡς κηρὸς πὰρ πυρὶ, κάλλος ὁρῶν.
Εἰ δὲ μέλαινα, τί τοῦτο; καὶ ἄνθρακες· ἀλλ' ὅτ' ἐκείνους
Θάλψωμεν· λάμπουσ' ὡς ῥόδεαι κάλυκες.
Venuſtate ſua Didyca me rapuit: hei mihi! ego verò
Tabeſco vt cera ad ignem, pulchritudinem eius videns.
Si verò nigra eſt, quid tunc? nonne nigri ſunt carbones, & tamen ad illos
Tepeſcimus, dum ſplendent vt roſei calices?

Sic Sappho Phaoni ſuo apud Ouid.

Candida ſi non ſum, placuit Cepheia Perſeo
Andromade, patria fuſca colore ſua.

49. Amantibus etiam fœditas pulchra viſa.

Sed eſto non iungeretur tanta nigredini venuſtas: ſperaret tamen puella, quæ ſe nouerat dilectam, fore vt ipſa fœditas paſtori ſuo, de amoris ingenio formoſa videretur. Plutarchus in moral. *vt qui verè amant, etiam balbutiem, næuos, pallorem, adamant in dilectis: ſic admirator virtutis non horret Ariſtidis exilium, Socratis paupertatem, Phocionis condemnationem.* Quintil. *declam.* 17. In re ſimili.

Pintus in Cantica.

Quis non eſt formoſus filius matri? amant debilitates: complectuntur illum morborum ſuppliciorumque pallorem, & in vires charitatis accreſcit ipſa miſeratio. hæc ſatis pro aliena ſententia tuenda.

50. Comites virginum quæ.

Filiæ Ieruſalem. Hæ ſunt nobiles virgines non familiares ancillulæ, de quibus ſuprà, ſed contribules amicæ, quæ paſſim in hoc Cantico pro feſtiuo ſponſæ ſodalitio immittuntur. id etiam ex prophanorum vſu ſcriptorum ſic Catullus ſuprà in ſuo Epithalamio: ſic etiam in ſuo Theocritus *Idyl.* 18.

In Sparta quondam apud Flauum Menelaum
Virgines virentem hyacinthum comis innexum gerentes
Ante nuper pictum thalamum, chorum ſtatuerunt:
Duodecim primariæ ciuitatis magnum decus Lacænarum
Quando Tyndarei filiam in thalamum concluſit dilectam
Helenam: cuius nuptias ambierat, minor natu filius Atrei.

Sic Ouidius, ſi memini, dat Europæ ſimile ſodalitium: imò & Moſchus de eadem *Idyl.* 2.

Ὣς εἰποῦσ' ἀνόρουσε, φίλας δ' ἐπεδίζεθ' ἑταίρας, &c.
Sic locuta ſurrexit, & charas quæſiuit ſodales
Æquales, coæuas, animo charas, nobiles
Quibus ſemper colludebat choreas cùm iniret, &c.

Cur autem dicantur filiæ Ieruſalem, dixi in Prolegomenis. Aliæ igitur erant virgines ancillulæ, quas Homerus vtpiutimum, & maximè cùm de Nauſicaa agit, vocat expreſſo nomine ἀμφιπόλους.

Cedar. Iam multa alij hic, & apud Pſalmiſtam cæteroſque Prophetas de Cedarenis, qui inſtar Nomadum vagi habebant in tabernaculis. Ego exiſtimo, inde ad Ieruſalem adduci pro mercimoniis vendendo tabernacula, quæ poſtea ab Hebræorum paſtorum cultioribus (qualis fingitur ſponſus Salomon) intus pictis ferarum pellibus comebantur. moueor, quia bellica tabernacula Regis Salomonis à paſtrice puella adduci in ſimilitudinem, paulo remotius videbatur, quàm pro decoro; paſtoritia verò tabernacula Cedarenorum, vt apud illos erant, aliena planè à vulgaris comparationis, & ad manum, vt par erat, expoſitæ, vſurpatione: ergo Cedarena aſſumuntur, ſed, vt apud Hebræos paſtores, compta quotidie videri poterant.

51. Pelles picta adornatum.

Pelles Salomonis. Non Regis illius, vt dixi, ſed paſtoris noſtri. neque mirum, ſi delicatiſſimus paſtor, qualis hic fingitur, pellibus in tabernaculi comptu vtatur, cùm id temporis id maximè in vſu, etiam in domibus fixis paſtorum, nedum in tabernaculis campeſtribus. Virgil. de Euandro Rege inope, qui paſtoris inſtar degebat, *lib.* 8.

Ingentem Æneam duxit, ſtratiſque locauit
Effultum foliis, & pelle Libyſtidis vrſæ;

Magis mirum, Marcum Imperatorem, cùm puer modeſtiùs degere decreuiſſet, pellibus pro lecto vſum: Capitolinus in eius vita. *Duodecimum annum ingreſſus, habitum Philoſophi ſumpſit, & deinceps tolerantiam cùm ſtuderet, in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, in ſtrato pellibus lectulo accubaret.* adde pelles in hoc loco non impolitas, ſed cultas vſurpandas, quales quandoque legimus auro diſtinctas apud Claudianum & Virgil. Baccho & Æneæ vſurpatas. fauet vox Hebræa יריעות quæ cortinas ſignificat precioſiſſimas de byſſo retorta, *Exod.* 26. *num.* 2. vnde cortinæ pelliceæ ſaltem hic exiſtimandæ. Concludo pro pellium venuſtate defendenda, quibus puella ſe comparat

loco *Iudith* 12. vbi ex Græco addiuit vulgato nostro num. 19. *Accessit eius ancilla, & ante Holophernem humi pelles strauit, quas ad quotidianum vitæ vsum ab Eunucho illo Vagea acceperat: vt in eis recumbens cibum caperet, & ingressa discubuit Iudith.* At quis crederet in domo opulentissimi Principis ambitæ ardenter fœminæ pelles dandas, quæ non essent omni purpureo stragulo pretiosiores? prætereo pelles hyacinthinas & rubricatas, de quibus passim in Exodo fit mentio.

PARAPHRASIS.

Iam ad vos redeo, amicæ virgines, connutritæ sodales, impotentis affectus mei testes, & ardentis suspirij admiratrices, in conspectumque dilecti proci (finitur enim epulum) vobiscum euocabor: nec timeo, etsi de campestri puluere nondum bene excusso nigricans egrediar; aliàs enim, vt nostis, non indecora: sic pastoritia tentoria solita Cedarenorum mercimonia nobis allata; & si puluere nigricent, & crebro respersa flamine de foris sordescant, intus tamen à Salomone meo comptis pictarum ferarum pellibus pulcherrimè insternuntur, adnentitiâ nigredine propriam speciositatem non tollente.

VERS.6. Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me: posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.

Idem verbum, quod suprà nigredini explicandæ ponitur in Hebræo, fusco exponendo colori, hîc recurrit iterum: signatiùs tamen noster interpres cùm videret, credo, diuersas causas fusco & nigro assignandas, vocem pro decoro variasse existimandus; maximè cum שחרה pulueris aliquid, vt dixi, videatur immiscere. non ergo se solùm puluerulentam innuit sponsa, sed cutem etiam paululum Solibus fatetur obfuscatam. quia verò incuriæ poterat verti & negligentiæ, admixto etiam nescio quo auaritiæ dedecore, quòd puella vicina nuptiis pulchritudinem diligentiùs non curaret, relictisque rusticis exercitiis euitato puluere & sole infecturo, venustati non studeret, quasi solùm fouendis opibus inhiaret: præoccupat obiectionem, subdens à fratribus inter iurgia eò impulsam, qui comptus sui negotium officiosum, otio dantes ignauo, inter domestica iurgia, vinearum operis illam præposuerunt. cuius rei euidentem inde facit probationem: quia si quæstui magis, quàm comptui studeret, suam potius quàm fratrum vineas curaret, quod non factum, cùm vineam suam dotis nomine à patre sibi relictam, (fingitur enim puella orba patre, cuius solùm mater in Cantico assignatur) pulchritudini postponendam existimaret. fauent Hebræa, quæ signatiùs addunt, *vineam meam, quæ mihi non custodiui.* hæc pro connexione dicta sunto. singula nunc verba examinanda, quæ egressura iam dixit puella.

52. *Noli facere, blandius dictum.* *Nolite me considerare.* Suauius longè hoc dictum, quàm si diceret, ne consideretis, quod imperiosum aliquid sonare visum: sic Propert. *eleg.* 2. *lib. item* 2.

Hanc vtinam faciem nolit mutare senectus,
Et Sicumaa secula vatis agat.

Vbi Passeratius. *nolit mutare, blandius dictum, quàm ne mutet; vt Tibullus: nec tu Persephones sauior esse velis.* in Scriptura hæc phrasis passim obuia.

53. *Fuscus color.* *Fusca.* Venustè dictum, infectio enim Solis non tam denigrat, quàm infuscat: & *fuscus* color ad cutem aliquid refert dulcius, quàm *niger*: ideo Ouidius suprà Andromadem fuscam dixit, nigram non ausus: *in epist. Saphus.*

Andromade patria fusca colore sua.

Ideo Front. *fusco album opponitur: nigro candidum.* puto, quia album minus candoris, sicut fuscum minus nigredinis participat: vnde nigrum & candidum extremè opposita: fuscum & album media; expressè Festus: *Aquilus color, fuscus: qui albi & nigri particeps.*

54. *Sol decolorans.* *Decolorauit me Sol.* Sic Ælianus de Atalanta pulcherrima puella, sed inter venandum Soles non euitans: *flauus erat color capillorum non cura aliqua muliebri, seu tinctionibus & pharmacis adhibitis effectus.* & concludit: *πεφοίνικτο δὲ καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου αὐτῇ τὸ πρόσωπον. colorabatur verò illi facies à Sole.* Propert. *lib.* 3. *eleg.* 13.

Felix Eois lux funeris vna maritis,
Quos aurora suis rubra colorat Equis.

Apuleius de Philosophia: *nec colorates sole, nec exercitatione solidatos.* Colorari ergo sole est fuscari, quod pulchrius noster coniungit: ideo coloratos Indos Propertij, Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 3. fuscos vocat.

Illi sint comites fusci quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis Equis.

Etiam hîc inficiendi verbum fusci coloris denotat suauitatem, quam aucupatur Statius lib. 5. Syluarum, *syl.* 1.

— Vel Sole infecta Sabino.

quam Horat. *Epod.* 2. ad rem suam vehementiùs exprimendam curauit, dicens:

Sabina qualis, aut perusta Solibus
Pernicis vxor Appuli.

Vulgatus interpres defenditur. Quòd autem noster non *colorare* dixit, sed *decolorare*, adhuc (fremant hæretici) venustius puto. sic Propert. *lib.* 4. *eleg.* 3.

Vstus & Eoa discolor Indus aqua.

Ouid. *Metam.* 4.

— oriens tibi victus ad vsque
Decolor extremo qua cingitur India gange.

Et iterum *lib.* 3. *de arte.*

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Consonat Hebræus fons, & cæteri Græcorum: solùm videntur discrepare LXX. qui vertunt *παρέβλεψέν με*: quod Latinè dicunt aliqui, *despexit me Sol.* Alij cum Ambrosio; *non est intuitus me Sol.* Vidit tamen iam Ghislerius ex Aristotele apud Bud. verbum *παραβλέπω* etiam significare limis & toruis oculis intueri, ac proinde LXX. non dissentire. Ego verò, vt verum fatear, nihil venustius in re amatoria dici potuisse cogitabam. Reduc in memoriam quod suprà ad illud, *recti diligunt te*, de toruia inuidorum oculis disserebam, adde Statium in Epicedio patris, de inuido.

55. *Oculus toruus inuidiæ.* *Tenderet & toruo pietas æquare Maroni.*

Quid ergo pulchrius, quàm si dicat puella quâ excusans, quâ de more iactabundula inuidum solem suæ splendentis pulchritudinis, qua apud omnes pulchra vt luna, electa vt sol habebatur, radios offuscando vultui obarmasse? aliunde verò si *τὸ βλέπειν* explices, non iam de toruis oculis, sed de limis, suauiori epitasi puellæ pulchritudo commendabitur: sunt enim limi oculi tori amatorij, vt infrà secundo cap. pleniùs probabo: *Oculus limus amoris.*

nunc

nunc satis Quintilianus *lib. 11. cap. 3.* vbi oculos oratoris instituens, sic scribit, *Lasciui, & mobiles, vt natantes, & quadam voluptate suffusi, aut limi, &, vt sic dicam, venerei, aut poscentes aliquid, pollicentesue, nonnunquam esse debebunt.* quasi glorietur puella quòd sol amatoris instar suam venustatem demiratus, dum illam limis oculis intuetur, obiter fuscedinem immiserit.

56. *Pugna etiam de iurgiis dicitur.*

Pugnauerunt. Nihil duritiei in hoc verbo, vt iurgia inter fratres domestica excedere videatur. Propert. *lib. 1. eleg. 10.*

Tu caue ne tristi cupias pugnare puellæ,
Néve superba loqui, néve tacere diu.

Et Catullus *in carm. nuptiali.*

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse.

Vulgatum propugnatur.

Diuertam quandoque ad hæc minora, quia vulgatum nostrum impropríetatis insimulantes non cessant vsquam arrodere mutes hæretici, maximè Caluinistæ Grammatici.

Custodem. Probaui fusè in prolegomenis, puellas Hebræas, etsi nobiles, rusticis operibus assuetas: non tamen propterea in hoc loco custodem interpretor vineæ iam maturis fructibus: tum, quia hæ partes puellaribus viribus maiores: tum, quia labor diuturnior, & ad noctes periculosior, quàm tantæ virgini mandaretur; tum denique, quia Chronographia nostra non subsisteret, cùm *cap. 2.* ver appetens, & vineæ adhuc florentes describantur. Explico ergo hanc custodiam de operatum operisque cura quòd à pago simul cum operariis & honesto famulatum comitatu mitteretur vineis fodiendis, et si fortè, amputandis adstiuua, quod virgini sedulæ, &, vt ferebat conditio illius, imò & nostri temporis non indecorum. Sic Nausichaa filia Regis apud Homerum lauandis paternis vestibus assistens, sola cum famulis in remoto ab ædibus flumine apud Vlyssem deprehenditur, quòd si quandoque teneræ viti frondandæ assuesceret, voluptuosæ cuiusdam id esset sedulitatis: sic pater ad Erigonem virginem delicatam apud Nonnum *Dionys. 47.*

57. *Fœminæ nobiles olim rustico inuenta*

Non amplius arbores ornantem tuum tangens ligonem
Frugiferum in hortum deduces aquam amouentem marcores.

Custos autem apud Latinos pro cuiusque rei curatore passim vsurpatur: imò & Hispani Hostales religiosos vsitato iam nomine vocant *Custodios.* sic in sacris *Esther 2. num. 15.* Custos virginum dicitur, qui illarum cultum curabat, & delitias: nec abest Hebræum verbum שמר quod passim pro *obseruare* vsurpatur, qui enim aliquid curat & custodit, omnia circa illud obseruat facienda.

PARAPHRASIS.

Nec vos moueat quòd cutis etiam ipsa offuscetur: candidam sciris, quæ nunc de Solis calore decolor incumbor. Et quidem vertendum mihi vitio fateor, si dum procurantur sponsalia, faciem solito diligentiùs non curarem, si ordinariis rutis attenta exercitiis, auara magis lucro, quàm sedula pulchritudini studerem: verùm ego hoc tempons ea de causa, vineam meam & agros hæreditarios dotis nomine à patre mihi relictos, paululum obliuiscendos existimaui: interim tamen fratres mei, vt sunt duri, tanquam ignaua otia, compeus mei negotia interpretantes inter domestica iurgia, ad vinearum suarum curam compulerunt. nunc ergo egrediamur.

Pintus in Cantica.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. VERS. 7.

Præcedentis numeri verba dixerat sponsa, quando, vt coniectare licet, finito epulo iam iam cum sodalibus erat egressura: vtque ex Dialogo illius cum sponso auguror, fratres, & fortè mater, proco indulgentes aliò diuerterunt, vt illa, tota sodalium custodia stipata liberiùs procum suum alloqueretur: nec id hodie in simili euentu etiam apud nobiles familias indecorum, aut inusitatum, nedum apud pastorum olim simpliciores animos, quibus inter pascendum secreti colloquij ansæ non poterant euitari. Vt ergo erat sponsa tumente mente, & prædictis adhuc affectibus commota, nihil salutationis ab amore sibi paratum inuenit aptius, quàm ipsius cordis affectus, dilectionis testimonium ostentare: aperit ergo vota illius fruendi aspectu & colloquio frequentiùs: & quia pastorum fert consuetudo pascua identidem mutare, rogat vt vbi pascat doceat, vbi meridiet, id est, vbi fixerit tabernaculum, situm captans vmbrosum, vnde Soles pasto pecori arcerentur: subdit deinde causam, cur tam auidè certum locum cognoscere concupisceret, scilicet ne vagetur, & tempus (quod æternitati, illi fruendo, vellit commensuratum) terat: deinde, nedum huc illuc concursat, illum apud pastores inuestigatura, illorum videatur captare blandimenta, vnde ipse fortasse dilectus indebitam aliquam præter ipsius vota combiberet opinionem. *Incipiam* dixit, quasi etiam breues moras, & cœptam vagationem euitaret.

58. *Amantis vota sollicita.*

Indica mihi. Signatum verbum affectuoso & ardenti desiderio: tenuem indicationem satis putat, cætera amori committit peragenda: indicet tantùm dilectus, non aberrabit scopum feruens inquisitio. legit, puto, hunc locum Theocritus *Idyl. 27.* (sicut & alia huius Cantici, quæ passim imitatur) vnde puellam pastori suo sic facit allocutam:

Δεῖξόν μοι σέθεν ἄλσος· ὅπῃ σέθεν ἵσταται αὐλή.
Indica mihi tuum nemus: vbi tuum sit tugurium.

Aut si non didicit, certè sponsæ nostræ expressit desiderium. plura seq. num.

59. *Meretrices olim an velatæ.*

Ne vagari incipiam. In Hebræo est כעטיה à radice quæ etiam significat *tegere, operire*: vnde cùm ex loco Thamar *Genes. 38.* supponant omnes meretrices velato vultu olim incessisse, volunt multi, meretricem hîc ab sponsa denotari, timens ne velut *cooperiens*, id est, velut meretrix haberetur. Adesto huc Thamar, si fortè non tam vultum, quàm vultus tui tegumen reuelamus. locus ita habet Genes. 38. num. 15. *quam cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem, operuerat enim vultum suum ne agnosceretur.* En tibi verba vnde omnes solennem morem deducunt, meretrices apud Hebræos velato vultu quæstui sedisse: sic sacratum, sic humaniorum litteratum passim professores. Imposuit, credo, orbi Tertullianus, qui primus sic locum visus explicate lib. de cultu fœmin. cap 12. *Thamar illa, quæ se pinxerat & ornarat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere: adeò, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente.* Sed certè, quod attinet ad Hebræos, error est, & is, ni fallor, intolerabilis, qui ex loco Thamar

Genes. 38. num. 15. fusè declaratur.

combibitur. illa certè non quòd se velaret, venit in meretricis suspicionem, cum disertis verbis Scriptura priuatam causam subiunxerit velamenti, scilicet ne agnosceretur: ansa ergo suspicionis fuit, quia, vt habetur *num.*8. illa depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum, & mutato habitu sedit in biuio itineris. Nemo autem nescit ex *Ieremiæ* 3. & *Ezechieli* 16. ornatas meretrices viis insidiari solitas, vnde apud Latinos dictæ *semitariæ*, quod etiam *Prou.*7. *num.* 10. allucet: *occurrit illi mulier ornatu meretricio, preparatu ad capiendas animas: garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Vbi τὸ *foris* explico extra pomœrium, per contrapositionem ad vrbis angulos & plateas. & quidem in hac meretricis descriptione, quâ nulla in sacro textu luculentior, etiam apertus vultus apponeretur, si id apud Hebræos in vsu esset. Thamar igitur non de obuelata facie fecit suspicionem, sed de loco, & habitu. Cur autem Iudas non iuberet deponi velum, (cùm aliàs meretrices etiam in cellulis suis spectarentur nudæ ad lucernam, de quo Horat. *lib* 2. *sat* 7.) non dicitur. absque dubio togauit ille, sed muliercula, cui tanti erat occultati, nulla ad id conditione trahi potuisse visa.

60. Venio ad alias nationes: & vt verum fatear, post longam diuersorum rituum lectionem, post omnes ferè huiusce generis auctores (absit dicto superbia) identidem euolutos, nihil vsquam inueni, præter singularem Origenis locum, vnde claré is meretricum mos possit comprobari. Enodemus priùs quæ alij huc afferunt: deinde tela alia à me parata, in me metipsum contorta eludam pariter. In primis pro more hoc, pro suo Tertulliano affert eruditissimus noster Cerda ritum illud Iuuenal. de turpissima Messalina.

Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos,

Et flauo crinem abscondente galero.

Sed in hoc loco, vbi vultum velarum legis? velabat nigros crines comptiori galero, id est, supposititio flauo capillamento, (is enim galerus est, vt pueri norunt ex multis, maximè ex Suetonio, de Othone *cap.* 12. qui etiam galericulum gestabat: quod & ipse Cerda fatetur *Aduers cap.*145.*n.*18.) flauities enim, vt alij notarunt, meretricibus in pretio: imò etsi cucullis velaret vultum, eâdem de causa faceret, qua Thamar, ne vxor Imperatoris in fornice nosceretur. Sed audi prosequentem Cerdam: *Morem hunc attingit S. Ambrosius lib.*2. *de virginibus, verbis istis, quæ ad virginem quamdam dicuntur ore virginis: Sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora, solent erubescere qui lupanar intrauerint.* Quis ita intellectum Ambrosio ferat patienter? loquitur S. Doctor de virgine Christi, quæ vi tyrannorum, vt Christum negaret, ad lupanar adducta, imò adacta fuerat, ad quam religiosus miles, vt pia Tehena illam liberaret, quasi violaturus eam venisset eò, aditum obtinuit: ergo ille ad virginem ita apud Ambros. loco citato. *Ne, quæso, pauesas soror, frater huc veni saluare animam, non perdere: serua me, vt ipsa seruëris. quasi adulter ingressus, si vis martyr regrediar. Vestimenta mutemus, conueniant mihi tua, & mea tibi, sed vtraque Christo: tua vestis me verum militem facit, mea te virginem: bene tu vestieris, ego meliùs exuar, vt me persecutor agnoscat: sume habitum qui abscondat fœminam, trade qui consecret Martyrem: induere chlamydem quæ occultet membra virginis, seruet pudorem: sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora: solent erubescere qui lupanar intrauerint.* En locus non mutilatus. quasi dicat bonus miles: Tege vultum, ne in exitu cognoscaris. neque noua videbitur obuelatio: ferè enim adolescentes qui lupanar ingrediuntur, pudori seruientes pallio se velant, aut aliquo simili. Heus tu mi lector, vbi, quæso, hîc meretricis apparet obuelatio? Eundem sensum habet locus, quem affert Capitolini loquentis de vero. Immeritò certè vterque obtrusus firmando mori velatarum meretricum: *si quem vocat habitum mœchantium*, de meretricio habitu intellexit Cerda, vt debet, aliàs quorsum id ad Tertullianum.

Nunc ad ea, in quæ ipse incidi, Petronius Arb. in Satyr. *Tandem imò fero intellexi me in fornicem esse deductum: execeratus quæ aniculi insidias, operui caput, & per medium lupanar fugiens cœpi in aliam partem*; ex Lampridio in Heliogabalo, explicatur: *fertur vna die ad omnes circi, theatri, & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices: tectus cucullione mulionico ne agnosceretur.* sic aliuş aniculæ fallacia inductus in lupanar pudori seruiens ne agnosceretur tectus aufugit. Sic Lucianus *in Dialogo Charontis*, fingit plorate Philosophum, ἐπ μηκέτι δειπνήσει πολυτελῶς δεῖπνα: μηδὲ νύκτωρ ἐξιὼν, ἅπαντας λανθάνων, τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας περίεισιν ἐν κύκλῳ τὰ χαμαιτυπεῖα: *quia non amplius splendidè cœnaturus, neque nocturno tempore, latens omnes, & cupiti pallio obuoluto, omnia penè lupanaria circumuolitabit.* Pulchre Athenæus *lib.* 8. *cap.*7. de viro sapiente Stratonico vrbem relicturo, ita, *Vbi ex Heraclea exiuit, portas circunspiciebat: interrogante quodam, quid circunspicis? pudet, inquit, ne videar, velut ex lupanari exiuerim.* hunc ergo pudorem prædicti omnes tegere cupiebant: quos omnes adducere posset Cerda, sed nihil amplius illi fauerent, quàm quos attulit, cùm nihil hic pro meretricis vultu obuelato.

Insurgo ergo contra me robustiùs: & videtur vrgere Martialis noto disticho de meretrice.

Hanc volo quæ simplex, quæ pallio latu vagatur:

Hunc volo vel puero, quæ dedit antè meo.

Æquè notum illud Iuuenalis,

—— Dorida nullo

Cultam palliolo.

Sed certè hoc pallium, non vultus erat tegumen, sed capitis & humerorum. Videndus Cerda in addendis ad lib. Pallij Tertull. *num.* 135. qui id fatetur. Potest obijci illud Martialis *lib.* 1.

At meretrix abigit testes veloque seràque,

Raraque Summeni fornice rima patet.

& similia innumera. Sed velum istud non vultui, sed portæ opponebatur: de quo velo, & petaso, & cortina, quæ seruiendo pudori fenestris & ostiis lupanaris apponebantur, eruditas paginas impleuit Faber *in Semest.* Restat adhuc difficilis locus Senecæ, qui de pueris effœminatis Romanorum (verè vocaueris masculas meretrices) ita habet epist. 124. *omnium pædagogia velatu facie vehuntur.* Sed certè capiendus Seneca de cura, qua delicatuli hi pueri, ne sole fuscarentur, aut læderentur flamine, velo faciei admoto, quoquo versum vehebantur, vt hodie puellis nobilibus, imò & viris (pudet dicere) in vsu est dum rusticantur. Certè Gallicæ fœminæ etiam intra vrbem, his vtuntur deliciis. Sed nihil videtur opponi fortius, quàm illud D. Hieron. *epist. de vitando susp. cont.* vbi ita ad virginem suspectam. *& quando in publico quasi per verecundiam operit faciem; lupanarium arte, id solum ostendit, quod ostensum, magis placere*

cere

Hic tamen non aliud legitur, quàm cum prost. quod hodie cernitur in prostibulis, quæ non tam lege cauente, quàm more subdolo, partem vultus tegunt, ne toto facient, vt solùm quidquid in illo pulchrius, ex industria gerunt reuelatum. est hoc illud Poppeæ apud Tacit. Annal. 13. *rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum: vel quia sic decebat.*

Restat examinandus Chrysippus apud Origenem, si fortè etiam corruat hoc testimonium. ergo Origenes in *lib.* 4. contra Celsum, longè post medium. *Est aliud argumentum, quo Celsi opinio de malis refellitur, sumptum è Philosophorum de malis bonisque disputatione: ex historiis docentiam, quòd primùm extra vrbes & personata meretrices prosternebant se libidini prætereuntium: deinde vnà cum pudore deposuerunt personas, foris tamen manserunt arcentibus legibus. postremò disciplina indies deprauatiore intra vrbes penetrare ausæ sunt.* hæc Chrysippus *in libro introductorio de bonis & malis*; vnde licet colligere mala pro tempore augeri & minui. In plurimis miri instar rei meretriciæ vsum, sine qua vix vlla profanorum pagina, vni Chrysippo solummodo patuisse: duoque antiquitatem appellat, quæ maior, quantum est ex se obliuionis, iniuratum & minus fidelem testem nobis obtrudit: antiquitas enim tunc pretiosa, & magni facienda, quando ceteris scriptis, aut fidelibus traditionibus comprobatur. Scio quidem meretrices personatas, non tamen id in pœnam, aut quòd latere curarent, sed in partem deliciarum collocabant. Certè ante Chrysippum fuit Aristophanes, qui *personas* affert, id est, hoc personæ genus, quod à Polluce *lib.* 10. *cap.* 28. inter instrumenta muliebris cultus ponitur: nos *mascarilla*, quòque Gallicas fœminas, vt dixi, modò vsas, nemo nescit. Inde lux Athenæo *dipn.* 13. *cap.* 19. vbi de Nanio antiquissima, & celeberrima meretrice, adducens plusculos, qui meretricum fecere mentionem, de quodam ita. *Mentionem fecit Nany hoc pacto in Tarentinis. Nanium insanit ob Dionysium: vbi velut ebriam eam carpit. Scribit Menander in mentito Herculo. non experiebatur Namam. Antiphanes in libro amicarum: Nanium, inquit, prosceneum vocabatur: quia perurbanâ personâ, vestibusque aureis ac magnificis vtebatur, at spoliata maximè erat deformis.* hæc fortasse & similia longè ante Chrysippum visitata, hominem (si mentiri quidem noluit) impoleruot, vt, cùm sciret, qood vetum est, olim lupanaria extra vrbem, putaret etiam personas, non ad delitias, sed ad pœnam, & ob pudorem vsurpatas. pauca ista: adhuc contra Chrysippum alia machina mouenda. multo ante Chrysippum fluruit Phryne meretrix ominatissima: de hac tamen Athenæus lib. 13. cap. 22. *Erat verò in his quæ non videbantur, Phryne formosa, quare non erat facile eam nudam videre, quia continuò vestem gestabat, neque popularibus balneis vtebatur. Cerealiorum verò congressu, Neptunaliorumque tempore in omnium Græcorum conspectu posita, vestes soluens ac comas, ad mare veniebat. & ab ipsa Apelles Venerem emergentem pinxit: Praxiteles verò statuarius Venerem Gnidiam efformauit.* Mulier sagax, cariùs nuditatem vendebat, cariùs ostendendo. Sed quis non priscorum meretriciam nuditatem propalauit? Eubulus apud Athen. *ibidem cap.* 9.

Scorta Veneris exercitata,
Deinde nuda ordinata commodè.

Et iterum *ibidem* Eubulus.

Clam quisquis vxorem capit, & abscondite,
Qui non vir est viuentium miserrimus?
Quando licèt ad Solem videre propalam,
Deinde nudas, ordinatas commodè.

Priscus etiam alius autor *ibidem.*

——A iuuenibus in vrbe
Indigna nec ferenda fiunt, per Deos:
Quando lupanari est videre in quolibet
Vbi puellæ sunt decentes plurima,
Quarum licet legisse quam quis maluit.
Vbique apricantur: deinde nudas ordinatas commodè,
Tenuem, vel crassam, seu rotundam.

Prætereo Floralium nuditatem, quia recentior. Quid quòd ipsam Venerem meretricum Deam, quia verè meretrix, nudam propterea ostendebant tot annis ante Chrysippum, vt ex Apelle constat & Praxitele nudam Phrynem exprimentes: huc allusit Arnob. lib. 6. *Venus nuda & aperta depingitur, ac si dicas illam publicare ac diuendere meritorij corporis formam.* Clemens Alexand. *in Protrep.* vbi scribens Deos Ethnicos ex ignominiosis formis cognosci, subdit. *Si quis nudam viderit mulierem, auream Venerem intelligit. Sic Pigmaleon ille Cyprius, eburneam amauit statuam: erat ea simulacrum Veneris, & erat nudum, mouetur figura Cyprius, & coit cum imagine.* & quot, quæso, sæculis ante Chrysippum floruit Pigmaleon? innumeris. & tamen tunc nudæ meretrices, imò & meretricum Dea: nisi verò sim ita hebes, vt malim Chrysippo credere, quàm Clementi? parce lector prolixæ notæ: hæc enim omnia fuerunt euoluenda, vt tam inueterata neque vera explicatio de operto vultu Thamar obrueretur, quæ iam in nostrum Canticum ad sponsam opertam obrepebat: & licèt mos foret probabilis apud alias gentes, non tamen Hebræis ob locum Thamar, (quo apertè, vt ostendi, aliud denotatur) obtrudendus, qui *frontem meretricis* pro aperto, effronte, nec pudibundo vsurpabant.

Athenæus explicatus.

61. Meretrices nuda quandoque.

Ego tamen pro hoc sponsæ operimento morem alium iam aperio, qui Hebræis non pro certo, sed de coniectura potest accommodari. Solebant vxores, & absentes vultum operire, quasi tantùm dilectis custodiendum. Sic explico Homerum *lib.* 1. *Odyss. de Penelope*, dum absens Vlyssem suspirat, & in publicum prodit.

Ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.
Ante genas habens formosas vittas.

62. Absentes fœmina operto vultu.

Homero lux.

Quod idem repetit *lib.* 18. & sæpe alibi. Ac si dicat sponsa, ne sim quasi cooperta, & in ipsis sponsalium primordijs absentiæ ferre cogar detrimenta. Quod verò noster Sanchez hîc suspicatur, solere absentes viduas appellari, has verò velatas incessisse, nec tamen probat: id ego firmo ex Plutarcho *in Græcis probl.* de Chalcedoniis. *Composito bello, cùm ea clade ciuitas ad virorum solitudinem propemodum esset redacta, complures mulieres necessitate compulsa, libertis & extraneis nupserunt, nonnulla verò viduitatem talibus nuptiis præponentes, sola agebant, ac si quid opus esset, ad magistratus ac iudices confugientes, alteram oris partem aperiebant.* Velatæ igitur vtrinque efferebantur. Quòd amasius, absentes imitatas, quasi viduitatis habitum gestarent, disco ex eodem in Apophtheg cap. 16 *Consueuerat autem Xenocrita quandocunque domo abesset Aristodemus, velato capite in secretiorem domus partem secedere; talia igitur facientem, adolescentium aliqui ex his, qui simul versabantur, per iocum interrogabant, cur vnam tantopere coleret Aristodemum, vt alios ne colloquio quidem dignaretur.* quanquam hic locus

magis fortasse ad rationem, quam pro Homero attuli, conducit, & ita explicandos.

63. *Vaga meretrix.*

Iam verò, si eum aliis contendas, meretricis suspicionem euitasse sponsam non ex operimento, sed ex vagatione; vagatio enim, vt ex loco Prou. citato constat, nota est meretricis, foueo coniecturam ex Propert. qui vagas puellas posuit pro meretricibus.

Non est illa vagis similis collata puellis.

Et ex Plauto in milite. *Te loquor probri vitiique plena, quæ circum vicinos vagas.* Vnde *vaga Venus* dicitur de scortantibus. Ego tamen, vt vides, locum planè explico, de amatorio affectu, quo tempus vagatione terendum abhorrebat, quod plenum potiundo dilecti conspectui affectabat. Hebræa verò etiam plana, verbum enim עטה frequentissimè significat diuertere, declinare. quod verò etiam LXX. dicunt *περιβαλλομένη circumducta*, huc videtur facere, ni fallor: id est, huc ac illac ducta. fatent tamen etiam *περιβάλλω* æquiuocum esse, & operimentum, sicut Hebræum verbum, denotare: facilè tamen me expedio ab vtroque si sumam de palliolo pastoritio. de quo Ieremias 43. 12. *Sicut amicitur pastor pallio suo.* Vel de vsu Hebræarum fœminarum, de quibus signatè Tertul. de Corona mil. cap. 4. *apud Hebræos tam solemne est fœminis, eorum velamen capitis, vt inde noscantur.* quasi dicat sponsa idipsum, quod in vulgata explico quia dum vagaretur, aut de vsu pastricis palliolo tegenda, aut de more fœminarum capite velanda. Sed iam ad Paraphrasim.

PARAPHRASIS.

Quando sic mihi fausta illuxit dies, vt te domus nostra apertum nuptiarum mearum exciperet petitorem, meum est, vt te priùs compellem salutatura: interim igitur dum beneuola mater, fratresque quasi aliud acturi recesserunt, vt liberiùs inter coæuas sodales tecum loquerer, non vanis, ô dilectissime, immorabor: iam inde te semper præsente frui vnica, vota mihi: age dum, indica, sis, vbi soleas pascere, vbi meridiare, & solstitium pasto pecori defendere, ne vaga in tui inquisitionem tempus teram, dumque erro aliorum pastorum captare videar blandimenta.

VERS. 8. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.

Affectuosæ puellæ interrogationi, poterat sponsus noto in pagis situ designato per se ipsum satisfacere, maluit tamen hædulos suos illi duces destinare, vt dum ab illis se nosceret ducendam, conciperet obiter quo instinctu id hæduli peracturi: eò enim solent greges rectà ire, vbi curati diligentiùs, vbi sale inescati consueruut, quasi obsequij à se præstiti sponsam commoneret, cuius ille hædos frequenter in eiusdem gratiam & saginabat vberiùs, & sale ad tabernaculum suum saturabat, cùm fortè eius opiliones eà transirent. quòd si fortè abesset, securam apud pastores socios posse expectare innuit, quasi de eius pudore certus nullam opinionem sinistram concepturus.

64. *Si nescis quæ formula.*

Si ignoras te. Istud *te* paragogicum esse & additiuum, doctiores, & meritò, adnotarunt. porrò his verbis, non putarem de ignorantia situs à puella tam auidè requisiti dubitari; quorsum enim conditionalis particula *si* apponeretur tam manifestè ignorantiæ professioni, nisi perperam diximus sponsum simulatum aliquid in sponsæ interrogatione subnotasse? cadit ergo *τὸ si ignoras*, in illa, quæ de hædulorum ductu ipse apposuit: idque emphaticè, & cum decora epitasi, ita vt formula illa Latina & ordinaria exprimi videatur, *si nescis*: quæ non tam ignorantiam supponunt, quàm insinuationem affectant alicuius rei, quam cupiunt, semper præsentem retineri, nec per incuriam mandari obliuioni. Ouidius *in Epist. Helenæ,*

——& nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.

Idem *in Epist. Leandri,*

In me si nescis Borea, non æquora sæuis.

Propert. *lib. 2. eleg. 15.* adhæc notauit eius interpretes,

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Vnde Donatus ad Terent. in Andria act. 4. *Si nescis, plerumque dicimus ei, quem non redarguere volumus imperitiæ, sed quem facere volumus, vt velit libenter.* Ad mentem Donati passim in sacris hæc formula. Isai. 40. 28. *Nunquid nescis, aut non audisti.* 1. Cor. 1. 3. *Nescitis, quia templum Dei*, &c. Genes. 44. 15. *An ignoratis quòd non sit similis mei inaugurandi scientia?* & millies alibi in vtroque Testamento. Hoc ergo vult sponsus, vt repetat puella notitiam quam habebat curæ, qua ille capellas suas curaret, vt inde coniectaret illarum ductu posse inueniri dilectum.

65. *Quàm fœminæ gaudeant laudata pulchritudine.*

Pulcherrima inter mulieres. Signatissimum afficiendo adhuc magis puellæ animo blandimentum. Nonnus *Dionys.* 42. vbi monetur procus de captanda puella Beroë.

Admiratione quidem dolosa auream respice puellam,
Pulchritudinem laudans, quòd tanta non consecuta
sit Iuno, &c.
Et Charites voca deteriores: ambarum verò
Reprehensionem dic & Diana & Minerua:
Et Beroem dic lucidiorem Venere.
Puella verò iuuens tuam fallacem querelam,
Laude gauisa magis stat; non vult enim
Diuitias totas aureas, quantum rosea de forma
Audire, quòd pulchritudo eius superat coæuas
puellas.

Ælianus *lib. 7. cap. 1.* de Semiramide, *ὡραιοτάτη δὲ ἔφυ τῶν γυναικῶν· εἰ καὶ ἀφελέστερον ἐχρῆτο τῷ κάλλει: pulcherrima erat inter mulieres, etsi negligentiùs formam curare solita.* Idem *lib. 12. cap. 1.* de Aspasia. *ἦν δὲ Ἀσπασία καλλίστη τῶν καθ' ἑαυτὴν παρθένων: Aspasia verò pulcherrima inter coæuas virgines erat.* inuidum enim magis in hoc genere fœmineum genus, nulla se magis, quàm de superatis aliis delectatur.

66. *Bruta benefices adeunt.*

Post vestigia gregum. Solent enim bruta ad eos diuertere, a quibus fouentur, nec vnquam inde vellent separari. ideo Catullus de Passerculo Lesbiæ.

Passer mortuus est meæ puellæ,
Quem plus oculis suis amabat:
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quàm puella matrem,
Nec se gremio illius amouebat,
Sed circum siliens, &c.

Caprarum solertia.

De canibus & similibus animalibus, res euidens: de capellis, & hædolis (qui signatius propterea, quàm agni in hoc loco adducuntur) idem coniectare licet ab eorum ingenio, de quibus Virgil. *Georg. 3.*

Pascun

Paſcuntur verò ſiluas, & ſumma Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipſæ memores redeunt, in tecta ſuoſque
Ducunt.

Vbi multi τὸ ſuos de paſtoribus capiunt, quibus prudentes capræ duces quandoque ſe præbent. Vide Cerdam. quæ explicatio optimè in locum noſtrum quadrat, vbi hædi non à puella ducendi, ſed ipſam ducturi deſcribuntur. De caprarum inſtinctu multa ibi vir doctiſſimus ex multis: inter quæ illa Græca, πλείονα τῶν ἄλλων ἀλόγων ζώων ἔχει τῶν αἰσθήσεων. *plus ſenſus habet capra, quàm cætera bruta animalia.* Eſt ergo in hoc loco abire poſt veſtigia gregum, gradientes hædos ſequi. lege, ſi vacat, hiſtoriam Carani, quem capræ duxerunt, apud Iuſtinum *lib.* 7.

67. *Virgines olim paſtrices.*

Paſce hædos tuos. qui nimirum è toto grege præcipuè puellæ commendati, quia molliculi, quia curæ facilioris. Solere verò id temporis virgines greges cuſtodire, ex Rachel & filiabus Iethro, iam alij: nec id Hebræis inſolitum dixi *in Prolegomenis.* Sic etiam apud Homerum *Odyſſ.* 12. vbi de vitulis candidis.

—— Θεαὶ δ' ἐπὶ ποιμένες εἰσὶν
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, Φαέθουσά τε, Λαμπετίη τε,
Ἃς τέκεν ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.
—— *Deæ autem paſtrices ſunt*
Nymphæ pulchricomæ Phaëtuſaque Lampatieque,
Quas peperit ſoli Hyperioni Diua Neæra.

Nonnus *Dionyſ.* 47. ad puellam.

Σὸν ἀγελὴν βόσκουσα σὺν ἀγραύλῳ παρακοίτῃ.
Tuum gregem paſcens cum paſtore coniuge.

Pſalm. 44. num. 15. explicatur.

Vnde obiter illucidatur illud Pſalm. 44. num. 15. *Proximæ eius afferentur tibi.* ex Hebræo legunt aliqui, *Paſtrices eius.* quales, credo, puellas illas ancillulas, de quibus ſuprà.

68. *Faciles enim amando fœminæ.*

Iuxta tabernacula paſtorum. Cupiebat columba noſtra certum ſibi dilecti nidulum inuenire, ne ſi mutaret manſiones, etiam amotum mutatrix videretur. Adhæc paſtor liberam facit mutandi optionem, ſecutus ſcilicet de animo conſtanti, de pudore tanto, nimirum non timebat, id quod Theocritus *Idyl.* 29. obiicit puellæ facili, vbi ita.

Ποίησαι καλιὰν μίαν ἐν ἑνὶ δένδρει, &c.
Fac tibi nidum vnum, in vna arbore,
Quo nullum accedat ſæuum reptile:
Nunc verò hodie alium tenes ramum,
Cras alium: & alium poſt aliam requiris.
Et quidem ſi quis pulchritudinem tuam laudet,
Hunc ſtatim amas, &c.

Et quidem prudenter ſe extra omnem zelotypiæ affectum oſtendit paſtor noſter, ſecuriores enim inde ſibi puellæ ſuæ reddit affectus: ſolent enim quandoque fœminæ incauta amaſiorum zelotypia, in nunquam priùs cogitata flagitia prorumpere. Inde verò laudabilior ille, quia illam pulcherrimam confeſſus, nulla tamen ſuſpicione prauа ſe oſtendit affectum: raro enim abeſt leuitas à pulchritudine. Ouid. *amor* 3. *eleg.* 4.

Pudicitia periculum à pulchritudine.

Quid formoſa tibi, ſi non niſi caſta placebat?
Non poſſunt vllis iſta coire modis.

Propertius *lib.* 2.

Formoſis leuitas ſemper amica fuit.

Sed id quidem de ſua puella nouerat Salomon noſter, quod de Atalanta virgine prodidit Ælianus *lib.* 1. *cap.* 15. Δύο δὲ εἶχεν ἀκαταπληκτικά (lego, ἐκπληκτικά) κάλλος ἄμαχον, καὶ σὺν τούτῳ καὶ ἐκπλῆξαι ἐδύνατο: *duo ſimul mirabilia coniungebat, inſuperabilem ſcilicet, pulchritudinem, & quod hac ipsâ terrorem ſpectatoribus poterat incutere.* Deinde pulchriùs ſubdit: οὐδὲ εἷς αὐτὴν ἐραστὴς ἀνεφύη ῥᾳθυμὸς ἀνθρώπος: ἀλλ' οὐδὲ αὖ ἐτόλμησεν ἀντιβλέπειν τὴν ἀρχήν: τοσαύτη γὰρ τῆς ὥρας κατέλαμπεν ἡ αἴγλη τοὺς ὁρῶντας: *Sic nullus laſciuè ſocors illam intuens poterat concupiſcere, imò nec vllo modo ex aduerſo audebat intueri: tantus erat ſplendor eius pulchritudinis, qui intuentium oculos perſtringebat.* Simile verò aliquid in ſponſa ſua fuiſſe paſtor indicat, quod grauiſſima comparatione in ſeq. num. iam illuſtrat: ſed prius huius paraphraſis apponenda.

PARAPHRASIS.

Quid iſta quæris, ô fœminarum pulcherrima, cùm tu te poſſis tabernaculum meum inuenire? hædulorum tuorum, ſi neſcis, expedit ſequi veſtigia: ipſi quibus ego notiſſimus, quoſque in tui gratiam, dum à paſtricibus tuis adducuntur, apud me foueo, te mihi adducent. quod ſi fortè abſim, iuxta paſtorum tabernacula, paſce ſecura: neque aliquid indecens ſuſpicabor de fide tanta certus, de tanti pudoris pulchra ſtrenuitate ſecurus.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. VERS. 9.

En tibi iam cauſam ſecuritatis ſponſi, quòd licèt ipſam pulcherrimam ſuſpiceret, tamen ſtrenuam ipſius pulchritudinem & in contra ſtabilem percallebat, id amœniſſima æquè illuſtrat comparatione, quæ & pulcherrima pariter, & ſtrenuiſſima. Comparationis decorem ad amuſſim, ni fallor, expreſſum, iam examino.

69. *Equa cæditio.*

Equitatui. In Hebræo habetur hîc לסוסתי, & LXX. τῇ ἵππῳ. Vtraque vox & equam fœminam ſonat, & equitatum: vnde vtplurimum ſic & Hebræa & LXX. lectio verti ſolet, *Equa mea*: noſter verò, vt puto, equitatum maluit, quia equæ alligatæ curribus (vt in loco) equitatus nomine pleniùs explicantur. Equæ igitur comparati ſponſam credo certiſſimum. probat id Legionenſis non indecorum ex Horatio (quem ad rem meam ſtatim premam) qui de puella pulchra.

Quæ velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi.

Adde & Theocritum, qui à multis innuitur, nec adducitur is hoc reſpiciens (vt ſæpe noto) ita de Helena *Idyl.* 18.

Ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.
Aut in horto cupreſſus, aut in curru theſſala equa.

Vocem autem æquiuocam, maſculum, aut fœminam ſignificantes, hic omnes interpretes de equa intellexerunt. Cur ergo ab Spiritu ſancto æqua in hoc loco in comparationem non aſſumatur, quæ etiam profanis exemplar pulchritudinis? Atqui, inquiunt, in ſacro textu ſæpe equa ob inexplebilem libidinem beſtiæ, in malam partem vſurpatur, vnde indecenter puellæ caſtiſſimæ exemplar adueniret. Non iſtud ſatis. quaſi verò vna eademque res in ſacris litteris nunc in bonam, nunc in malam partem, pro diuerſis quas habet conditiones, non veniat vſurpata: & equa quæ de libidine luxuriam non poſſit de forma pulchritudinem denotare? Eia ergo non vſurpet Spiritus ſanctus leonis generoſitatem Chriſto exprimendo, quia illius ſæuitiem dæmoni referendo vſurpat: non dicantur Apoſtoli de cuſtodia canes, quia petulantes peccatores de laſciuia canes appellantur: imò non dicatur ſponſa de pudore columba, quia de vecordia Ephraim etiam columba

70. *In ſacris eadem res ſecundùm diuerſas conditiones, diuerſa notat.*

71. *Equa pulchra & pudica.*

lumba seducta nominatur. res clara. Quid quòd etiam Horatius non solam pulchritudinem ab equæ comparatione aucupatur, sed etiam, quod mireris, castum pudorem? pende verba, quæ quia non è re sua, præteriit Legionensis, & mihi tota fauent, *lib.3. Oda 11.*

Dic modos Lyde, quibus obstinatas
Applicet aures.
Quæ velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proteruo
Cruda marito.

Pende ly *metuit*. quod si sapis, est fetuidè euitat, sicut illud de stellis polaribus omnes explicant, *metuentes æquore tingi*. & alia passim. Cur simile aliquid noluerit hîc Salomon? & tamen plura addit, vt illam fortem, strenuam, vt suprà vidisti de Atalanta: non mollem, non imbellem significaret: ita,

72. *Equa quadrigæ ludorum, imò bellorum apta.*

In curribus Pharaonis. Quadrigas Ægyptias intelligit, non tamen illas, quæ vtplurimum ab Ægypto emebantur, vt constat ex 3. *Reg.*10. *n.*29. sed illarum aliquas, quas tanquam patrium munus ipse Pharao Salomoni Regi genero suo forsitan mittebat: vnde aliquas Salomon sponsus, qui vir ditissimus, etsi pastor, maximè tempore nuptiis proximo, diligenter conquisierat, & aut pretio redemerat, aut fauore. Restat ergo mihi probandum, an æqua quadrigarum vsui commendetur: ego non solùm festiuis quadrigis, sed etiam bellicis aptas noui. Horat. *lib.2. Oda* 16. de primis ad diuitem,

Te greges centum, Siculæque centum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.

De secundis Homerus *Iliad.* 16. vbi graphicè comparantur ὠκεῖαι ἵπποι, *veloces equæ*, Hectoris currui alligatæ, turbini, & procellæ, & inundationi fluuiorum sata destruenti. licèt enim vox æquiuoca ἵπποι, ex adiectiuo pariter æquiuoco, equos aut equas videatur posse significare: tamen ipse se explicat, finita comparatione, expresso alio adiectiuo fœminino.

Ὣς ἵπποι Τρῳαὶ μεγάλα στενάχοντο θέουσαι.
Sic equæ Troianæ valde ingemiscebant currentes.

Quid? etiam ad pacis certamina ad circi ludos, equarum quadrigæ maximè expetitæ: idem Homerus *Iliad.* 23. descriptis aliis equis curulibus, subdit iam de equabus.

——— Αἱ δὲ τοῦ αὐτοῦ
ἔβλαβεν ἐν πεδίῳ, αἵ καὶ γε φέρτεραι ἦσαν,
ἦτοι γὰρ τὰς πρῶτα ἴδον περὶ τέρμα βαλούσας.
——— *Hæ fortè illic*
Læsa sunt in campo, quæ modò præstantiores erant,
Certè enim has primum videram ad metam actas.

Quotics autem victrices equæ Cimonis, quæ propterea ex ære Athenis dicatæ? Do Ælianum *lib.9. cap.*32. Καὶ αἱ Κίμωνος δὲ ἵπποι χαλκαῖ καὶ αὗται Ἀθήνησιν, εἰκασθεῖσαι ὅτι μάλιστα ταῖς Κίμωνος ἵπποις εἱστήκεσαν. *Cimonis item equæ æreæ, ad equarum illius similitudinem prorsus expressæ Athenis extiterunt.* Quæ pulchrior similitudo sumi poterat ad explicandam puellam pulchram, nec effœminatam, quàm ab equa formosa pariter & strenua? certè ad nouam explicationem, quam in totum hoc Canticum, & singulos eius versiculos, adduco, vt vides, nihil congruentius pro noua & deducta connexione poterat venire.

73. *Amica nomē honestum.*

Amica mea. Procul hinc, procul este profani: absit lasciuorum porcorum grex hæreticus, si ex hac voce aliquid minus castum blasphement. Amicæ nomen pudicum olim, postea scortis etiam, vt sub pudico velo lateret infamia, attributum. Audiant Myrtilum apud Athenæum dipnos. 13. cap. 10. *Ego profectò viri conuiuæ, non amicas saltatrices vobis exposui, &c. sed amicarum verarum rationem habeo, earum scilicet, quæ synceram minimèque fucatam amicitiam seruare possunt: quas Cynulcus non audet reprehendere, solumque inter mulieres amicitiæ nomine sunt appellandæ, vel ex Venere, quæ apud Athenienses amica nuncupatur, de qua scribit Apollodorus hoc pacto in libro Deorum: Amicam Venerem, quæ amicos & amicas in vnum cogit, hoc est, domesticas: nam & liberæ mulieres & virgines his etiam temporibus familiares & domesticas, amicas vocant, velut Sappho: nunc verò rectè iocunda meis amicis concinam, & iterum Latona & Niobe valde gratæ erant amicæ. Appellant amicas & merentes fœminas, ac quæstum facere in coitu, mereri: non ad proprietatem quidem ampliùs iam respicientes, sed ad honestum dictionis vsum.* pende vltima verba. Adde Anaxilam *ibidem.*

Sortitur amica nomen ex amicitia:
At non vt ipse nunc refers scorti mali.

Antiphanes *in Hydria, ibidem*, nescio de qua,

Mores habebat aureos, virtutibus
Idoneos, veraque amica: cætero
Vel nomen ipsum fefellerunt moribus,
Cùm sit bonum verè.

Explica hinc illud Prou.7. num. 4. *& prudentiam voca amicam tuam.* & similia quæ passim occurrunt. Porrò vox Hebræa רעיתי mihi emphatica in hoc loco, est enim à radice רעה quæ pascere & pastoritiam vitam exercere millies in Scriptura significat, inde רעה pastor. quasi eadem voce amica & signatè pastrix puella appelletur.

Prouerb. 7. num. 4. explicatur.

PARAPHRASIS.

Neque mirum. quæ enim equæ meæ formosæ de pulchritudine mihi assimilaris, eiusdem etiam bellicos & generosos spiritus, dum currui alligarit, repræsentas, generosam, nec tangendam pastoribus (si quis procax) exhibens pudicitiam.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. VERS. 10.

74. *Virgini innatus pudor, maximè ad sponsi conspectum, & is pulcher.*

Nihil notius quàm solere virgines siue ad sponsi, siue ad proci conspectum nouo pudore accensas rubefieri: Ouidius,

Quale coloratum Titonis coniuge cælum
Sic rubet, aut sponso visa puella nouo.

Tibul. *lib.3. eleg.4.*

Vt iuueni primo virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

Claud. *in nuptiis Honorij Oda 4.*

Iam nupta trepidas solicitus pudor,
Iam produnt lachrimas flammea simplices.

Magis ad rem nostram Statius *lib.1. syl.2.* de Lauinia apud Turnum, nedum maritum, sed procum.

Statius correctus.

Non talis niueos strinxit Lauinia vultus,
Cùm Turno spectante rubet.

Ego olim pro *strinxit*, legebam *tinxit*. pergo, hic pudor, hic contractus rubor pudicitiæ castæ, & probitatis signum est manifestum. Pulchrè Claudianus de Virgine *lib.1. de raptu Proserp.*

——— *& niueos infecit purpura vultus*
Per liquidas succensa genas, castique pudoris
Illuxere faces.

Statius

Statius loco citato, de puella noua nupta.

Ipſa manus aptam genitrix Ænoia diuis
Lumine demiſſam, & dulci probitate rubentem.

Pulcherrimè Ælianus de Aſpaſia virgine modeſtiſſima inter petulantes alias Syro adducta, deſcripta harum leuitate, de hac ita. *Aſpaſia verò in humanos oculos deiicere ignito quodam, & perquam eleganti rubore vniuerſa facies ſuffundi, omnibus denique geſtibus verecundiam quamdam repræſentare.* & quæ ſequuntur lib. 12. cap. 1. Puto igitur puellam Sulamitidem talem in hoc loco deſcribi: quæ cùm in aperti proci conſpectum adduceretur, & magis eùm ab eodem affectuosè laudaretur, ſubrubuit pudibunda neceſſariò: vnde ille, qui totus in pudicitiæ eius laudibus, vt vidimus, occupabatur, arrepta occaſione, quaſi ad oculum verbis ſuis fidem facturus, eiuſdem pudore ſuffuſas genas commendat, quas proinde turturi auiculæ pudibundæ, ſimplici, & modeſtæ putauit aſſimilandas. Nec obſtat quòd pulchras magis, quàm pudibundas dixerit, hoc enim pudibundo rubore nihil etiam venuſtius: ideo Statius ſuprà *dulcem* appellauit, Ælianus *perquam elegantem*: vnde iterum *lib. 13. cap. 1.* de Virgine Atalanta: *τί δ' ἄν τις ὡραῖον γένοιτο ἄνθος, ὥσπερ καλὸν τὸ πρόσωπον αἰδοῖ ἐπανθοῦσης παρθένου: Ecquis enim flos alius vernat pulchrius, quàm vultus virginis ad pudoris verecundiam inſtitutus.*

75. *Turtur è genere columbino.*

Sicut turturis. Eodem ferè modo LXX. niſi quòd clariùs mentem meam exprimere videntur: *Quàm pulchræ factæ ſunt genæ tuæ tanquam turturis.* quaſi ex conſpectu, ex colloquio noua ruboris venuſtas adderetur. Hebræa, vt nunc eduntur, per *beth*, paulo aliter: correctiſſima olim per *caph* habebant. eodem ſenſu quo vulgata noſtra, notarunt vim doctiores, non autem in hoc loco purpurantes ſponſæ genæ, genis turturis videntur comparatæ, cùm turturis non rubeſcat facies. ſed rubor caſtus, caſtæ apud vtramque paginam auiculæ confertur. Sed vis audacius aliquid profetam? attende. Sanchez *in hoc loco*, & in paraphraſi, & in Commentario ad ſuam *Pſalm.* 67. argenteam columbam de more recurrens, turturem pro columba ſupponit vſurpari: ſupponit, inquam, quia nec verbo rem inauditam probandam curauit, inductus, vt videtur, communi opinione, quæ turtures de genere facit columbino, quod dictum credo, quia vtraque pudica, vtraque torquata, vtraque gemitibus aſſueta. hinc Ælianus *lib. 1. var hiſt. cap.* 15. quaſi nouum viſus mirari Callimachi dictum, dum poſt multa de columbis, ſubdit: *quòd ſi Callimacho fides adhibenda, Palumbus, Pyrallis, columba, turtur, nihil inter ſe habent ſimilitudinis.* quaſi contraria fides certior, vt communior, quæ turtures columbis vult annexas. Si ergo aliquis in loco de ſimilitudine turturem pro columba ſumere deglutierit, (quod mihi non penitus improbabile iudicatur) iam in integrum comparatio recurret: metaphoricè enim roſtrum

76. *Columba genæ.*

columbinum genæ appellabuntur, cui purpuraſcenti, rubor genarum ſponſæ comparabitur. Propert. *lib. 3. eleg. 4.*

Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tingunt Gorgonio punica roſtra lacu

Vbi bonus interpres: *Punica roſtra ſubrubentia, & accedentia ad florem punici mali.* Dices cum Sanchez ex Plinio, *genas* de ſolo homine dici, non de auibus: id tamen per metaphoram fieri non poſſe, nego. docuit me Ouidius *Amor. 1. eleg 6.*

Pſittacus Eois ales mihi miſſus ab Indis
Occidit, exequias ferte frequenter aues.
Ite piæ volucres, & plangite pectora pennis,
Et rigido teneras vngue notate genas.

At in Cantico remotiùs, fateor, duro roſtrum, genarum nomine appellatur. ſed hanc meam coniecturam alius foueat.

Sicut monilia. Optimè ad hunc locum Delrius ita: *Torquatum illud turturis collum manu ducebat ad hanc comparationem monilium.* & quidem meritò, ſolemus enim propterea vulgò etiam palumbum *torquatum* appellare: vt Martial. lib. 14. ep. 67. *torquati palumbi*; pulchrum enim & naturalem torquem de colorum varietate columbæ oſtentant ad collum. Propert *lib. 4. eleg. 5.*

77. *Columba torquata.*

Sed cape torquatæ Venus ò regina columbæ,
Ob meritum ante tuos guttura ſecta focos.

Apuleius *lib. 6 Metam.* ex vera correctione Paſſeratij hîc: *Procedunt quatuor columbæ, & hilaris ingreſſibus, picta colla torquatæ ſubeunt.* idem 1. florid. de Pſittaco: *enim verò ceruicula eius circulo minio velut aurea torqui pari fulgoris circum amictu cingitur, & coronatur.* Torquati columbarum colli velut gemmas deſcribit Philo lib. de temul. *Vidiſti aliquando columbæ ceruicem radiis Solis expoſitam, quàm multis modis colores variet, puniceum, cæruleum, igneum, & carbunculi ſpeciem referentem, pallidum item & rubicundum, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidem memorare ſit facile.* Quot colores hîc legis, tot gemmas torquis cape. Iam verò formam turturis ſi quis, vt ego in pluſculis feci, examinet, non nihil in collo columbinæ amœnitatis, licèt imparis varietatis & elegantiæ, ſubnotabit flauo puniceóque colore languidè permixto: adde ceruicis latera graphicè picturata, & candidis nigriſque plumulis miro ordine variegata. Bene ergo ſponſus cùm pudici turturis faceret mentionem, aut columbæ, ſponſæ collum pulcherrimum obiter contemplatus, quòd etiam ſine torquibus venuſtaretur, in hoc prorupit encomium, vt ſicut auiculæ naturam ipſam ita venuſtantur, vt viuis gemmis appareant torquatæ; ſic ſponſa innatâ elegantiâ tanquam omnibus monilibus fulgeret ad collum. Innuit hoc Bernardus *ad hunc locum*, de quo latè Ghiſlerius, nunquam tamen auiculæ proportione ſubnotata: quæ tamen, vt vidit Delrius, manuduxit ſponſum: mihique mirum ipſum Delrium ad artefacta monilia omnino recurrendum putare, cùm amœnius longè innata puellaris colli venuſtas, natiuo columbæ torqui compararetur; ſed ille mouetur ex iis, quæ *ſeq. num.* habentur: quæ tamen quàm aptè meo filo inſerantur, iam dicam, ſi capis priùs hiſtoriolam, quam refert Ælianus *lib. 12 cap. 1.* de monili, quod allatum Cyro pretioſiſſimum, Aſpaſiæ ſuæ dicatur. *Cyrus educens ex ciſta monile, illudque Aſpaſiæ oſtendens, ſubdidit: An non tibi dignum videtur regia vel matris, vel filiæ? Aſpaſia verò annuente: Atqui, inquit, Cyrus, en illud tibi trado: tu interim eodem ornatu mihi collum exhibueris. tunc Aſpaſia egregios ſpiritus magnitudini doni non ſubmittens, prudentiſſiméque pro liberali ſua inſtitutione reſpondens: Et quomodo, inquit, auſim Paryſatidis parentis tuæ condignum donum tibi retinere? ergo illud matri mittas mi Cyre: ἐγὼ δὲ σοι καὶ ἄνευ τούτου παρέξω καλὸν τὸν τράχηλον. ego verò etiam ſine huiuſmodi monili pulchrum tibi collum exhibeo.* hoc quod ſibi aſſumit Aſpaſia, puellæ ſuæ attribuit noſter paſtor. nectenda ergo ſic verba cum ſuperioribus in paraphraſi.

78. *Pulchritudo etiam incompta placet.*

PARA

PARAPHRASIS.

Et quidem allucet ista in genis tuis pulcherrimis, quas, vel quòd in conspectum nostrum adduceris: vel quòd veras ab hoc pectore laudes audis, turturis pudicitiam exhibens, pudibundo colore infecisti. & quàm grata mihi turturis, aut columbæ incidit comparatio? vt enim ista ad collum torquata conspicitur, & vario lucis fulgore quasi pretiosis monilibus redimitur: sic collum istud tuum, innata pulchritudine, nec admisso gemmarum splendore, tanquam optimis torquibus coronatur.

VERS. II. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

79. *Serpentes pro torquibus.*

Apud antiquos, monilia torquesque aliquos vocari serpentes, vel quòd ad formam serpentium efformati, vel quòd illorum instar circumuoluti, passim legitur: præter ea, quæ huc affert Sanchez, vide quæ Cerda ad satietatem affert ad Tertull. *lib.* 15. *num.* 181. ego denuo in plusculos incidi, do vnum, aut alium. Euripides *in Ione:*

Δράκοντες ἀρχαῖον τι παγχρύσου γένυ
Δίραια παιδὶ νεογόνῳ.
Serpentes antiquum opus aureis genis
Monilia puero recèns nato.

Lucianus *in Amorib.* carpens cultum immodicum fœminarum, ita, *ἢ τοὺς δράκοντας περὶ καρποῖς, ἢ βραχίοσι, ὡς ὤφελον ὄντως ἀντὶ χρυσοῦ δράκοντες εἶεν: quid referam illos dracones, manus brachiaque circumeuntes: qui vtinam pro auro serpentes essent.* Sic & Latini, qui etiam murenulas dixerunt, quia murena putus putus serpens aquatilis: cùm ergo in hoc loco Hebræa habeant תורים turturellas aureas, quæ absque dubio genarum collique sunt ornamenta, meritissimò noster, licèt generico, notiori tamen vocabulo transtulit *murenulas*, non tam negans expressos ab auro turtures, quàm explicans illorum vsum ad monilia. Facilis ergo & deducta connexio huius versiculi cum superiori, vt rectè vnus notauit Ghislerius: cùm enim genæ collumque sponsæ turturi comparentur, proportionatum donum turturis aurei illi offertur.

80. *Sacrificia de similitudine placebant.*

Sed quorsum istud? vt in illis membris, inquit, quibus adeò oblectabatur sponsus, magis ac magis exornaretur. Mihi altiùs res visa tendere: quam vt explicem aduerte. Solebant prisci per similitudinem sacrificia Diis suis offerre, quasi non tam vilia terræ munera, quàm proportio & similitudo alicuius diuinæ dotis, caperet cælestes. Ideo Baccho (ni fallor) dicandi crines pascebantur, quia de aurea cæsarie gloriosus: ideo eidem sacra hædera, quæ viret semper. quia Bacchus de virenti semper iuuenta iactabundus. hæc mihi cogitata ni placeant, cape expresse Seruium ad Virgil. 2. Georg. *Victima numinibus per similitudinem, aut contrarietatem immolantur: per similitudinem, vt nigrum pecus Plutoni*, Deo scilicet apud inferos caliginoso. Vnde Virgil. de Ænea sacrificante,

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Seruius iterum de eadem re. *Hostia immolantur pro qualitate numinum, nigra pecus hyemi, Zephyris alba.* Sic Æsculapio medicinæ Principi, gallus, aut serpens indices vigilantiæ, quia Medicus vigilet necesse est. Sic Cereri de aratro sibi inuento gloriabundæ non ob contrarietatem (vt putat Ouid. *Fast.* 2.) sed ob similitudinem dicari porcam, multi existimant: quod de rostro suillo, aratri similitudo arandæ vertendæque terræ primitus sumetur. Hæc etiam in amicis pro amicorum muneribus expressa ratio, latente, credo, diuinitatis palpatione. Pulcher locus Statij *lib.* 1. *Syl.* 4. dicanti carmina Rutilio viro doctissimo.

Quare age, si Cereri sua dona, merumque Lyæo
Reddimus, & diues præda, tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo, captiuaque tela
Belli potens: nec tu quando tibi Gallice maius
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas:
Sperne coli tenuiore lyra.

81. *Amantium dona de similitudine grattiora. Florilegium explicatur.*

In amatoribus res clarior, qui semper amasias diuinitate qua possunt afficiendas curant. Explica hinc Epigramma 96. ex lib. 7. florilegij quod ad rem aliam suprà dedi, vbi quidam ad amores suos.

Πέμπω σοι μύρον ἡδὺ, μύρῳ τὸ μύρον θεραπεύων
Ὡς Βρομίῳ σπένδων νᾶμα τὸ τοῦ Βρομίου.
Mitto tibi vnguentum suaue, vnguento vnguentum colens:
Sic vt is qui Baccho sacrificat laticem Bacchi.

Huc ergo dempto tributæ diuinitatis errore tendit sponsus, vtpote qui cognoscebat generosos sponsæ suæ spiritus: quæque spretura esset munera qua talia, nisi de similitudinis significantia alliceretur. Cumque de proci more aliqua donaturus, id eligit, quod de similitudine non recusandum sperabat. Ex hoc more sequentem versum & alios huius Cantici clarè enucleabo. hinc patent LXX. qui legunt *ὁμοιώματα similitudines*, i. dona quæ re exprimant.

82. *Gutta notis.*

Vermiculatas argento. De opere vermiculato iam alij plura: præponenda aliis Delrij eruditio. ego guttatam intelligo picturandi torques rationem, nos diceremus *es maltadas de blanco.* neque verum argentum hîc capio, cùm enim tamquam aliquid maius addi dicantur hi vermiculi, vel, vt habetur in Hebræo, hæc puncta, quid ad argentum minoris pretij meritò recurrerit? Sed quia argenti splendor candicans commendatur: ideo pro punctulis picturæ candicantis *des el malte blanco*: aut fortè pro adamantibus & vnionibus sumitur. de his punctis, siue guttis lusit Ouid. *lib.* 5. *Metam.* de Stellione.

Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Moueor, quia turtur ad ceruicem, si notaueris, inter nigras plumulas, candidulis guttis perpulchrè depictum videris, & verè guttatum: per omnia ergo turturellas suas aureas viuis volebat assimiles. Numidicas aues guttatas pueri norunt ex Martiali LXX. expressè pro me *μετὰ στιγμάτων*, vulgo vertitur, *cum punctis*, vel *stigmatibus*, vel *distinctionibus*, meliùs dixeris, cum guttis: sic quod nobis guttatum dicitur, Græcis est *στιγματωτόν*.

PARAPHRASIS.

At quamuis satis hæc essent pulchritudini tuæ, nunquam alienæ opis indigæ: non satis officio meo, semper, vt procum decet debitis intento: aureos igitur turtures in torquem murænolarum instar circumuolutos tibi fieri curabimus, splendentibus guttis affabrè variegatos: nec poteris de generoso spiritu munuscula nostra spernere, quæ non tam de pretio grata, quàm de similitudine tibi pretiosa: vt quæ naturalis turturis pudorem ad genas, ad collum torques procedis mutata, turturibus artificialibus delecteris.

Dum

Versio. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Pulcherrimo amœbæo respondet, seque oec ratione muneris, nec similitudinis in munere quæsitæ præueniendam iactat, quippe quæ iam amatoria munuscula illi præmiserat: nardum enim, quæ in conuiuio & ad coronam & ad unctionem vsus fuerat, illam seoret suis parasse manibus, & misisse, vt ei, quem oleum effusum & odorem suum solebat nominare, (suprà *num.* 3.) de amoris more, munusculo eiusdem significatiuo exciperet. huc transfer quæ modò dicebam *n.* 11. maximè Græcum illud vnguenti vnguento dicaret. in Hebræo, ly *suum*, de affixi æquiuocatione ambiguum est, sicut apud nos: vnde plures *suum*, explicant ipsius sponsi, non nardi, suique mens. expressa LXX. qui pronomen masculinum, quod fœminino *nardo*, nequit conuenire, addiderunt ὀσμὴν αὐτοῦ. Vnde præterea egregium acumen pro explicatione mea deduci potest: quasi dicat (sponsa, se maius aliquid in proprio dono cogitasse, quam in suo sponsum: hie enim tantùm similitudinem affectauerat. Illa prætetea delicti laudem, quem sciuerat (quod & euenit) nardum odoris nouum de se odorem communicaturum: ille: Ecasta sua puella, quam tuturem propterea appellauit, nouam gratiam torturibus aureis addendam prætermisit: hæc ab sponso suo, quem vnguentum dixerat, nouam nardo fragrantiam expressit communicatam. quæ omnia, vt pulchra, sunt pro conditione dramatici amœbæi, in quo sumus, sic pulcherrima pro sensus mystici explicatione *lib.* 2. apparebunt. Verùm adhuc in prædicto acumine, duplicem sensum inuenire possumus: aut, sicut apud Solem tabescit stellula, sic apud sponsum nardum tabuisse, nec ausam odorem proprium respirare: aut quod gratius fieret nardus, dum odorem sponsi imitaretur, eidem de similitudine blandiretur. Vide iterum quæ suprà *vers.* 3. dixi de illa, quæ vnguentum seipsum nouo odore cumulabat.

83. *Fœmina ingenita dona accepta floribus repensant.*

Porrò quod hic solet notari, esse proprium fœminarum ingenium amatores totum autum profundentes, corollis, floribus, & pigmentis redonare: id illustro ex Luciano *in Toxari*, de fœmella perdito iuueni munera solita mittente, cui ille longe alia: τὰ μὲν γὰρ δῶρα, ἃ παρ' αὐτῆς ἐλάμβανεν, ἀνθ' ὧν αὐτῇ, ἀλλὰ συνοικίας ὅλας, καὶ ἀγρούς, καὶ θεραπαίνας, ἐσθῆτας εὐανθεῖς, καὶ χρυσὸν ὁπόσον ἐθελήσειε: *munera vero longè alia reddidit non pro qualitate pomorum & corollarum, quas acceperat, sed integras domorum insulas, agros, ancillas, vestes floridissimas, & aurum ad satietatem.* hæc tamen labes non attingit sponsam, quæ non hamata, sed amantia munera prænenerat. Sed iam satis pro mea connexione.

84 *Rex, vox amatoria.*

Dum esset Rex. Notaui hic aliqui, Regis vocabulum inter conuiualia vsurpandum: pateo multis, quia de Rege conuiuij pleraque trita, ego inter amatoria ponendum statuo: Reges igitur dicebantur dilecti, sicut & dilectæ reginæ, nec video quid huic loco aptius conueniat. Illud singularius adhuc suggero, non vocari solùm dilectos Reges ea illo vsu, quo omnia aut honoris, aut pulchritudinis vocabula rei amatoriæ solent deseruire: sed ex eo maximè, quòd sic diligentis cordis affectibus imperent, vt regiam in amore potestatem comparasse videantur. hac emphasi Tibullus *lib.* 1 *eleg.* 9.

Tunc flebis cùm me victam puer alter habebit,

Et geret in regno regna superba tuo.

Superba regna dixit ad libitum subiectia amoribus gubernantis. sic *lib.* 4.

Qui mihi te, Cherinthe, dies dedit, is mihi sanctus,

Atque inter festos semper habendus erit.

Te nascente Parcæ nouum cecinere puellis

5 *Seruitium, & dederunt regna superba tibi.*

Martial. *lib.* 11. *epig.* 41.

Formosam Glyceram amat Lupercus,

Et solus tenet, imperatque solus.

Amore igitur victam se fatetur Sulamitis, & regna cordis dilecto suo tradita profitetur.

In accubitu suo. Hic & sequentes versiculi me manuducerent, vt non solùm ad conuiuium allusi, quod iam penè omnes recentiores: sed etiam præsentis conuiuij fuisse puellarū in superioribus spectatricem, vt vidimus. Porrò id temporis iam Hebræos solere discumbentes, & non sedentes conuiuari, iam huc alij congestis pluribus probarunt: & ego de hoc fusiùs *in Epistolario meo*. Hebræa pro *accubitu*, habent vocem מסב quæ à verbo סבב *circuire* deriuatur, vnde omnes triclinium explicant, ad cuius seruitium lectuli conuiuales disponebantur: ego, ni fallor, puram putum sigma hic intellectum iurarem, erat autem sigma à figura Græci characteris sigmatica (qui hoc modo depingitur C) sic vocatum circularis cœnatio, vt videre est apud Lamprid. *in Heliogab.* aut etiam eiusdem figuræ mensa, de qua iam multa interpretes Martial. *lib.* 10. *epig.* 48. Latinæ dicuntur huius figuræ mensæ, orbes. Vide Mart. *lib.* 5. *epig.* 41. & *lib.* 9. *epig.* 23. addo ego tertiam sigmatis acceptionem pro lectulo etiam circulari. dubitas? Sed en ratione me munio, & auctoritate. ratione, quia si cœnatio & mensa circularis adhibita, vix lectuli, nisi circulares, commodè illis aptarentur. Auctoritate verò eruditissimi Chrysologi, qui tale sigma agnoscit apud Hebræos: loquitur de Pharisæo serm. 93. *Dum Pharisæus veste clarus, primus in sigmate, in ipsis oculis Christi tumens, epulis homini, non Deo, placiturus, festinus infunditur*, dum primus in sigmate dicitur, primum lectuli locum occupasse etedendus, qui nobilior, vt ex profanis, & ex parabola Christi de vocato ad nuptias, constat. Sed en locus clarior eiusdem de diuite auaro serm. 154. *Induebatur diues purpurâ, pauper liuore: diues bysso, pauper squalore: auro diues, pauper fœtore: diues plumeo decumbebat in sigmate, iacebat durissima pauper in terra: diues ructabat epulas, famie pauper anhelabat: fundebat vina diues, pauper lachrymas.* Plumeum dixit sigma, propter plumeas culcitras, quibus strati lectuli, notum lippis. qui locus apertus pro lecto sic, vt de mensa, ni dicta capi nequeat. ergo Hebræa de quoquo sigmatis genere capi possunt: Vulgatus noster, solùm de tertio sigmate sine violentia explicabitur. *accubitum suum* dixit, i. quem occupabat.

85. *Sigma mensa genus, cœnationis, tmè & lectuli.*

Chrysolog. explicatus bis.

86. *Nardina corona.*

Nardus mea. Suppono (quod latè probabo in spicilegio meo contra Tertullianum) Hebræos etiam in conuiuio coronati solitos: vnde cùm in hoc loco iuuenis conuiuaretur, & nardus aliàs tam coronis, quàm vnguento deseruiret, non video cur aliquibus coronæ conuiuales excludantur, quos deinde ad hominem, vt dicitur, sic redarguo: sponsus in huc loco Rex appellatur, ex vestra opinione, quia conuiuij tenebat principatum: atqui apud omnes nationes, quod etiam de Hebræis fusè probauit noster Salazar *in Prouerbiis*, Rex conuiuij præcipuè coronabatur: frustrà ergo coronam Regi conuiuæ denegaris. Maneat hoc

hoc ratum. Porrò de vnguento nardino res clarior, quàm egeat probatione. Coronas nardinas celebrat Lucanus.

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

& fortè ita explicaudt alij, qui pro vnguento feruntur. Martialis etiam expressè *lib. 3. epig. 51.*

87. *Amor aliena fastidit ministeria.*

Mea. Ad vsum refert Delrius, quo fœminæ apud Hebræos & gentes, pigmentariè: quasi verò etiam viri non pigmentarij. atqui contrarium constat ex hoc Cantico *cap. 5.* & sæpe alibi. Deduco ad merum amoris morem: habebat puellæ longum adolescentularum famulatum, quibus has partes plectendi coronas, condiendi vnguentum committeret: sed noluit. Amor aliena fastidit ministeria: amatis se totum impendere dulce putat. Horat. *lib. Epodôn Oda 5.* vbi fœmina ad amicum.

Nardo perunctum, qualem non perfectius
Mea laborarunt manus.

Propertius *lib. 2.*

Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit amor manibus.

Hinc illud Græci autoris *lib. 7. epig.*

Πέμπω σοι Ῥοδόκλεια τόδε στέφος ἄνθεσι πλέξας,
Αὐτὸς ὑφ' ἡμετέραις δρεψάμενος παλάμαις.
Mitto tibi Rodoclea hanc coronam floribus textam,
Ipse illam nostris componens manibus.

Vbi obiter nota, ad ea quæ suprà dixi, mitti flores ad puellam, quæ ipsa nemine flores redolebat. dicitur enim *Rodoclea* ἀπὸ τῶ ῥόδω. id est, *à rosâ.*

2. Reg. 3. n. 6. explicatur.

Hinc lux verbis illis 2. Reg. 13. num. 6. *Veniat obsecro Thamar soror mea, vt faciat in oculis meis duas sorbitiunculas,* &c. quasi qua posset ratione sibi blandiretur infaustus amans. ac si diceret: Si Thamar vt diligitur, diligeret, deliriatum meatum curam etsi Princeps, famulatum manibus non committeret: satientur ergo oculi, vel hac saltem falsa amoris specie deludantur, quòd ipsamet mihi quasi amasia condit sorbitiunculas.

PARAPHRASIS.

Bene est. venient quidem munera ista tua: sed nostra præuenerunt, nec etiam à similitudinis gratia aliena, nôris enim velim, ô amor, qui cordis nostri tamquam Rex potentissimus imperas affectibus: coronam nardinam, & nardinum vnguentum, quibus nuper dum conuiua discumbebas, vnctus & redimitus recreabaris: & illud à me conditum, & illam hisce manibus fuisse consertam: licèt à te, dilecte odoratissime, aut nouum mutuarentur odorem, aut totum tuum exhalasent, quod te coràm partem aliquam sui respirare non præsumerent.

VERS. 13. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

VERS. 14. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Reddit iam expressiùs rationem similitudinis in munere affectatæ, propterea enim nardum quà floridam, & quà conditam pariter emiserat, quia dilectum sibi & vnguentum & florem reputabat. Breuis ero in his versiculis, quia multa haud potui noua excogitare. quæ enim in eisdem aliàs erant difficilia, exactè iam ab interpretibus ventilata: inde repete. pauca tantummodo addo.

88. *Fasciculus myrrhæ.* In Hebræo צרור à radice צרר *ligare, comprimere:* vnde varij varia dixere. Ego puto myrrham innui, non quatenus liquescit fluida, & vngit soluta, sed quatenùs compressa in massam, ligatur duriuscula: sic hodie apud delicatiores massa succini ad delitias gestari solita, quam & attrectant manibus, & in sinum de calore suauiùs respiraturam, immittunt puto. LXX. qui *alligamentum gutta* legunt, etiam pro me. Itaque siue pyxide, siue olfactoriolo de nuda massa vtraque lectio valere explicari; difficilis tamen pro hac mente vulgati versio, qui fasciculum expressit, vnde multi myrrhinos flores colligatos suspicantur: respondet Delrius (qui olfactoriolum myrrha plenum hic intelligit) nostrum ex Hebræo exponendum: non placet. in dubiis enim vtriusque lectionis, Hebræa lectio nostræ qua potuerit redigenda, non è contra: vulgata nostra vnica fidei norma & interpretem nostrum fidelem Catholica fides approbauit: mallemque florum fasciculum hîc accipere, quàm ob propriam Hebræi textus explicationem vulgato nostrî vim inferre. Fortè ergo fasciculum dixit metaphoricè, quia massa illa naribus admota odorati fasciculi vices supplebat: vel fortè in pastillos myrrham deductam suspicemur, quos postea iunctos, fasciculum proprissimè nominaret: non enim solùm ea floribus, sed litteris, ramusculis, & similibus congeritur fasciculus: qui de minuta quarumcunque rerum congerie dicitur latinissimè. Tandem, quod sine dubio puto probabilissimum, explico fasciculum de guttarum, seu grandium myrrhinorum congerie: sicut hodie Paschali cereo purus putus granorum Turcorum fasciculus admouetur.

Massa odorata.

Vulgati dignitas.

89. *Amatorium munusculum, & amatores inter vbera gestare dicebatur.*

Inter vbera mea. Explicant omnes de vsu, quo puellæ siue flores, siue olfactoriola ob delitias in sinum secondunt. possunt. Egò tamen in huius tenerrimi Cantici commentario, quoad fieri sine violentia poterit, omnia ad amoris mores aliquos redacta vallem: est autem in more positum amantibus puellis flores, poma & similia ab amatoribus sibi missa, ad pectus inter mammillas collocare, non solùm ob communes delitias, sed ob priuatum affectum, quasi amoris donum, quod immissum cordi vellent, saltem in amoris sedibus, id est, inter vbera foueant collocatum: idque in testimonium, ibidem dilectum suum commorari. Videamus vtrumque breuiter. De primo Catullus,

Vt missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio.
Quod misera oblita molli sub veste locatum
Dum aduentu matris prosilit excutitur.

Gremium hîc de sinu capio. Clariùs Arist. *lib. 1. epist. 25.* *Πάμφιλος δὲ μήλου μικρὸν ἀποδακὼν, εὐστόχως ἐνέβαλεν εἰς τὸν κόλπον ἐκείνης· ἡ δὲ φιλήσασα, μεταξὺ τῶν μαζῶν ὑπὸ τῷ ἀποδέσμῳ, ὃν περιεζώσατο, κατέθετο: Pamphilus autem pomi frustulum admordens directè in illius proiecit sinum, quòd illa deosculata inter vbera sua sub fasciola qua praungebatur, abscondit.* quasi teneriorem & digniorem sedem non inueniret. Iam verò de secundo idem Catullus, *lib. 1.*

Fœmellas omnes amicè prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno,
Has vel te, sic ipse flagitabam:
Camerium mihi pessima puella:
Quadam, inquit, nudum sinum reducens,
En hic in roseis latet papillis,

Hanc sedem affectabat amator ille Florilegij *7. epig. 116.*

Florilegium explicatur.

Εἴθ' ἄνεμος γενοίμην, σὺ δὲ στείχουσα παρ' αὐγὰς
Στήθεα γυμνώσαιο, καί με πνέοντα λάβοις.
Εἴθε ῥόδον γενοίμην ὑποπόρφυρον, ὄφρα με χερσὶν
Ἀρσαμένη κομίσαις στήθεσι χιονέοις.
Εἴθε κρίνον γενοίμην λευκόχροον, ὄφρα με χερσὶν
Ἀρσαμένη μᾶλλον σῆς χροιῆς κορέσῃς.

Vtinam ventus eſſem, tu autem incedens per aſtum
Pectus denudares, & me flantem exciperes.
Vtinam roſa fierem purpurea, vt me manibus
Tollens portares in pectore niueo.
Vtinam lilium eſſem, vt me manibus
Tollens magis tuo corpuſculo ſatiares.

Hunc ergo locum ſponſa dilecto ſuo deſtinabat: ibi illum geſtura, vbi aliæ amoris munuſcula abſcondita reponebant.

90. *Moror amoris verbum.* *Commorabitur.* Non diſſonat Hebræum *pernoctabit.* Verbum autem morandi etiam amatorium. Propert. *lib.* 1. *eleg.* 1.

Hoc moneo vitare malum. ſua quemque moretur
Cura: neque aſſueto mutet amore locum.

Vbi interpres: *Moretur, id eſt, detineat cum voluptate.* Idem Poëta *ibidem eleg* 8.

Tune igitur demens, nec te tua cura moratur?

Innuit ergo ſponſa non ſolùm conſtantiam ſuam in retinendo, ſed etiam ſpem fidei in dilecto voluptuosè ibidem detinendo.

91. *Cypros odorata vitis inſtar ſata.* *Botrus cypri.* De Hebræo כפר nec diuino, nec laboro, mihi omnium inſtar meus Vulgatus: nec ſcio qua mente, viri catholici cùm ſciant ex Plinio & Ioſepho cyprum arbuſculam odoratam, floridam, & in Iudæa nobilem, aliud quid huc obtrudere conentur, aut quorſum deſudent pro balſamo Engadditano, quaſi verò in vineis, vbi balſami arbuſculæ ferebantur, non etiam poſſent & cypri & myrrhæ, & ſimilium odoratorum fruticum aliæ adnaſci. Cur botrum dixerit, ſatis congrua ratione defendit Ghiſlerius. Mihi facilior alia occurrit, nec fortè deſpicienda. Metaphoricè odoratorum horum germinum plantatio vinea hic appellatur. Plinius etiam *lib.* 12. *cap.* 25. de myrrha. *Viti ſimilior, quàm myrto, nuper vincta vt vitis, implet colles vinearum modo.* Item LXX. qui vineas illas florentes ex *cap.* 2. de aromatibus videntur ſumpſiſſe, certè de cypris explicarunt: vt ibi videre poteris. Cur ergo flores, imò & floridus ſurculus & penè pretioſa reſina delibutus, qui inter fructus tantæ vineæ habebatur, de eadem metaphora Botrus non dicatur? ſed alius viderit. Pulchrum adoleſcentulum, etiam ramum floridum vocauit Nonnus *Dionyſ. lib.* 10.

Ampellus creſcebat nuper nutritus ramus Amorum.

Iam verò LXX. etiam botrum cypri explicarunt: vnde quamuis apud nos notitia Hebræi *Copher* penitus interierit, neſcio cur illam ignoraſſe LXX. doctiſſimos pluſquam liberrimè aſſumatur. Aduerte autem me non tam florem cypri (quod alij volunt) quàm floridum ramuſculum hic expreſſum voluiſſe; quia & liguſtrum, quod aut idem cum cypro, aut illi omnino ſimile, à ſingulis ramis racematim flores producit. Quod autem obijcitur, decreſcere indecorè comparationem ſi à myrrha pretioſiſſima ad viliores flores deueniretur. in filo quod deduco, nullius eſt ponderis: cùm enim id propoſitum eſſet puellæ, quæ vnguentum & flores miſcerat, vnguento, immo aromati & floribus dilectum comparare, poſt myrrhæ aroma pretioſiſſimum, flores etſi conditione viliores, tamen in ſuo genere exquiſitiſſimos adhibuit: ſicut nihil indecorum agitur *cap.* 5. ſi poſt aurum capitis, flores & marmor deinde aſ-

Pinus in Cantica.

ſumantur: immo & iidem crines aurei, elatis palmarum comparentur.

PARAPHRASIS.

Et quid mirum, non ſolum munus, ſed etiam mentem tibi præuenirem? quid mirum te, quem & aroma & florem ſemper putaui, aromate & floribus putarem excipiendum? quid enim tu mihi aliud, quàm myrrhinorum granorum faſciculus ad pectus, amoris ſedem, vnde ipſum cordis meditullium penetret, apponendus? quid aliud quàm vernans cypri ramus racematim flores emittens in Engadditanis cypretis vinearum inſtar vireſcentibus?

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. VERS. 15.

Satis torquet interpretes, quomodo cohæreat hæc laus, & quorſum tendat iſta columbæ comparatio: lege præ aliis Ghiſlerium. Sed adeſto huc filum noſtrum, & nihil puto cohærentius dici potuiſſe apparebit. Promiſerat iuuenis munera & illa pretioſiſſima puellæ, quæ de fœminarum auidiori ingenio totam in illa conuolaturam exiſtimares: at tantum abeſt ab hac rapacitate, vt munera præmitteret liberalis: nec tam in munera, quàm in dilectum ſuum oculos immitteret, non illis, ſed iſti inter vbera ſedem, & in ipſo corde thronum deſtinaret: quid ergo à miluinis aliarum oculis alienius? quid columbinis ſimilius? vbi non miluini oculi, ſiue coruini pro rapacibus infamantur? vbi columbini de prædarum innocentia non commendantur. iritum illud,

92. *Oculi miluini.*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Quòd dum rapaces Romani proceres, perſiſterent impuniti? Innocentes à præda pauperculi puniantur. Vnde Gregor. in moral. cap. 31. *Columbæ ad feneſtras ſunt, qui per ſenſus corporis exteriora quaque intentione non reſpiciunt rapacitatis.* Meliùs homil. 5. in Euang. *Miluus, & non columba eſt, qui ad ea, quæ oculis conſiderat, rapinæ deſiderio anhelat.* Terentius in *Phorm. act.* 2. *ſc.* 1. in re ſimili,

—— Non rete accipitri tenditur, neque miluino,
Qui malefaciunt nobis. illis, qui nil faciunt, tenditur.

Siue ergo cum noſtro dicas *oculos columbarum*, ſiue cum Hebræo & Græco *oculos columbas*, de eadem prædæ innocentia commendabis. Vnde præter vulgares Hebrææ vocis notationes, mihi alia occurrit, fortaſſis non abſurda: dicitur columba יונה à radice ינה *rapere, prædari*, non quòd rapiat, ſed quòd facile de ſimplicitate in prædam capiatur, inquiunt aliqui. Ego antiphraſim in vocula ſubnoto: ſolemus rem à certo aliquo effectu alieniſſimam, nomine effectum talem innuente ſignificare. ſic pulchritudinis vocabulo *bellum* dicimus, quia bello nil fœdius, nihil triſtius: ſic *mons* dicitur à monendo, quia motus incapax: ſic *lucus* à lucendo, quia arborum denſitate lucem non admittit: ſic Hebræi columbam rapacitatis nomine inſigniunt, quia rapacitatem penitus euitat.

Columba apud Hebræos vnde dicta.

Dicitur verò in hoc loco ſponſa bis pulchra, ni fallor, tum ob laudantis affectum, tum maximè, quia de mentis acumine, deque affectus liberalitate commendatur: liberalis ad munus, prudens in ſimilis muneris electione; pulchritudinem enim etiam de moribus nemo neſcit: aut, ſi

 mauis,

mauls, dicatur femel pulchra ob fpeciem, & iterum ob liberalitatem ingeniofam.

PARAPHRASIS.

Excellis certè, non folùm fpecie, fed etiam ingenio: vbique pulchra confpiceris, pulchra meditaris. Proh quàm habes ab aliis fœminis oculos diuerfos, illæ miluorum inftar prædæ inuolant, amatorum fpoliis tantummodo inhiantes, quafi in ipfis oculis vngues gerere videantur: oculi verò tui columbini nefciunt prædam, fpolia ignorant, qui in vnum dilectum collineant cordi infigendum, quem etiam muneribus præuenifti.

VERS.16. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: lectulus nofter floridus.

VERS.17. Tigna domorum noftrarum cedrina, laquearia noftra cypreffina.

Rependit in his puella, dicta fibi à dilecto encomia, eumque non folùm dicit pulchrum, fed etiam in ipfa pulchritudine decorum, id eft, inter nos ingenuitatis mores vultu ipfo oftendentem: cuius pulchritudinem conuiuali floridóque lectulo, in quo difcubuerat, componit; decorem verò laquearibus per latentes fiftulas vnguenta & flores irrorantibus affimilat. Timeo ne fi quæ huc vfque diximus in hoc capite, tamquam noua, difpliceant, quæ iam ad calcem dicemus, planè tamquam paradoxica, defpiciantur. Sed quid faciam? præmonitus, mi lector, & in titulo operis, & in prolegomenis, huc venifti, ego non quæ alij meliora, fed quæ ego infulfa fortaffe, inuenerim, explicando Cantico allatorum promifi. Sed ne indicta caufa condemner paradoxicus, notanda plufcula.

93. *Decorus quid.*

Suppono primò, decorum non folùm addere pulchro decentiam in agendo & in loquendo, quod nemo nefcit: fed etiam decentiam quæ mores ingenuos, & ingenitam nobilitatem, etiam ignoratâ perfonâ, & ore tacito manifeftet: quod etiam ab Hebræo נעים non eft alienum. hinc illud Genef.39.num.6. *Erat autem Iofeph pulchra facie, & decorus afpectu.* putes fynonyma, fed perperam: longè differt faciei pulchritudo ab afpectus decore. Prima tantùm fignat partium vultus proportionem cum amœna coloris fuauitate: decor eft nefcio quid liberis & ingenuis viris, aut fœminis ingenitum, quo velint, nolint, infitam nobilitatem manifeftant: videbis apud aliquos è media plebe ortos, ebur in fronte, folem in oculis, rofas in genis, in labiis corallia, &, nefcio quo deficiente, iurabis illico etiam in præftantiffimâ formâ generis ignobilitatem. Econtra his quandoque deficientibus, fcintillat in nobiliorum facie, decorus fulgor, fulgurat ingenuitas: maieftatem oris vocauit Dion Caffius in Traiano. *Ipfe etiam Traianus vrbi fine regio ornatu oberrans, vt hoftem falleret, vulneratus penè fuit: generofa canities, & oris maieftas, Principem prodidit, & quis foret, in mentito etiam habitu facilè oftendebat.* Plinius de eodem *in Paneg.* dignitatem oris dixit: *iam honor capitis & dignitas oris nónne longè latéque Principem oftentat?* Spartianus in alio per venerationem variauit. *Comptus, decorus, pulchritudinis regia, oris venerandi.* quafi fine hac nec decorus, nec regaliter pulcher. Per nobilitatem Capitolinus in Antonino: *Fuit vir forma confpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu.* Statius de Domitiano *lib.1. fyl.1.* expreffè decorem dixit.

Nec veris maiora putes: par forma, decorque,
Par honor.

Vbi formofum à decoro hinc vifus feparaffe Hoc eft ergo quod de Iofepho dicitur, qui non folùm pulcher, fed etiam in feruili habitu ingenuus videbatur, vultu ipfo decoro genus oftentante. tale eft illud Euripidis *in Hecuba.*

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι.
Ineft in homine mira & euidens nota
E generofis fatum effe.

Ouid. *Faft.6.*

Par animo quoque forma fui, refpondet in illa
Et genus & facies, ingeniumque fimul.

Meliùs *Faft.2.*

Si genus arguitur vultu, nifi fallit imago,
Nefcio quem è vobis afpicer effe Deum.

Meliùs illud Statij de feruo ingenuitatem referente.

Quid fi nec famulus (vidi ipfe, animofque notaui
Te tantum cupientis herum) fed maior in ore
Spiritus.

1.Reg.16. num. 12. explicatur.

Simile eft illud Dauidis adhuc inter oues degentis 1.Reg.16.num.12. *Erat autem rufus, & pulcher afpectu, decoráque facie.* decore, credo, tribum nobiliffimam indicante: quod alia ratione dixit Paris regius adolefcens, fed paftoris habitu diffimulatus, *in epift. ad Helenam*, apud Ouid.

Forma vigorque animi quamuis de plebe videbar
Indicium tecta nobilitatis fuit.

Quamuis in Hebræo dicatur Dauid nitens oculis, decorus facie: fed perinde explicari poteft. Eft igitur in hoc Cant. loco *decor* additus pulchritudini, ni fallor, amabilis illa fpeciofitas nobilitatis index, quam prædicti auctores tam variè fignificarunt: fin minùs fit decentia motus & actionum, quod nemo negauerit, vnde interior compofitio apparet.

94. *In facris comparatiua nota fuppreffa.*

Suppono fecundò, paffim in Scriptura facra notam comparatiuam defiderari. Sic Prouerb.25. num.11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore fuo,* & num.25. *Aqua frigida animæ fitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.* n.26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iuftus cadens coram impio.* & vix cap. Prouerbiorum fine mille exemplis, fic Pfalmi, fic Prophetæ. Sophon.3.1. *Ciuitas columba* in Genef. *Catulus leonis* Iudas, & Beniamin *lupus rapax.* in quibus omnibus fimilitudinis notam defideras: fic prophani, latinè dicimus *homo bulla: homo homini Deus,* &c. Cur ergo in noftro Cantico & in hoc loco, fimilitudinem tacitam non dicemus? Certè fuprà quando fponfus dicitur *botrus & fafciculus*, comparatio reticetur, & ab omnibus fupponitur.

95. *Lectus conuiuales floridi, herbidi.*

Suppono tertiò lectos conuiuales floribus fpargi folitos. Apul. *lib.7.* vbi de cœna nuptiali. *Vulcanus cœnam coquebat, horæ rofis & cæteris floribus purpurabant omnia, gratiæ fpargebant balfama.* D.Paulinus ad Macarium: *Beatiores ne tibi videntur qui purpura fulgent, qui gemma bibunt, rofáque fulciuntur?* Sed quis authorum florum conuiualium non meminit? nec obftat, quod in Hebræo lectulus *viridis* dicatur: alludit ad herbas odoratas, quæ ad delitias floribus immifcebantur. Statius *lib.1. fyl.2.* de nuptiis.

——— *Nec blandus amor, nec gratia ceffat*
Amplexum niueos optata coniugis artus,
Floribus innumeris & olenti fpargere thymbrâ.

Virgil,

Tum caſſia atque aliis intexens ſuauibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia Caltha.

Virgil. Ecl. 2.

Sic apud LXX. lectus dicitur *vmbroſus*, de ſertis fortaſſe & ramis, quibus inumbratus: ſicut mons Pharan apud Habacuc eadem de cauſa dicitur vmbroſus. Lectum ergo conuiualem floridum hîc accipio. Dices, in Hebræo dici requiem, quæ dormitorium magis lectum innuit: ſed certè radix Hebræa, vt omnes fatentur, נוח omne quietis genus comprehendit, inde requies data populo, inde arca teſtamenti quieta dicitur (vide Pagninum,) & ſimilia ab eadem radice deducuntur: cur ergo conuiualis quies per eamdem non explicetur. dicitur lectulus *noſter*, quia in materna domo ſtratus.

96. *Laquearia fiſtulata & verſatilia, irrorantiaque.*

Suppono quartò *laquearia*, quæ hîc habentur, in Hebræo dici רהיטנו à radice רהט à qua eadem vox hîc *cap. 7. num. 5.* ſumitur pro canalibus, & quamuis hos canales aliò deducas, non euitabis locum *Geneſ. 30. 38. & Exodi 2. 16.* vbi propriè pro canalibus, per quos humor deducitur, vſurpatur. Mineat ergo, fiſtulas & canales etiam hac voce ſignificari. Meritò quidem in illos inuehitur Delrius noſter, qui ad hunc locum demptis laquearibus ſupponunt canales: quòd tamen ego laquearia ponam fiſtulata, & canalibus occultis interdiuiſa, quis reprehendat? vidit abſque dubio noſter, hîc *canales*, ſed quia illos laquearibus immiſſos nouerat, optimè rem per laquearia explicauit. Nec opus eſt confugere ad nouam illam radicem per ח quam Delrius excogitat, quam nullo vſquam codice comprobabit. Licentia verò mea inde indemnis, quia apud ſacros expoſitores vnica eſt regula ex variis verſionibus conciliatis melius, quàm aliunde ſenſus Scripturæ obſcuros elucidari. de quo vide Sanchez noſtrum *ad Iſaiam cap. 6. num. marginali 39.*

97. Suppono quintò laquearia iſta fiſtulata & verſatilia eò deſeruire, vt conuiuis flores & vnguenta deſuper irrorarent. Seneca Epiſt. 90. *Vtrum tandem ſapientiorem putas, qui inuenit, quemadmodum in immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimat qui Euripos ſubitò aquarum impetu implet, aut ſiccat: aut verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, vt alia facies, atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur?* Plutarchus Othonem memorat diſpoſuiſſe in triclinio ſuo *argenteos & aureos canales inſtar aquæ vnguenta fundentes.* Inuentum hoc fuiſſe Neronis, teſtantur ex Suetonio *cap. 31.* vbi deſcribuntur *cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, vt flores ex fiſtulis & vnguenta deſuper aſpergerentur.* Hæc ſunt quæ vtplurimum pro hoc vſu ab eruditis adduci conſuêrunt, non tamen pigebit pluſculos, in quos incidi, huc addere, quorum aliquos noua luce veſtitos demittemus. Statius *lib. 1. ſyl. 3.* dum pulchram villam deſcribit,

Statius explicatus,

Viſa manu tenera tectum ſcripſiſſe voluptas:
Tunc Venus id aliis vnxit faſtigia ſuccis,
Permulſitque comas.

Vbi interpretes *comas* de arboribus explicant: nugæ. alludit ad vnguentorum fiſtulas tectis latentes, vnde conuiuarum capita & crines aſpergebantur: poëticéque vnguenta ab ipſa Venere portata dixit. Sic capio Claudianum *in nuptiis Honorij*, vbi Venus ad Cupidines:

& Claudianus bis.

Hi noſtra nitidos poſtes obducere myrto
Contendant: pars nectareis adſpergere tecta
Fontibus.

Pintus in Canica.

Clariùs *in Epithal. Palladij*, de eiſdem Cupidinibus:

Gemmatis alij per totum balſama tectum
Effudère cadis, duro quæ ſuauius vngue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Cur enim è toto palatio ſola tecta aſpergerentur, niſi quia quæ inde vnguenta ſolita inſtillare, Statio, vt ſolet, adhærens, ab amoribus aſportata vellet? Lampridius in Heliogabalo. *Oppreſſit in trichiniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſic vt animam aliqui efflauerint, cùm eripi ad ſummum non poſſint.* De nimbis odoratis theatrorum, quæ huc facere poſſent, alij præoccuparunt. Pergo. Similis vſus verſatilium in conuiuio apud Athen. lib. 4. cap. 1. *Procedente potandi certamine, & hora iam ſubnigreſcente domum aperiunt, in qua omnia candidis velaminibus in circulum comprendebantur: quibus extenſis faces per clandeſtinas machinationes apparuerunt: tum ſepimentis patefactis amores Dianæ, Panes Mercurij, & alia complura huiuſmodi idola in argenteis candelabris faces prætendentia videbantur.* Magis ad rem noſtram Zetzes *chil. 2. hiſt. 66.*

Χοσρόης ἄναξ ἦν Περσῶν ἐν χρόνοις Ἡρακλείου,
Τοῖς ἀνακτόροις αὐτοῦ τοῖς περὶ τὴν Περσίδα
Ἐν τοῖς ὀρόφοις οὐρανὸν ἔχων τεχνητευθέντα,
Ἐξ οὗ βρονταὶ, καὶ κεραυνοὶ, μηχανητοὶ καὶ ὄμβροι
Ἑστιωμένων πρέσβεων ἐρρήγνυντο πρὸς θάμβος.

Choſroes Rex fuit Perſarum tempore Heraclij,
Qui in palatiis ſuis circa Perſida
In laquearibus cælum habebat fabricatum,
Ex quo tonitrui & fulmina, & artificiales imbres
Dum conuiuarentur Legati, erumpebant ſtupendè.

98. *Hæc laquearia quando inuenta.*

An verò hæc laquearia ante Neronis tempora inuenta forent, nemo, cuius meminerim, diſputauit: ego id certum puto, nec aliud expreſſit Suetonius. Certè Athenæus ſuprà citatus iam machinationes illas tribuit Phaleræo, qui multo ante Neronem. Clariùs itidem ibidem. *Macedones cœnarum ſumptu & magnificentia ſuperabat: elegantia Cyprios, & Phœnicios vnguentorum, quæ guttatim in terram decidebant.* ab alto ſcilicet, credo à laquearibus. Vnde puto id quod ab antiquiſſimo æuo de Baccho dicitur è ſummis laquearibus lac & vinum inſtillaſſe, huc alludere: vt quia ex arte vnguenta decidebant guttatim, inde miraculoſa Bacchi dona affluere viderentur. Ælianus *lib. 3. cap. 42.* ἐκ δὲ τῶν ὀρόφων ἔσταζεν οἶνος καὶ γάλακτος σταγόνες. *è laquearibus vini lactiſque guttæ diffluebant.* ficta miracula, ſicut & Choſroæ.

99. Reſtat videndum, an hæ delitiæ ad Hebræos vſque peruenirent: ego id ſaltem probabiliter dici poſſe ſuſpicor. Hæſitaui diu in illo verſiculo Pſalm. 44. num. 9. *Myrrha & gutta & caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Vbi LXX. habent ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων. eſt autem βᾶρις apud Græcos ſcaphula, ſiue phaſelus fluuialis, porticus, caſtrum, ſed propriè ſignificat domum habitationi congruam. imò D. Hieron. *cap. 8. in Oſeam* βάρεις vocat domos excelſas & turrium inſtar faſtigiatas: qui idem licèt hunc locum Pſalmi explicet allegoricè de Apoſtolis, tamen deductam metaphoram ſuppouit ab ædificiis eburneis. Alij legunt ἀπὸ τῶν ναῶν ἐλεφαντίνων. alij ὀδόντος, *à templis eburneis*, vel *dentis*, quod perinde eſt, ebur enim nunc dens, nunc cornu dicitur Elephantis, vt notoalibi. quæ omnia me cogunt, vt pyxides vnguentarias hîc non intelligam, ſed domos capio abſolutè eburneis cruſtis pro more omnium gentium decoratas: de his 3. Reg. 21. num. 39. *reliqua autem ſermonum Achab, & vniuerſa quæ fecit, & domus*

Pſalm 44. num 9 explicatur.

mus eburnea quam ædificauit. & Amos 3. num. 15. *& percutiam domum hyemalem cum domo æstiua, & peribunt domus eburneæ.* Quemadmodum ergo pleræque gentes ex his domibus eburneis, & laquearibus per secretos ductus vnguenta spargebant, vt vidisti, cur non dicemus id etiam apud Hebræos, (qui maximè vnguentis dediti) in vsu? sicque clarebit diuinus Vates, quasi dicat, vnguenta & à vestibus tuis, & ab eboreis tuis domibus stillant. aliàs nunquam sine aliqua violentia locum explicabis, qui tamen ex hoc vsu facillimè enodatur.

Facit huc locus alius Aggæi 1. num. 4. *Nunquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis.* in Hebræo pro *laqueatis* à radice ספן quæ nihil aliud sonat, quàm tegere, contignare, nihil est mysterij. Multum tamen in versione LXX. qui pro *laqueatis* legunt κοιλοστάθμοις voculâ sibi recenter inuenta & composita, quæ ἀπὸ τῦ κοιλῦ cauitates aliquas importat necessariò, & in varios sensus interpretes distorsit, quæ, vt appareat, non pigebit transcribere pluscula ex summo interprete (Sanchez nostrum intelligo) ne mihi ista pro somniis imputentur: ergo ille ibi post planum laqueatorum sensum, ita. *Libet hîc LXX. cum vulgari translatione componere. reddiderunt illi κοιλοσταθμοῖς, quod aliquid concauum significare diximus, qualis in ædificiis est fornix & testudo. Hieronymus laqueatum conuertit, quod non solùm valet quod propriè sonat, sed etiam, vt opinor, foueam, aut fossam, quæ arboris truncum circundat: vnde vites ablaqueari dicuntur à rusticis, quando fossæ circa earum caudices aperiuntur, quæ excipiunt & continent aquam, & alios habent vsus rei arboreæ, maximè opportunos. Idem ergo significasse videntur LXX & vulgatus: vtrique enim aliquid indicant in ædificiis fornicatum & concauum: & fortasse illud valet nomen lacunar, quod à lacu, seu lacuna nomen habet, quæ depressum aliquid, seu excauatum importat. Erit ergo sensus iuxta hæc: Tecta esse ablaqueata, id est, quibusdam fossis, siue canalibus varia, quod indicat LXX. translatio. hæc ego cogitabam, nescio an verè, lector vt volet, accipiat.* hucusque magnus vir ille, si quis alius, qui licèt canales & fossas, ad sculpturam videatur reuocare, cùm tamen fateatur *canales* hîc notari, crederem, si tunc illi in memoriam veniret, quod nouerat, de laquearium canalibus ad instillanda vnguenta, mecum de Hebræis vsu attribuendo consensurum: ego verò, si auderem, vnius tantùm litterulæ mutatione Græca corrigenda putarem: & pro κοιλοστάθμοις ponerem κοιλοσταγμοῖς. longè clariùs, longe Græco vsui accommodatiùs, vnde stillantes cauitates apertissimè dicerentur, ἀπὸ τῦ κοιλῦ, καὶ τῦ σταγμῦ: vtcumque sit, cauitates audis & canales, qui in tectis propriè, nulli rei quàm stillandis odoribus olim deseruiebant. hæc pro Hebræorum vsu saltem probabiliter excogitata nullus credo doctiorum denegabit.

Aggæus 1. num. 4 explicatus.

His fusè congestis iam seorsum nostro Cantico eruamus. Vocatur sponsus de forma exteriori pulcher, de ingenuitate quæ moribus, actionibus, verbis, imò ipso vultu tacito proditur, decorus: cui ergo melius pulchritudinem, quam paulo antè floridam dixerat, quàm lectulo qui ad manum erat, florido compararet? cui aptius decorem ingenuitatis occultè indicem: aut, si mauis, cum aliis, mores, motus sermonesque decoros, quibus semper latens anima proditur, composuerit: quam tigna cedrinis, & cupressinis laquearibus, quæ per occultos canales manifestis irrorationibus latentia vnguenta propalabant? mihi, vt ingenuè fatear, id neque indecorum visum, neque ineptum. Cedrum pro domibus celebrat etiam Euripides, vbi de Alusti Regina.

> Ἐκ δ' ἑλοῦσα κεδρίνων δόμων
> Ἐσθῆτα, κόσμον τ' ἀμφ' ἑαυτῆς ἐσχίσατο.
> *Et accipiens ex cedrinis domibus*
> *Vestem & cultum decore se ornauit.*

100. Cedrus & cupressus ad ædificia.

Cedrinas domus vocat cameras regias cedro constructas, nec scio cur vulgo vertatur *ex cedrinis arcis*, cùm *domus*, & Græcè apertè δόμος nunquam id propriè significet. cupressum verò, quidquid reclament scioli, sciè admodum à vulgaro nostri pretiosis laquearibus accommodatam, neque pretio cedere solitam cedro ad hos vsus: probat Epistola Alexandri ad Aristotelem, vbi ita. *Vineam solidam auro, sarmentoque aureo inter columnas pendentem miratus sum: in qua folia aurea, ramique crystallini, & lychnites erant interpositi, distinguentibus smaragdis. Thalami quoque & cubilia omnia margaritis & vnionibus, & carbunculis exornata erant. Fores quoque eburneæ miri candoris: & hebenina lacunaria nitebant, testudinibus cupressinis.* Vides quam inter pretiositates non vilescat cupressus? Scio his testudinibus vsitatiorem cedrum. Euripides iterùm in Oreste.

> Κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέρεμνα
> Δωρικάς τε τριγλύφους.
> *Super cedrina fastigia thalamorum*
> *Doricasque triglyphas.*

Sed nec noster cedrum tignorum omisit. his adde quæ multa Cerda ad illud Virgil. *Georg.* 2.

> *Nauigiis pinos, domibus cedrosque, cupressosque.*

Quibus ad rem suam congestis, parco. tu vide, inde enim nostra fouentur maximè: quid iam mordeant hæretici, nedum Catholici maximum Hieronymum?

Vulgatus asseritur.

Vnum tantummodo difficile pro mea explicatione adhuc opponi posset, nimias nimirum delitias & opulentas vnguentorum effusiones pastoribus assignasse, quæ nonnisi viris magnatibus decorè tribui posse videntur. Amoueo facilè hunc obicem: ponuntur hic pastores ditissimi, nobilissimi, ad cuius fores *cap.* 5. myrrha fusa pretiosissima, pro conditione illius æui cùm omnis ferè opulentia agrorum pecudumque negotio parabatur: degebant, vt suppono, in vico nobili, vbi pares cum Solymitanis ædes parare possent: cur ergo in solis vnguentis è tecto fusis immoremur? quanto, quæso, sunt pretiosiora quæ Homerus nobilissimis sui temporis pastoribus indulget? Audi qualiter Anchisis domum descripserit in hymno Veneris: quæ illum adamauit, dum iuuenis βουκολέεσκε βοῦς *boues pasceret*: in primis dat illi λέχος εὔστρωτον, *lectum bene stratum.* deinde meminit θρόνοι ἀργυρόηλοι, *sedis argenteis clauis confixa.* Deinde tugurium quod sperares, appellat nomine εὐποιήτοιο μελάθρου, *bene constructi palatij.* vt iam non mireris Hebræorum pastorum delitias, apud quos res rustica adhuc pretiosior & nobilior. Idem Homerus *Odyss.* 15. Mineruam ficto pastoris habitu dissimulatam ab illis verbis, σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη, sic depingit.

101. Priscorum pastorum delitiæ.

> — *Prope autem eum venit Minerua*
> *Viro corpore similis, iuueni pastori ouium*
> *Nimis delicato, quales Regum filij sunt,*
> *Duplicem circa humerum habens pulchram vestem,*
> *Pedibus autem sub teneris calceos habebat.*

Huius farinæ pastores quid dedeceat? pastor erat Ioseph apud Patrem, & tamen tunica florida & polymita

vtebatur. Sed hæc satis pro cap. 1. Paraphrasim castum dictorum subscribamus.

Polymitis... Paraphrasis. (margin)

PARAPHRASIS.

Indutu pulcher es dilecte mi,& quod maius est, in ipsa pulchritudine decorus, ingenuitatis ingenitæ specimen forma ipsa testificans, moribúsque, motibus,& verbis latentes affectus venustè repræsentans: pulchritudo foris apparet florida, instar lectuli nostri conuiualis amoenè vernantis, vbi nuper discubuisti: decor latentem nobilitatem & affectus interiores manifestat, sicut cedrina nostra tigna, & cupressina laquearia latentes flores & occulta vnguenta per oppositos canales irrorandis delitiosè conuiuis propalabant.

CAPVT SECVNDVM.

VERS. I. Ego flos campi, & lilium conuallium.
VERS. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

VERBA sunt omnia sponsi, non indecorè se laudantis (quæ mens nonnullos, vt primum versiculum sponsæ darent, impulit immeritò, nec tam proprio encomio, quàm alieno decori, vt infra ostendam, seruientis, cupietat puella suprà dilectum suum frequentiùs inuisere: vnde iam in hoc capite post aliquot dies ponitur ab sponsu inuitata in hortum puto, vt ex contextu capitis fusè patebit: ibíque ille in ipso statim initio florem se vocat, non iam inter domesticos parietes clausum, qualis cùm nuper ab sponsa laudabatur: sed campestrem, sed rusticantem, qualem liberioribus colloquiis inter pascendum & meridiandum sponsa desiderauerat: cuius etiam in sequenti versiculo encomium aucupatur.

102. *Flos rosa, pro rosa.*

Ego flos campi. In Hebræo propriè *rosa* est: (licèt חבצלת etiam alios flores significet:) maluit tamen noster florem dicere rosæ significandæ, quia, vt Catholici notant, rosa florum regina, & flos per excellentiam nuncupatur. Addo ego, vulgato contra hæreticos morsus tuendo, in omni litteratura signatissimè flores rosis tribui, & florem rosæ pro puta pura rosa aptissimè vsurpari.

Vulgatus asseritur.

Euripides *in Aulide* de hac re.

> *Λειμών τ' ἄνθεσι*
> *Θάλλων χλοεροῖς,*
> *Καὶ ῥόδεα τ' ἄνθεα, ὑακίνθινά τε*
> *Θεαῖσι δρέπειν.*
> *Et paratum floribus*
> *Vernans recentibus,*
> *Et rosei flores, hyacinthinique*
> *Deabus decerpere.*

Et iterum *in Medea* de Venere rosis suis se coronante.

> *Αἰεὶ δ' ἐπιβαλλομέναν*
> *Χαίταισιν εὐώδη ῥοδέων*
> *Πλόκον ἀνθέων.*
> *Sempérque inycientem*
> *Comis odoratam roseorum*
> *Coronam florum.*

Sic Horat. *lib. 2. oda 3.*

> *Huc vina & vnguenta & nimium breues*
> *Flores amœnæ iube ferre rosæ.*

Et *lib. 3. oda 29.*

> *Tyrrhena Regum progenies, tibi*
> *Non ante verso, lene merum cado,*
> *Cum flore, Mæcenas, rosarum, &*
> *Pressa tuis balanus capillis*
> *Iamdudum apud me est.*

Sic Ecclesiastici 50. num. 8. *& quasi flos rosarum in diebus vernis*: vbi de mera rosa locus capiendus. legendus Martialis *epig. 61. lib. 9.*

103. *Rosa amori dicata.*

In hoc ergo Cantico florem, imò rosam se vocat sponsus, non solùm quo se laudet (quamuis nec id indecorum apud pastores & amantes, vt notant alij) sed etiam quo amorem moueat, & timorem amoueat puellæ, ni fallor: quod vt ostendam, attende. est rosa à prisco sæculo flos amatorius, ideo Veneri dicatus, quæ semper rosis coronatur, vt ex Euripide suprà notasti, vnde & illius osculum, dicitur à Græcis *φίλημα ἀφροδίτης*, & illius cruore apud priscos Græcos infecta creditur: allusit ex Latinis Claudianus *2. de raptu*, de Venere se coronante.

> *— Illa cruoris*
> *Carpit signa sui.*

Clariùs ille alius.

> *Illa quidem studiosa suum defendere Adonim*
> *Gradiuus stricto quem petit ense ferox*
> *Affixit duris vestigia fixa rosetis,*
> *Albaque diuino picta cruore rosa est.*

Trita hæc. non ita illud Aspasiæ vxoris Cyri Persæ Monarchæ, cui Venus rosarum suarum fomento creditur olim amissam pulchritudinem restituisse. Ælianus *lib. 12. cap. 1. σὺ δὲ τῶν τῆς ἀφροδίτης στεφάνων τῶν ῥοδίνων ὅσοι αὖ ἤδη αὖοι, τρίψασα: ἐπίπαττε τῷ φύματι* *Tu verò coronas roseas Veneris quæ iam aruerint, cape, easque contritas inberi impone.*

104. *Silentium gratum amori.*

Nota deinde nihil puellæ dilectæ gratius, quàm amatoris silentium: ne quidqoid in illius gratiam fuerit executa, iactabundus effutiat amorum fama proditâ. Scatent antiquorum scripta hoc puellarum cauto genio, hoc adolescentum gloriabundo ingenio: debeant nunc mihi tantum eruditi locum Propertij sui explicatum, cui hucusque cruci miserè affiguntur: ergo ille *lib. 2. eleg. 24.*

Propertio lux.

> *Nec si per totam infamis traducerer vrbem,*
> *Vrerer, & quamuis nomine, verba darem.*

Pro cuius intellectu scieris, eos, qui olim infames traducebantur, frontibus per ignem scriptis denotatos, iis litteris culpæ genus propalasse. Plinius *in Paneg.* de traductis delatoribus: *Expellere penatibus gestiunt: deturbentur. neque vt antea exanguem illam & ferream frontem ne quidquam conuulnerandam præbeam punctis, & notas suas rideant.* Ait ergo Propertius: se, licèt traduceretur, imò licèt amicæ, nomine in fronte inustâ insigniretur ad pœnam: adhuc tamen ore, secretos amores non fore propalaturum, nec fidem amatorij sigilli verbis violaturum. Quo quid pulchrius, quid venustius? loquatur, inquit, liber meus mutato nomine, versibus obliquis: imò licèt ipsum nomen reuelatum aliàs inusta fronte geratur, ab amatoris tamen ore non extorquebitur. Pergo.

105. *Rosa silentij nota.*

Rosa verò, silentij symbolum, celebratur: inde priscis orta parœmia, qua finito festiuo conuiuio

vtebantur, dicentes, *omnia ſub roſa*; cùm enim multa inter epulandum liberiùs effuſa ſcirent, multa prodigè reuelata: quo omnia interim dicta alto ſilentio tegenda ſignificarent, teſtem ſilentij roſam adhibuere. Vide multa apud Raderum noſtrum ad Martialem *lib. 1. epig.* 38. & apud Cerdam *Æneid.* 1. Hinc etiam ortum, vt Harpocrates, Deus ſilentij, qui admoto labiis digito ſacris arcanis Iſidis ſilentium imperabat, roſam à cupidine accepiſſe fingatur, furtiuis amoris ludis occultandis, & conuiuantium dictis obtegendis: venuſtè vetus Epigrammatarius apud Rader.

Eſt roſa flos Veneris, cuius, quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicauit amor.
Inde roſam menſis hoſpes ſuſpendit amicis
Conuiua, vt ſub ea dicta tacenda ſciant.

His breuiter notatis claret iam, quàm ex amoris genio paſtor noſter ſe roſam appellarit: rogarat puella dilectum ſuum, quem florem appellabat, vt ſe illi inter ruſticandum frequentiùs exhiberet. En ille ſe iam florem campeſtrem proteſtatur, & florem vt amorem augeat, amatorium; quia verò poterat timere ne iuuenis ſe iactaret, quòd puella etſi caſto virginum ſodalitio conſtipata, ſecum ad hortum veniret: eamdem roſam ſilentij notam aduocat, qua ſibi tantum fauorem tegendum proteſtatur. Ego certè non video cur cùm priſca omnia florum ænigmata ad myſticos ſenſus ab Spiritu ſancto intenta hic fateantur interpretes, ego etiam nonnulla ad dramatis tenorem aſſumpta, non præſumam, maximè cùm inde ſenſus myſticus fulgentior appareat. Vide quæ ad initium verſiculi 3.

106.
Lilium non eſt viola.

Lilium conuallium. Lubet ridere hîc quoſdam, qui Rabini ſententiam ſecuti pro *lilio*, *violam* legere malunt. Volupanit iam ille à noſtro Delrio hîc: à me verò nouerint eius diſcipuli, quàm à decepto Magiſtro, decipiantur. effutit ille, barbaros (ſic Latinos vocat homo barbarus ad vnguem) pro viola lilium efferre ſolitos: aut fallitur, aut fallit: certè decipit, ſi non decipit: imò Latini claſſici lilium & violam maximè condiſtinguunt: do pluſculos qui ad manum. Statius *lib. 1. ſyl.* 2.

Tu modò fronte roſas, violis modò lilia mixta
Excipis.

Ouid. 2. *de arte.*

Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent.

Idem *lib. 5. Metam.*

Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit.

& iterum alibi.

Hinc violæ florent, hinc roſcida lilia candent.

Virgil. *Ecl.* 2.

Huc ades, ô formoſe puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallentes violas.

Claudianus 2. *de raptu.*

Pratorum ſpoliatur honos, hæc lilia fuſcis
Intexit violis.

Ex modernis Petrus Bembus:

Liliaque & violas & purpureos hyacinthos.

Marullus item,

Has violas, atque hæc tibi candida lilia mitto.

Pulchriùs quidam alius,

Candida luteolis arrident lilia calthis,
Luteola & violis calthula pallidulis.

Ignouerat, credo, in hoc loco hanc diſtinctionem, pueris Latinis notam, maximus Hieronymus, qui in *Epiſtola ad Letam* ſic ſcribit. *Citò flores pereunt: citò violas, & lilium, & crocum peſtilens aura corrumpit.* Quis non rideat? diuerto ad hæc minuſcula

Vulgatus defenditur.

ſuggillandis neſcio quibus Catholicis, iuſto tenaciùs Rabinicæ verſioni adhærentibus: coarguendis Caluiniſtis, qui ſacri vulgati blaſphemant improprietatem. de Hebræo שושנה legendus Delrius præ aliis.

107.
Lilium ſpei ſymbolum.

Lilium apud priſcos ſpei fuiſſe hieroglyphicum lippis notum ex Pierio Valeriano, & antiquis nummis, vbi ſpes auguſta vernat liliis. Vnde interpretes hîc multa de Chriſto Domino ſpe noſtra piiſſimè philoſophantur. Ego cur id dramati non deſeruiat non video, quaſi iuuenis procus ipſo titulo quem aſſumit ſpem noui fauoris ab ſponſa accipiendi inculcet, fundatam merito in amore ſuo roſeo, roſeoque ſilentio. Quid autem ſperaret procus, niſi futuras nuptias? Moueor, quia, vt iam ad *cap.* 4. huius Cantici (vbi ſponſæ vbera inter lilia celebrantur) notauit ad rem aliam Sanchez: nuptiarum die puellæ apud Hebræos ornari liliis ſolebant. ſic *cap.* 6. venter ſponſæ, id eſt, ornatus ad ventrem, liliis candeſcit: ſic titulus Pſalmi quadrageſimiquarti, qui totus nuptialis *pro liliis* ſcribitur. quod etiam apud profanos mihi ſubolet, video enim Statium Stellam nouum maritum roſis Veneris, violis, vt credo, ob Violantillam ſuam, & liliis, ob cauſam, quam iam dico, coronare. ergo loco paulo antè citato ita.

Lilia nuptialia.

Tu modò fronte roſas violis, modò lilia mixta
Excipis, & dominæ niueis à vultibus obſtas.

Statius explicatus,

Nuptias etiam pueri affectaſſe Nymphas illas dici poſſet, de quibus ſuprà Virgilius dixit,

& Virgil.

Huc ades, ô formoſe puer, tibi lilia plenis
Nymphæ ferunt calathis.

108.
Iuno nuptiarum Dea.

Cuius rei cauſſa fortaſſe erit, quia lilium flos regius, Iunoni Reginæ dicatum, è cuius lactis guttulis candorem traxiſſe ferunt: Iuno autem nuptiarum vnica præſes credebatur. Virgil. *Æn.* 4.

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Sed quidquid ſit de gentibus, Hebræis ad nuptias familiaria lilia videtur negari non poſſe. bene ergo in hoc loco ſpei nuptiarum ſignificandæ lilium vocatur iuuenis, quòd & ipſum nuptiale intelligatur. Quòd autem dicatur *conuallium*, notarunt multi, ex confluxu aquarum in valles deſcendentium, pulchriùs & vernantiùs lilium deſignari. ita eſt. legatur Ælianus *de var. hiſt. lib.* 3. *cap.* 1. *& lib.* 13. *cap.* 1. vbi flores irriguos vallium deſcribit amœniſſimè.

109.
Virgo flori comparatur.

Sicut lilium. Complacuit ſibi iuuenis in lilij appellatione, quam de ſignificatione ſibi appropriarat: inde lilij pulchritudinem ſenſum deducens, pulcherrimum lilium puellam appellat. eſt verò vſitata virginis & floris comparatio. Catullus *in nuptiis Manlij*,

Talis in vario ſolet
Diuitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

& iterum *ibidem*,

Iam licet venias marite,
Vxor in thalamo eſt tibi,
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.

Sed quis aliorum non ita.

Inter ſpinas. Duplex ſenſus celebrior circumducitur. Primus, ſic ſuperare Sulamitidem coæuas ſodales, vt lilium ſpinas. Ego neſcio quid duriuſculum hîc ſemper ſubnotaui; licèt enim profuſior in laudes dilectæ erumperet adoleſcens: nunquam tamen ſatis pro decoro laudator videretur, ſi virgines amicas & præſentes, durè & inurbanè ſpinarum

110. Non pulchra, quæ inter fœdos pulchra est.

mero titulo pungeret ad præcordia. imò nec ipsa sponsa satis laudabatur, si solùm inter spinas fœdissimas pulchra videretur. inde locus Martial. lib. 8. epig. 79.

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites trahisque tecum
Per conuiuia, porticus, theatra:
Sic formosa fabula, sic puella es.

Secundus sensus vrbanior ait, sic custodiri sponsam à virginibus, vt spinarum sepe lilium defenditur: fauent LXX. qui vertunt: *sicut lilium in medio spinarum*. In hoc etiam aliquid suspicor diminutum: neque enim videtur negari posse, puellam de dotibus, virginibus sodalibus comparari, sicut statim adolescens inter coæuos dicitur excellere, sicut malus inter ligna syluarum. Media igitur, ni fallor, via eligenda, qua iri solet tutiùs. Custodiam igitur virginum significari admitto, sicut lilium spinis defensatur; sed tamen eo ipso sponsam illis modestè anteponi: itaque non durè spinarum titulo tractantur, quasi fœdæ coram tanta pulcbritudine apparerent; sed tamen decorè postponuntur, quòd amicam, vtpote præstantiorem, nouerint custodire: nihil autem durum & indecorum dicitur, si quando flori custodia assignanda, spinæ vocentur, & aduocentur quæ pretiosioribus plantis defensacula solent adhiberi, imò quòd defendant non offensæ laudantur, licèt meliori flori postponuntur. Certè non in odium spinarum dixit Esaias, *& omnes montes qui sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum & veprium*, cap. 7. num. vltim. imò potiùs in pœnam pretiosis plantis amouendos spinarum sepes minatur, quorum armato terrore defendebantur. Magis ad rem nostram Oseas 2. *num.* 6. vbi sponsæ Synagogæ sub metaphora vineæ delicatæ spinarum promittitur sepimentum: *propter hoc ego sepiam viam tuam spinis.* Vide ad vtrumque locum Sanchez, pretiosiores hortos apud Palæstinos vepribus tutos explicantem: quô affert illud Varronis lib. 1. cap. 14. de re rustica, *primum naturale sepimentum, quod obseri solet virgultis, aut spinis, quod habet radicem viua sepis: ac viatoris prætereuntis lascius non metuet facem ardentem*, etsi in nostro hoc loco crederem non viuas has spinarum sepes denotari, quæ in circuitu totius horti plantari solent: sed spineum sertum, quod tenerioribus plantis, & floribus ad amouendas bestiolas solet admoueri. integrum ergo locum sic παραφράζω.

111. Sepis viua.

PARAPHRASIS.

Ecce iam rusticamur, ó dilecta: & quem nuper domi tuæ, florem appellasti, eiusdem te in campo ad vmbram meridiantis cupidam significans, nunc tibi iam non domesticus, sed campestris flos appareo. adsum & amore, & silentio rosa tibi; incensus corde, nec tamen propalando fauori, mente iactabundus. ex quibus & lilium amœnissimum me reputem necesse est, grandi, de exito nuptiarum nostrarum felicissimo, spe concepta. Sic tibi non degener amator obtingo, quæ instar lilij in delitiis habiti, & propterea spinoso serto redimiti, coronâ virginum, quæ te pulcherrimam pulchræ colunt, custodiris.

VERS. 3. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios: sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Prætermissis modestè iis, quæ ad ipsam protulerat dilectus, ad ea, quæ de seipso dixerat, intendit animum, & quasi amatoriè coarguit, quod diminutus in laudibus sibimet inuidisse videretur, quippe qui non solùm amatorius flos de pulchritudine vernans, sed etiam arbor amatoria vtilior, ingenitarum dotium fructibus onusta. Deinde sub eadem metaphora iam declarat quod *cap.* 1. quæsierat, de loco opaco, vbi ille meridians esset inueniendus: non ita dictum, quasi ipsa dilectum non tam per ardentes Soles, & sub æstu degentem vellet sociare, quàm sub tegmine arboris recubantem: neque enim aliena vmbracula captaret, quæ sub illius pulchriori vmbra, amœniùs se nouerat recreandam: idque effectu probat, cùm tunc in horto non tam arborum vmbris & fructibus, quàm fructibus & vmbris mali suæ recrearetur, amore oculis & auribus concepto.

112. Poma amatoria.

Sicut malus. Supponunt omnes sacri interpretes, malum signatiùs electam à sacro Scriptore in hoc loco, quia mala & poma amoribus dicata apud prophanos. Rapio auide hoc verbum: ergo cùm rosa & lilium etiam apud profanos sint amatoria & ænigmatica, haud temerè dixi etiam in superioribus affectata. Sed certè ex hoc loco, & ex duobus aliis, quos adducunt, scilicet ex hoc cap. num. 5. *stipate me malis*, & cap. 8. *sub arbore malo*, &c. non ita clarè patet amatoria fuisse mala & poma Hebræis, vt eludi non possit: elucebit tamen satis, ni fallor, ex iis, quæ dixero cap. 7. n. 13. *omnia poma noua & vetera seruaui tibi.* Verum tamen, quoniam hic liber, etsi amatorius vndique, vndique tamen est pastoritius, & posset aliquis quidquid hîc dicitur de pomis, ad metam rusticæ vitæ conditionem, sine amoris ænigmaticâ significantiâ detorquere: laborandum mihi est adhuc, an ex alio sacro volumine inueniamus aliquid, quod huic nostro allucescat. &, ni fallor, est egregius locus ille Apocalypsis nondum satis excussus cap. 18. num. 14. *Et poma desideria animæ tuæ discesserunt à te.* fiunt hæc verba ad mysticam Babylonem, quæ miserè euertenda, & cum omnibus suis peritura describitur. vbi mirum inter tot pretiositates, quæ in toto illo capite abolendæ, exprimuntur: sola poma, quæ viliora, desiderium & animam Babylonis ad se rapere dicantur; sed si attendis, ibidem meretrix magna, & nobilis fornicaria dicitur Babylon: cùm ergo meretrici nihil pretiosius, quàm philtrum illud, quo amatores allicit, nullumque pomis philtrum apud meretrices vsitatius, meritò desolanda meretrix de pomorum desiderio cruciatur, quasi vno verbo amatores omnes amori describantur. Pomis ergo amatores suos aut absentes solicitabant meretrices, aut impetebant præsentes. de primo Petron. Arbiter.

Apocal. 18. num. 14. explicatur.

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia mittis.

Fragmenta etiam Alcimi.

Lux mea puniceum misit mihi Lesbia malum,
Iam sordent animo cætera poma meo.

Ex Græcis Lucianus *in Toxari*, ait mitti iuueni à formosa meretrice *μῆλα, ϗ̀ σεφάνους: mala & corollas*; de secundo Virgil. *Eclog.* 3.

Malo me Galathea petit lasciua puella.

Didicit à Theocrito *Idyl.* 5. quem olim Latina Musa donaui.

Blandula pastorem malo Clearista petebat

Ducen

Ducentem capras, blandoque admurmurat ore.
Aristophanes *in nubibus*, de quodam μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου. *Malopetitus à meretricula.* Vbi vetus interpres, *malis se petere ad rem veneream prouocare fertur, & ipsum malum Veneri est dicatum.* hunc Cerdæ debeo, in Theoc. & Aristoph. ego incideram. hæc satis pro meretricatu Babylonis, & vt aliunde, quàm ex hoc Cantico amatoria poma in sacro textu cognoscantur.

Pulchritudo arbori comparata.

Malus itaque in hoc loco planè amatoria arbor. Adde passim ab autoribus pulchros arboribus comparari. Do vnum Ælianum, qui id obseruauit *lib. 12. cap. 14.* ὁ δ' Ὅμηρος ὅταν τινὰ καλὸν δίκαιον ἐλέγξαι, δένδροις αὐτὸν παραβάλλει: *Homerus verò cùm pulchros aliquos vult significare, arboribus illos comparat.* Pulcherrimè igitur arborum assimilatur iuuenis, & malo maximè amoris significatrici: apud quem cæteri pastores nec pulchri, nec amantes viderentur. potuit hoc dici liberiùs, tum quia iuuenes aberant, tum quia, si adessent, minus à puella viri, quàm in superiori versu à viro puellæ tangi videbantur. Deinde non tam indecora excellentia mali, inter ligna syluestria, vt illa lilij inter spinas: sunt enim multa ligna syluestria pulchra visu, licèt non tam de fructibus gratiosa.

113.
Arbores gratæ.

Quem desideraueram. De metaphorica mali suæ vmbra loquitur puella: sed, ni hallucinor, cum gustu ad mores pastoritios, apud quos semper puellis priuatæ aliquæ arbores designantur, cæteris desiderabiliores, & tenerioribus habitæ in delitiis: id verò, vt coniector, triplici de causa: vel quòd naturali affectu certum arborum genus illis amabilius præ cæteris. est hoc illud Corydonis de sua Phyllide apud Virg. *Ecl 7.*

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho:
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phœbo:
Phyllis amat corylos, illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.

114.
Scripta.

Vel etiam qòd ab amatoribus scribebantur arborum cortices in gratiam puellarum, illarum aut nominibus, aut encomiis, vnde & hæ iam illis gratiores, quasi gloriæ suæ amœna quadam pompa gestatrices. Virgil. iterum *Ecl. 10.*

Certum est in syluis inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.

115.
Et dicata.

Vel tandem, quia amatores, aut sodales pulchrioribus puellis tamquam Numinibus arbores dicabant, comebant: quas illæ iam tamquam pulchritudinis suæ vernantia trophæa mirabantur. sic Theocritus de sodalibus Helenæ, *Idyl. 18.*

Prima tibi coronam ex loto humi crescente
Nectentes vmbrosam suspendimus ad platanum:
Prima autem tibi ex argentea pyxide vnguentum
Capientes, instillabimus sub vmbrosam platanum:
Litteræ autem in cortice scribentur (vt prateriens aliquis
Perlegat) Dorice venerare me, quia Helenæ planta sum.

Apud Statium etiam *lib. 2. syl. 3.* infelix amator fugitiuæ Nymphæ platanum consecrat, deinde subdit.

Viue diu nostri pignus memorabile voti
Arbor, & hæc dura latebrosa cubilia Nymphæ
Tu saltem decliuis ama.

His ergo omnibus aut dilectis, aut scriptis, aut dicatis arboribus malum suam præponere visa Sulamitis, illam ambit innatu pondere, quia sibi suauior, quia viuo cordis eiusdem libro inscriptam se æstimat, quia illam sibi deuotam & dicatam recognoscit. Planiorem alium sensum possem excogitare, nimirum locutam puellam de vsu pastorum fugientium certarum arborum vmbram nociuam, & vmbram aliarum salutarem perquirentium. Notum quod de Taxi vmbra Plutarch. *in conuiuio*, vbi ait ἀποκτείνειν *occidere* sub ea dormientes. Dioscor. 4. non solùm dormientibus, sed etiam *subsidentibus* mortem minatur. De Iunipero etiam euitanda pastor Virgilianus. *Iuniperi grauis vmbra est.* in hoc ergo loco suauis sponsi vmbra declaratur.

116.
Arboris vmbra nocens quæ.

Fructus dulcis. Oscula & amplexus castos ab sponso acceptos explicant interpretes, & meritò pro sua sententia, qua celebratas iam nuptias prosequuntur: ego verò qui non adhuc sponsalia, nedum nuptias, sed tantùm amores castissimos proci hoc temporis decantari autumo, necessariò alios fructus hîc excogito: absit enim, vt sponsorum privilegia, ante sponsalia purissimo cautico adscripta proferam. Explico igitur de fructu amoris illo iucundissimo, quem ab aspectu & verbis dilecti, puella oculis & auribus percipiebat, qui talis vt dulcissimus amoris palato posset iudicari. Et quoniam de fructu auribus gustato fusè sequenti numero dicturus, de amoris fructu, oculis percepto, quod à me audaciùs dictum possit iudicari, huc nonnulla congeram. Igitur oculos amorum fructus gustare, innuit Scipio, qui ad virginum captiuarum præsentiam demisit palpebras, *ne quid de virginitate*, inquit Florus, *oculis delibare videretur.* Neruosiùs Martialis de quodam formosa irritamenta contuente, *vidit, oculisque comedit.* apud Apuleium *lib 2. Metam.* depingitur puella ad amantem conuersa, *limis & morsicantibus oculis.* Elegantiùs Græci, *florileg. 7.* vbi amator,

117.
Oculi fructus amorum gustant.

5 Ὀφθαλμοὶ τίο μέχρις ἀφύσσετε νέκταρ ἐρώτων
Κάλλεος ἀκρήτου ζωροπόται θρασέες.

Oculi quousque hauritis nectar amorum
Pulchritudinis meræ, vini illius puri potatores audaces.

Parce latiuitas, non exprimis, non assequeris. Doleo non posse referri Græca pari emphasi. Magis ad rem meam Sophocles, apud quem Deianira iam natu grandior, virgunculæ florenti se comparat.

Ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν (lego ἕρπουσαν) πρόσω,
Τὴν δ' φθίνουσαν: ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
Ὀφθαλμὸς ἄνθος: τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα.

Video vtriusque ætatem: huius quidem adhuc appetentem,
Meam verò iam appetentem: inde carpere solet
Oculus amatorius florem, hinc verò pedem retrahit.

Hic flos captus, planè fructus est oculo amatorio degustatus. Ab hac metaphora in sacro textu satietas oculis tribuitur Eccles. 1. num. 8. *non satiatur oculi visu.* & cap. 4. num. 8. *nec satiantur oculi eius diuitiis.* magis huc facit in re amoris illud *Daniel. 13. num. 32.* de perfidis amatoribus Susannæ. *At iniqui illi iusserunt, vt discooperietur, erat enim cooperta, vt vel sic satiarentur decore eius.* Sic Tacitus, nescio de qua. *Velata parte oris, ne satiaret aspectum.* purior his omnibus amor sponsæ. Sed tamen qui suum pactum ab amati conspectu per oculos assumebat. plura infrà.

PARAPHRASIS.

Atqui non satis dixti, ô dilecte, dum te solummodo florem appellasti de amore gratum, de spe lætum, amatoriæ te mallem malo onustæ fructibus

[...] comparasses. Sicut enim inter syluestres arbores, incultas plantas malus gratiori excedit pomorum vbertate: sic tu inter coæuos adolescentes omnigenis gratiarum fructibus antecellis; felicet hæc erat vmbra, hoc tegumen, quod vehementiori pectoris, quàm temporis æstui mihi optabam: hanc spirantem arborem multis mihi titulis peramabilem cupiebam: nunc eâ iouentâ iucundè requiesco: pulchritudine tua oculos, & verbis aures reficiens maiori dulcedine, quàm si vllos arborum tuarum fructus degustarem.

VERS. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

Conuertit iam sermonem ad sodales, & se hoc aspectu his dilecti verbis sobriâ ebrietate ebriam protestatur, & amoris igne accensam, à quo se nunquam discessuram spondet: quandoquidem ordinata in se charitate, id est, facta amoris signifera, non posset absque dedecore prodere vexillum. multa in hoc breui sensu latent inuoluta, quæ mihi fusiùs explicanda, & tibi, mi Lector, legenda patienter, non tamen sine bono eruditionis fructu, vt spero.

In cellam vinariam. Sic in Hebræo, & Græco, *in domum vini.* nec indecorè sumitur metaphora ab eo, quod reapse exercitium non esset indecorum. promptuarium enim, & thesauri conclaium innuit sponsa, vbi omnes veterum opes & diuitiæ simul cum generosiori vino acertuabantur seruandæ, ex vsu prisco, quo in eadem vini domo pretiosa quæque alia reponebantur. miraris? testor Homerum *Odyss.* 2. de Telemacho nauigationi se accingente.

118. *Vinum olim etiam in thesauro repositum.*

— Ὁ δ' ὑψόροφον θάλαμον κατεβήσετο πατρὸς
Εὐρὺν, ὅθι νητὸς χρυσὸς, καὶ χαλκὸς ἔκειτο,
Ἐσθής τ' ἐν χηλοῖσιν, ἅλις τ' εὐῶδες ἔλαιον:
Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο
Ἕστασαν, ἄκρητον θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες.

— *His verò in altum thalamum descendit patris*
Speciosum: vbi cumulatum aurum & æs iacebat,
Et vestis in cistis, abundéque odoratum oleum:
Ibique dolia vini veteris dulcis ad bibendum
Stabant, purum diuinum potum intus habentia.

119. *Oculo pasti.*

Hinc ergo deducta in hoc loco metaphora, licèt præcipuè puella à vino ebrietatis desumpserit similitudinem. iam verò quod instar vini pulchritudo & sermo sponsi illam satiaret, præter ea, quæ paulo antè dixi, hinc vlteriùs probari potest, ex vsu scilicet auctorum, qui oculis & auribus bibendi & comedendi non sine virtute transferunt rationem. Ouid. 3. *amor. eleg.* 2.

——— *Spectemus vterque*
Quod iuuet atque oculos pascat vterque suos.

Propert. *lib.* 2.

Dum nos fata sinunt oculos satiemus amore.

Virgil. *Æneid.* 1.

——— *Longumque bibebat amorem.*

Ebrietatem tamen oculorum exprimit suprà citatus locus florilegij.

120. *Aures pastæ & ebriæ.*

Venio ad aures. Plautus in Aulol. *nimirum libenter edi sermones tuos.* Horat. lib. 3. *bibit aure vulgus.* Lucianus in amoribus, *amatoria quadam confabulatione amicè Theomnestes, à primo statim manè aures mihi perpetuis & seriis aliis studiis defatigatas repleuisti. & mihi quidem talem remissionem admodum sitienti, opportunus admodum verborum tuorum lepos affluxit.* Fortè autem ista tibi satis pro mea explicatione, nisi & aurium expressam probem ebrietatem. Do eumdem Lucianum in *Nigrino*, de quodam, qui auditis grauissimis Philosophiæ dissertationibus subdit: τότε μὲν καὶ αὐτὸς ἔχαιρον, καὶ μεθύων ὑπὸ τῶν λόγων ἀπηρχόμην: καὶ ὅλως οὕτω γε ὁ μεθύων, ἀλλὰ νήφων, καὶ κοσμούμενος: *sic & ego quasi temulentus & ebrius verborum suauitate huc accedo. quamuis id reuera non tam ebrietas, quàm sobrietas & temperantia debeat appellari.* Notius in verbo *Ebrius*, ita. *& aliis fertis auribus dape, atque ebriis ἀπεραντολογίαις consurgimus ieiunis oculis.* Est autem ἀπεραντολογία sermo, vt nosti, prolixus & interminatus. Ælianus lib. 3. cap. 1. *Continuum etiam hinc inde aues, maximè illæ, quibus à natura ius datum Musica, καὶ ἐκεῖναι δὲ μάλα τὰς ἀκοάς. suauissimoque quodammodo conuiuio aures reficiunt.* hæc satis puto, vt videas quàm absque temeritate vnus explicem sobriam hanc sponsæ ebrietatem de fructu quod oculis & auribus percepit. Veniamus iam ad huius amatoriæ ebrietatis nobiles effectus. Ait igitur puella, se iam ab amore discedere non posse decorè. idque præstantissima, sed occultiori propalat metaphora; hoc modo.

121.

Ordinauit in me charitatem. In Hebræo est, *vexillum eius fit per me charitas.* quod perinde est. nam ordinandi verbum castrense est, & apud Latinos & Græcos inter bellicas voces passim vsurpatur. hinc ergo plures sensus ab interpretibus venustissimi & grauissimi deducuntur, quos tute apud illos videris, si lubet. Mihi nouus de more alius, neque, vt puto, inelegantior excogitatus, fusè, vt soleo, ne spernatur, comprobandus. Suppono igitur in primis τὸ *in me* in ablatiuo esse posse, idque etiam in Hebræo עלי, vt fatetur Sanchez: qui immeritò negat ἐπ' ἐμὲ, quo LXX. vsi sunt, per ablatiuum nostrum verti posse. Certè præpositio ἐπὶ etiam quietem designat: & Thucidides, *sedere super focum* dixit: καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν: vt in sua Grammatica notat Gretserus noster: ergo ἐπ' ἐμὲ, sicut Hebræum *super me* aptissimè explicatur.

Præpositio in & ἐπὶ in ablatiuo.

122. *Amor militia est.*

Suppono secundò tanquam certum, rem bellicam, ad amorem feliciter traduci. Ouid. 2. *de arte.*

Militiæ species Amor est, discedite segnes.

Ideo Helena *in Epistola ad amicum*, apud eumdem.

Hectora, quem laudas, pro te pugnare iubeto,
Militia est operis, altera digna tui.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 1. Marti renuntians.

Nunc leuis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.
Hîc ego dux milesque bonus: vos signa tubæque
Ite procul: cupidis vulnera ferte viris.

Hæc satis in re trita. non ita quod sequitur.

123. *Amator signifer, quis.*

Suppono tertiò. egregios amatores, qui aliis amoris aut doctrinam, aut exempla præbebant, amoris signiferas vocari. Ouid. *lib.* 1. *de remed. amoris.*

Parce tuum Vatem sceleris damnare, Cupido
Tradita qui toties, te duce, signa tulit.

Ipse Cupido apud Statium *lib.* 1. *syl.* 2. de Stella iuuene Poëta & amante.

——— *Iam mater amatos*
Indulge thalamos, noster comes ille piusque
Signifer. armiferos poterat memorare labores,
Claraque facta virum, & vndantes sanguine campos:
Hinc tibi plectra dedit, mitisque incedere Vates
Maluit.

Quasi quia aliis amoris magistri erant, & sequenda exemplaria signiferi dicerentur.

Suppono

124. *Vexilla olim in bello quanti habita.*

Suppono quartò ex re bellica in summa veneratione habita vexilla, vnde graue crimen, & summa pœna punitum illa perdere. Dionys. Halicar. lib. 9. *Antesignani, quorum amissa fuerant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus: reliqua copia decimata sunt. quæ pœna solemnis apud Romanos est eorum, qui ordines deseruissent, aut signa amisissent.* Vnde nobilis Lusitanorum familia, quos *Coutinhos* dicunt, à prisco vexillifero, qui amputatis manibus, truncis brachiis (*Cotinhos* proprio idiomate vocamus) signum retinuit. hinc illud durum stratagema, vt vexillum suum intra hostium vallum inijcerent, certi perituram potius gentem suam, quàm signum ab hostibus retineri. Valer. Max. lib. 3. *Cùm Annibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret: Vibius Accaus Pelignæ cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum proiecit, seipsum suosque commilitones, si eo hostes potiti essent, execratus, & ad id petendum subsequente cohorte primus impetum fecit.* Hinc etiam summus dolor pro signis amissis, & illorum recuperatio gloriosissima. Summa laus Augusti, recuperasse à Partho signa Romana olim capta. alludit Ouid. *lib. 1. de arte, & 6. Fast.*

Parthe quid exultas? dixit Dea: signa remittes.

De eruditis (qui de his multa) illibatum Epigramma ex florilegio.

Αἰετὸν ἁρπαχθέντα φίλου στρατοῦ ὡς ἴδ' ὑπ' ἐχθροῖς
Αὖτις ἀρηϊφάτων ἄνθορεν ἐκ νεκύων:
Κτείνας δ' ὅστ' ἐκόμιζεν, ἑοῖς ἀπεσώσατο ταγοῖς,
Μοῦνος ἀνίκητον δεξάμενος θάνατον.

Aquilam direptam amici exercitus, vt vidit apud hostes,
Iterum bello perpetrata prosiluit ex morte:
Interficiens verò illum qui portabat, suis signum recuperauit,
Solus insuperabilem consecutus mortem.

His positis apparet iam quod sibi velit sponsa. ait ordinari in se charitatem, vexillo nimirum allato, vt acierum amantium ordines illam insequantur signiferam, id est, illam in hac molli militia fidelis amoris habeant exemplar: à quo tam turpis, tam digna supplicio discederet, quàm turpis & dignus pœna capitali fuerit signifer, si hostibus proderet vexillum, aut ordinem desereret, vt suprà dixit Dionysius.

125. *In vexillo imago ducis,*

Charitatem. Latet mysterium, quod nullus, quem viderim, voluit scrutari. Charitas, siue amor in hac militia dux est, vt omnes supponunt: cur ergo vexillum ipsum vocat amorem, siue charitatem? Dicam quod sentio. potuit vexillum ipsum charitas appellari ab ipso amore, cui sub hoc signo militabatur; idque multipliciter. Primò si in ipso vexillo amoris ad viuum figura depicta (supposita militiæ allusione) existimetur, ex vsu quòd ducis imagines ibi depingebantur. Herodianus lib. 8. de Maximino. *Postquam de signis militaribus illius imagines detraxerant, prodeuntem mox de tentorio obtruncant.* ideo Porus Indorum, postquam ab Alexandro debellatus fuit, imaginem illius suis vexillis imposuit. Autor est Q. Curt. *lib.* 8. Secundò, si non solùm tamquam ducem, sed tamquam amatorij generis decus & ornamentum atque Protoparentem amorem ipsum in vexillo pictum significasse putemus; sic ipse Porus antea Herculem portauerat, (Curtius *ibidem*) pro signo militari. Sic Hebræi; Tribus enim Iuda leonem, Beniamino lupum, Isachar asinum in vexillis portasse creditur, de quo videndus noster Prado. Tertiò, si dicas non tam expressa imagine, quàm notis & litteris amoris nomen ibi descriptum innui.

aut alia.

item nomen.

inde lux Alexandro Neapolitano *lib. 4. cap. 2.* de vexillis Romanis. *In quibus nomen Imperatoris, aut Consulis.* quæ verba effugerunt Tiraquellum eruditissimum eius Scholiastem. illustro ex Seneca, qui suos (vt fert mos Poëtarum) exteris mores affingit: ergo ille *in Theb.*

Alexander Neapol. explicatus.

——— *Surrectis adest*
Frons prima telis, aurea clarum nota,
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

Hinc etiam per notas S.P.Q.R. *Senatum populumque Romanum*, Latina signa exprimebant: quod etiam Hebræis olim in vsu fatentur Rabini multi, & ex nostris grauissimis, non pauci. pro omnibus audiendus Sixtus Senensis *lib. 1. Biblioth.* qui ex Rabbi Isaac ista profert. *Iudas Mathathiæ filius, cùm aduersùs Antiochum Iudæorum hostem esset prælium initurus, dedit militibus suis ceu belli tesseram, sententiam illam Moysis cap. 15.* מי כמכה באלים יהוה. *hoc est, Quis sicut tu in fortibus Domine. iussitque eam singulis ordinum vexillis tamquam certum victoriæ omen inscribi per quatuor has literas.* מ. כ. ב. י. *quæ initiales sunt prædictarum quatuor dictionum.* & quæ ibi sequuntur, vnde Machabæorum appellationem prodiisse testatur. Quartò, posset quis putare aliquo hieroglyphico symbolico amoris vexillum effigiatum, Vnde Vegetius lib. 3. cap. 6. *Tutissimum in expeditionibus creditur facienda nesciri. ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt; vt quemadmodum ille in secretissimo labyrintho abditus perhibetur: ita ducis consilium semper esset occultum.* Quintò, si dicamus scriptum in vexillo significari cui amori puella deseruiret: sicut apud priscos, vt refert Vegetius *lib. 2. cap. 13.* scribebatur in vexillis, *ex qua cohorte, vel quota centuria quis esset.* His omnibus modis, & similibus potuit vexillum ipsum amor appellari, sicut Romani Dracones & Aquilas ab horum figura vexilla appellabant.

Aut forma hieroglyphica.

Aut titulus centuriæ, vel cohortis.

126. *Vexillum congregandis militibus.*

Hæc mihi germana, nec inelegans, huius loci visa allusio, nec tamen facilior tibi alia inuidenda. Solent duces belli tempore congregandis militibus ab arce vexillum erigere; quod & fit hodie, & olim factum testantur plenæ paginæ eruditorum. Satis vnus Virgil. *lib. 8.*

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Vtque acres concussit equos, vtque impulit arma:
Extemplò turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, sæuitque iuuentus
Effera.

Quasi dicat puella, ex eo quòd iuuenis amoris vexillum ex ea, vel ab ea erigeret, extemplò omnes eius affectus & potentias in illius obsequium coniurasse dilecto strenuissimè militaturas.

127. *Vexillum tenere, id est, primas obtinere.*

Vin' tertiam explicationem facillimam? attende. è re bellica erigendi vexillum formula deducitur, qua in quacumque materia significamus id cui vexillum tribuitur, primas tenere. sic Tertull. Apolog cap. 50. *Licèt nunc sarmentitios, & semaxios appelletis, quia ad stipem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur: hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Meritò itaque victis non placemus, propterea enim desperati & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos in caussa gloriæ & famæ vexillum virtutis extollunt.* quasi virtus apud Christianos illustrior, quia vexillata. Sic Seneca de vita beata cap. 13. *Prima virtus sit, hæc ferat signa.* licèt Tertullianus pro solita sua eruditione aliud obiter innuat,

Tertul. explicatus.

non quòd Cerda & alij interpretes putant ad pugnandum, sed, ni fallor, signi- illum, quo deuictis locis, & captis ar- victoris extollitur vexillum. frustrà enim ad pugnam contra Gentiles recurre- Tertullianus, quos à virtute & fidelibus trium- vt vides, iam victoa ipso martyrio sup- quem locum in illorum gratiam expli- qui putant venustè satis id voluisse in hoc lo- sponsam, & se penitus captam ab amico profi- Sed pergo in hac mea terria & plana expli- catione. Statius in *epulo Domitiani.*

Ipsum ipsum cupido tantum spectare vacauit
Tranquillum vultu, sed maiestate serena
Mulcentem radios, submittentemque modestè
Fortuna vexilla sua.

Ammianus Marcel. lib. 14. *velut contumacia vexillum quoddam altius erigens sine respectu salutis alienæ, vel suæ.* sic in re pulchritudinis, vnde illud de sponsa infra cap. 5. num. 10. *electus ex millibus.* in Hebræo est דגול *vexillatus.* erit ergo huius loci sensus planissimus, si dicat sponsa solum amorem exinde apud illam primas obtenturum. Satis ista.

PARAPHRASIS.

Sed hem sodales! hac ipsa oculorum & aurium refectione quasi in vinariam apothecam à dilecto introducta, & ibi immoderatiùs pota, impotentioris amoris vino iura inebrior, non vlnà iam liberæ mentis compos euasura: iam enim amatoris vexilli facta signifera, tam turpe mihi ab amore discedere putarem, quàm est indecorum signifero, si ignauiter vexillum sibi ab hoste eripi patiatur. Amori, omnes nostri sensus coniurant militaturi. vocaus amor primas obtinebit.

VERS. 5. Fulcite me floribus: stipate me malis, quia amore langueo.

Tenerrima sunt ista, & tenerrimè iam ab interpretibus enucleata, ego vt sum durus genio, sentiendos affectus potiùs tibi relinquo: solùm res quibus lateat, quia id non satis hucusque excussum, declarabo: si moras fecero, ignosce lector, difficulter à floribus & pomis discedit animus, perpetuo durioris commercij labore defatigatus. Dum hæc scribo; missionariom ago concionibus faciendis, excipiendis confessionibus, triennio iam occupatos: vbi suffurandum somno, si quid paululum in priscis studiis velim respirare: idque sine libris, præter quàm eos, quos in extractibus meis carptim, vt solet, transcripsi. redeo. Imposentis amoris vino, quod à pulchritudine & sermone dilecti hauserat oculis atque auribus puella, non solum subtia ebrietate corruens, sed penè deficiens animo deficiebat: quid ergo postularet, nisi illa, quibus deliriosè reclinato corpore animus renouseit. Sic plures interpretes, etsi nullos, cur res ita se habeat, curet examinare: id iam facio, vt sensus mea appareat cohærentior, nec ita explicatio protrita, nouo & diuerso decore exornata.

128. *Flores ad cubitum.* *Fulcite me floribus.* Quàm aptè Hebræum אשישות nollet per *flores* explicet, probarunt alij. quàm autem de more flores ad delitias discubitus pertantur, florido exemplorum congestu declarandum: quod etiam vidit Symmachus, qui vertit *ἀνακλίνατέ με ἐν ἄνθει*, *reclinate me in flore.* ergo de hia Spartianus in Ælio Vero, *Lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat minuto reticulo vndique conclusum, eumque foliis rosæ, quibus ademptum erat album, replebat, iacensque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, vnctus odoribus persicis.* Tullebat album, quia pars illa ad caliecm duriuscula. cauebat, credo, delitiosus Imperator, quod priuatus Sybarita quærebatur: de quo Ælianus *lib. 9. cap. 24.* [Greek text, partly illegible] *in rosarum foliis recumbens, somnumque in eis carpens, expergefactus dixit se pustulas ex lecto (duro scilicet) habere.* homo pareus, & minimè ad delitias curiosus, qui album foliis demere non præuidit: lubet ridere. Propert. *lib. 3. eleg. 3.*

Me iuuet hesternus positum languere corollis,
Et caput in verna semper habere rosa.

Sed hic videtur loqui de lectulo conuiuali rosis, quibus discumberent, strato. sic Tullius 5. Tuscul. *An tu me in viola & rosa putas dicere.* & *Act. 7. in Verrem, vbi delitioso homini datur puluinus Melitensi rosa fartus.* Lampridius in Heliogabalo. *Strauit & triclinia de rosis, & lectos, & porticus, ac si per ea deambularit, idque omni florum genere lilis, violis, hyacinthis, & narcissis.* & iterum ibidem, *Illud sanè mirum videtur quòd dicitur ab eo factum, vt de croco sigma straverit, cum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate se dicens fœnum exhibere.* Nota *sigma* pro lectulo. Sed quòd in primo loco ait de deambulachtis flore sparsis, quod etiam ad delitias, in quibus sumus, facit: probat duplex locus Æliani, primus de Dionysio iuniore *lib. 9. cap. 8.* [Greek text, illegible] *domus insigniores, qua erant in vrbe, occupans, rosis serpyllis, & aliis floribus strauit.* & eodem *lib. 9. cap. item 9.* de Demetrio Polyo certè ita: [Greek text, illegible] *Vnguentis pauimentum eius diffluebat, & singulis anni temporibus recentis vigoris flores sibi incessuro substernebat.* Non igitur mirum, si amora luxuria, delicata puella vlitatas delitias & fulcimentum florum *molle desideraret.* Possit quidem aliquis dubitare, an verbum fulciendi aptè reclinandæ sponsæ vsurpetur: ego nullum aptius noui: firmo ex Virgilio *Ecl. 6.*

Sigma pro lectulo.

Fulcire quid.

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Vbi Seruius correctior. *apud veteres vnusquisque eo, super quod iacebat, fultus dicebatur.* vbi multa congerit Cerda, quæ huc minè faciunt: tu legens.

129. *Poma ad cubitum.* *Stipate me malis.* Ita signatè Græca & Hebræa, nec absona ad similes delitias poma floribus immixta. Stesichorus apud Athenæum lib. 3. *Multa cydonia mittebant in thorum Regis, multaque myrti folia rosarumque ac violarum elegantes orbes.* Sic locus restituendus, vt docuit non malus interpres Athenæi, vtinam & vir bonus, Casaubonus. Trebellius Pollio in Gallienis: *ac ne eius prateriatur misseranda solertia, veris tempore cubicula de rosis fecit, de pomis castella composuit.* facit huc etiam illud Vopiscii in Carino. *Inter poma & melones notauit: rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula strauit.* nihil ergo nouum affectat sponsa si malis ad deliriis quieris se velit stiparam.

130. *Flores & poma amatoria, & cur.* Sed adhuc altiùs res tendit, non solas delitias affectabat sponsa, sed illas, quæ amori conueni- rent: vide quæ suprà de amatoriis pomis & floribus cumulaui. Adde ad rem præsentem optimum locum Athenæi *lib. 12. cap. 31.* quærentis cur

F poma

poma & flores in manibus gestatæ ab amantibus. *Clearchus Solensis: Cur, inquit, in amatoriis flores mala, resque eiusmodi in manibus gestare solemus? &c. horum pulchritudo consolatio, animique confirmatio in amatoribus habetur.* præoccupauit mihi hunc locum Boa noster *singul.* 3. *in appendice cap.* 1. do illibata alia. Theocritus *Idyl.* 10.

> Αἴθε μοι ἦσαν Κροίσω πόκα φαντὶ πεπᾶσθαι
> Χρύσεοι ἀμφότεροι κ᾽ ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.
> Τὼς αὐλὼς μὲν ἔχοισα, καὶ ἢ ῥόδον, ἢ τό γε μᾶλον.
> *Vtinã mihi essent quot opes dicunt Crœsum possedisse:*
> *Aurei certè staremus ambo dicati Veneri:*
> *Tu Tibias tenens, aut rosam, aut malum.*

131. *Alia eiusdem causa.* Vnde & noua ratio deducitur huius gestationis, quia rosa & malum, vt suprà dixi, dicantur Veneri, & ideo gestata etiam in statuis voluit Theocritus. Aliam rationem de pomis affert Plato apud Laërtium epigrammate illo τῷ μήλῳ βάλλω σε: quod vulgo ita legitur,

> *Malo ego te ferio, tu me si diligis, illud*
> *Suscipe: me imperti virginitate tua;*
> *Hoc fieri si posse negas, hoc suscipe malum, &*
> *Quàm pereat paruo tempore forma vide.*

132. Hoc est, tam citò forma perit, quàm pomum. Vnde apud Iob. *Naues poma portantes* pro velocissimis, ne poma corrumperentur: quod maiori iure de floribus dicitur. Vnde

> *Quàm breuis vna dies ætas tam longa rosarum.*

133. quæ ratio sæpe ab scriptoribus amatoriis puellis obtruditur. Vltimam tandem causam affero ex aliis verbis Athenæi, loco citato. *Fit enim florum pomorúmque præsentia lenius desiderium.* Ex quibus omnibus de causis elucido iam sponsæ mentem. Fulciri vult delitiis, vt à deliquio recreetur, sed floribus præcipuè, & pomis amatoriis, vt amorem testetur: & dum se florum & pomorum corruptibilium ostendit non oblitam, confirmat spem amantis, nec se passuram innuit, vt forma dilatis nuptiis senescat: imò, vt se casti vinculi cupidam protestetur, desiderium præpalat, dum leuamen affectat desiderij.

134. *Languor & pallor amantium.* *Amore langueo.* Nihil magis patheticum dici poterat, in vno languore omnia amatorij morbi symptomata copulantur. Eodem verbo Horat. *oda* 11. *epod.*

> ———*amantem & languor & silentium*
> *Arguit, & lateri petitus imo spiritus.*

Languor pallorem obducit, & maximè in deliquio, vbi sanguis penetralia cordis petit: quàm id amanti iam iam nuptutæ innatum? Plinius lib. 21. c. 8. *Luteum video honorem, antiquissimum in nuptialibus flammeis.* id verò non sine omine: ideo Festus in regillis *tunicis albis, & reticulis luteis induta virgines pridie nuptiarum ominis causa.* Volunt autem, & meritò, interpretes, omen esse luteum, siue pallidulum colorem, palloris quo amantes inficiuntur: tunicas albas ad puræ innocentiæ, & liliatæ virginitatis defero testimonium. Ideo Horatius *lib.* 3. *oda* 10.

Festus explicatus.

> *Et tinctus violâ pallor amantium.*

Propert. *lib.* 1. *eleg.* 9.

> *Nec dum etiam palles, vero non tangeris igne.*

Ouid. 1. *de Arte.*

> *Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.*

Idem 4. *Metam.* ad Solem.

> *Nec tibi quòd Lunæ terræ proprioris imago*
> *Obstiterit palles: facit hunc amor ipse colorem.*

Apuleius lib. 10. *Signum amoris pallor deformis.* Sed quis non ita? do vnum Catullum *in nupt. Pelei*, qui pallorem languori copulat.

> *Qualibus accensam iactastis mente puellam*
> *Fluctibus in flauo sæpe hospite suspirantem.*
> *Quantos illa tulit languenti corde timores,*
> *Quanto sæpe magis fulgore expalluit auri.*

En tibi ad amussim sponsam effigiatam.

135. *Amoris vulnus insignius.* Venio ad alias versiones, in quibus multum omphasis nondum expensum ab aliis. L X X. ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ. Vulgò vertitur: *quoniam vulnerata charitate ego.* Sed, vt vides, in Græco est genitiuus, &, vt videtur, volunt suppletam aliquam vocem, scilicet, ἀπὸ, vel ἕνεκα, vel aliquo instrumento vulnerante. nihil suppleo: verto fideliter, *quoniam vulnerata charitatis ego.* nihil magis emphaticum, nihil maiori epitasi dici potuit. quasi dicat: ego illa sum vulnerata, quam suam appellat charitas: de me vna dexterimè percussa se iactat: quasi si de omnibus Apellis picturis diceremus κατ᾽ ἐξοχὴν Venus aurea Apellis pictura, quia excellentior: quasi cæteras fastidiat, quasi cæteræ non illo dignæ. Sic sponsa se vulneratam amoris appellat, quasi in vna potentiam ostentarit, & trophæum gloriæ erexerit. talis erat ille, de quo Cupido se iactat apud Statium *lib.* 2. *syl.* 2.

> *Hunc egomet totam (tibi dulce) pharetra*
> *Improbus, & densa tripidantem cuspide fixi.*

loquitur ad Venerem matrem.

136. *Philtrum quid.* Venustior adhuc Symmachus, qui legit, τετρωμένη γὰρ φίλτρῳ: *sum enim percussa philtro.* Est autem philtrum omne illud, quod poculis amatoriis & cæteris veneficarum pharmacis alliciendis affectibus tractari solet. De philtro multa Tiraquellus *leg.* 14. *connubiali.* tu legeris. Do pluscula, in quæ ego incidi: vnum tantùm ex illo delibabo. Athenæus *lib.* 9. *cap.* 3. de Pastinaca. *Satis promouet ad res venereas, quamobrem philtrum à quibusdam vocatur.* Horatius de puero in veneficia à venefica trucidato, *epod.* 5.

> *Exsucta vti medulla, & iecur aridum*
> *Amoris esset poculum.*

Et iterum de eadem, *ibidem, oda* 17.

> *An quæ mouere cereas imagines,*
> *Vt ipse nosti, curiosius, & polo*
> *Diripere lunam vocibus possim meis,*
> *Possim crematos excitare mortuos,*
> *Desideriique temperare poculum.*

Iuuenal. *satyr.* 6.

> *Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit*
> *Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,*
> *Et solea pulsare nates.*

Sueton. in Caligula cap. 50. *Creditur potionatus à Cæsonia vxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verteret.* Philtro opponitur misetrum, μίσητρον, de quo Origenes *lib.* 7. contra Celsum, & plenis paginis Quintil. *decl.* 14. éstque poculum odium concilians. Significat ergo sponsa tantum vis in sponsi dotibus amandis in se experiri, vt videatur philrro quodammodo assumpto in illius ardorem rapi.

137. *Vultus formóque pulcher, philtrum.* Sed maius aliquid in hoc loco, & meæ in toto hoc capite concatenationi cohærentius delitere puto. gustauit puella fructus mali suæ, id est, verba & pulchritudinem auribus & oculis combibit: quibus excreuisse adeò amorem sentit, vt se potionatam philtro protestetur, quando nullum philtrum potentius sermone, vultúque decoro reperitur. Pulchrè Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 8.

> *Quid queror heu miserũ carmen nocuisse? quid herbas*
> *Forma nihil magicis vtitur auxilijs.*

Florileg. 4. de pulchro amore.

Φίλτρα δ' τίκτου-
τοξεύων, ἀλλ' ἀπενοσφίσατο.
Philtra verò paro
illator, ſed accentè conſpellat.
Non ſibi ibidem 7.
Et iterum κάλλος ... ἔρωτα, σύγχαιτε δ' φίλτρα
Zenophila ... ἔχειν, αἱ χάριτες δ' χάριν.
Zenophilæ pulchritudinem amor: connubialia verò
philtra
Venus dedit habere: gratia verò gratiam.
Hæc de forma. de voce *ibid. lib.* 3. de puella mortua.
Ἔσβεσθη δὲ τὰ φίλτρα τὰ κωτίλα, καὶ μετ' ἀοιδῆς
Παίγνια.
Extincta ſunt philtra garrula, & cum cantu
Pſalmus.

Parco aliis quæ inueni, & mutuor à Tiraquello, vt dixi, locum vnum: accuſabatur apud Olympiam puella, author Plutarchus *cap. 24. de præcept. connub.*) quaſi Philippum eius maritum philtris & incantationibus abduxiſſet: quam Regina vbi ſibi adductam, vidit ſpecioſiſſimam, dixiſſe ferunt, *χαιρέτωσαν αἱ διαβολαί: σὺ γὰρ ἐν σεαυτῇ φάρμακα ἔχεις, abeant calumnia, ſatis philtrorum habes in te ipſa.* Hoc ergo ſibi voluiſſe ſponſam ex Symmacho, mihi perſuadeo.

136. *Philtrum quid.*

Illud ſignanter nota, hæc verba puellæ, ſicut & euenit, intelligenda facto ipſo veriſſima comprobata. nam languenti ſpiritu, & colore pallidulo, & ſingultante ſuſpiriis ſermone, lachrymis, è penè clauſis & ſuaui ſopore merſis oculis, decore ſtillantibus proferuntur. Eſto ergo paraphraſis.

PARAPHRASIS.

Vos igitur ſedulæ, floribus, & pomis amatoriis, (quæ ſpem dilecto firment, & meum illi propalent ſenſum) collabantem, & nimia amoris teneritudine liqueſcentem, quaſi philtro potionatam confirmate.

Vers. 6. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Hæc & ſimilia dum quereretur puella, imaginor ſodales (vt in dramatis euenit) in ſpargendis floribus, quibus reclinaretur, occupatas, in congerendis pomis, vt illius anni, acerbis (durabat enim ver) aut ſuperioris, in horti promptuario ſeruatis, quibus recrearetur; ſed amoris vulnus eius eſt ingenij, vt ſola percutientis pulchritudinis manu ſanari queat: flores & poma ad ſummum leuare tantiſper poterant, tollere omnino dolorem non poterant. Scitè Ouidius in re ſimili.

138. *Amoris vulnus vnde ſanetur.*

Hei mihi quòd nullis amor eſt medicabilis herbis.

& Tibullus *lib. 3. eleg. 2.*

Non potuit curas ſanare ſalubribus herbis.
Quidquid erat medica vicerat artis amor.

Propertius *lib. 1. eleg. 1.*

Non tibi tunc potero ſolatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei ſit medicina mali.

137. *Vultus ſereni que pulcher. philtrum.*

Hæc dum experitur puella, remedium, quod meditatur vnicum & nunciat & exoptat, ſed ſummo cum decoro caute & caſtè rem explicat perſuurum: & quaſi iam illam pœnituerit de floribus & pomis rogatis à ſolo nuptiali futuri coniugis complexu ſanandam ſe penitus (quaſi tunc vſque dolituram) proteſtatur. quæ etiam tremula adhuc lingua languenti voce ad ſodales fuiſſe dicta, idque ſuſpirantèr, ni fallor, intelligenda: illæ tamen, vt fert tenerarum puellarum ingenium, præſtantiſſimæ ſodalis dolorem acerbiſſimum exiſtimantes: haud ceſſaſſe ab applicandis remediis & verbis commiſerationis pleniſſimis, creduntur mihi, quibus proinde hilaris iuuenis, tam manifeſto, eximij erga ſe affectus, exultans teſtimonio, ſequentia verba dirigit: ſed horum priùs paraphraſis apponenda.

Plutarch. in Coniug. præcept. ... *Plutar. in Coniugica.*

PARAPHRASIS.

Sed quàm vana heu! remedia deſideraui, quàm laboratis in caſſum, ô piiſſimæ ſodales: hoc vulnus ſolis percutientis manibus ſanabitur: tunc ſolummodo conualeſcam, cùm nuptiali die, vſque tunc languida, ſiniſtræ dilecti ad caput fulcimento, & dextræ complexu perfruar ſuauiſſimo.

Vers. 7. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam quo ad vſque ipſa velit.

Languori naturâ ipſa ſubſecutum ſomnum volunt interpretes: id licet aliàs factum, non tamen in hoc loco, vbi ſponſa, vt videbimus, ſponſi verbis attendit, pro mea concatenatione admittendum. Vnus Sanchez in ſuperiori verſiculo, & ſæpe alibi, ſolemne fuiſſe apud Hebræos, vt ſponſa ſomnum aut carperet, aut ſimularet in ſinu ſponſi, probat locis vbi aut vxores, aut dilecti per modum ſponſatum in ſinu dicuntur dormire. quæ omnia, vt verum fatear, nihil mihi probant de vſu ſolemni & particulari in die nuptiarum, ſed de communibus delitiis, quibus vxor dilecta per totam vitam in vlnis, ſiue ſinu dilecti mariti dicitur requieſcere: aut illi, qui in amore habiti in ſimilium delitiarum partem admittuntur. quod etiam apud exteros ſimili phraſi dictum inuenio. Homerus *odyſſ.* 11. de Antiope Iouis amica.

139. *Dormire in ſinu, quid.*

Ἣ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι.
Quæ quidem in Iouis gloriatur vlnis dormiſſe.

Sic paſſim apud Latinos ſinus delitiarum locus eſt, vt multis probo alibi.

Explico ergo ſomnum in hoc loco metaphoricè: vt ſicut ex vini ebrietate ſomnus irrepit verus; ſic ex ebrietate amoris, quam puella paſſa dicitur, dum in languorem, & dulcem ſenſuum hebetudinem labitur, dormire dicatur. Quid enim ſomno ſimilius, quàm anhelans illa reſpiratio, quàm oculi illi demiſſis palpebris ſuauiter ſereni? hos tales oculos in re alia ſomno obuolutos *ojos dormidos* dicunt Hiſpani, neſcio quid in illa ſerenitate pulchritudini tribuentes. quo loquendi genere etiam Græcos vſos diſco ex Florilegio *lib.* 1. de puella venuſta.

140. *Oculi ſopiti, de pulchris.*

Ἡ ταχινὰς λάθρᾳ κόρας μαλακώτερον ὕπνου.
Quæ demiſſis intuita pupillis blandius ſomno.

Deinde ſenſuum hebetudo in contemplatione paſſim in Scriptura ſomnus appellatur. imò & ſomnus dicitur anima pacata & compoſita, nullo affectuum ſtrepitu perturbata: ſic multi explicant illud Prouerb. 3. 24. *& ſuauis erit ſomnus tuus.* de quo videndus Salazar. Cur ergo puella mente in vnum deſiderium defixa, quaſi in eius contemplatione quieta dormire non dicatur? Si ecſtaſis ſomnus, & vehemens attentio, naturaliter aliquid ecſtaſis importat, quod Philoſophis eueniſſe legimus, non video cur languor iſte etiam in cortice dramatis ecſtaticus, ac proinde ſoporatus dici nequeat. Amantium vota, ſpes phantaſticas, vt ſic

dicam, vigilantium somnia solemus appellare: bene ergo puellam in vnam nuptiarum spem intentam, somniantem ac proinde dormientem appellabimus. Sed en clarior adhuc virtus huius translationis. qui ictu aliquo graui obstupefactis membris languet, sopitus dicitur latinissimè. Liuius lib. 1. *Iubet bono animo esse: sopitum fuisse Regem subito ictu, ferrum haud alte in corpus descendisse, iam ad se rediisse, inspectum vulnus absterso cruore, omnia salubria esse.* vbi purum putumque animi deliquium à vulnere, vides soporem appellari. Eleganter ergo puella charitatis, vt dixit, vulnere ad cor vsque altissimum percussa, indeque deliquio languens, sopita dicitur. Quæ hucusque dixi, fauent etiam Ghislerio, qui licèt ad rem aliam, somnum tamen de languore capi potuisse insinuauit. Sensum ergo iam meum sic expromo. Videbat sponsus sollicitas adhuc anxiè sodales in languore dilectæ tamquam damno grauissimo auertendo; ipse verò qui rem, vt par erat, ponderans, nihil in illo languore, nisi meram affectus teneritudinem cognoscebat: adiurat, ne ab illo puellam sanare penitus conentur, ne noua ac noua remedia repetant identidem: idque quo ad vsque ipsa voluerit, intelligens non fore, vt esset volitura, nisi compleatur, quod diaerat, nuptiali, sicque magis ac magis ad complendas desideratas nuptias festinaret. nunc iam adiurationis formula explicanda.

141. *Vulnus sopiens.*

142. *Adiuratio vnde desumatur.*

Adiuro vos. Qui meliùs rem cogitarunt, locum explicant de vsu, quo vnusquisque de felici successu in eis quæ tractat solet adiurari, sic de prospero Dux triompho, nauta de fausta nauigatione, mercator de nundinis lucrosis adiuratur: sic puellis venatricibus dicitur in hoc loco, vt seruent dilectæ somnum, ita facilè ceruos capreasque venabiles inueniant transfigendos. illustro id ex epistola Phædræ, vbi ad puerum venatorem hæc scribuntur.

Per Venerem parcas oro qua plurima mecum est:
Sic nunquam quæ te spernere possis ames.
Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,
Syluaque perdendas præbeat alta feras.
Sic faueant Satyri montanaque numina Panes,
Sic cadat aduersa cuspide fossus aper.

Vnde & Ouidius 3. *de Ponto eleg.* 3. ad Cupidinem animarum venatorem.

At tu sic habeas ferientes cuncta sagittas,
Sic numquam rapido lampades igne vacent.

Puellas verò venatrices has fuisse inde conuincunt, quia Hebrææ Tyriis vicinæ: his autem pharetras & venationem pro more tribuit Virgil. *lib.* 1. vnum videbatur deesse, cur quæ pastrices in Cantico indicantur, venatrices etiam adiurentur: id autem quàm meritò fiat, abundè in Prolegomenis probaui, de vsu, quo res pastoritia olim venatoriæ permixta haberetur. Adde quemdam apud Virgil. *Ecl.* 10. qui pastoritiam vitam totus affectabat, subsequenter ista immiscentem.

Pastores venatores.

Interea mixtis lustrabo Mænala Nymphis,
Aut acres venabor apros, non me vlla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circundare saltus.

Et *Ecloga* 2. pastor Corydon pomposus gregum suorum ostentator, ceruorum figendorum expressè meminit. hæc in aliorum gratiam aucta sunto.

143. *Amor venatio est.*

Ego, ni fallor, maiori emphasi à venatione adiurationem sumptam autumo: quod vt explicem, aduerto rem venatoriam frequenter ad amores transferri solitam, hinc passim apud Latinos Cupidini sagittæ, retia, laquei similesque venationis apparatus tribuuntur. Apud Græcos etiam eadem metaphora: vnde Achilles apud Euripid. *in Aulide*,

— Μύσαις κόραι
Θηρῶσι λέκτρον τὸ ἐμόν.
— Nulla puella
Venentur meas nuptias.

Apud Hebræos verò non raro occurrit. Eccles. 7. 27. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Prouerb. 6. 27. *Mulier autem viri pretiosam animam capit.* in Hebræo est *venabitur.* Ergo in hoc loco pro decoro construgendæ, de similitudine puellæ adiurantur. quasi dicat: Quid venatrices puellæ, prædam meam felici mihi iam captam venatione, mihi eripiendam curstis? iacet illa percussa, amatorio venabulo dulcis languoris retibus implicatur: quid sagittam eripere, quid retia meo damno perfringere tentatis? expertæ nostis quàm doleat prædam ferarum iam captam aufugisse: & quanto magis mansuetæ meæ prædæ ereptio mihi dolitura? O ne facite, sic nunquam vobis prædæ eripiantur. Vt autem minus inepta appareat explicatio, coniecto ideo fortasse aduocari huc signatissimè præ aliis capreas & ceruos. illæ iam percussæ sagittas de naturali remedio eludunt: isti vt sunt agiles & fortes, retia aut transilire solent, aut perrumpere non sine magno vtrimque venatoris dolore. Ælianus de capreis syluestribus *lib.* 1. *cap.* 10. cui concordat Virgil. Æneid. 12. *Cretenses sagittandi periti sunt: quare iaculis petunt capreas, quæ in montis cacuminibus pascuntur: illæ vero percussæ repentè comedunt herbam dictamum, καὶ ἅμα τῷ γεύσασθαι, ὅλα ἐκεῖνα τὰ βέλη ἐκπίπτει: quam simul vt gustant, iacula illa omnia excidunt.* De ceruis explico Senecam lib. 2. de Clement. *sic feras linea & penna clausas continent: easdem à tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* de ceruis, inquam, explico, quia formido notum venatoris instrumentum, etsi aliis feris capiendis deseruiat, vt probo in meo spicilegio, maximè tamen, vt docti notant, ceruis, quia hi natura timidiores. satis nunc vnus Ausonius.

144. *Caprearum sagacitas, & ceruorum.*

Seneca explicatus.

Aut cùm fortè vagos dumeta per auia ceruos
Circundas maculis, & multa indagine pennæ.

id est, formidine quæ pennis construitur. Vel, si manis, illud etiam de sagittis ceruis tribue. Sic Plinius lib. 8. cap. 27. *dictamum herbam extrahendis sagittis cerui demonstrauerunt.* Idem de ceruis habet Tertul. *lib. de Pœnit. cap.* 12.

145. *Cerui & capreæ compascui.*

Illud tandem aduertendum volo, videri syluestres capreas vt plurimum ceruis esse compascuas: video enim in sacris passim coniungi, nec raro apud profanos Græcos & Latinos. Homer. *Odyss.* 6. de Diana venatrice.

Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι.
Se oblectans capris & velocibus ceruis.

Iterum *lib.* 15. à venatu sumpta comparatione.

——— ὥς τ' ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα
Ἐσσεύαντο κύνες τε, καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται.
——— Vt autem vel ceruum cornutum, vel syluestrem capream
Concitant canes, & viri agrestes.

146. *Pastores venatores.*

Quòd si in his venatoribus, quos viros agrestes vocat, pastores intelligit, obiter etiam firmat, quæ suprà dixi de pastoritio munere venationi permixto. ex Latinis do vnum Ouidium 1. *Metam.* de Apolline occidente serpentem.

Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante nisi in damis, capreisque fugacibus vsus,
Perdidit.

Hæc

ne adiurationis explicatio minus con-videatur, maximè cùm in ſecundo li-um ſenſum grauiſſimè exornet. plura

PARAPHRASIS.

Ceſſate iam virgines, ceſſate: quid mihi gratam prædam ereptam vultis? ſic vobis inter venandum nunquam capreæ iacula ſemel accepta demittant, ſic nunquam cerui iam capti retia perrumpant: ne ſagittam amoris dilectæ cordi infixam amoueatis, aut dulces deſiderantis languoris laqueos explicetis. Sinite eam mihi tam dulci vino conſopiti, ſinite mihi tam ſuaui deliquio ad nuptiarum vſque tempus elanguere: inebrietur, langueat: tunc magis optatis meis vigil, cùm magis hoc languore ſopita conquieſcit.

Vers. 8. Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.

Vers. 9. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum: en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Vix locus alius in toto hoc Cantico, tam varias, pro cohærentia cum ſuperioribus, interpretum ſortitur commentationes, adeò vt quidam ad ſomnia, ne dixerim inſomnia, recurrerent. Omnium de more aptiùs & grauiùs noſter Sanchez, tu legeris. Ego ab illo diſſentio in eo, quod putat, tepeti in hoc loco ab ſponſa verba quibus à dilecto manè vocata fuerat in hortos, quibus nuptiæ inchoandæ, domi tamen vtrumque ſponſum feſtiuo nuptiarum comitatu hoc temporis iam eſſe. puto enim apta ſumpta occaſione proferri ab ſponſa verba quibus à dilecto in hortum non nuptiali more, ſed feſtiuo commercio fuerat auocata, quia in primâ ſcenâ puella illum frequentiùs inter ruſticandum inuiſendi deſiderium ſignificarat, vt in primo verſu dixi: puto deinde totam iſtam ſecundam ſcenam pomeridiano tempore in horto dilecti fingi repræſentatam. quod quàm apte cum ſuperioribus concatenationis noſtræ faciat, vidiſti iam, & quàm dicendis quadret, videbis deinde. Senſus igitur, ni fallor, talis eſt. Adiurarat dilectus ſodales per capreas & ceruos ne puellæ languorem dulcem amouerent: illa (quæ non ita obtuſis auribus credenda, imò à ſuaui deliquio paulùlum conualeſcens) vbi capreas & ceruos audiuit, meminit celeritatis illius, & feruidi, vt amantem decet, greſſus, quo ſponſus velox ab ſtatione ſua in domum eius venerat, plateam eius concurſarat, ſolicitos vt illam in hortum ſuum inuitaret. quaſi dicat, propriam illam eſſe vocem ſponſi, propriam adiurationem; per quid enim promptius, quàm per ceruos & capreas adiuraret, qui paulo antè inſtar capreæ & cerui in domum velox aduolarat, huc ac illuc ſedulus circumcurſans. Refert autem interpres noſter per præſens, quod in Hebræo & Græco clariùs per præteritum enuntiatur; quia paſſim more hiſtorico præterita per præſens explicamus: lege Sanchez. Adde velle hoc loquendo modo puellam, rem nuper tranſactam, quaſi adhuc ante oculos ſibi conſiſteret, quaſi adhuc verborum ſonus tinniret, enuntiare. Nemo, vel mediocriter doctus, mille ſimilis locutionis exempla non inueniet, etiam de rebus dudum tranſactis, ego cap. 5. nonnulla dabo.

Vox dilecti, id eſt, verba: ſic frequenter in Scriptura, Geneſ. 3. 17. *Quia audiſti vocem vxoris tuæ.* Exodi 3. 18. *& audient vocem tuam.* & paſſim alibi. Nonnus ipſa *mordacem vocem*, pro verbis mordacibus poſuit.

147. *Vox, pro verbo.*

Saliens in montibus. Exprimitur ardens affectus proci. Amor ignis eſt & moras neſcit, velociores gerendo, quàm fugiendo timor, pedibus addit alas: ſunt feſtiua pro amantium ingenio explicando carmina Nonni *lib.* 3. quibus Cadmus initurus nuptias, tanquam tardus carpitur: lege ſi vacat, Græca ab illis verbis, ἔνθα τὶς ὄρνις ἰζομένη, &c. do tantùm Latina.

148. *Sponſi ſollicitus.*

——ibi quadam auis
Sedens viridi ſub umbraculo molli oliuæ,
Vocalis, os vehemens aperiens cornix
Iuueni ſuccenſebat ad Hermionem, quòd Nympham
Iuerit parcens nuptiali pede tardus viator,
Et pennas quatiens mordacem immiſit vocem.
Infans fuit Cadmus, an fuit inſcius amoris?
Sponſum non tardum venit velox Amor: propitia cito Suada,
Cunctatur tuus Cadmus, tua impellente Venere
Calidus amor vocat te, quid ſponſus tardè progrederis?

Vnde explicabis illud diuini Vatis Pſalm. 18. n. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* Vbi eo ipſo quòd ſol ſponſus dicitur, celer & velox deſcribitur, quaſi non poſſit ſuos grandius gradiri gradus, ſponſæ videlicet comendæ, & de propria luce irradiandæ: nec id, quamuis poëticum, alienum à metaphora, qua ſacer, & regius Poëta hoc loco vtitur. Quæris Solis ſponſam? Audi incertum patrem apud Gretz. *tom.* 2 *de cruce orat.* 2. de Chriſto paſſo. *Sol obſcurabatur, neque intueri licebat cœlum & firmamentum, quod mundum hunc ambit, quod totius vniuerſitatis quaſi tectum eſt, quod communis huius omnium domus quaſi operimentum eſt: tegmen vetuſtatis expers, ex aquis concreta camera, cryſtallina phiala, plana & æquabilis ad ſcriptionem charta, liber aureis litteris exaratus, aſtris quaſi argenteis filis intextus: cæruleus thalamus, & conclaue ligneum, in quo Sol, & Luna vt ſponſus & ſponſa præſident.* Pergo ad alia, vbi nonnulla amatorio cantico apta, excutienda.

Pſal. 18. n. 6. explicatur.

Sol ſponſus Luna.

Poſt parietem. Reducunt hoc omnes ad amantium vſum, qui latitantes apparent, & latitant apparentes, feſtiuis his luſibus voluptati indulgentes, deſiderio ſtillantes: vt apparet in puella illa Virgiliana, quæ pomo amicum percutiens fugiebat ad ſalices, interim cupida videri. poſſunt. Mihi tamen affectus alius rei meæ conuenientior hic inuentus. Dum procus ambit, puella, tota vicinia oculatiſſima illius greſſibus, aſpectibus, & colloquiis attendit: omnia interim murmurat, omnia ſubſannat, de quo *cap.* 8. vt vbi dicam, aperta in hoc Cantico fit mentio. Hinc ergo fit, vt amator id temporis ſimulet incutiam, affectum diſſimulet, furtiuos aſpectus affectet, & colloquia. tale eſt illud Tibulli *lib.* 1. *eleg.* 5.

149. *Oculi furtiui.*

Non fruſtrà quidam iam nunc in limine perſtat
Sedulus, ac crebrò proſpicit, ac refugit.
Et ſimulat tranſire domum, mox deinde recurrit
Solus, & vſque ipſas exscreat vſque fores:
Neſcio quid furtiuus amor parat.

Et bene hic furtiuus amor dicitur, quia tales oculi etiam furtiui. Paulus Silentiarius *floril.* 7.

Μέχρι πῶς φλέγοντα ὑποκλέπτοντες ὀπωπὴν
φώριον ἀλλήλων βλέμμα τιτυσκόμεθα;
Quousque flagrantem clam surripientes aspectum
Furtiuum inuicem oculum collimamus?

Terent. *in Eunucho act. 3. sc. 5.* vbi amator refert,

Interea somnus virginem opprimit, ego limis aspecto
Sic per flabellum, clanculum.

Limis, id est, furtiuis. Sed de oculis limis statim plora.

Hoc ergo est quod in hoc loco innuit puella, id affectabat iuuenis, captata occasione illam in hortum suum auocaturus.

150. *Oculi limi.* *Respiciens per fenestras.* Mirum est, Græcam versionem, quæ multum habet emphasis, à nemine, quem viderim, examinari. *παρακύπτων διὰ τῶν θυρίδων.* vulgò vertitur, *incumbens per fenestras*, dempto certè amatorio sale, venusto condimento: *παρακύπτειν* licèt aliquando *incumbere* significet; frequentiùs tamen in re amatoria significat *limis oculis intueri.* Sunt enim, vt dixi suprà, limi aspectus amoris indices, quibus per dissimulationem actiùs dicuntur transfigi amantes. Eodem ipsissimo verbo in re simili vsus Aristophanes *in pace*, loquitur de puellis, quæ amasios sollicitè expectant, & spectant limè, & respiciunt subdolè.

Καὶ γὰρ ἐκεῖναι παρεγκλίνασαι
Τῆς αὐλείας παρακύπτουσι:
Κἄν τις προσέχῃ τὸν νοῦν αὐτᾶις,
Ἀναχωροῦσι
Κᾆτ' ἢν ἀπίῃ παρακύπτουσι.

Et illa sublatenter inclinata
Ad fores, limis oculis intuentur,
Et si quis illas respicit attentè,
Recedunt:
Et postquam trāsit, iterum limos oculos iniectant.

Apuleius *lib. 2. Metam.* de puella. *ad me conuersa limis & morsicantibus oculis.* Ouid. 3. *Amor. eleg. 1.*

Altera, nam memini, limis subrisit ocellus:
Fallor, an in dextra myrtea virga fuit.

Lucianus explicatus. Hoc est quod Lucianus *de merc. cond.* vocat *ἐκ πλαγίου ὑποβλέπειν*, *ex obliquo respicere.* ibi, *ἢ τὴν γυναῖκα πολλάκις ἐκ πλαγίου ὑπέβλεψας*: verto, quidquid vertat Erasmus, *An vxorem eius identidem dissimulanter & limis oculis intuearis.* hi enim oculi dum nolle se fingunt, morsus figunt, & vulnera infligunt.

Prospiciens per cancellos. Nullus ita obæsæ naris, quem floridæ comparationis fragrantia non resperserit. in Hebræo enim est מציץ, vox propria florum erumpentium, facientium spem paulo post amictus in sinum collectos exsinuandos. Vnde quidam roseum sponsi vultum commendatum volunt, alij caput tantummodo, alij denique totum sponsum: omnes tamen in eo conueniunt, vt pulchritudo sponsi, & illa sublatens, ab sponsa commendari intelligatur. Mihi venustius aliquid videtur, vocemque elegisse non solùm alienæ pulchritudinis testem, sed etiam spei quam tunc conceperat, & qua modò ad possessionem redacta fruebatur, significatricem. Quemadmodum enim

151. *Flos semihiulcus spei symbolum.* rosa, vt fatetur Delrius, dum è semihiulca vaginula purpureum exhibet cacumen, certam facit spem, paulo pòst ridenti calyculo adaperto totam erupturam: sic credo ex illo aspectu, quo tunc fuerat delectata, quemque modò narrat, deliciis desideriisque suis blandiam fuisse puellam, spe certa concepta, paulo pòst pleno sinu floridi sui dilecti aspectibus satiandam, qui tunc, licèt sublateret, iam tamen instar floris erumpebat, iam iamque se visurum, licèt per cancellos, exhibebat. quod multum in sensu mystico ponderis habet, vt libro secundo declarabo. Facit huc Ausonius, vel quisquis est auctor illius poëmatis, quod *Rosa* dicitur, vbi de variis erumpentibus calyculis sic scribit.

Hæc viret angusto foliorum tecta galero,
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absoluens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Iam meditans foliis se numerare suis.
Nec mora ridentis calathi patefecit honorem
Prodens inclusi semina densa croci.

Quasi quæ iam foliola distinguebat, nullâ morâ, totam funderet purpuram, & honorem pulchritudinis statim ambitiosula ostentaret. Quas ergo non rumpendas moras in re simili, amorem suum floridum speraret puella? facit etiam Claudianus *in nuptiis Honor.* de virgine matri absidente.

Hæc noua crescenti planè par altera luna
Assurgit: ceu fortè minor sub matre virenti
Laurus, & ingentes ramos, olimque futuras
Promittit iam parua comas: vel flore sub vno
Ceu gemina Pæstana rosa per iugera regnant,
Hæc largo matura die, saturataque vernis
Roribus, indulget spatio: latet altera nodo,
Nec teneris audet foliis admittere Soles.

Claudianus explicatus. Laurus quidem tenerior aliquot post annos in ingentes vernaturam comas iam tunc promittebat: longum istud visum Poëtæ, ideo rosam addidit teneris foliis in calyculo adhuc innodatam, quæ non poterat spes prolongare, sed paulo pòst & illi Sol radios, & illa Soli purpuram exhiberet. consonant hæc cum superiori explicatione, quam ex LXX. attuli, vt quemadmodum oculi limi dimidium suum fulgorem dissimulant, sic flos partem risus purpurei cohibuisse dicitur.

152. *Cancelli quid.* Quod attinet ad cancellos, videtur illorum vsus frequens apud Hebræos, sicut apud nos reticulati operis vsus quod dicimus *Celozias.* idem Salomon Prou. 7. num. 6. *de fenestra domus meæ per cancellos prospexi.* latenter nimirum, ne videns videretur. Vnde falluntur, meo iudicio, qui putant iuuenem amantem per cancellos caput immisisse: minutius quidem erat hoc decussatæ texturæ opus, quam manum caperet, nedum caput, vnde & *retia* LXX. transtulerunt. & vt totam rem absoluam, fallitur etiam, ni fallor, Ghislerius, qui exactiùs comparationem floris ponderauit, dum vult talem per cancellos apparuisse sponsum, qualis per folliculos viridantes apparet rosa, quasi illi sint naturales rosæ cancelli. puto enim dicta ista cum gustu ad flores illos, quos in calathis vernantes vimineis cancellis & arundinibus reticulatim decussatis inclusos cernimus: quod etiam apud priscos, sicut apud nos in vsu, discis ex Propertio *lib. 3. eleg. 13.* neque clausi calathi flores vndique exhiberent nisi cancellati.

153. *Flores cancellati.* Propert. explicatus.

Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia, virgineos lucida per calathos.

Et clariùs ex Theocrito *Idyl. 15.* de apparatu congesto in pompa Berenicis: vbi inter poma, pegmata, fercula, bellaria, vnguenta, & similia, addit.

Παρὰ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
Ἀργυρέοις.
Adsunt & molles horti seruati calathis
Argenteis.

& Theocritus. Hortos hyperbolicè vocat de magnitudine. nam si

torus

ſos allatos in calathis velis,& in pomma horis adiectos,irrideberis.

PARAPHRASIS.

Proh! quàm innata tibi hæc verba, quàm propria ſuſta adiuratio; caprearum enim, ceruorúmque conſtringis iuramento, qui nuper me huc aduocaturus, præcipiti (vt procum decet) celeritate, ſaliens in montibus, transſiliens colles capreæ ſimilis,ceruum expeimens,ad domum meam conuolaſſ. Stabat ille quidem,ô ſodales, (adhuc imago ob oculos oberrat) ex decoro ſublatitans furtiuè ad parietem noſtrum: deinde amoris impatiens ad feneſtras quaſi aliud ageret,accedens, limis oculis cautè proſpiciebat: inſtáque floris è ſemiadaperta vaginula erumpantis, & totam foliorum ambitionem iam iam emiſſuri, ac vndique vitili cancellatim contextu circumſepti, ſe ſepulchrum per cancellos oſtendens, ſpem præſentiæ, qua modò totâ fruor, faciebat.

VERS. 10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge,propera amica mea,columba mea,formoſa mea, & veni.

Deſcripſerat ſponſa dilecti formam, quam illi per caucellos exhibuerat, nunc verò repetit accuratè tenerrima verba, quibus illam auocauerat: non quidem, vt putat Sanchez, (cæteros hîc non curo) illa quæ ad *cap. 5.* apponuntur, ſed illa, vt dixi, quæ ſibi nuper & paulo poſt meridiem dicta fuerant, cùm ad hortum, in quo erant, inuitaretur. Cætera plana,vnum,aut alterum verbum adnotabo.

Properandi notio. *Propera.* Deeſt in vtroque fonte Græco & Hebræo. ſigoatè tamen additur à noſtro, vt quid affectaret iuuenis, pateret. Nonius ex Catone de huius verbi ſignificatione. *Qui vnumquodque maturè tranſigit, properat: qui multa ſimul incipit, nec perficit, feſtinat.* non ergo tam feſtinam, quàm properantem volebat iuuenis dilectam, vt facto compleat, quod affectu tanto rogabatur: cur feſtinaret ad multa, qui vno tantùm egreſſu omniâ poſſet perficere?

Columba mea. Multa iam hic interpretes de columbæ ingeoio, & quàm aptè ad puellam transferatur. Elegantia quæ Delrius de zelotypia maſculi columbæ lata patienter: neſcias tamen quorſum in hoc choro. nullus quem viderim columbam non ſolùm amantem, ſed & eius nomen inter amatorias voces meminit reponendum: id mihi probat Plautus *in Caſina*, vbi ad puellam. *Meus pullus paſſer, mea columba, mi lepus, meum verculum, meum corculum, meum melculum.* Dicitur *mea*, quia *meus* & *tuus* etiam inter amatoria, vt alibi noto. vel *mea*, vt vult Delr. quia ego tuus columbulus. Vocantur amaſij *columbuli* ab Apuleio,ni fallor, certè à Catullo, ſed in iis locis, quos pudor tranſcribere non permittit. *Amica* quam pro decoro hîc dicatur, dixi cap. 1. *formoſam*, credo, addidit ingenio puellarum denotando, quæ non tam amatoriis blandimentis, quàm auditis laudatiunculis commouentur. Quid autem formoſitate innuatur,aperiat Catullus ſcito Epigrammate.

154. *Columba, vox amatoria.*

155. *Formoſa qua.*

Quintia formoſa eſt multis: mihi candida,longa,
Recta eſt. hæc ego ſingula confiteor.
Totum illud,formoſa, nego. nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt, qua cùm pulcherrima tota eſt,
Omnibus vna omnes ſurripuit Veneres.

Quæ paraphraſi addo inſtà patebunt.

PARAPHRASIS.

Sed libet quæ tunc ille verba dixerit,imò quam tunc mihi inſuſurrauit melodiam, vobis repetere. permulcebit, ſat ſcio, aures veſtras, & ſi non pari lepóre recinatur: ſurge, inquiebat, in agrum meum properatura dilecta, imò grata columba aduolatura: ſurge ſormoſa mea, pulchritudine tua, cuncta mihi venuſtatura.

VERS. 11. Iam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit.

VERS. 12. Flores apparuerunt in terra noſtra,tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.

VERS. 13. Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni.

156. *Amor rure natus.*

Incipit florida vernantis temporis deſcriptio, qua amator ſuo iure amaſiam compellat, imò & compellit ad agrum: quid enim non cogeret amantem ager, quandoquidem nota illa Tibulli *lib. 2. eleg. 1.*

Ipſe quoque inter agros intérque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter feras:
Illic indocto primum ſe exercuit arcu,
Hei mihi! quàm doctas nunc habet ille manus:
Nec pecudes velut ante petit, fixiſſe puellas
Geſtit, & audaces perdomuiſſe viros.

Aliquid tale ſperabat iuuenis ab agro, ab horto: quod & deliquium paſſâ puellâ eueniſſe vides: amor enim propterea rure natus dicitur, quia ibi inter paſtores ſimplicior amoris affectus pullulauit: & neſcio quid amœnitas excitandis tenerioribus affectibus ſecum affert. Iam verò ver, quid non amoris importet? ſi vſquam alibi, verno tempore Cupido choros ducit. Horat. *lib. 1.*

157. *Ver amori dicatum.*

Soluitur acris hiems grata vice veris & Fauoni:
Trahúntque ſiccas machina carinas.
At neque iam ſtabulis gaudet pecus, & arator igne:
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna.

Sed quàm ager & ver amori conueniant, dixi in prolegomenis, vbi de chronographia & topographia huius Cantici.

Tempus putationis. Quàm dirè multi ad putationem vitium ordinariam locum contorquerent, vidit iam Sanchez: quid verò ipſe ſenſerit de cypreti inciſione, tute legeris. Egò quid pro loco vnicè difficili in his verſiculis excogitarim, iam declaro. Noto in primis Hebræam vocem, quæ ponitur זמיר etiam pro ramo & propagine vſurpari *Iſa. 25.* vnde & in hoc loco pro ramificatione,&,vt propria voce dicam, pro frondatione videtur poni. & miror ſatis Symmachi iam apertam verſionem,nemini hucuſque,huic menti,pro loco difficili enodando anſam præbuiſſe: ergo ille legit κλαδώσεως,vulgo vertitur *putationis*,ego *frondationis*, cùm κλάδος ſit ramus, frons, inde κλαδεύω *frondare*, à quo *frondatio* dicitur κλάδευσις. *tempus ergo frondationis* poſuit Symmachus. Noto deinde ex Seruio,quod norunt pueri,ad illud Virgil. *Ecl. 1.*

158. *Frondatio, & frondare quid.*

——*Canit frondator ad auras,*

triplex eſſe frondationis genus: primum, quando

 arbores

arbores putantur, vel frondes in manipulos reducuntur, vt hyberno tempore alatur pecus. Secundum, quando manu folia vnicarum excutiuntur, vt euulsis illis racemi Soles combibant. Tertium auium, quæ in frondibus nidificant, aut pascuntur frondibus. De prima loquitur Poëta *loco citato*, his verbis.

Hinc alta sub rupe canit frondator ad auras,
Nec tamen interea rauca, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo.

De prima, inquam, non quatenus frondantur arbores pro animalium victu, cùm hæc in φθινοπώρῳ, id est, euanescente autumno, eueniat etiam apud nos, quo tempore, nec palumbes, nec turtures grati de gemitu: qui veris veri nuntij, sed de putatione inutilium ramorum, quia id aptum ad delitias, quas Melibœus Tityro ostendebat, & cantu ipso frondator declarabat. caussa illa, quia cùm putantur arbores, tunc etiam inoculantur & inseruntur, quòd non tam inter labores, quàm inter delitias rusticas numerat Horatius 2. *Oda Epod.*

Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit.

In præsenti ergo loco hanc frondationem, vtpote gratiorem, & tempori opportuniorem, insinuatam credo. gratior ob coniunctam insitionem: opportunior, quia, vt vides ex Virgilio, quo tempore incidit hæc frondatio, cantillant turtores: vnde & turtureis vocibus illam adnectit Salomon, sicque inter veris delitias potuit numerari.

Existimo autem non solùm ex agro & vere, sed etiam ex his omnibus, quæ in descriptione affert, amatorium aliquid aucupatum fuisse procum. De vere, de agro, de floribus, iam satis suprà: de aliis infrà. Quod attinet ad insitioam putationem, quis dubitet amoris esse genus in arbore quæ proprios fructus & frondes obliuiscitur, vt alienos foueat? ideo adoptionem, quæ nonnisi amanter exercetur, vocauit insitionem Columella.

159. *Arbores inserta amoris indices.*

——— *Aliena stupe granata*
Mitis adoptatis curuatur fructibus arbor.

Pulchrè Statius hinc captat excusationem *lib.* 2. *syl.* 1. tuendo Atedio, qui puerum non suum ardenter diligebat, vbi post multa ita.

Vidi ego transertos alieno in robore ramos
Altiùs ire suis.

Disceret ergo puella etiam ex putatis arboribus amorem. Multa passim Plinius de matrimoniis, amoribus, & adoptionibus arborum: tu legeris. & *lib.* 17. *cap.* 18. postquam de mutuo ad copulam animalium amore differit, idem satis & terræ tribuens, tandem de arboribus insitis ita. *Peculiare vtique in insitis cùm sit mutua cupiditas vtrimque coëundi.*

160. *Vulgatus propugnatur.*

Frondationem verò propriè latinissimè, per putationem vertisse Hieronymum, putidum sit probare, cùm omnes ita. imò & Virgil. frondationem illam secundam vinearum, ita expressit.

Semiputata mihi frondosa vitis in vlmo est.

id est, *semifrondata*, vt eruditiores fatentur: lege Eclogam, & videbis loqui ibi Poëtam de æstate iam adulta, quando, vt ait,

Sole sub ardente resonant arbusta cicadis:

quando vineæ frondantur excipiendis solibus. Imò & Græci foliorum frondationem voce composita dicunt φυλλοτομίαν, id est, *foliorum putationem.* & frondator non solùm κλαδευτὴρ, sed etiam φυλλοκόπος dicitur, id est, foliorum putator. Hoc quod dixi, puto non obtusum. Certius nihilominus secundum quod excogito, nec ab affectatia delitiis alienum. Notum ex Plinio quid sit interlucare arbores *lib.* 17. *cap.* 23. quod Columella *lib.* 2. *cap.* 22. dixit *collucare*, & Festus *sublucare*. quando nimirum luxuriantium frondium vmbrâ decacuminatâ arboribus Sol & lux immittebatur, vide multa de hoc vsu rustico apud Cerdam 2. *Georg. v.* 397. *num.* 3. Erat autem hoc delitiosum, quia campus, si qua parte de suo non floreret, alienis decussis foliis amœnabatur. quæ frondatio, etiam à nostro optimè vertitur *putatio.* sic Philo *lib. de humanitate*, apud Cerdam *loco citato* περιττὰς ἀποβλαστήσεις ἀποτέμνοντες: *superfluas propagines amputantes.* eodem ergo tempore arborum alias tardiores inserendas, alias paulo pòst collucandas, vtpote præcociores, significabit. Ad alia pergo.

161. *Arbores collucare.*

Vox turturis. Nota veris notissima: profanos iam dederunt alij, ex sacris do Ierem. 8. num. 7. *Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui.* id est, obseruatunt ver, quo redeunt. Signate autem, credo, non conspectum dici turturem, sed auditum: quia licèt quandoque alieni temporis aues in hyeme videantur, non tamen audiuntur canentes. caussam aperit venustissimam Statius *lib.* 4. *syl.* 5.

162. *Turtur veris nota.*

Iam trux ad Arctos Parrhasias hyems
Concessit, altis obruta solibus:
Iam pontus ac tellus renident,
Iam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta veris frondibus annuis
Crinitur arbos: nunc volucrum noui
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacitâ statuere brumâ.

Aues cantus meditantes.

Quasi verò totam per hyemem vacent studio, & carmina meditentur, quæ procedente vere experiantur. Ideo Plin. 10. cap. 29. *Meditantur luscinia iuniores, versumque, quem imitentur, accipiunt.* Festiuæ huius meditationis finem inculcat Claudianus *de nupt. Honor.* hortos amoris describit.

Statius explicatus.

Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono:
Vmbrosumque nemus, quo non admittitur ales,
Ni probet ante suos Diana sub iudice cantus,
Quæ placuit fruitur ramis, quæ victa recedit.

Elegit autem ex omnibus auibus, quæ ver canoræ nuntiant, maximè turturem, Salomon: quoniam si auium cantus, questus amoris dicuntur, vt vides ex Statio, & Horatius item *Epod.* 2.

163. *Auium questus.*

Labuntur altis interim ripis aqua,
Queruntur in syluis aues.

Quid de turturum gemitu dicendum, qui tenerrimè amores non solùm indicat, sed indicit? certè ab humanis querelis ad cæterarum auium questus metaphora deducitur: vna est columba & turtur, à quibus ad humanos gemitus exprimendos, in re amoris gemitus mouamur. inde illud Mæcenatis apud Senecam epist. 114. *Quid si quis fœmina cirro crispata labris columbatur, incipitque suspirans, vt ceruice laxa feratur.* Sic enim locus restituendus, vt ex Persio firmo, qui ad rem aliam *satyr.* 1.

Seneca correctus.

Quidnam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum?

Pergo. Hinc etiam illud Gallieni apud Trebellium, nepotes disponsantis.

Ite, ait, ô pueri, non murmura vestra columbæ
Brachia, non hedera, non vincant oscula conchæ.

Quos ergo procus non insinuabat amores turturis questibus in medium prolatis? Elegans illud Chrysostomi tomo 5. homil. de turture. *Turtur amatrix eremi, quando in desertis degit locis, delectabilibus*

...plandimentis accerſire compari vocis ſue: ... petrans, & ſiemm maſculum it oneena, & ... flentem conuocat, & hinc audare prouocans, ... ſcenſionem ſui celerem facere. Vnanimi autem ... me ad inculta & prærupta montium cubile ... Aliter in hoc loco, vbi maſculus turtur ... nam ſuam prouocat in ſolitudinem, ſed ... delitiis.

164. *Groſſi quales.* *Groſſos ſuos.* Notarunt recentiores omnes, non deciduos illos & inutiles groſſos hic ſignificatos, ſed illos dulciſſimos, quos præcoces maturescunt, quos Hiſpani *breuas* vocant: credo, ni fallor, quia breuiter & præcociter adueniunt. horum delitias apud Hebræos, & apud alias nationes iam Sanchez & Ghiſlerius adnotarunt. hi ſunt quos Luſitani vocamus *figos lampos*; cuius nominis notationem in gentis meæ gratiam, & maximè, quia facit ad locum, in quo ſum, iubet adnotare. Solebant Ethnici ad diem vigeſimam tertiam Iunij *Lampades ſacræ.* lampades & ignes luſtrales accendere. De ignibus his luſtralibus & palilibus in honorem Pallis Deæ ruſticæ accenſis, ego alibi fusè: diem ſignatè exprimit Cyrus Michaël apud Balſamon. ad Concil. Trullenſe *Can 55.* id prohibens, vbi ita. *Ad veſperam vigeſimitertij menſis Iuny congregabantur in vicu, & aliquibus domibus viri & mulieres, & per totam noctem pyras excitantes, ſaltabant ſuper ipſos, & diuinaculos conſulebant, petebantque oracula proſperæ & aduerſæ fortunæ.* Hinc mos dempta impietate ad Chriſtianos traductus, qui eadem die in honorem Baptiſtæ incenſos rogos tranſiliunt. quo etiam femellæ inſciæ abutuntur: video enim inſcias puellas in pluribus Hiſpaniæ vrbibus, per totam illam noctem de futuro coniugio inania omnia (licèt abſque infidelitatis conſcientiâ) feneſtras aſſidere capturas: non ſine iuuenum riſu, qui propterea diſparata & obſcœna nomina; per plateas id temporis, quaſi aliud acturi, ſolent intonare. Ex his ergo lampadibus & accenſis rogis, diem feſtum præcurſoris, (notauit ex Chryſoſtomo Ioſephus Scaliger, homo hæreticus, nec ſine lectorum pace citandus,) factam lampadem vocabant olim Chriſtiani. hine ergo factum credo, vt poma, flores, corollas & herbas odoratas, quas ea nocte de more colligunt, Luſitani vocent, *lampas*, & ſignatè ficus illius temporis præcoces, *lampos* dicant. Cùm ergo Palæſtinæ tempeſtas longè benignior, non dubito ad dimidium Maij, quod tempus hic deſcribi puto groſſos iam penè maturos fuiſſe, cùm apud nos, vix dimidiato Iunio, dulces inueniantur.

165. *Vera fructibus floret.* Iam verò, ſi coniectare licet, ab amatorio huius Cantici ſcopo (in quo, vt vides, omnia verba occultum aliquid amoris ſcintillant, vt pro virili mea paſſim probaui) hæc etiam non ſine amoris hamo dicta puto. nihil amantibus durius, quàm ſemper floribus detineri, nec poſſeſſionis fructibus potiri: hoc ergo ſignificatum voluit procus in hoc loco, ideo inter cæteras arbores, quarum aliquæ iam poma penè initia oſtendebant, ficum proferre malui, quia ſingulariter ficus inter omnia ligna, pro floribus fructus porrigit. quaſi dicat, videbis ficum nunquam flores, ſed fructum porrigentem, & diſces maturare mihi nuptias, & diuturnæ ſpei meæ flores, in poſſeſſionis fructus commutare. De hoc ingenio ficulneæ Plinius *lib. 16 cap. 15.* Columella *lib. 5. cap. 10.* Ambroſ. *in Luc. lib. 7. cap. 5.* qui omnes illi poma pro floribus nata mirantur: quibus pareo, quia iam adducti ab aliis, licèt ad ſum aliam, adde Chryſologum *ſerm.* 106. licèt illorum ſententiæ ſubſcribat qui groſſos ſemper inutiles putarunt. *Arbor ficus brumali tempore tranſacto dum groſſos producit in florem, & ſimulat fructum ſuis floribus fructum, decipit incautos, illudit ignaros.* Id certè in ſanctiſſimi & veriſſimi Patris regione ita eueniebat: ſed non aliis, vt ſcimus. Sic etiam Bernard. *ſerm. 60.* *Ficus flores non habet, ſed pro floribus groſſos mittit.* licèt ibi, & ſæpe alibi, groſſorum inutilitatem proſequatur.

166. *Vinearum odor dum florent.* *Vineæ florentes.* Notarunt iam alij, & meritò, in tota hac deſcriptione omnes verni temporis articulos deſcribi, ineuntis à diſceſſu hyemis, & floribus apparentibus: procedentis à putatione, & turturis gemitu: adulti à groſſis, & vineis florentibus: in qua tone ſtatione auocabatur puella, omnibus tunc pleniſſimè fruitura, adhuc enim flores durabant, canebat turtur, imò gratiùs ad meam explicationem putatæ & inciſæ arbores tam frondebant. quod attinet ad odorem vinearum, quem nunquam fuerat expertus noſter Sanchez, & ideo ad cyprcta putauit recurrendum, negari certè non poteſt (expertus loquor de vite quadam, quæ florida, ſuauiſſimè olfactum permulcebat) eſſe aliquas vitium plantas quæ florentes ſpargunt odorem, & fortè illarum plures in Palæſtina, imò & odoratiores quàm apud nos, cùm paſſim mille herbas & flores experiamur pro ſoli, cælique diuerſitate, maiori, aut minore fragrantia teſpirare. Mirum in re tam dubiâ fugiſſe interpretes illud Martialis *lib. 3. epig. 55.*

Quod ſpirat tenera malum mordente puella,
Quod de Corycio quæ venit aura croco.
Vinea quod primis floret cùm cana racemis,
Gramina quod redolent quæ modo carpſit ouis.
Quod myrtus, quod meſſor Arabs, quod ſuccina trita,
Pallidus Eoo thure quod ignis olet.

Vbi pondera quas inter delitias vinearum odorem non ſpreuit. Optimè verò procus poſtquam floridos fructus, aut fructuoſos flores ficulneæ recenſuit, cùm ad vites veniendum eſſet, non ſolùm florentes dixit, ſed & odorem ſuum ſpargentes: vt quia per tempus fructus alios afferre non poterant, ſaltem odoris fructus expromere noſtrentur: quo puella dum fructus pleni nuptiarum tardabant, ſaltem quos poterat aſpectus & colloquij ſui neutiquam denegandos moneretur. hinc illud: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris,* Eccleſ. 24. 23.

PARAPHRASIS.

Omnia & vndique dum inuitant amœnæ, prouocant amatoriè: fugiit hyems & imber: vertexpet hilaris, ridet ager comptus, amoris & ignibus & affectibus indulgentes: terra vndique floribus turundè veſtita deliciis amatoriis deſtinatur: imò & frondatores acerbis & pullulantibus adhuc fructibus congruos radios immiſſuri folia laſciuè ſuccreſcentia amputantes, agrum ſi qua parte non floret vernantibus taperibus ſternunt, aliunde verò amputatæ & inſitæ arbores aliæ, dum alienos inſertos ſibi ſurculos fouent vberiùs, amoris tibi prædicant naturam. Gemit turtur, tenera flagrantis pectoris ſuſpiria exemplo grato tibi indicturus. Ficus (o iuſtam mihi inuidiam! quem diu ſpei flos illudit, amoris fructus non cumulat) non ſpes in floribus, ſed poſſeſſionem exhibet in fructibus, dum groſſis floret, & ipſo nouo florum ingenio fructificat. Florent vineæ, & quia mitiores fructus ferre tempus prohibet, at ſaltem quem poſſunt

poſſunt odoris iunati fructum, non inuident exhalantes: vt dum morantur nuptiæ, ſaltem aſpectus colloquiique tui fiuctus mihi non denegandoa inſtitiaris. tot amœnitatis illecebris, toi amoris exemplis adbiandientibus, quid moraris dilecta mea, quid pulchertima mea detineris?

VERS. 14. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

167. *Amanti omnia ingrata præter dilectam.*

Pergit adhuc, vt vides, in teciranda dilecti cantiuncula, puella: latetque in hoc verſiculo affectus ipſius virginis laudatorius à proco affectatus. Oppoſuetat campi pulchritudinem, muſicam auium, & quaſi pulchritudo illi ſorderet, muſica deſiperet, niſi pulchritudine voceque dilectæ afficerentur, vocem eius & pulchritudinem deſiderat, quo illa ſibi non ingrata videantur. Affectus quidem hic nouus, ſed tamen ordinarius apud paſtores amantes. Calpurnius,

Te ſine va miſero mihi lilia nigra videntur,
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti:
At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Et ſapient fontes & dulcia vina bibentur.

Idem ferè Nemeſianus.

Te ſine, va miſero, mihi lilia nigra videntur,
Pallenteſque roſa, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus ſpirat odores:
At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Tunc mihi cum myrto laurus ſpirabit odores.

Horat. *lib. 4.*

Lucem redde tua dux bone Patriæ,
Inſtar veris enim, vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et Soles melius nitent.

Hæc, ni fallor, germana huius loci concatenatio. paulo aliter affectum variat Theocritus *Idyl. 8.* cui inſtitit Virgil. *Ecl. 7.* tu vide, &, ſi placent, huc transfer, mihi enim non ita ad guſtum. Cætera quia facilia, paraphraſi contenta ſunto. Vnum, aut alterum verbum tantùm adnotabo.

168. *Maceria quid.*

Maceria. In Hebræo מדרגה. quid ſit, fusè Interpretes explicarunt, certè cauernam abſconſionis hic ſignificat, ſed in conſtructo aut muro, aut pariete, pro vt diſtinguitur à foraminibus natiuæ rupis, de quibus prius, & fortè ab hac *Madrega* Hebræa, Hiſpani ſuam deducunt *Madriguera.* nec video cur alij agreſtem columbam à viua petra, alij à maceria domeſticam faciant, cùm vtrumque coniunctum, potius amphibiam, vt ſic dixerim, auem videantur denotare. Res ergo planè (quid nodum in ſcirpo quæram?) interpretanda. Vocat ſponſa vſque tunc domi ob hyemis iniurias frequentiùs commorantem, rariùs foras prodeuntem: inuitat adulto vere, quia appetens adhuc, vt ſolet, hyemis reliquiis immixtum poſſet retardare: tunc, quia columbam, ob rationem iam dictam appellauit, columbæ iam domeſticæ, quàm agreſtis latibula expreſſit; quia illarum non tam ingenia, quàm latebræ in comparationem adducebantur. quid clarius? quod autem alij volunt, non tam à latibulis, quàm foras, ſed ad latibula vocari, filo noſtro inſeri haud poteſt, nec ſuo puto, niſi minus aptè.

169. *Ver ad muſicam inuitat.*

Sonet vox tua. Quaſi nefas eſſet, vt dum queruntur turtures, & amorem gemunt, columba ſua, quæ ſe amantem profitebatur, reticeret. Auctor incertus, aut, ſi mauis, Catullus in peruigilio Veneris, ſeu veris deſcriptione.

Et canoras non tacere Diua iuſſit alites:
Iam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt:
Adſonant Terei puellæ ſubter vmbram populi,
Vt putes motus amoris ore dici muſico,
Et neges queri ſororem de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus, quando ver venit meum?

De voce dulci multa infra dicam. nunc ſatis Moſchus in amore fugitiuo, qui de illo ὡς μέλι φωνὰ, *vt mel vox eius.*

PARAPHRASIS.

Veni igitur, quæ parietibus domeſticis concluderis, columbæ inſtar, quam hyberni turbinis horror, & pluuiarum inundatio, petrarum rimis, & latibulis detinet parietinarum. nam cùm temporis & agri pulchritudo, tum auium cantus abſque te mihi ſordent, & deſipiunt: exhibe ergo mihi faciem tuam ver verum, demulceat me loquela tua, merum mel: ab illa enim emanant pulchritudines, ſicut ab hac dulcedines ſtillant.

VERS. 15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.

170. *Apoſtrophe ad abſentes quaſi ad præſentes.*

Verba eſſe ſponſi, communior, & mihi certè veriſſima ſententia: non quaſi in eo articulo, quo erant prolata, ſed antea ad ſponſæ cancellos, ac proinde ab eadem nunc repetita. Illud mihi mirum, voluiſſe interpretes, ad præſentes ſocios conuerſum, hæc dixiſſe iuuenem. ita ne? meum nunquam hoc filum poterit inſerere. Venerat diſſimulatus, captatat furtiuos aſpectus & colloquia, & longam ſtipatorem cateruam huc obtruderem? Apage. abhorret ad ſimilia ſocios, amor ſolitarius, & maximè ad meridiem, ſub quo hæc dicta credo. Apoſtrophem ergo ordinariam ad abſentes hîc aucupor, exprimitur autem ſimili locutione, non tam commendatus tunc effectus, quàm affectus commendatus: nec tam imperia tunc, quàm vota proferuntur. ſic capiendus Virgilius *lib. 6.* vbi dum cum ſuo Ænea apud inferos ageret Anchiſes, ſolus cum ſolo, quando ad res Marcelli acerbo fato eripiendi ventum eſt, quaſi futuro nepoti iam adeſſet, adeſſentque plures famuli, ſimili affectu & affatu exclamat ſenex.

——— Manibus date lilia plenis,
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Similes Apoſtrophes paſſim vbiuis incurres. Eſt noſtræ ſimillima illa Paſiphaes apud eundem *Ecloga 6.* quæ dum ſola errabunda per agros dilectum taurum inquirit, exclamat:

——— Claudite Nymphæ
Dictææ Nymphæ nemorum, iam claudite ſaltus,
Si qua fortè ferant oculis ſeſe obuia noſtris
Errabunda bouis veſtigia.

Vbi Cerda venatorium verbum eruditè probat. quæ autem mens impulerit paſtorem, vt his verbis oratiunculam amatoriam terminaret, iam explicemus. Inuitarat dilectam ad vineam, & omnibus allectamentis ſuaſerat egreſſum: illud vnum tantummodo poterat puellam retardare, quòd vinea vulpeculis ſcateret: (pro conditione temporis, & maximè illius regionis, vt ex Sanſonis hiſtoria omnes adnotarunt.) Vt enim eſt puellarum

ſcrupulo

ingenium & faſtidioſum (timiditate ſcrupuloſitates quas dixi venatrices, non ſuggillo) enim, virginitatis faſtidij, ne eò tenderet, prætendi à puella: hoc ergo ille præcauens, dum votum capiendarum vulpecularum exhibet, ſatis innuit, id priùs ſelictis ibi famulis præcepiſſe, & abſque dubio, cùm eò peruenerint, factum inueniendum. Sic ſolemus quæ aliquãdo præſentibus mandata commiſimus, inter abſentiæ vota, eadem non auditurìa repetere, quo pathetica deſideria maiori emphaſi exprimuntur. Valet ergo τὸ *capite*, pro, ô ſi exequentes mandata iam cœpiſtis! quàm autem viribus etiam florentibus, & quomodo noceant vulpes, cùrque præcipuè paruulæ capiendæ dicantur, abundè iam interpretes explicarunt. locum Theocriti, quem dat Ghiſlerius, non exprimit, cape ex *Idyl.* 1. loquitur de poculo vbi puer inſculptus.

171. *Vulpes viribus noxia.*

> ἀμφὶ δέ μιν δύ' ἀλώπεκες, ἃ μὲν ἀν' ὄρχως
> φοιτῇ σινομένα τὰν τρώξιμον.
> *Circum autem ipſum duæ vulpes: altera quidem in ordines vinearum*
> *Prorumpit lædens maturam vuam.*

Addit Ghiſlerius Ariſtophanem, licèt etiam nec locum, nec verba exprimat: locus eſt in Equitibus. vbi his verbis oraculum ridiculè explicatur.

> ἀλωπέκιον τοὺς στρατιώτας εἴκασεν, &c.
> *Vulpeculis ideo milites aſſimilauit,*
> *Quoniam botros comedunt in regionibus.*

Delrius alium locum Theocriti ex *Idyl.* 5. inſinuatus, ſubdo verba.

> Μισέω τὰς δασυκέρκος ἀλώπεκας, αἳ τὰ Μίκωνος
> Αἰεὶ φοιτῶσαι, τὰ ποθέσπερα ῥαγίζοντι.
> *Odi denſarum caudarum vulpes, quæ vites Miconis*
> *Semper venientes, ad veſperam comedunt.*

Sic vulgò vertitur, & meritò; de vitibus enim ſermo erat. Vbi mihi nota ad veſperam præcipuè concurſantes deſcribi, quo ego tempore puellam in hoc loco à dilecto inuitatam puto.

PARAPHRASIS.

O quis mihi daret vt iam ſint captæ vulpeculæ, quæ pro temporis, & regionis noſtræ conditione, florentes etiam vineas (& noſtra iam florida eſt) ſolent infeſtare! ne prætento illarum faſtidio dilecta ab egreſſu retardetur.

Vers. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.

Vers. 17. Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.

Eleganter hos verſus & inter ſe, & cum ſuperioribus explicant interpretes, & connectunt, idque variis modis, quàm aliter ego, & explicem & connectam: iam hinc videbis. illorum vt ſemper eruditiora colens; ſed mea mihi certè planiora.

172. *Amoris memoria dulcis.* Solent amantes, dum tranſactos amoris euentus narrant, titillante memoria colliqueſcere, & ardentiùs affectibus commoueri. Lucianus in amoribus: ἐνάλυχος γοῦν διηγημένου σου τὸν πολὺν κατάλογον τῶν ἀφροδισίων ἐρώτων: ἱλαροὶ μὲν τῶν ὀμμάτων αἱ βολαὶ τηκομένως ἀνεχέοντο: ἡ φωνὴ δ' ἁπαλὴν ἀνιεῖσα ... αὐτοῦ τοῦ σχήματος ... [illegible] ... Nuper verò cùm recenſeres longum illum catalogum amorum, quibus à principio adhæſiſti, hilares oculorum tuorum ictus molliter liqueſcebant, vocémque interim præ deliciis teneram emittens ab ipſo ſtatim geſtu propalabas, non ſolùm amoribus iſtis, ſed & illorum memoria teneri, atque affici. Tale quid paſſa puella, vnde inter repetendum amantis verba ſuauiùs accenſa in affectum prorupit, quo ſe dilecto intimè adſtrictam profitetur, ſicut & illum intimè ſibi adſtrictum, ex verbis eiuſdem, quæ repetierat, cognoſcebat. Eſt autem hic verſus intelligendus, dici, vultu ad ſodales adhuc conuerſo, oculis tamen paululum ad dilectum leniter & amatoriè deflexis. Deinde iam aduesperaſcente die, & prædictis colloquiis conſumptis, ad illum tota conuerſa verba, quæ verſu 17. habentur, pronuntiat: id verò quàm pro pudore virgineo, & caſti amoris prudentia proferatur, iam aperio.

173. *Virginum cautela modeſta.* Venerat puella furtiuè ab ſponſo ad vineam inuitata: & quamuis pro debito decoro ſtipantium ſodalium afferret comitatum; quia tamen tempus, quo de nuptiis agitur, ſemper ſuſpectum, nihilque, quod interim eueniat, non ab ſpectatoribus notatum: vnde & pagi ſuſurrationes, & viciniæ detractiones oriri ſolent: timuit prudenter, ne ſi iuuenis cum eiſdem à vinea egreſſus in vicum ſocius reuerteretur, occaſionem ſuſurrationibus præberet, & quaſi minus decorum notaretur, quòd puella, in proci vineam licèt ſtipata ſodalibus veniret, quòd procus puellarum cœtui toto viæ ſpatio adhæreret vnus: nam & paſtores vtplurimum malitioſi, & teſtes neceſſariò id temporis, quo vndique è paſcuis, & aliis ruſticis operibus domum reditur, non defuturi. Monet igitur ſolerter, vt ipſe ſolus, qua maxima poſſit celeritate hinnuli inſtar domum reuertatur, vt ipſa cum ſodalibus deinde lentiori gradu, quaſi aliunde venirent, viám aggrediatur. Obſeruauit ſimile decorum Nauſicae quæ poſtquam ſtipata ſodalibus multum diem in agro Vlyſſis colloquiis impendit, ad veſperam ſola reuerti voluit, ne detractionibus anſam præberet. ergo *Odyſſ.* 6. ita virgo ad virum loquens inducitur ab Homero.

> ἀλλὰ μάλ' ὧδ' ἔρδειν (δοκέεις δέ μοι οὐκ ἀπινύσσειν)
> ὄφρ' ἂν μέν κ' ἀγροὺς ἴομεν, καὶ ἔργ' ἀνθρώπων,
> Τόφρα σὺν ἀμφιπόλοισι μεθ' ἡμιόνους καὶ ἄμαξαν
> Καρπαλίμως ἔρχεσθαι, ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμονεύσω:
> Αὐτὰρ ἐπὴν πόλιος ἐπιβήομεν, &c.
> Τῶν ἀλεείνω φῆμιν ἀδευκέα, μή τις ὀπίσσω
> Μωμεύῃ, &c.
> *Sed omnino ſic facito (videris enim mihi non deſipere)*
> *Quandiu quidem per agros iuerimus, pérque labores agricolarum,*
> *Tandiu cum ancillis poſt mulam & currum*
> *Celeriter venite: ego verò viæ ducem me præbebo.*
> *Veruntamen poſtquam ad vrbem peruenerimus, &c.*
> *Hominum euito famam amaram, ne quis à tergo*
> *Reprehendat, &c.*

Vbi deinde fuſiùs monet vbi ſpectaturus eſſet, ne apud ciues cum illa fuiſſe collocutus Vlyſſes videretur: hæc mihi, ni fallor, planiſſima pro ſerie & mente horum verborum, quæ in tam varios alios ſenſus eruditos interpretes impulere, excogitata ſunt: nunc vnum, vel alterum eorum ſingillatim enucleandum.

174. *Paſcitur inter lilia.* Ex Græco & Hebræo textu τὸ *paſcitur* actiuè explicandum, id eſt, qui paſcit oues ſuas in liliatis paſcuis: non quòd pecudes iis ſaginentur, ſed quòd floribus abundantia, & nobilioribus partubus erumpentia, neceſſariò vilioribus herbis paſcendo gregi ſaturata

ſuppo

supponuntur. Hinc illustro Virgil. 3. *Georg.* de pastu equorum præbendo,

Virgil. defenditur.

Florentesque secant herbas fluuiosque ministrant.

Vbi Critici ita corrigunt, *pubentesque secant herbas*, &c. quia, vt ait Cerda, prata magis conueniunt quæ delicatis & mollibus herbis abundant, quàm quæ proceris. Vanus labor, ubi criticorum prurigo: non ipsas herbas proceras & florentes voluit Poëta; sed à prato florido florentes appellauit, vt inde pingues & molles existimarentur. hoc si displicet (quod iam alij innuunt, non declarant) lege alia quæ graois pariter & amœna afferunt Sanchez, & Gbislerius. Vnum addo, cùm enim pascuorum vbertas ex quibusuis adnascentibus floribus posset insinuari, non putandum temerè præ aliis afferri lilium:) quidquid enim impij mordeant vulgatum, שושנים, vt suprà dixi, pro principali significatu *lilium* capitur (sed aliquid ibi mysterij deliteret. An ergo tacitè respondet proci querelis, qui vitam spei insumptam, vt vidisti, deprecabatur? fortasse.) quasi contentum interim iuberet esse nuptiarum spe, qui ad lilia quæ nouerat spei symbola (dixi suprà) frequentiùs gregem ducebat.

Donec aspiret dies. Vespertinum tempus, iam multi hic explicarunt, nec aliud mea coocatenatio admittit. Aspirandi autem verbum non ad auras vespere afflantes, vt quidam, sed ad ipsum diem defero cum aliis: quod tamen priuata explicatione nec irridenda, vt puto, sic illustro. Aspirat dies, dum viuit, dum lucet; lux enim, diei vita; ita tamen, vt ly *donec* iam animam agere, iam extremum spiritum ducere ab opprimente intuat. O poëticam, clamas, delirantis interpretis explicationem! At videas, mi homo, ne tu delites: quasi verò canticum istud sit pedestre, & non tota poëtica acumina, imò diuinam totam hippocrenem huc affundat Salomon. Deinde non solùm Poëtæ, sed etiam scriptores soluti styli grauissimi sic loquuntur. D. Zenon Veronensis homil. de resurrect. *Sol quotidie nascitur, eodemque die quo nascitur emoritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, vt suos retardet cursus, sed fidelis semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit: sciens in ipso habere quòd viuat.* Eleganter & in re grauissima, clariùs pro eadem resurrectione Tertullianus non tam de sole, quàm de die locutus, lib. de resur. cap. 12. *Dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur, funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur: sordent, silent, stupent cuncta, vbique iustitium est, quies rerum ita lux amissa lugetur. & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra & tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras.* prætereo innumeras Poëtas, qui de sole ita loquuntur: diem signatè expressit Virg. *lib.* 1.

175. *Dies viuit. moritur.*

Ante diem clauso componeret vesper Olympo.

Vbi de mortuis compositis plura Cerda. Statius *lib.* 2. *syl.* 1.

—— Omnia functa,
Aut moritura vides, obeunt noctesque diesque,
Astraque nec solidis prodest sua machina terris.

Quod autem diem, in agonia, vt dicitur, constituerim, & vltimum spiritum afflantem ad vesperam, paulo pòst sub nocte moriturum, & tenebris sepeliendum, docuit verbum Hebræum hic, יפוח quod est à radice פוח quod penè idem significat cum יפנה. hoc autem afflatum tractæ animæ, & vltimum spiritus anhelitum explicat Scriptura, vt notauit Paguines, nec absunt LXX. qui vertunt διαπνεύσῃ. est autem διαπνέω propriè ita respirare, vt violentus & tractus anhelitus exprimatur: inde enim διαπνοὴ difficilis & præter voluntatem respiratio. eadem phrasi Statius *syl.* 4. ad vesperam, diem non tam mortuum dixit, quàm morientem.

Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Sic nos de homine ad vltimum vitæ articulum reducto, dicimus, *està espirando.*

Inclinentur vmbra. En tibi diurnæ lucis carnifices, ipsum quodammodo diem strangulantes: vt ex superioribus notatur. Iterum Tertul. io Apolog. *lux quotidie interfecta resplendet.* & de iudicio *cap.* 5. *Et dies indensa moritur cum lumine noctis.*

Pulchrè autem dicuntur inclinari vmbræ, quia dum è montibus protenduntur, & cadere & inclinati videntur: ideo Virgil. *Ecloga* 1. vesperam describturus dixit,

Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

Hæc ergo scripseram, neque planè futilia existimabam: cùm ecce tibi mihi in manus doctissimi Commentarij in Iob nostri Sanchez nuper in lucem editi, quos dum docendos euoluo, video ad illum locum capitis 3. num. 5. *obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis.* vbi Iob diem suum detestatur: magnum Scholiastem simili explicatione vsum, & vmbram mortis per noctis vmbram explicantem, quia, vt ipse loquitur, *cum nox aduenit, moritur dies*: ibi vir ille magnus multa congerit, & ex iis quæ ego, vnum, vel alterum locum delibat. I ergo lector, & quod tragico Iobi Cothurno dignum putauit Sanchez, Pinto pro Cantico nuptiali denegato: cui omnem festiuam amœnitatem coniecit Salomon.

Hinnulo. Caprearum & hinnulorum celeritas ignota nemini, do solummodo locum Euripidis, quia etiam de re festiua. in Electra.

176. *Ceruorum celeritas.*

Θὲς εἰς χορὸν ὦ φίλα ἴχνος
ὡς νεβρὸς, οὐράνιον
Πήδημα κουφίζουσα, σὺν ἀγλαΐα.
Pone in choro, ô amica, pedem
Vt hinnulus: aërium
Saltum eleuans cum venustate.

De *Bether*, satis interpretes, neque plura ego pro secundo hoc capite quo ardentia desideria terminantur: nunc ad solemna sponsalia festinandum. tantùm paraphrasim appingo.

PARAPHRASIS.

En vobis quàm amanter & amœnè pariter dilectus me huc vocauerit: quid ergo mirum si me penitus illi dedam, qui se meum esse totum profitetur; spe tamen liliata contentus degat interim, qui liliatam pascuorum vbertatem gregibus suis solet frequentare. Iam verò discedendi horam crepuscula suadent. Tu ergo ô amor meus, dum adhuc viuit dies, & ab inclinatis vmbris oppressus, non tamen compressus penitus, respirat paululum, ociùs te propipe, & capreæ ceruinæque celeritati æmulus qua me huc vocasti, in pagum reuertere: nos subsequemur postea gradu lentiori, ne quis maleuolus te nobiscum in vinea fuisse, aut inter eundem, puellis prolixiùs allocutum, possit obtrectare.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Vers. 1. In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.

IAM nonnullus ab hoc loco ſecundum dramatis actum incipere annotauit, ſic ego: ita tamen, vt tribus integris capitibus tanquam tribus ſcenis exiſtimem ſubdiuiſum. Vt ergo in primo actu ardentia amantium deſideria expreſſa dixi, ſic in ſecundo, ſponſalia iam ſolemnia celebrata puto. Moueor; quia frequens in hoc actu ſponſæ nomen, quod hucuſque nullatenus vſurpatum, imò nec deinde in tertio actu, ſanè quia ſponſalia in nuptias tranſierunt, vt ibi videbimus. vide acoluthiam, quam in prolegomenis appoſui totius operis. Fingitur ergo in hoc capite procus feſtina amicorum pompa conſtipatus deſponſandus (de futuro, vt dicunt) in domum puellæ veniſſe: vbi poſtquam res acta ſupponitur, inducitur ipſa puella in hoc verſiculo, de amatorio more, & puellari ingenio fauſto ſomnio, ipſo euentu felici exultabundè applaudens: quaſi non illa fuiſſe inſomnia, ſed inueniæ felicitatis auguria, velit ſignificatum: enarrat ergo per compendium ſomnium, quod capite quinto fuſiùs prolatura. licèt enim in hoc loco non dicatur expreſsè dormiens puella: tamen & lectuli & noctium facta expreſſa mentione, ſatis (vt ad rem ſuam hic notauit Rabbi Abraham) ſomnus ſomniorum pater deſignatur. quod ex mea connexione, & ex adiuratione ſponſi *verſu* 5. explicanda clarè, ni fallor, apparebit. nunc verba ſingula breuiter examinanda.

177. *Amantis deſerta dolor.*

In lectulo meo. Putant aliqui in ipſo lectulo dilectum quæſitum, quaſi ibidem recumberet: quod ſi verum, eſſet hoc idem illud quod Ariadna de ſe narrat in epiſtola,

Incertum, vigilans, an ſomno languida, moui
Theſea preuſuras ſemiſopita manus:
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque thorum moueo brachia, nullus erat:
Excuſſere metus ſomnum, conterrita ſurgo,
Membraque ſunt viduo præcipitata thoro.

178. *Diurna cura ſomnio voluitur, maximè amatoria.*

Explodit tamen mecum hanc explicationem meritò Sanchez, quia puella nondum ius copulæ cum marito obtinuerat, quia tunc ſolùm ſponſa, & in fine Cantici init matrimonium: ego qui nec etiam ſponſam pono, maiori iure hinc abſtineo. At dices, in mea ſententia ſomniantem deſcribi, vnde non mirum, ſi quaſi in lecto ſimul eſſet, repræſentaretur ibi quærendus. Apage ſis, malam rem. abſit à me, vt caſtiſſimo dramati ſomnium minus purum ſacrilegus obtrudam: abſit vt à diuino Spiritu virgo puriſſima ante nuptias, nec etiam per ſomnia aliquid minus decens effigians, deſcribatur. ergo in lectulo locus deſignatur, vbi illa iacebat corpore, interim tamen corde & animo per vicos & plateas queribunda & quærens dilectum ſibi videbatur, quod clariùs cap. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* prorumpebat cor foras, & vagabatur per vrbem quæſitum amores: dum corpus tamen in lectulo dormiebat, affectus illorum propriis, qui in aliqua diurna cura verſantur in Cantica.

ſantur, & maximè amantium. Claudianus *in præfat. lib. 3. de raptu.*

Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.

Vbi latiſſimè per alios diſcurrit, & longum, nec inelegans ſomnium ſuum narrat, quo multa ſibi viſa, multa deſcribit audita. Sed in re amorum Terentius *in Andria act. 5. ſc. 6.* ad iuuenem, qui fauſtas & inſperatas nuptias iactabat, reſpondet quidam. *Num ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit.* Eleganter Nonnus *lib. 42.* de amante nuptias ambiente.

Et interdum decidentia anemonidis ſuper folia
Dulcem ſomnum dormiuit: ſomnium verò ipſi fuit puella
Veſtimento nuptiali cooperta. obiectum enim
Opus, quod facit quis in die, nocte cernet.
Paſtor dormiens cornutos boues in paſcua trahit,
Retia venatori apparent imago ſomni,
Agricolæ dormientes arant terras, &c.
Sic etiam Bacchus habens ſimulachra laborum,
Æmulo volubilem mentem triumphatam vidit ſomnio,
Et ſomniatis nuptiis conuerſabatur.

179. *Narrata ſomnia.*

Quàm autem ſoleant puellæ, & amantes obiecta ſibi ſomnia examinare, narrare, & cùm fortè felici euentu completa viderint, celebrare, paſſim incurris. nunc ſatis illud Aſpaſiæ, cui ſomnium Cyri nuptias multo antè pronuntiauit, quas cùm poſtea videret completas, Veneri ſtatuam dicauit: lege amœnam hiſtoriolam apud Ælianum *lib. 12. cap. 1.* ab illis verbis: ἐν δὴ τούτῳ εἴσεισι τῆς Ἀσπασίας μνήμη τῶν ἀρχαίων φασμάτων: περιστερᾶς τε ἐκείνης, καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς λόγων, καὶ ὅσα προεῖπεν ἡ θεός. *Ex his in mentem venit Aſpaſiæ illarum antiquarum imaginum memoria, itemque columbæ illius & verborum, quæ ab illa audiuit, & quotquot illi prædixerat Dea.* ipſum ſomnium habes initio capitis, vbi ἐγχειρεῖς ὕπνος, vbi *felix ſomnus*, & ſomnium enarratur. Sic Ioſeph (quæ erat eius innocens ſimplicitas) ſomnia ſua fratribus inuidis enarrabat. Denique nullus ſomniorum ſuorum examinator ita curioſus, vt is, qui amat. ideo Ouid. 9. *Metam.* de Biblide.

Quid mihi ſignificant ergo mea viſa? quod autem
Somnia pondus habent? an habent & ſomnia pondus?

Gaudet ergo in hoc loco puella, quòd ſomnia ſua videat ponderoſa, & quem dilectum ſomniarat quæſitum & inuentum, domumque adductum, reapſe iam videat factum familiarem.

180. *Amantis cura.*

Per noctes. Quaſi ſæpiùs id eueniret, & vix nox vlla ab amatoria cura aliena. Laodamia in epiſtola ad maritum apud Ouid.

Siue latet Phœbus, ſeu terris altior extat:
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

& paſſim omnes amorum ſcriptores ita. Puto verò in hoc loco non ſolùm deſignari tempus nocturnum, quo ſomnus cum ſomnio obrepebat: ſed etiam temporis articulum, quo ſibi viſa dilectum inquiſiiſſe, noctu ſcilicet, non interdiu: ideo vigilum vrbem cuſtodientium facta mentio: ideo expreſsè *cap. 5.* ſponſus de nocte adueniens ſomniatur, quando & ipſa poſt ipſum, conuolaſſe ſibi inter ſomnia credebatur.

Et non inueni. Cùm hæc omnia per compendium dicta ſint illorum, quæ cap. 5. fuſiùs deſcribuntur,

buntur, inde somnij series mutuanda. Somniarat puella se in lectulo vocem pulsantis dilecti audisse, indidem se friuolè excusasse, tandem surrexisse, cúmque amoto pessulo ostium aperuisset, illum, qui interim declinauerat, non inuenisse. hoc ergo est quod in hoc loco ait, se aperto ostio, ibi scilicet, & per spatia domui vicina dilectum inquisiisse, nec inuenisse tamen: vnde ardentior ad percurrendam vrbem, si fortè ibi offenderit, animatur. de quo *vers. seq.*

PARAPHRASIS.

Igitur aliquid ponderis habuit felix illud somnium, quo nuper recreabar in lectulo meo, post longas amatoriæ solicitudinis vigilias sopore mersa, ecce vobis mihi visa noctu aperto ostio, dilectum inquisiisse Salomonem, ibidem & per vicina, vbi illum fore sperabam, nec tamen diligenter quæsitum inuenisse.

VERS. 2. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

181. *Surgo quâ formulâ sumatur in Scriptura.*

Surgam. Pergit, vt vides, in enarrando somnio: porrò istud, *surgam*, non mihi notat actionem, quã sibi visa inter dormiendum electo surrexisse, id enim iam factum supponitur, quando aperto ostio ibi illum quæsiuit, nec inuenit: sed notat, credo, animi alacritatem, qua demissa socordia, & excusationum ignauia, quam prætenderat, ad inquirendum dilectum, etiam per vrbis, noctísque pericula se sibi videbatur animare. passim in hoc sensu, hoc verbum vsurpatur in sacro textu. *Surge Deus, & iudica terram*, Psalm. 81. n. 8. *Surge, illuminare Ierusalem*, Isai. 60. n. 1. tale est illud suprà cap. 2. n. 10. *Surge, propera amica mea*, quibus in locis non opus est vt à somno, aut sessione formula deducatur, sed animatio quædam, & spiritus erectio, negotio alicui impensiùs curando exprimitur. Certè gratis aut iacens, aut sedens credatur prodigus, de quo tamen ab hoc affectu dicitur, *Surgam & ibo ad patrem meum*, Luc. 15. n. 18. nam licèt statim *surgens* dicatur; solùm alacritatem datam operi signari crederem: quod optimè ibi vidit noster Maldonatus, vbi probat verbum קום per omnes personas: *Surgam, surgite*, &c. non tam propriè erectionem, quàm adhortationem ad incipiendum aliquid denotare: quo modo Latini & Græci solis imperatiuis aduerbialiter vtuntur. Solum hoc erat quod me aliquandiu retardauerat, ab hac mea somnij explicatione: quod tamen facilè enodatum, vt puto, iam per totum absque obice sinet excurrere, nunquam enim excursus hos puellæ nocturnos reapse fuisse exercitos potui deglutire; quos tamen ab omni dedecore & improprietate somnium liberat: multaque, quæ aliàs frigida inter vigiles possent putari, per somnium pulchrè dicta *cap. 5.* videbuntur: satis enim dum somnium in multis verisimile appareat, licèt in aliis alienius videatur.

182. *Amantes tuti.*

Circuibo ciuitatem. Qui veros hîc circuitus somniarunt, immane quantum laborant pro more & decore nuptiali inueniendo: ego qui somniatos puto, facilè, vt vides, me expedio, &, ni hallucinor, verè, ad minus probabiliter satis. In illorum tamen gratiam lubet explicare, vnde hi animi amatoribus, & maximè formidolosis puellis subdantur, vt noctu intrepide vrbem circumcursent. putant amantes se ipso amore tutos. Prop. *lib. 3. eleg. 15.* per totam: dn aliqua.

Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes,
Scyronis media si licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licèt ambulet oris,
Nemo adeò vt noceat barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstratura tenebras:
Ipse amor accensas percutit ante faces.

Ouid. *lib. 2. Amor. eleg. 6.*

Nec mora, venit amor: non vmbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.

Pulchrè Tibull. *eleg. 2. lib. 1.*

En ego cum tenebris tota vagor anxius vrbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus:
Nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur eat tutúsque sacérque
Qualibet, insidias non timuisse decet.

183. *Mala pro amore dulcia.*

Quòd si aliter res eueniat, vt & euenisse sponsæ constat ex *cap. 5.* quæ percussa, vulnerata, & spoliata pallio à militibus: id tamen non pluris faciunt amantes, quibus dulcia vulnera, imò & mors suauis, dummodo vitam pro amore fusam nouerint. Propert. adductus,

Quòd si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.

Vnde & sponsa ibi dum se spoliatam & vulneratam narrat, non tam id (quasi esset minimum, quasi non doleat) nuntiandum dilecto voluit, quàm quod amore languida charitate vulneraretur.

184. *Quæro verbum amatorium.*

Quæram. Signatè, credo, verbum quærendi hîc sæpe repetitur: habet enim emphasim amoris. Propert. *lib. 1. eleg. 13.*

Hæc tibi vulgares istos compescet amores:
Nec noua quærendo semper amicus eris.

Vbi Passeratius aguré. *Noua quærendo, id est, nouas amicas.* quærere *verbum est amatorium, vt supra.*

——vulgo conquirere amantes.

Amoris venatio.

Venatoribus autem similes eiusmodi homines sunt, de quibus Ouidius,

Venator sequitur fugientia, capta relinquit,
Semper & inuentis vlteriora petit.

Hæc ille. quod suo modo somnianti puellæ euenit, quæ dum procus ostium pulsat, suspirat, rogat: illum friuolis excusationibus spernit & relinquit. dum abit, tunc quæsitura insequitur, & inuentum tenet quasi tenibus complexum. cætera patent.

PARAPHRASIS.

Tunc ego, quid, inquam, iners ore pressa iaceo? agendum ignauo dolo excusso, non solum per vicinos pagos & nota compita, sed etiam per omnes ciuitatis regiones eo vsque mens inter dormiendum exæstuans aduolauit quæritabat animæ meæ desiderium; sed proh dolor! ibi etiam diligenter quæsitum nusquam apparebat.

VERS. 3. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis?

VERS. 4. Paululum cùm pertransissent eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Bonus semper explicator literæ Ghislerius, sed in hoc loco optimus: qui nihil prætermisit, vnde

viuidas

amoris scintillas hîc occultas non excitaviidas. Suggestam alia quæ mihi sese demùm obtulerunt: meret, & consecutio verborum per se claret: puella quid inter quærendum dilectum enarrat sibi somnianti repræsentabatur euenisse: iis prætermissis, quæ fusiùs *cap.* 5. enarrantur, quia ad id quod intendebat, de adueniente tunc ad sponsalia proco, iam verè in domo matris habito familiari, hæc dicta satis, quibus euentui feliciori, felix somnium respondisse propalabat.

Inuenerunt me. Dictum non sine doloris epitasi, non solùm quærens non inuenit, quem ardebat, sed & inuenitur, à quibus malè mulcetur: dum captat, capitur: faustè impos prædæ, miserè deprædanda. Cùm autem *inueniendi* verbum, illis propriè conueniat, qui inquirunt, exprimitur latenter, ni fallor, vigilum affectus, qui, vt hodie fit, insidiari videntur transeuntibus, ac de incessus strepitu perquirunt: à quibus aut de intempesti temporis, aut de prohibitorum armorum culpa, pœnas exigunt: lucro & rapinis magis, quàm pacificandæ vrbi incumbentes.

185. *Amor absens vndique nuntia captat.*

Num quem. Se, suumque etiam tacito nomine, omnibus tamquam sibi notum putat: nota hæc amoris, quam notarunt omnes. Porrò ardens desiderium inueniendi quæ cupimus, etiam ab ignotis (si fortè) nuntia captat. Illustrat id Telemachus apud Homer. *Odyss.* 1. qui Palladem simulato habitu occultatam seorsum excipit,

Ἵνα μιν ἀμφὶ πατρὸς ἀποιχομένοιο ἔροιτο:
Vt ille de patre absente interrogaret.

Cùm tamen nullum signum videret, vnde suspicari possit, hospitem vllam patris notitiam habiturum; sed qui cupit, etiam vnde minus sperari possunt, notitia extorquere attentat. quòd autem addit *paululum*, breue tempus interiacens designat, quod describendo dilecto, apud accurrentes fœminas consumpserat, de quo multa *cap.* 5.

186. *Teneo verbum amatorium.*

Tenui eum Teneamus hoc verbum, in quo nonnulla latent studiosis non protritæ. in primis *tenere* verbum est amatorium, quo non solùm strictio, & comprehensio significatur; sed etiam aut voluptas quo amans captus detinetur, aut vis pulchritudinis, & dotium, quibus tamquam retibus tenens amatoriam prædam videtur implicare, notauit nouam formulam Cerda ad illud 1. Bucol. *dum me Galathea tenebat.* vide. adde Catullum in nuptiis Pelei, *tene, Thetis tenuit.* vbi Passeratius: *id est, vinculis amoris constrinxit.* Horat. lib. 4. Oda 11. *Tenetque grata compede vinctum.* & Tibullus, *tenerque catenis.* dedit hos citatus Passerat. ideo Propert. *lib.* 2. *eleg.* 10.

Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset seruitium mite tenere tuum.

Hoc ergo tacitè videtur innuisse puella in hoc loco, puellari ingenio, sibi pulchritudinique suæ illud arrogans, quod non solùm constringente amplexu, sed etiam dotibus amasium lubentem teneret: quod fortasse voluit Plautus *in Curc. a.* 1. *sc.* 3 vbi amica ad amasium: *tene me, amplectere.*

Item impleti desideria.

Si verò puella non solùm effectu inuentum dilectum tenuit, sed etiam affatu; quasi nunc narret, inter constringendum apprehensum dixisse, *teneo te.* quod mihi satis probabiliter excogitatum credo: tunc nouam formulam aperio, qua rebus desideratis diu, & tandem post longa suspiria inuentis dicebatur, *teneo.* hinc illud Helenæ apud Eurip. inuento tandem marito.

φίλαι, τὸν, τὰ πρίν
Οὐκ ἔτι στενάζω, οὐδ' ἀλγῶ.
Pinnam in Cantica.

Πόσιν ἐμὸν ἔχομεν, ἔχομεν,
ὃν ἔμενον, ἔμενον.
Amica, amica, priora mala
Non amplius gemo, nec doleo.
Meum maritum teneo, teneo,
Quem expectabam, expectabam.

Electra item apud eundem, Oresti suo diu suspirato, ait,

ὦ χρόνῳ φανείς
Ἔχω σ' ἀέλπτως.
O qui tandem apparuisti
Teneo te, præter spem.

cui & Orestes respondet:

Κἀξ ἐμοῦ γ' ἔχῃ χρόνῳ
Et à me tandem teneris.

Sic apud Terentium *in Heautont.* Iuuenis redux ad amicam inuentam, quamdiu cupierat,

——— Teneo te
Antiphila animo maximè exoptata meo.

& possessionis.

Adhuc tertia explicatio alia, nec illa importuna, sese offert. verbum *teneo* ita apprehendere significat, vt acceptam pariter denotet possessionem: ideo Cæsar Africæ appulsus, cùm fortè fortuna è naui egressus labetur ad litus, rueret, ne infausto omine exanimarentur milites, consilio callido terram amplexatus, & omen vertens in melius, dixisse dicitur: *Africa, te teneo.* Vnde patebit acumen Chrysologi *serm.* 8. qui ad illud Matth 28. num. 9. *accesserunt, & tenuerunt pedes eius*, sic scribit: *haberi se voluit, qui passus est se teneri.* ac si puella sibi videretur, quasi liberali manu suum sibi asseruisse; ac si diceret: meus es. (quem tot quæsitum laboribus iustè possideo: quod mystico sensui maximè deseruiet.) sic olim quando auidè alicuius rei possessio sumebatur, non solùm manu quandoque, sed vtraque, immo pleno complexu, denotandæ lætitiæ & auiditatis, illam attrectabant. Notum illud Martialis,

Chrysol. explicatus.

Hanc vtraque manu complexuque asserere tote.

quod in hoc loco puellæ mirè conuenit. Impulit me in hanc cogitationem Hebræa radix, quæ hîc habetur אחז quæ sonat apprehendere accepta possessione, tenere cum dominio: vnde Numer. 32. num. 35. *possessionem suscepisse nos confitemur.* Hebræa habent idem verbum, à quo & אחוזה possessio apud nos. Respondit ergo euentus somnio, quia in sponsalibus inchoata possessio datur.

187. *Fœminis vique in ædem domo distincta cubicula.*

In domum matris. Ex vsu quo in eisdem ædibus diuersæ partes viris & fœminis assignabantur: quos dicimus *differentes quartos.* de hoc & gentibus & Hebræis vsu, iam pauca Delrius, plura Sanchez, (quæ ego mihi iam dudum adnotaram.) ideo à transcribendis parco. lege de hac re Cerdam *ad uers.* 93. *num.* 13. solùm, vt loenselatiùs pateat, adduco verba Lyrani, ad illud *Genes.* 24. de Rebecca. *Incurrit itaque puella, & nuntiauit in domo matris sua omnia que audierat.* vbi supponens adhuc Bathuelem eius patrem viuere, sic scribit. *Tunc temporis mulieres habitationem habebant cum puellis separatim in domibus virorum, vbi faciebant opera qua competunt mulieribus, & talis dicebatur domus matris sue, ad quam cucurrit Rebecca.*

188. *Amasij in thesauros introducti & amasij semi-cem.*

In cubiculum genitricis. Vmis Ghislerius optimè notauit, non esse hæc synonyma cum superioribus, quod cæteri ad nonnum Hebraismum deducebant: quoniam cubiculum hoc, in fonte חדר & apud LXX. ταμεῖον, propriè significat locum thesauri, vt alibi supra dixi. Vnde vult Ghislerius significari iuuenem non solùm simpliciter in domum, sed tamquam rem pretiosam & seruandam

in locum thesauri adducendum, pulchrè: vnde ea, quæ paulo antè scripsi, de sumpta possessione magis elucescunt. Aliquid simile video in facto illo Holophernis Iudith 12.n.1. *Tunc iussit eam introire, vbi repositi erant thesauri eius, & iussit illic manere eam.* putaréinque barbarum adblanditum puellæ, quasi pretiosissimæ gemmæ instar in thesauro curaret custodiendam. Sic explico illud Prouerb.4.n.13. *Tene disciplinam, & non dimittas eam, custodi illam, quia ipsa est vita tua.* vt quæ sæpe sacris eloquiis, quod nemo nescit, nunc amica, nunc aurum, & gemma appellatur, de vtroque titulo in thesauro custodienda intelligatur.

Iudith 12. n.1. explicatur.

Item Prouerb.12.n.13.

189. *Fœminæ olim in qua parte ædium morarentur.*

Adhuc tamen aliquid occultius hîc euoluendum: חדר vt nosti, propriè est locus abditus, penetralia ædium, domus penitiores: an igitur indicarut Hebræos in hoc more Græcis magis, quàm Romanis similes in hoc loco gynæceis muliebribus assignando? fortasse. Græcæ certè fœminæ in penitiori ædium statione domesticis ministeriis incumbebant: Romanæ verò in exteriori. probat multis Cerda ad Virgil. *lib.9.vers.648.nota* 11. nescio tamen an omnia sint iuratæ veritatis.

190. *Nutrix mater dicta.*

Denique ne quid tibi cogitationum mearum videar inuidere, vide, sodes, an argutari possemus aliquid, quo matris, genitricísque appellatione, diuersa significata intelligamus. Nutrices scimus olim puellis, iam etiam nubilibus habitas in deliciis: constat id ex omnibus penè paginis antiquorum. Ad has ergo omnes amoris sui euentus referre solebant. Nota illa nutricis Phædræ apud Senecam, & myrrhæ apud Ouid. & quæ Terentius passim de nutricibus: in sacris etiam Rebeccæ nutrix satis celebratur. An ergo in hoc loco puella *domum matris*, priuatam illam nutricis suæ stationem adsignificat, cui priùs tam felix nuntium, tam faustè inuentus thesaurus adductus intelligatur, deinde *in cubiculum genitricis* naturalis adducendus? cogitemus. Est certè in hoc multum puellaris moris, & nihil indecori. Solitas verò nutrices appellari matres, probat Virgil. *Æneid.* 8. qui de Romulo & Remo sugentibus nutricis lupæ mammas dixit,

——geminos hinc vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem.

Est signatissimus locus Plauti *in Menæch.* de re simili,

Ita formam similes pueri, vt mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat:
Non adeò mater ipsa quæ illos peperit.

1.Thessal.2. n.7. explicatur.

Suspicórque sic etiam apud Hebræos euenisse ex modo loquendi Pauli 1.ad Thess.2.n.7. *quasi si nutrix foueat filios suos.* neque enim nutriti dicerentur filij, nisi & nutrix mater diceretur.

PARAPHRASIS.

Interdum dum excurro anxia, dúmque, quocumque aduenio, non inuenio: occurrisse mihi visum, vigiles, quibus ciuitatis custodia incumbit noctu: quæro sollicita de dilecto, nec ad rem respondentibus, dum pergo vlteriùs, paulo pòst obuius mihi venit amplexandus: tunc, teneo te, inquam: apud me libens commoraberis, iam meus es dilecte Salomon, nec vltrà dimitteris, donec in matris meæ conclauem & thesaurum, instar pretiosissimæ gemmæ adducaris. Hæc vobis dicta sunto per compendium de somnio, cuius hodie felicem exitum expectatis: ecce enim iam dilectus, & desponsus nobis adest.

Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. VERS. 5.

191. *Amantes somniari cupiunt.*

Immane, quantum torqueat hæc adiuratio interpretes, & quantum ipsa torqueatur, vero alicui sensui, & aptæ cum superioribus cohærentiæ extorquendæ. Mihi quidem hæc adiuratio persuasit, superiora huius scenæ verba, de somnio enarrato explicanda: vnde facillima connexio iam elucet. Videbat iuuenis veriores affectus in fictis illis somniantis imaginibus scintillare: præponénsque synceros ipsius naturæ impulsus, & ab omni fuco alienos, omnibus aliis vigilantis dilectæ curis: obtestatur sodales, ne quoties simili somno, somnij tam teneri parente, afficiatur dilecta, illam excitatam velint: quippe vnica amantis vota, ab amasia amoris vrgente pondere somniari: hinc iuuenis Terentianus absentiam meditatus in Eunucho *act.2.sc.2.* id enixè ab amasia exigebat.

Dies noctésque ames, me desideres,
Me somnies, me expectes, de me cogites,
Me speres, me te oblectes, mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.

Quod attinet ad formulam adiurationis, iam suprà *cap.2.* de illa fusè: vide quæ de sagittis decidentibus, de retibus superatis ibi dedi, & transfer ad hunc locum, vbi puella amatorij retibus somnij implicata, & veri amoris etiam inter dormiendum spiculo percussa, nec sananda, nec explicanda concupiscitur.

192. *Obtestatio adiurans.*

Solùm addo has obtestationes, optimè per adiurationem explicari, quando in adiuratione, necessariò obtestatio includitur. Vnde veterum interpretum princeps ad illud Terent. *in And. act.1.sc.5.*

Quando ego per hanc te dexteram oro, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, pérque huius solitudinem
Te obtestor.

Ita habet. *Obtestatio dicitur, quando eum adiuramus, quem rogamus, oramus per eas res, quas iuramus. Virgil.*

—peruersæ genitor fumantia Troiæ
Excidia obtestor.

Hæc ille. Ait ergo sponsus:

PARAPHRASIS.

Quàm iucunda mihi narratio: fictæ imagines, factæ amoris tui, certissimæ mihi indices: adiuro ergo vos puellæ Sionitides, sic vobis felicia semper venationis solitæ eueniant exercitia: vt quantumlibet dilecta iterum dormiat, nunquam illam à tam suaui quiete excitetis. quoad voluerit, dulcis mihi dormiat, quæ inter dormiendum me somniat, me suspirat.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? VERS. 6.

Hæret in hoc loco aqua interpretibus doctis, nedum indocto mihi, maximè in concatenatione mea, apud quam hic ascensus videtur insuperabilis, neque enim, vt alij, possum aut gressu pedum, aut ferculi gestatione gradientem & ascendentem per desertum immittere sponsam, cùm adhuc nuptiarum traductionem non admittam, & de

...m sponsalium solennitate in domo puellæ agi-tur, hanc scenam, & duas sequentes dixerim explicandas: igitur vt me expediam, pauca statuenda.

193. *Ascendere pro crescere.* In primis ascendere in hoc loco, non est locali motu scansim procedere, sed crescere, exsurgere: sic Psal. 103. n. 8. *ascendunt montes*, id est, exsurgunt, eleuantur. Isai. 11. n. 1. *Orietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* & iterum 53. n. 2. *& ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, id est, crescet, erigetur. Similes passim in re arborum locutiones apud profanos, qualis illa Statij in *Epiced. Glauciæ.*

Vidi ego transertos alieno in robore ramos
Altius ire suis.

Sic turres, sic excelsa fastigia in sublime dicuntur ascendere.

194. *Vulgatus asseritur per, id est, in.* Neque obstat huic meæ explicationi τὸ *per desertum*. in Hebræo enim & Græco clariùs legitur, *de deserto.* nec minùs propriè noster particulam *per* apposuit; latinissimè enim arbores & flores per campum, id est, in campo vernare dicimus. Tibull *lib. 2. eleg. 3.*

Fert casiam non culta seges, totósque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Claud. *de nupt. Honor.*

——vel flore sub vno
Cui gemina Pæstana rosa per iugera regnant.

Quod autem attinet ad *desertum*, iam omnes notarunt, apud Hebræos *deserti* nomine sata culta, agros feraces, & vberrimos campos, quidquid denique est extra vrbes, appellari. Addo ego, sic etiam

195. *Desertum, pro agro.* apud Latinos euenire. Ouid. 5. *Fast.* vbi quidam loquitur de situ, vbi tunc Roma.

Hæc loca desertos vidi sine mœnibus herbas,
Pascebat paucos vtraque ripa boues.

Desertos posuit pro solitariis & absque vrbe, cùm tamen ibi pastores, tuguria, greges.

196. *Virga, pro germine.* Per *virgulam* intelligo germen arboris odoratæ, quòd ab Hebræis vt plurimum germina & rami virgæ appellantur: sic Isai. 11. n. 1. *Orietur virgo de radice Iesse.* & Ezech. 19. n. 10. *Quasi vinea in sanguine tuo super aqua plantata est: fructus eius & frondes eius creuerunt ex aquis multis, & facta sunt ei virga solida.* In hoc verò loco diminutiuè dicitur *virgula*, non de paruitate, sed ad delitiarum amatoriarum incrementum, sicut suprà *lectulum* pro *lecto* dixit: sunt enim hæc diminutiua teneriora, vt fusè *cap* 8. differemus. Consonant mihi Hebræa & Græca. LXX. enim vertunt ὡς στελέχη, *sicut caudex, truncus, stirps.* Hebræa in plurali per numeri enallagem כתימרות *instar palmarum*, quibus omnibus non tam, puto, proceritas, vt in cap. 7. quàm pulchritudo denotatur, & suauitas: sic Homerus Nausicaam vocat φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον, *palma nouellum surculum ascendentem.* Vbi iterum expressum nota verbum ascendendi pro hac significatione: obiterque vide ab Hebræo תמר id est, palma vocari apud Mauros dactilum *tmar*, quem Lusitani dicimus *tamara.*

197. *Rami odorati ad ignem.* In his ergo, quæ excogito, tota difficultas est, cur hæc virgula, siue surculus fumi dicatur, & LXX. expresse καπνοῦ. Aduertendum igitur, non simpliciter germen huc appellari, sed germen arboris odoratæ: tales autem stirpes & virgæ incendebantur, non solùm ad lucem, sed etiam ad odoratam fumigationem: virgula ergo fumi, nihil aliud est, quàm virga odorata, quæque odoratos suffitus potest exhalare. Sic capiendus Claudianus

Claud. explicatus. 3. *cons. Honor.*

Pinximus Cantica.

Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

Vbi ramos Panchaios explico de virgis thureis, thus enim pretiosissimum norunt pueri. tales erant thureæ virgæ, de quibus Plinius *lib. 12. cap.* 14. Virgil. 2. *Georg.*

——sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Et iterum *lib. 7. Æneid.* de domo Circes,

Vrit odoratam nocturna in limina Cedrum.

Cedrus enim ad has delitias semper quæsita: sed & similes fragrantiæ arborea, quas coniungit Ælianus *lib. 5. cap. 6.* de pyra Calani: ἐγεγόνει δὲ ἡ πυρὰ ἐν τῷ καλλίστῳ προαστείῳ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ τὰ ξύλα αὖα, καὶ πρὸς εὐωδίαν δὲ μάλα ἐπιλεκτά, κέδρου, καὶ θύου, καὶ κυπαρίττου, καὶ μυρσίνης, καὶ δάφνης: *fuit autem constructa pyra in pulcherrimo suburbio Babylonis, erántque arida ligna, & ad fragrantiam summopere comparata, qualia sunt cedrina, thyana, cypressina, myrtea, & laurea.* Hæc innuit Ouid. *Fast.* 1.

Cernis odoratis vt luceat ignibus æther.

& Propert. *lib. 4. eleg. 10.*

Putris odorato lux erat igne casa.

198. *Palma odorata in igne.* De quo videndus Homer. *Odyss.* 5. de foco Calypsus. nec mihi scrupulum iniiciunt Hebræa, quæ solùm apponunt palmas: noui enim etiam palmas fumi, id est, odoratas ad suffitus. Melampedes Milesius apud Athen. *dipnos.* 14. *cap.* 22. nescio de quibus. *Sacram thuris lachrymam odoriferásque palmas, cassiámque teneram perfundantes.* Sed de palmis odoratis plura dabo infrà *cap.* 7. Aliquid tale cogitauit ad hunc locum Nyssenus (licèt ad mysticum sensum multa alia misceat, & explicationem longè in diuersum scopum deducat) vbi ita. *Obstupescunt oriri talem ex loco deserto, quæ arborum illarum pulchritudinem imitetur, quæ in solitudine per suffitus exhalationes excolantur.*

Nyssenus explicatus.

Tandem quod additur, *ex aromatibus myrrha*, &c. ad excellentiam odoratæ virgulæ deduco: quasi talis enuntietur eius odor, ac si ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris odorati & ignibus impositi exhalaret. Hebræa ad literam habent, *quæ hæc quæ ascendit instar palmarum, suffita ex aromatibus*, &c. LXX. tamen & noster, maluerunt virgulæ ipsi suffitus attribuere, quia ad laudes puellæ, quæ intenduntur, vtrouis modo dixeris, perinde se res habet.

His, non sine magno labore meo, vellem nec cum pari fastidio tuo, aduotatis, sensum iam & connexionem versiculi aperiamus. Adfuerant celebratis sponsalibus hinc chorus virginum sponsæ amicarum, illinc adolescentum chorus sponsi comitum: neque enim sine festiua turba credendum solemnia sponsalia celebrata. Sic etiam apud nos cùm hæc peraguntur, Hispanè dicimus, *al firmarse las escrituras del casamiento.* in domo puellæ contractûs subscripturæ, vtriusque partis familia occurrit, diuiduntur bellaria, dicteria iaciuntur, tunc chorus virginum incomptæ, & odoramentis, vt solet, imbutæ sponsæ laudes effertur, & illam deserti, id est, agrorum suorum germen venustius & suauius appellant: idque interrogando, non tam ignorantiam, quàm admirationem vsitatâ figurâ protestantes. Tacitè verò innuitur amabile puellæ ingenium, quæ in die sponsaliorum suorum, non tam virginum sodalium, vt assolet, inuidentiam, quàm laudes & amorem sibi conflabat, de quo multa *cap.* 7. dicemus. De festiuo verò conuiuio in sponsalibus præbito, videndus Cicero *lib.* 2. *ad Q. Frat.* inde præbere sponsalia eleganter dicitur de epulo id temporis amicis

 exhibito.

exhibito. notauit in ſuo lexico Paſſeratius. Sit ergo paraphraſis.

PARAPHRASIS.

Papæ! quàm venuſta, quàm ſuauis ad ſponſalia procedit virgo noſtra: neque mirum, ſic enim in campis noſtris, exſurgit gratioſa, floreſcens creſcit, vt odoratæ palmæ, aut ſimilis fragrantiæ plantæ æmula videatur: quemadmodum enim ardentes iſti ſurculi & flammis noctem vincunt, & ſuffitus pariter omni myrrha, omni thure fragrantiores emittunt; ſic illa & venuſtatis lumine, & odorum ſuauitate recreat & permulcet.

VERS.7. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.

VERS.8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

Hinc primò adoleſcentum chorum induco colloquentem, de quo in prolegomenis diſſerui: concatenatio verò dramatis ſic procedit. Laudarant, vt vidiſti, virgines ſponſam, quaſi germen pulcherrimum pagi, campique patrij: annuunt adoleſcentes, idque explicant per pompam & armatos comites, quibus ſtipatus procus illuc deſponſandus aduenerat: vt enim erat germen peroptabile, mille haberet ſui cupidos, (quod *cap.* 5. dicemus) ac proinde ſponſi felicitatis inuidi neceſſariò: quorum nocturnis, ſi fortè, inſidiis obuiaturi comites in deſponſandi amici tutamen accincti gladiis procedebant. In numero ſexagenario, myſterium qui curat, nodum in ſcirpo quærit: certum pro incerto poni, doctiores & meritò arbitrantur, exempla ſexcenta paſſim obuia hæc mihi vni de ſerie viſa, nunc paucula pro verborum explicatione adnotanda.

199. *Lecticæ forma.*

En lectulum. Capio *lectulum* de geſtatorio vehiculo, non tamen illo nuptiali, vt putat Sanchez, in quo cum marito traducebatur vxor; ſed de vehiculo feſtiuo, in quo pompaticè iuuenis acceſſerat deſponſandus: nec mirum. vocetur lectus is, in quo reclinari poterant, imò & recumbere, hinc etiam apud Latinos *lectica* vehiculi genus, quæ olim humeris, vel manibus ſeruorum ferebatur, nunc etiam mulis geritur, à lecto dicitur, quaſi lectulus, vt in confeſſo eſt apud omnes: de forma lecticæ audiendus Lipſius (dignus author, cuius verba iam citentur, quà doctus, quà catholicus, & ad ſenectam piiſſimus in Deiparam.) is ergo *elect.* 1. *cap.* 19. de lectica aperta, ita. *Aperta forma ſimplex: aſſeres aliquot compacti qui capere puluinum oblongum poſſent, in quo homo ſingularis porrectus iaceret: ad ſummum non aliud, quàm modicus quaſi lectus diſco facilè ex ſcalptura veteris illius monumenti, præterea ex ſcriptoribus.* licèt non ita probem quæ addit in lecticis nunquam aſſediſſe, ſed iacuiſſe ſemper. Aliquod igitur lecticæ genus in hoc loco ſignificatum autumo, vbi vnus ſponſus feſtiuè & delicatè geſtaretur. Lecticas enim Hebræorum delicatiores agnouiſſe, patet ex Iſaia *cap.* 66. de populo reducendo, num. 22. *In equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis.* lecticam, inquam, capio, non illarum quas Hiſpani vocant *ſillas de manos*, ſed quas *literas* dicunt: Luſitani vocamus *andas*: aut his ſimilem pilta paruam rhedam, vno verbo ſtaticulum. Videtur autem fuiſſe hunc lectulum ſponſi cultum ſatis & comptum, ſiquidem eius aſpectu excitantur puellæ ad Salomonici ferculi memoriam reuocandam.

Salomonis. Caue capias cum multis de Dauidico Salomone rege Iſraël: ſed intelligendus eſt hic Salomon noſter ſponſus & paſtor, de quo fusè in prolegomenis. de paſtorum verò priſcorum luxu & delitiis, videnda quæ diximus ad calcem capitis primi ſuprà.

Tenentes gladios. In Hebræo, quod notant omnes, legitur, *tenti gladiis.* diuerſa phraſi, ſed eodem ſenſu. Similis Virgiliana locutio: — *nec tingeret æquora plantis*: & poetæ paſſim hac enallage.

200. *Gladius ad femur.*

Super femur. Eodem modo Virgil. quem dedit Delr. addo & Homer. *Odyſſ.* 10.

Ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ.

Ego verò gladium acutum ſtringens a femore.

& iterum *Odyſſ.* 11.

Σπασσάμενος τανύηκες ἄορ παχέος παρὰ μηροῦ.

Deſtringens acutum gladium craſſo è femore.

Quod autem Delr. vult ab humeris demiſſo baltheo ſuſpenſum gladium femori incubuiſſe faciliùs euaginandũ, eſt veriſſimum: do vnum Homerum iterum *lib.* 2. eiuſdem operis de Telemacho.

——— ἀμφὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ

——— *Gladium verò acutum circumpoſuit humero.*

Puto nihilominus aliquando, ſicut apud nos, etiam apud priſcos gladium breuiori baltheo non ab humeris, ſed è cingulo ad latus, ſiue femur pependiſſe. innuit Virgil. *Æn.* 2.

——— *Laterique argiuum accommodat enſem.*

Clariùs Lucanus.

Et galea miles caput, & latus enſe reſoluit.

& Propert. *lib.* 3. *eleg* 14.

Gyrum pulſat equis niueum latus enſe reuincit.

Et certè apud Hebræos חגור quod baltheum, ſiue cingulum militare ſignificat, non ab humeris demiſſus, ſed ad lumbos incinctus dicitur. Iſai. 11. num. 5. *& erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* vbi quidam etiam gladium intelligunt.

201. *Nocturni timores.*

Timores nocturnos. Id eſt, inuidorum incurſus, qui venienti ſponſo poterant inſidiari, noctu verò ad ſponſalia veniſſe hinc colligo. Apud Athenæum *lib.* 4. *cap.* 8. vbi de Magdalia *nocturnos in biuiis timores*, videntur de laruis vmbratilibus, & ſimilibus terriculamentis vſurpari. Simile eſt illud Ciceronis de quodam Orat. pro Cælio: *Puſio cum ſorore propter terrores nocturnos cubitabat*; ſed in hoc Cantico, vt dixi, longè aliter timores iſti nocturni veniunt explicandi.

PARAPHRASIS.

Et quidem agnoſcit Salomon noſter, virginis iſtius veſtræ pretium eximium, dotes peroptabiles: ideo enim lecticam, qua iſthuc modò vectus, multis amicorum armatis, iiſque ſtrenuiſſimis circumcinxit, ne quis corriualium felicitatis ſuæ inuidus, & puellæ venuſtatem deperiens nocturnas venienti inſidias alicubi, impediendis ſponſalibus pararet.

VERS.9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani.

VERS.10. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

Quo modo alij hæc cum ſuperioribus connectant,

ctant, vt legeris: quid vnus ego putem, ſic habeto. Viderant priùs, & audierunt nunc virgines, quàm feſtiuè & delicatè in lectica vectus, eò ſponſus Salomon adueniret: inde ergo excitata memoria, alterius Salomonis Regis lecticæ recordantur, quaſi ideo Salomon paſtor illuc in pulchra lectica delicatus oſtentandis opibus geſtaretur; quia Salomonis Regis imitator haberi cupiebat, qui ad oſtentandam fortunæ ſuæ opulentiam lectica perpulchra & amoris inſignibus exornata, id temporis vtebatur. nunc fuſiùs regiæ lecticæ elegantia explicanda.

202. *Lectica varia.*

Ferculum fecit. In Hebræo eſt אפריון nec vſquam alibi in ſacro textu, præterquam in hoc loco reperitur, vnde qui Vulgato noſtro non adhærent, mirè variant; ego cum Doctoribus capio de geſtatorio ferculo, & propriè de lecticæ aliquo genere, quod hîc vidit Legionenſis: vnde mirè, quæ ſuprà de lectica dixi, comprobantur. ſic LXX. φορεῖον, quod, ni fallor, magis ad lecticam, quàm ad quoduis aliud vehiculi genus debet accommodari: indidem enim lectica, quam ſex, aut quatuor ſerui lecticarij geſtare conſueuerant, Græcis, vt noſti, dicitur ἑξάφορον & τετράφορον: meo autem iudicio τὸ *fecit ſibi*, emphaſim habet. innuiturque ſummum ſtudium & diligentia, qua Rex geſtamen hoc faciendum à fabris ſibi curauit: quod enim præcipua cura à Principe procuratur, quaſi ipſorum manibus factum dicitur. Sic de Aſſuero dicitur *Eſth.* 1. feciſſe grande conuiuium, quia ſplendide faciendum curauit, & magis ad rem præſentem, ideo *num.* 5. veſtibulum & nemus regio cultu & manu conſitum deſcribitur. in lignis Libani iam omnes odoratas & incorruptibiles cedros intellexerunt.

203. *Curruum elegantia.*

Columnas argenteas. Non mirandus luxus apud ditiſſimum Salomonem, quando & alij Principes, qui præ illo pauperes, imò & priuati quidam, ſimilibus quoad vehicula delitiis indulſerunt. Lampridius in Alexandro Seuero: *Carrucas Romæ & rhedas ſenatoribus omnibus vt argentatas haberent permiſit, intereſſe Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ vrbis ſenatores vterentur.* Fuſior Aurelianus apud Vopiſcum: *dedit poteſtatem, vt argentatas priuati carrucas haberent.* nec ſolùm argentata, ſed & argentea vehicula, imò, quod miteris, aurea lego apud Romanos. Plinius lib. 34. cap. 17. *Cœperunt deinde & eſſeda, & vehicula, & petorita exornare: ſimilique modo, ad aurea quoque, non modò argentea ſtaticula inanis luxuria peruenit: quæque in ſcyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri cultus vocatur.* Vnde miteris interpretem Martialis, qui hæc vidit, non de aurea, ſed de aurata intellexiſſe illud *lib.* 3. *epig.* 62.

Martialis propugnatus.

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Fateor enim vt plurimum auratos hos currus, quod diſcis ex Ouidio *lib.* 1. *amor. eleg.* 2.

Ibis in auratis aureus ipſe rotis.

& Propert. *lib.* 1. *eleg* 6.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus.

Negari tamen ex Plinio non poteſt, multa in curru ita ex ſolido auro conſtrui, vt totus currus aureus dici poſſet. ideo Horatius *Epod.* 1.

Io triumphe tu moraris aureos currus.

& Philoſtratus ait quemdam impoſitum ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, *in aureo curru.* dedit hos Paſſerat. ad Propert. nil ergo hic nouum de Salomonis æuo, quando aurum vilipendebatur, & penè lapidibus argentum comparabatur. Quid hîc ſit *reclinatorium*, iam alij multis ventilarunt. ego planè vt ſonat, ad locum, in quo & terga & vtrimque brachia poſſunt reclinari, cum pluſculis deduco.

Aſcenſum purpureum. Accliuis abſque dubio hic aſcenſus, qui tot adeò interpretes defatigauit. nonnulli iam de ipſo gradu, quo in currum aſcenditur, explicarunt: his adhæreo, quia facilis & planior ſenſus redditur: in Hebræo eſt מרכבו à radice רכב quæ propriè eſt *inſidere, vehi, equitare:* inde etiam רֶכֶב *currus*: vnde puto heemanticum nomen quod hîc ponitur, non ſolùm ephippium ad equitandum, ſed etiam aliquam partem currus ſignificare, quam optimè LXX. per ἐπίβασιν, noſter per aſcenſum, explicauit. Vulgò dicemus *el eſtriuo.* videtur ergo hæc lectica à noſtris aliquatenus diuerſa, & paruo currui ſtaticulo, vt ſuprà dixi, ſimilior, cuius aſcenſus purpureo tapete ſtratus dicitur.

Media. Vox ambigua, omnia illa, quæ inter currus tectum & pauimentum iacens adſignificans, ſiue à latere, fronte, & tergo, ſiue etiam in medio pauimenti, aut tecti interioris; hoc enim eſt in Hebræo תוכו & apud LXX. ἐντὸς αὐτοῦ: Vulgatus noſter per τὸ *conſtrauit*, viſus ad pauimentum recurriſſe, licèt etiam alias partes poſſit intelligere; quidquid enim obtegitur, etiam ſterni, ſiue conſterni dicitur.

Charitate conſtrauit. LXX. habent: ἐντὸς αὐτοῦ λιθόστρωτον ἀγάπην, *interiora eius, lapidibus conſtratam charitatem.* ſic enim cum doctioribus coniungo. in quinta editione τὸ μέσον αὐτοῦ ἐψηφολόγησεν: *medium eius calculis intexuit.* nec diſſonant Hebræa: ſiue enim vertas, *medium amore conſtratum*, vt noſter, ſiue, vt alij, *medium amore accenſum, vel ardens, vel combuſtum*, perinde erit: notatur enim medium pretioſis carbunculis, qui in modum prunarum ardentium, vt bene notat Delr. ſcintillant ſtratum fuiſſe, & certè רָצַף quod hîc ponitur, ambiguum eſt. nam & *ſternere* & *comburere*, ſignificat, vnde רצפה pauimentum, & רֶצֶף pruna. his ferè à docto quouis iam notatis latè de hoc amore conſtrato diſſerendum, iis relictis quæ iam alij fusè de ipſo Salomone ſedente cogitarunt.

Obtrudit inprimis Ghiſlerius pompaticum ferculum, vbi viuum ignem geſtatum in amoris hieroglyphicum putauit. Ego, qui non pompaticum ferculum, ſed geſtatorium pono, hunc ignem non deglutio, ne fortè ſi media æſtate in ferculo veheretur Salomon, æſtuans bonus Princeps, & ipſis delitiis afflictus videatur. Cùm tamen ignis in vtraque pagina, amoris ſymbolum ſit notiſſimum, non repugnarem credenti, ſic teſſelato opere in ferculi ſui medio ſapientiſſimum Principem lapillos quoſdam pretioſos & ignitos diſpoſuiſſe, vt colore ipſo & artificiali figura flammas imitarentur, quibus in flammis amoris hieroglyphicum vellet intellectum; & quidem eleganter ſic explicatur Hebræa phraſis, vt medium *amore accenſum* dicatur, quia lapides accenſi & ardentes miro artificio diſpoſiti, flammas, in amoris ſcintillarum figuram emouebant. nam carbunculos, pyropos, ſimiliſque coloris lapillos, incenſos, flammantes, & ignitos dici, negari non poteſt.

204. *Lapilli igniti pretioſi.*

Ouid. 2. *Metam.*

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis
Clara micante auro flammaſque imitante pyropo.

Nam & πυρωπὸς dicitur ἀπὸ τοῦ πυρός: de his Statius *lib.* 2. *ſyl.* 1.

Nunc herbas imitante ſinum, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

Claudianus de lapillis Ceraunijs, qui à fulmine, Græcis κεραυνὸς nomen mutuati, ita habet.

Ignea fulmineis legêre Ceraunia Nymphis.

Manilius *lib.5.*

Gemmarúmque illi radiabant lucibus ignes.

Tertullianus *lib. de iudicio.*

Gemma coloratis fulget speciosa lapillis,
Inde nitet prasinus, inde carbunculus ardet,
Herbosáque viret præ grandi luce smaragdus.

& lib. de Anima, cap. 9. *Ceraunijs gemmis non ideo substantia ignita est, quòd coruscent rutilato rubore.* Hæc satis probabiliter dici poterant.

205. *In curribus imagines portatæ.*

Nihilominus puto longè probabilius cum aliis in medio ferculo gestatam aliquam imaginem amoris, qualem Theocritus apud Sanchez in ferculo Arsinoës depingit. Atqui, inquis, pompaticum illud erat Arsinoës ferculum, non gestatorium: atqui in gestatorio ferculo etiam emblemata, & figuras erigi solitas, disco ex Q. Curtio lib. 3. de curru Darij: *Distinguebant interuenientes gemmæ iugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem: inter hæc auream aquilam, pennas extendenti similem, sacrauerant.* & tamen erat currus iste Darij bellicus: at noster festiuus, quo quidem delitiæ veniunt signatiores. Salomon igitur, qui diuino ductus spiritu nouit non violari legem Deuter. quamuis Seraphinos, & similes imagines effigiarit: potuit amoris stemma sibi assumere, & ipsius figuram exprimendam curare. & si coniectare licet, sicut Sanchez suspicatur stemmata fuisse aliquas columbas: ego crederem fuisse aliquem Seraphinum, qui ipso nomine ardorem denotaret: (dicitur enim Seraph, à radice שרף id est, *incendere*, siue *comburere*) quique ignitis lapidibus conflatus flammas iacularetur, & manu ardentia fulmina contorqueret. Vnde infrà cap. 8. n. 6. *lampades eius, lampades ignis*, ex Græco legitur περίπτερα αὐτῆς, *alæ eius*, vel, vt alij vertunt, *sagitta eius.* Vbi vides amorem ignitum, alatum, sagittarium: quibus notis vtplurimum Cupido effigiatur: quid autem Seraph nisi ignitus iuuenis & alatus?

206. *Ex Seraphinis sacris fortasse Ethnici imaginem Amoris expresserunt.*

Hæc si probabilia tibi videantur, posses putare, quemadmodum ex Seraphim & palmis templi Salomonis, Palmaris Deæ pennatæque victoriæ (quod alibi in spicilegio noto) Ethnici imaginem vsurparunt: sic etiam ex hoc diuino Cupidine, Cupidinem suum alatum & ardentem didicisse: vt etiam huc veniat illud Tertull. in Apolog. cap. 47. *Hoc mihi proficit antiquitas præstructa diuinæ litteraturæ, quo facile credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuiquam sapientiæ: & si non onus iam voluminis temperarem, etiam excurrerem in hanc quoque probationem. Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte gustauerit?* Sin minùs attende ad vnumquemque Seraphinorum quos describit Scriptura: imò & ad illum, qui beatæ Teresiæ feminarum gloriæ Hispaniæ decori reuelatus ignito vultu gemmatis pennis, ardenti iaculo cor eius transfigebat: & lege deinde poëticas Cupidinum descriptiones, & subitò è quo sint fonte haustæ degustabis. Statium certe *lib. 1. syl. 2.* talem iurabis Seraphinum expressisse.

Hic puer è turba volucrum cui plurimus ignis
Ore: manúque leui nunquam frustrata sagitta.

In egregio item illo libello, quem de gestis B. Ioannis de Deo scripsit nuper Episcopus Gouea, in illo tractatu, vbi agit de virtutibus egregij viri Antonij Martini nosodochij Matritensis fundatoris, enarrat: huic aliquando puerulum Iesum ipso habitu diuini cuiusdam Cupidinis formam exprimentem, cor sagitasse, miráque dulcedine viscera transfixisse; cur ergo Prophetæ & amoris diuini scriptori Salomoni simile aliquid ostensum à Deo non putabimus, quod ille ænigmaticè in curru effigiasset, & ad quod in hoc amatorio Cantico allusum vellet? eo maximè quòd putent viri grauissimi, alibi hoc scripsi, durare vsque hodie apud Abissinos Reges stemma leonis crucem sustinentis, quod ferunt stemma fuisse Salomonis, eius sigillo impressum: vsurpatum postea à Dauide iuniori, eiusdem Salomonis & Sabæ Reginæ filio, & ab hoc ad posteros traductum. cuius rei, vt dixi, testem alibi profero. Qui ergo iam tunc Leonis nostri crucifixi symbola proferebat, cur alia eiusdem amatoris non proferret? hæc satis pro coniectura. venio ad difficiliora.

Constratus dicitur hic amor, vt vides, tam apud nostrum, quàm apud LXX. & nemo illorum (quem viderim) qui in hoc loco Amoris hieroglyphicum excogitarunt, docuit, aut dubitauit, quomodo hæc effigies, qualis qualis foret, non construi è lapillis, sed in pauimento, aut alibi, pura ad latera, aut ad frontem ferculi (quod magis probo vt perspiceretur) in lamina aurea, aut consimili materia consterni describatur. quod vt capias, recurre ad artem quo sectili lapide, & variè gemmeo calculo non solùm sternebatur aliquid, sed variis figuris pingebatur: scribo de his latè in medio spicilegio; huc tamen necessariò aliqua transcribenda. de hoc ergo Statius *lib. 1. syl. 3.*

———*varias vbi picta per artes*
Gaudet humus, superántque nouis Asarota figuris.

207. *Asarota quæ.*

Asarota tamen de solis pauimentis dicebantur, vt nosti? Plinius *lib. 36. c. 25.* de Soso, qui apud Græcos in hac arte claruit. *Pergami strauit Asaroton paruis crustulis, varijs coloribus, & effigie diuersarum columbarum nobile: vna mirabilis erat bibens, & aquam vmbra capitis infuscans, abripiente alia escam.* Apuleius *lib. 5.* non crustulas viles, sed pretiosos lapillos huc annumerat: *pauimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminantur*, vt iam ridiculi appareant qui putant Asarota solis fictis ciborum reliquiis inscribi & depingi solita, cùm multæ aliæ figuræ, vt vides, etiam in Asarotis describerentur. pendent illibatum locum ex Athenæo *dipnos. 5. cap. 7.* de naui Hieronis: *Hæc omnia pauimentum habebant ex varijs lapillis compositum, in quibus facta erant, miro quodam artificio, omnia quæ in Iliade fabula continentur.* Vbi vides, non solùm domos, sed etiam naues delitiosas his sterni, quo minus de Salomonis ferculo mireris. Varios autem hos lapillos Athenæi pretiosos fuisse, aperit ipse statim ibidem paulo pòst. *Post hæc triclinium Veneris erat paratum, quod pauimentum habebat ex lapidibus achatibus alijsque pretiosis, quæ in insula reperiebantur.* Alias etiam partes vt parietes simili opere instratas ex Tertulliano & Suetonio alibi probo. Hæc plusquam satis, si his lapillis amorem effigiatum existimaueris, aut in Asarotico pauimento, aut in pretiosæ materiæ tabula, quæ latus, siue frontem currus adornaret.

Quia tamen viri grauissimi, inter quos meus Sanchez, putant simpliciùs locum capiendum, solúmq; hic significari instrata media, pretiosissimis quibusuis gemmis, quæ ideo charitatis nomine dicuntur, quia amorem & desiderium sui excitant, & curiosos spectantium oculos ad se rapiunt: in illorum gratiam aperio, cur cùm minora alia aliis in partibus splenderent, in pauimento tamen,

(quod

208. *Calcare gemmas.*

(quod etiam cum aliis partibus interioribus, nomine medij intelligitur) pretiosi lapilli ponerentur. Sciendum igitur detulisse priscos in summi luxus & potentiæ ostentationem gemmis & vnionibus solum interserere, & asarota sternere, vt his calcatis altiùs illorum maiestas extolleretur, collocans sub pedibus per despectum, quæ alij ad honorem in capite gerebant. Vnde noto emphasim verbi *calcandi*, quo tanto exprimendo luxui vtuntur, vt non solùm opes non habitæ in pretio, sed præ delitiis ad calcationem despectæ cernerentur. Seneca epist. 76. *eò delitiarum venimus, vt nisi gemmas calcare nolimus.* & iterum lib. de tranquill. animi cap. 1. *iam domus etiam qua calcatur pretiosa, diuitiis per omnes angulos dissipatis.* Stat. *lib. 1. syl. 3.*

Seneca bis explicatus.

Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam nec opimus opes.

Statius item.

Mart. *lib. 12. Epig. 50.*

Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.

& Martialis.

Apul. lib. 5. *vehementer iterum ac sapiùs beatos illos, qui super gemmas & monilia calcant.* Vocat, credo, *monilia* laqueos illos, qui lapillorum structuram commeabant; tandem Plinius lib. 9. cap. 35. *nec gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam obambulent, satis est.* hæc de structura currus. Videamus breuiter caussam.

atque Apul. Pliniusque.

209. *Fœmina curiosa aspiciendo.*

Propter filias. Ego nunquam illorum opinionem deglutiui, qui putant significari hoc loco constructum ferculum à Salomone Rege, aut vt profanos puellarum affectus aucuparetur, aut vt se illis ambiendum ostentaret. absit à castissimo Cantico quidquid profanam amoris leuitatem redolebit. hunc scopulum credo, vt euitaret Sanchez, quid vnus excogitauerit, tute videris. Ego in hac mea serie planiùs procedo. Solent Principes cùm aliquod gloriæ suæ ostentamentum exhibent, lætari, si vndique ad eius aspectum confluatur, si dum incedunt, prætereuntium oculos ad se rapiant, &, quod maius est, si matronæ & virgines vt plurimum reconditæ, spretis penetralibus fenestras occupent, ipsius cultum & pulchritudinem (vt solent esse curiosiores) attentiùs admiraturæ, & laudaturæ: nihil modestum voluit Iacob, & tamen hinc Iosepho suo laudes aucupatur: *filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum*, Genes. 49. n. 22. ad illius nimirum aspectum non turpem quidem, sed naturalem de cultu & pulchritudine iuuenis voluptatem percepturæ, tale est illud Claud. *de laud. Stilic.*

Nonne vides & plebe vias, & tecta latere
Matribus.

& iterum alibi de Honorio,

——— Vndare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.

Sidonius Apollin. *lib. 3. epist. 3.* hoc ordine: *Quem te, quantumque nuper, omnis ætas, ordo, sexus, de semirutis murorum aggeribus conspicabatur.* quasi malus, quòd sexus etiam fœmineus aliàs reconditus, huc conflueret. si tamen in vtroque sacro loco aliquid amoris immixtum contendas, explica de amore illo, qui ad nuptias collimat, id enim temporis Iosephum & Salomonem plures cultu & pulchritudine captas in vxores duxisse, non indecorum: tunc autem exprimetur, sed modestiùs, illud Claud. *lib. 1. Stil.*

——— & plebs pharetrata videndi
Flagrauit studio, defixaque hospite pulchro
Persides arcanum suspirauere calorem.

Grauiùs Statius *sylu. 5.*

— Aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio versantem in puluere metas
Spectabant Tyriæ non toruo lumine matres.

Pergo ad alia.

PARAPHRASIS.

Et quid inueniret talis ad delitias, pastor vester Salomon? quid ni perpulchrum ferculum appararet? sic rex Salomon Dauidis ille filius, ad delitias suas currum curauit extruendum: ex incorruptibilibus Cedris Libani machina contignatur: striatur in columnas argentum, & aurum pro reclinatorio flammescit purissimum, purpureisque tapetibus gradus sternuntur: ad medium viuum amoris hieroglyphicum igniis & radiantibus lapillis effigiatur: quo Solymitarum virginum oculos ad se traheret.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

VERS. 11.

En iam, mi Lector, tibi locus, vnde omnes, quos viderim, nuptias in hoc loco descriptas aucupantur: cùm enim viderint nuptiarum die (quod mille vtriusque paginæ probari potest testimoniis) coronatos sponsos matrimonium iniisse, ex desponsatione & corona quæ hîc afferuntur, matrimonium celebratum pro certo habuerunt. Ego tamen qui nuptiales coronas, ab sponsalitiis longè diuersas noui, nouam omnino huic Cantico seriem ex hoc eodem loco deducendam intellexi. Verba ergo choro iuuenum attribuo: qui gratà, de amœbæorum iure, increpatione puellas arguunt, quod plus iusto in describendo Regis Salomonis ferculo immorentur, quasi adhuc illius iucunditate memoriæ titillentur: cùm dulcius in pastoris præsentis Salomonis, & quidam instar Regis de sponsalium more coronati contemplatione possent detineri. Aiunt ergo,

210. *Egrediendi notio.*

Egredimini. Mentis potius, quàm corporis gressu, id est, relinquite hanc cogitationem, & huc attendite: quo sensu Virgil. 1 *Æn.*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus syluas, vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono.

Penè ad hanc significationem Bernardus hîc. *Egredimini filiæ Sion anima delicata, de sensu carnis ad intellectum mentis.*

211. *Regis nomen inter blanditias.*

Regem Salomonem. Multiplex caussa cur hîc pastor Salomon Regis titulo afficiatur: aut quia puella illum Regem suum solebat appellare, de quo multa *cap. 1.* dixi: aut quia per nuptias imperium in regno suo, id est, sua puella ius acquisiturus (de quo *cap. 7.*) iam tunc per sponsalia, ius ad regnum comparabat: aut denique, quia amici amicum nobilem Regem appellabant, de quo plenas vbique paginas inuenies: nunc satis Martialis 1. *Epig. 93.*

Cùm te non nossem, dominum Regemque vocabam,
Cùm bene te noui, iam mihi priscus eris.

Sic hodie amicis obuiis blandientes dicimus, *rey mio.* quæ omnia pressiùs tunc vrgerent, cùm ille de sponsalibus coronatus procedebat: quod iam aperio.

In

212. *In diademate.* Suppono ex Paschalio & eruditis aliis, diadema & coronam quandoque significationes inuicem commutare. exempla passim offendes: in hoc loco coronam intelligo: expressè LXX. in Regiis, ἐν στεφάνῳ, *in corona*, & non ἐν διαδήματι: sic & Hebræa עטרה hic magis propriè coronam, quàm diadema significat. hoc posito sciendum, non solùm nuptiarum die, sed etiam ab eo tempore, quo sponsalia de futuro, vt dicunt, ineunda, imò à quo de sponsalibus agebatur priscos coronari solitos. Audi Poëtam de Lauinia multo ante nuptias, *lib.* 7.

Diadema pro corona.

Corona non solùm nuptiales, sed sponsales.

Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis.

Vbi cur aurea verba Principis interpretis Cerdæ mei hic non afferam? an illo Seruius dignior, aut quisquis alius? ergo ille post alia *Possit quis velit rationem aliam afferre, cur corona gestata Lauinia; quia videlicet nota fuit futurarum nuptiarum: atqui Lauinia iam fuerat promissa Turno: itaque fuit mos, vt cùm primùm virgines cogitarent de nuptiis, coronas gestarent.* Vbi multa congerit, quorum nonnulla strictioris fidei ego mihi iam dudum selegeram. Eurip. *in Aulid.* introducit Clytemnestram, ita ad Achillem de filia Iphigenia alloquutam:

Σοί κατεστεψάμην ἐγὼ νιν, ὡς γαμουμένην:
Tibi, coronans ego illam, duxi tamquam nupturam.

Vbi satis innuitur à penitiori Græcia eo vsque puellam coronatam commeasse, à matreque coronam, vbi primùm sponsalia à patre alibi pacta, illi innotuerant, accepisse. De sponso idem claret ex Nonno *Dionys.* 14 vbi defletur iuuenis ab sponsa multo ante nuptias, & iam tunc dicitur, νύμφιον στεφανηφόρον, *corona sponsali adornatus*: vnde credo signantissimè propterea non dici in hoc loco γαμήλιον, *nuptialem*, sed νυμφίδιον, *sponsalem.* Nolo plura, quia licèt ad hunc locum recentia, tamen ab aliis ad rem aliam iam præoccupata. & fortè locus Isaiæ de sponsalibus pressè, & non de nuptialibus coronis capiendus.

213. *Mater sua.* Signatè; quia matris hæ partes: dant multa ad rem suam Poëtarum Scholiastes: inde pete, si vacat. In re coronæ præter locum Clytemnestræ adductum, do alium eiusdem Eurip. *in Troiad.* apud quem Cassandra aliò intendens, sed huc alludens.

Matres coronabant sponsos.

Μᾶτερ πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον:
Καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖς βασιλικοῖς γάμοις.
Mater corona caput meum victoriosum,
Et gaude propter meas regias nuptias.

214. *Desponsationis.* Mihi mirum quàm communi consensu hîc omnes nuptias iuratunt, cùm tamen desponsatio propriè in suo significatu capi possit: sic etiam LXX. non γάμου dixerunt, sed νυμφεύσεως: nec obstant Hebræa. Ibi enim חתנתו est à radice חתן quod verbum est connubia, vel affinitatem contrahere, nec solùm de præsenti nuptias, sed etiam propriè sponsalia importat. Ibi *Genes.* 19. *num.* 12. חתן est futurus gener, & propriissimè sponsus filiæ, multo ante nuptias: ibi de Angelis ad Loth. *Habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios*, &c. & statim num. 14. *locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius.* Vox ergo ista non solùm præsentes nuptias solet denotare, sed futuras etiam.

Desponsatio.

Lætitia. In quæ hucusque dixi omnibus planissima & clarissima videnda, mihi videretur: habebam paratum effugium, ne in hoc loco coronas nuptiales cogerer explicare, sed festiuas, & ad sponsalium solemnitatem, si non sponsalitio iure, saltem de communi lætitiæ iure vsurpatas. Hebræos enim in omnibus lætitiæ occasionibus instar gentium solitos coronari, latissimè contra Tertullianum, & eius asseclas, in spicilegio meo demonstrabo: hic tantùm insinuata veritas sufficiat.

215. *Cordis eius.* Latuit hucusque in his verbis amatorij genij affectus callidus, & amantis cordati sagax ingenium. Prudens amator hilaritatis suæ partem maiorem corde premit, animo recondit, credo ne aut inuidiam, aut fascinum aliorum iouenum in se prouocet, qui omnem in amore lætitiam effundit, ille desipit, decipitur: hinc lux Tibullo *lib.* 4.

Amator prudens lætitiam recondit.

Nil opus inuidia, procul absit gloria vulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Tibullus explicatus.

& Propert. 2. *eleg.* 25.

Ne tamen interea quamuis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo, semper sua maxima cuique,
Nescio quo pacto, verba nocere solent.

Quid autem sit *in sinu gaudere*, ea Cicer. 3. *Tuscul.* & Seneca *Epist.* 106. norunt docti: quibus pateo, quia non in re amoris. perfeci hoc caput.

PARAPHRASIS.

At vos, ô Sionitides puellæ, in admirando & laudando Daulidici Salomonis ferculo, iusto longius excurristis! O be, satis est: ea agite, egredimini iam ab hac mente, & fixis totis oculis contemplamini pastorem nostrum Salomonem, qui totum alium exprimit & obumbrat sponsali hoc suo vectus ferculo: vnum videbatur deesse ornamentum regni: at in die desponsationis suæ iucundissima, qua à matre florido serto pergit coronatus, melioris regni, puellæ nimirum suæ in aliquod adeptus, nec corona deest, nec regni meritissimo titulo defraudatur.

CAPVT QVARTVM.

VERS. 1. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: oculi tui columbarum, absque eo quòd intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

QVAM facilis huius numeri & sequentium secum, & cum superioribus connexio, tam difficilis similitudinum adductarum explicatio. Faxo iam ne in cassum laborasso videar, an ad lectoris gustum, ipse iudicauerit. Desponsatus iuuenis prorumpit, vt par erat, in sponsæ laudes, & geminata de affectu admiratione illius pulchritudinem absolutè commendat, eius deinde partes signatiùs describturus: incipit ergo ab oculis primus, qui solent esse, scopus ad laudes, sicut & ad prospectum terminandum. Pulchrè ad hanc rem Athen. dipnos. l. 13. cap. 6. *In nullam aliam partem amantes inspicere, quam in oculos amatorum, in quibus solet habitare verecundia, Auctor est*

216. *Oculi præcipuè in pulchritudine laudantur.*

eſt Ariſtoteles. & paulo pòſt iterum, priſcum neſcio quem citans, ita habet. *Cùm dicat ſomnum Endymionem amaſſe, cuius neque dormientis oculos tergere ſuſtinuerit, ſed apertis ciliis amatum ſopiuerit, quo aſpiciendi voluptate ſemper frueretur, hæc inquit; ſomnus verò gaudens oculorum ſplendore puerum oculis apertis ſopiuerat.* Nil ergo mirum, amantes præ omnibus oculos laudent, quos ſuſpiciunt, præ omnibus. quia verò ſuprà *cap.* 1. columbinum oculorum puellæ ingenium iuuenis datâ occaſione laudarat, nil vltrà addens, quia non è re ſua. in hoc loco, vbi non ſolùm nobile ingenium, & ab omni rapacitate alienum, ſed maximè venuſtas veneræ commendanda, præter id, quod ſuprà dixerat, aliud ad pulchritudinem pertinens immiſcet. vide quæ ibi dixi. quod autem addit, ſic habet.

Abſque eo quod intrinſecus latet. Et quidem ita latet intrinſecus, vt lateat hucuſque interpretum omnium mentes perſpicaciſſimas, quid ni hebetem hanc meam, & cæcutientem. Hieronymi explicatio, pace ſanctiſſimi Doctoris, ab omnibus ferè hinc amota, & meritò. Si qui poſt illum etiam ſecuti illam, à Doctoribus meritiſſimò vapularunt, vox Hebræa varias pariter interpretationes, multi putant per צמה comam & cincinnos denotari, & optimum eruunt ſenſum, oculos præter natiuam pulchritudinem inde pulchriores videri, quod antiis, & emiſſis è fronte crinibus ſublarentes diſſimulata luce altiùs fulgurabant: ſupponunt enim id in vſu olim virginibus, propendulis è fronte cincinnis oculos velare & vultum, ne curioſè, credo, viderent, aut ab aliis immodeſtè ſpectarentur: vellem tamen ne res non omnino per-uia improbata ſupponeretur, tantumque ex parentum fide credenda obtruderetur, quod omnes, quos legi, ad hunc locum feciſſe video; licèt enim ſoluti fœminarum crines paſſim legantur: non tamen facilè inuenies, virginibus pro velamento pudoris fuiſſe, ne ita liberè aut ſpectarent, aut ſpectarentur: id præſto ſignato loco Euripidis, vbi Electra ad chorum virginum, ita.

217. *Comis olim virgines vultum velabãt.*

Δόχμια νῦν κόρας
Διάφερ' ὀμμάτων
Ἐκεῖθεν, ἐνθάδ' εἶτ' ἐκ'
Ἄλλαν σκοπιάν, &c.
Ἑλίσσετε νῦν βλέφαρον.
Κόραισι δίδοτε διὰ βοστρύχων πάντα.
Obliquè nunc pupillas
Differ oculorum,
Iſthinc huc, inde in
Aliam ſpeculam, &c.
Circunferte nunc palpebras,
Pupillis date (locum) per cæſariem vndique.

Hinc fortè lux Paulo 1. Corinth. 11. num. 6. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum, vnum enim eſt, ac ſi decaluetur: nam ſi non velatur mulier, tondeatur.* Vult enim à velamine naturali, ad artificiale velamen facere argumentum. q. d. in artificiali velo te geris, naturam impugnas quaſi te caluam, & non de comato integumento obductam, efformaret: in velo tegaris, ſatius foret ſi tonderetis modò, ne comis quas retines, de ſpreto velo alio arguaris. Clariùs infrà num. 15. *Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli ei pro velamine dati ſunt.* quod argumentum inde robur acquirit, quia nonnullæ ſaltem virgines hoc naturali comarum velamine ad ſe regendum vtebantur: aliàs facillimo negotio poſſit eludi Paulus à femellis reſpondentibus, ſibi non ad velamen, ſed ad ornatum comas à natura miniſtratas. Fateor tamen non de vultus, ſed de capitis tantùm velo capi poſſe.

Paulus 1. Cor. 11. n. 6. explicatus.

Alij ſunt qui hac voce צמה faſcias, & vittas ſignificatas putant, oculoſque intra velum, ſiue flammeum latentes hîc laudatos volunt. Hebræas verò tecta facie, ex multis quæ *cap.* 1. dixi, certo certius: nullus tamen quem viderim explicuit adhuc, cur velum faciei, vittæ, ſiue faſciæ nomine explicetur: id præſtare operæ pretium duxi. Sciendum ergo vittas neſcio quas è capite olim fœminis tegendo vultui demitti ſolitas loco tegminis: probat clarè Homerus *Odyſſ.* 1. de Penelope *lib.* 18.

218. *Vitta vultum tegentes.*

Ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.
Ante genas habens formoſas vittas.

quod etiam *lib.* 1. dixerat, & ſæpe alibi. Erant autem hæ vittæ, ſiue velamina ſic tenuia, vt non omnino aſpectum videndis, & viſuris oculis impedirent: quem quidem retardabant potius, quàm adimebant. Diſco ex Euripide *in Tauris*, vbi Iphigenia ita de nuptiali flammeo:

Ἐγὼ δὲ λεπτῶν ὄμμα διὰ καλυμμάτων
Ἔχουσα.
Ego verò tenuia oculos per velamina
Coniiciens.

Claud. *ode* 4. de nupt. Honor.

Iam nuptæ trepidat ſollicitus pudor,
Iam produnt lachrymas flammea ſimplices.

De quo infrà *num.* 3. plura. Hæc ſunt quæ pro aliorum inuentis excogitabam, & pro Pagnines, qui vertit *retiacula.* Placet tamen mihi præ omnibus noſter Sanchez, qui vult faciliùs locum poſſe explicari de oculis modeſtè deiectis, & quodammodo pudore virgineo ſe occultantibus; dum enim ſublatent pudicitiùs, pulchriùs feriunt, in cuius gratiam, rem, in quam ego etiam priùs incideram, illuſtro, ex Virgil. *lib.* 11.

219. *Oculi modeſti pulchriores.*

——— *Comes Lauinia virgo*
Cauſſa mali tanti, atque oculos deiecta decoros.

Ad quem locum Cerda affert Ouid. 1. *Amor.*

Siue aliqua eſt oculos in me deiecta modeſtos,
Vror, & inſidiæ ſunt pudor ille meæ.

Deinde ſubdit de his decoris, & deiectis oculis: *Sunt oculi deiecti verè inſidioſi. nam veriſſimè hoc eſt habitus inſidiantis: ſicut ille in inſidiis eſt, qui occultus eſt, nec ſe dat conſpicuum.* Audis occultas, & proinde decoras inſidias latentis modeſtè luminis. hoc ergo eſt quod latens ſponſus commendabat. Cerdæ adde Statium *lib.* 1. *ſyl.* 2.

Ipſe manu nuptam genitrix Æneia ducis
Lumine demiſſam, & dulci probitate rubentem.

Faciliùs fuit hucuſque inuentis addere, quàm noua prodere; vt tamen ſtem promiſſis, exiſtimo poſſe optimè locum explicari de mirabili quodam oculorum fulgore, longè quàm pro vſitatis fulgentiori, quem propterea auctores diuinum ſolent appellare: Suet. de Auguſto cap. 79. *oculos habebat claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe aliquid diuini vigoris.* Trebel. Pollio de pulcherrima Zenopia: *Fuit vultu ſubaquilo, fuſci coloris, oculis ſupra modum vigentibus nigris, ſpiritus diuini, venuſtatis incredibilis.* qui ideo latens dicatur, quia eius cauſſa extra naturæ ſeriem, & arcana. Signatè Claudianus de hoc fulgore in Phœnicis oculis reperto.

220. *Oculorum fulgor diuinus & occultus.*

Arcanum radiant oculi iubar, igneus ora
Cingit honos.

Hinc Sophocles apud Athen. *dipnoſ.* 13. *cap.* 6. de quodam,

Talem

Talem in aspectu obscurè venatricem
Amoris coruscationem quandam oculorum habet.

τὸ enim *obscurè* occultam & latentem vim innuit, de qua loquimur, & fortasse LXX. qui vertunt ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως, id est, *extra silentium*, id voluerunt, quod fulgor ille vtpote arcanus nullis vnquam verbis posset explicari. sin minus, explica vt suprà de oculis illis decorè deiectis, modestè demissis, pro vt lasciuè oculorum loquacitati opponuntur: vnde Tibul. 2. *eleg.* 6.

Oculi loquaces.

Desine ne domina luctus renouentur acerbi,
Non ego sum tanti plores vt illa semel,
Nec lachrymis oculos digna est fœdare loquaces.

Nonnus *lib.* 19. de quodam lasciuè saltante.

Oculos verò vibrauit vagos, imaginem verborum.

Isai 3. n. 16. explicatus.

Hoc est quod Isaias 3. *num.* 16. reprehendit in fœminis, quæ *nutibus oculorum ibant.* audis ex Nonno oculos loquentes, quia vagi. bene ergo demissi & latentes taciti dicuntur. Iam ad alia.

Capilli tui. Nullus quem viderim, in huius loci congrua explicatione Sanchez nostro comparandus: ille perpulchras illas Legionensis coniecturas clarissimè testimoniis comprobauit, & tacitè obicem amouit, cui prudens quisque offenderet, de hirsuta duritie velleris caprini, ne illi videretur pulchra virginis cæsaries comparanda, dum ibi tonsiles instar ouium capras villi pulcherrimi ostendit. to lege. Ego cum aliis non tam caprarum velleri, quàm ipsimet gregi capillos sponsæ volo comparatos: fauent Hebræa & Græca, quibus cur aliquid supplere laborabimus, cùm planiùs, vt iacent, valeant explicari. nunc in quo sita comparationis amœna elegantia, quamuis sine patrono, vt soleo, tamen non sine iure, vt puto, iam aperio.

221. Coma errantes gratiores.

Nescit nemo quàm gratus oculis habeatur crinium error, quàm curiosè hæc incuria olim præcipuè, pulchris affectaretur: inde Apuleio dicitur 2. Metam. *non operosus, sed inordinatus ornatus.* Claud. 2. *de rapt.* venustiorem Dianam describens,

——— *Leuibus proiecerat auris*
Indociles errare comas.

Propert. *lib.* 2. *eleg.* 22.

Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet:
Siue vagi crines puris in frontibus errant, &c.

Iterum *eleg.* 1. *ibidem,*

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis:

& passim alij. Nec solùm incomptus iste comarum comptissimus laudabatur: sed varij capillorum ordines in vno eodemque capite, simul in tam diuersos cultus adducebantur, vt seiuncti aliorsum tendere viderentur. Lucianus *in Amorib.* γυναικὶ δὲ ἀεὶ πλέον ἡ τῆς χρώματος ἐπιλάμπει χάρις: ἡ δαψιλεῖς μὲν ἀπὸ τῶν βοστρύχων τῆς κεφαλῆς ἕλικες, ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἀνθοῦσιν ὅμοια πορφύρουσι: οἱ μὲν ἐπινώτιοι κέχυνται, μεταφρένων κόσμος: οἱ δὲ παρ' ὦτα, καὶ κροτάφους, πολὺ τῶν ἐν λειμῶνι σελίνων οὐλότεροι. *In fœmina autem omni, semper coloris gratia scintillat, largéque comarum capitis circumuolutiones hyacinthis pulchrè florescentibus purpurascunt: hæ quidem retropendula scapularum decori, suffunduntur: illæ vero ad aures, & circum tempora, apiis in prato florescentibus longè crispiores.* Elegans ad hanc rem Claudianus *de nuptiis Honor.* vbi de Venere.

Cæsariem tunc fortè Venus subnixa corusco
Fingebat solio, dextrâ lauâque sorores
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat, hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat, sed tertia retro
Dat varios nexus, & iusto diuidit orbes
Ordine: neglectam partem studiosa relinquens.
Plus error decuit.

de quo plenas vbique scriptorum paginas inuenies.

222. Caprarum grex erraticus, & pastoribus inde gratus.

Aliunde verò quis nesciat nullus gregum magis erraticos quàm caprarum? passim id oculis cernimus: ideo ab Horatio *deuia* appellantur, *lib.* 1. *oda* 16.

Impunè tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma, deuiæ
Olentis vxores mariti, &c.

de quo infrà plura. Quàm gratum autem id pastoribus spectaculum, explicauit idem *Epod.* 2. dum iotet delitias vitæ rusticæ numerat: *prospectat errantes greges.* expressè Infelix pastor id queritur sibi negatum apud Virgil. *Ecl.* 1.

Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ.
Non ego posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Quibus positis, vnde, quæso, gratius pastori sponso comparatio veniret assumenda, quàm si iucundus cincinnorum error, erranti & petulco, indeque aspectu gratissimo gregi conferretur? Dicuntur autem capræ ascendentes de Galaad, cùm potiùs videretur dicendum, *ad*, vel, *per Galaad*, quoniam verbum Hebræum גלשו quod hic habetur, propriè est videri i. reuelari, vt ex *cap.* 6. constat, & ex LXX. qui legunt ἀπεκαλύφθησαν, id est, *detecta, vel velata sunt.* Est ergo *ascenderunt de Galaad*, idem ac si diceret: *ascendentes apparuerunt de Galaad.* Sed adhuc hoc mihi dorum, sicut & alia, quæ de hoc verbo hic Scholiastes: vnde mauellem ascendere de Galaad, id est, de eius medio, ad celsiores rupes, aut arborum cacumina: quem caprarum morem & legis & vides vbique; ideò à Martiali *lib.* 13. *epig.* 99. pendentes non vtcumque à rupe, sed à *summa rupe* describuntur. Artemid. 2. *cap.* 12. νεμόμεναι κατὰ κρημνῶν τῶν πετρῶν. *pascentes in præcipitiis rupium.* Virgil. 3. *Georg.* de capris,

Capris ascensus gratus.

Pascuntur verò syluas, & summa Lycæi.

Quasi non contentus quòd illas Lycæum ascendentes faceret, nisi de ipso Lycæo ad illius summitatem describeret properantes. de Galaad vide quæ alij.

Hæc mihi pro loci difficillimi intellectu, facilis explicatio visa est, cui digniorem furtiretur patronum (maximè adiuncto seq. versu omnino genuina diceretur. Aliam adduco trepidus & e mera coniectura feliciori lectoris ingenio, diligentiori studio forsitan fouendam.

223. Crines vndosi.

Mare, vndas, & fluctus sinuosis crinium effusionibus explicandis præter vulgaria hodie idiomata, vsurparunt etiam olim Græci & Latini. Lucianus *in Amorib.* σοβαρῶς ἄχρι τῶν μεταφρένων αἱ ὄπισθεν ἐπισαλεύονται θρίξες. *Arroganter ad scapulas demissa coma retropendula subsultant fluctuantes.* Eunapius Sardianus in vita Proæresij: κόμη διὰ πλῆθος πολλῶν τριχῶν ἀφρίζουσι θαλάσσῃ προσεοικυῖα: *coma de canorum multitudine spumoso mari similis.* Valerius Flac. 5. *Arg.*

——— *Tenui leuis innatat vmbra*
Crinis ad obscura decurrens cingula mammæ.

Manilius *lib.* 4 ex correctione Car.

Illis cura sui cultus frontesque decora
Semper erit, tortos in fluctu ponere crines,
Aut vndis reuocare comas.

An ergo, sicut nos, fluctus paululum vento tumentiores, vulgariter *capellas cabrillas* appellamus, ita

&

& Hebræi. Nescio, id tamen si quis putaret, optimè fluctuantes sponsæ crines, & quasi vndarum capellis subsultantes caprarum gregibus diceret assimilatos. Refricaui etiam vt potui memoriam, an forte apud Græcos, aut Latinos vulgaris nostra capellarum metaphora pro fluctibus, occasionem sumeret, & nihil meminisse potui. Solùm scio ventum impetuosè spirantem etiam dum mare commouet, dici ἐπαιγίζειν, cuius verbi simplex est αἰγίζω, *quasi capras pasco*, fortasse, quia videbant ventum impetu ad mare spirantem fluctus capellarum instar excitare. Ecquis scit, an Lucilius apud Non. *lib.* 7. in versu illo notissimo,

Aptari caput, atque comas fluitare capronas.

Lucilius forte correctus.

scripserit potiùs *caprinas*, aut *capellas*, ad rem meam? sed alius viderit.

PARAPHRASIS.

Papæ! quàm pulchra nites dilecta, quàm speciosa. Ecquis singulas venustatis tuæ dotes dignè descripserit? oculi præter id quod de columbarum ingenio commendaui, nescio quid arcani radiant fulgoris, quod sentitur acriùs, dum sublucet occultiùs. Iam verò cæsaries hinc ad faciem propendula, inde retropendula ad ceruicem, hâc ad humeros ventilata, illac te nodata ad verticem: nunc vndatim sinuosa, nunc cincinnatim subcrispa: grato errore ordinata, ordine compto denia: cui melius comparabitur, quàm Galaaditico caprarum gregi petulco semper ad incessum, erroneo ad delitias, qui dum caprario ad regendum est difficilis, fit aspicienti gratior ad voluptatem.

VERS. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

En tibi secundum scopulum, sed immissa face illorum, quæ in superioribus diai, ni fallor, facilè pernium. Inopinus saltus videretur à comis capitis, ad dentes, cùm priùs inter media aliorum membrorum pulchritudo suo iure veniret laudanda; sed quia assumpta gregum caprarum similitudo, suo iure ad vicinos ouium greges, pastorem manu ducebat, illud post crines statim laudandum suscepit, capris nimirum comparatos: quod ouibus egregiè compararetur, dentes scilicet, quia, vt error placet in crinibus, sic ordo in dentibus, & nulla re alia sic differunt oues à capris, quàm quòd istæ erraticè, ille verò ordinatissimè procedant. Aristoteles 8. *de Anim. cap.* 10. ita:

224. Omnis grex ordinatus.

τὰ μὲν νέμονται, τὰ μὲν πρόβατα προσεδρεύοντα, καὶ ἠρεμοῦντα: αἱ δ' αἶγες ταχὺ μεταβάλλουσι, καὶ τῶν ἄκρων ἀπτόμεναι μόνον. *Pascuntur autem oues continua & stabiles capræ verò celeriter commigrantes, & summa tantùm contingentes.* Clarebit hinc Homerus, qui dum bellicas acies leonibus videbatur comparaturus, ouibus maluit compararas; quia cùm nihil caeterum vtilius, quàm ordo, (vnde & acies propriissimè ordines appellantur) ordinatissimo gregi meritò comparatur: ergo *Iliad.* 13. descriptis ducibus, addit,

Homerus illustratus.

——— αὐτὰρ ἔπειτα
Λαοὶ ἕποντ', ὡσεὶ μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα.
——— *sed deinde*
Populi sequebantur, vt post arietem sequuntur oues.

Igitur cùm dentium series ordine maximè venustentur, cui nam pastor aptius, quàm ordinatis ouibus compararet? de his Sidon Apol. lib. 1. epist. 21. *Si casu dentium series ordinata promineat, niueum* protinus *repræsentat colorem.* Lucianus in imag. *Veruntamen tenuiter ridendo à Philostrato dentes ostentabas: Dij boni, quàm albi, quàm mediocres, quàm aptè inter se constituti? sicubi segmentum, aut monile vidisti pulcherrimum, nitidissimis, & æquali magnitudine pollentibus margaritis confectum: tam concinna decentique serie erant nati.* Fortasseque ideo Rabbi anonymus ad hunc locum radicem קצב explicauit de ouibus limitatis & conneais, id est, non dispersis: crederem, quia vox ipsa hoc ouium ingenium videtur importare. hæc sunt quæ ego; nunc iam quæ alij acuta quidem, sed nuda prodiderunt, exornemus, & firmemus.

225. Oues cur tonsæ dicantur.

Tonsarum. Oues intelligit, quibus lana tondetur, vt fatentur omnes: vt iam dubitem, an apud Palæstinos capræ tonderentur (quod superiori versu volebat Sanchez) alioqui non esset tonsura hæc propria ouium nota. & quidem *tonsas* apud Hebræos meritissimò pro ouibus poni, coniecto ex voce Latina *pecudes*, quæ vt plurimum oues sonat, cuius nonnulli etymologiam volunt esse πέκειν quòd tonderentur: vnde pili depexi πέκειν; & vellus Græcis πόκος dicitur: mutato *o*, Græco in *e* Latinum. Deinde sicut lanitium expetitum, ouia nota, sic lanæ insigne notissimum candor. Virgil. 3. *Georg.*

Lana de candore commendatur.

Continuòque greges villis lege mollibus albos.

Et paulo pòst:

——— *munere sic niueo lana.*

Audis niueam ouium lanam? bene ergo etiam ex hac parte dentibus figurandis assumuntur, cuius venustas maior à candore, vt ex Apollinari & Luciano vidimus. Trebellius de Zenobia: *tantus candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes.* Iste vt Apollinaris, Ouidius verò *in epist. Leandri*, vt Lucianus de puella epistolam reseratura,

Dentes candidi.

Rumpere dum niueo vincula dente volet.

Liliis comparauit nescio quis, locutus de Helena paraphrazans Isaacium.

——— *Gena candida byssum*
Æquat, dextra niuem, dens lilia, colla ligustrum.

Laudati.

Noster, quia pastor perurbaniùs niueum vellus assumpsit, sicut & Iacob pastor etiam lac arripuit Genes. 49. 12. *& dentes tuos lacte candidiores.* Quàm auidè autem fœmina dentium laudes audiat, coniecto ex studio quo illas captat: de quo Alexis apud Athen. *dipnos.* 13. *cap.* 9.

Formosos habet dentes, necesse fit ridere,
Vt videant præsentes, os quam ornatum habeat.
Nisi gaudeat ridere, &c. lignum myrti
Habent tenue rectum in labiis,
Ita vt suo tempore os extendant, siue velint, siue non.

Versio est Natalis.

226. Ouium lauacra an dulcia, an salsa?

De lauacro. Crescit enim candor post lotionem. Notat bene Sanchez post tonsionem lauari pecudes, quia scabies illis contingit, si recens tonsis illotus sudor hæreat. Do integrum locum Virgilij, quia etiam ad rem nostram, luce caret.

——— *vel cum tonsis illotus adhæsit*
Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres,
Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri
Perfundunt.

Virgil. examinatur.

Affert Cerda Columellam 7. *cap.* 4. qui in mari, aut aqua aliunde salsa, non dulci mersandas voluit pecudes: à quo, vt vides, dissidet Maro, qui dulcibus fluuiis mersandas noluit. pro Columella facit Euripides *in Tauris*, vbi Iphigenia ad pastores, qui se nescio quos hospites in littore inuenisse referebant, ait,

Καὶ τᾶς θαλάσσας βουκόλοις κοινωνία;
Et quod pastoribus cum mare est commercium?
Qui tamen respondent:
Βοῦς ἤλθομεν νίψοντες ἐναλίᾳ δρόσῳ.
Boues iuimus lauaturi marino rore.
Nescio quid ad hunc locum (nisi quod de bobus, non ouibus est sermo) responderet Cerda: tamen pro Virgilio facit Theocr. *idyl.5.*
Αἶγες ἐμαὶ θαρσεῖτε κερουχίδες, αὔριον ὔμμε
Πάσας ἐγὼ λύσω συβαρίτιδος ἔνδοθι χράνας.
Cornigeræ spe estote bonâ, mea cura, capellæ:
Cras ego vos omnes Sybarito in fonte lauabo.
Cui & ipse institit *Ecl.3.*
Tityre pascentes à flumine reÿce capellas,
Ipse, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.
Vtrum autem lauacrorum, salsum, an dulce hic intelligatur, nemo, quem viderim, disseruit: ego dulci inclino, quia id deliciis, quæ in hoc Cantico affectantur, suauius.

227. *Vtrùm in ouibus prior tonsura lauacro?* Sed quid si dicam in hoc loco non necessariò dicendas oues priùs tonsas, deinde lotas: sed tonsas, paulo postquam à lauacro (nimirum dum siccarentur) prodierunt? possum. At quorsum, inquis, villosæ lauarentur? Audi Columellam 2.c.22. *Pontifices vetant lanarum causâ lauari oues, nisi propter medicinam.* Clariùs Macrobius lib.3.cap. item 3. *Cauetur iure Pontificio, vt quoniam oues duabus ex causis lauari solent, aut vt curetur scabies, aut vt purgetur lana: festis diebus purgandæ lanæ gratia oues lauari non liceat, liceat autem si curatione scabies adhibenda sit.* Hoc si verum, lauacrum dulce necessariò hîc ponendum, cùm salsum solum vitandæ scabiei, & non purgandæ lanæ causâ adhibeatur. ne morosus reprehendar, iudicet lector, an sine his, locus hucusque caligaret.

228. *Agni sub matribus.* *Gemellis fœtibus.* Interpretum argutias miror hîc magis, quàm imitor: sto illis qui planiùs, hiulcas dentium scissuras hinc amotas volunt. Vnum enim candido & ordinato ouium gregi deesse videbatur, vt dentium perfectam seriem adumbraret, nimirum, vt hiatus ille de gracilitate crurium admissus oppleretur: id ergo admoti matribus agni peragunt perfectè. Sola, ni fallor, poterat insurgere dubitatio, an agni alioquin coniscatores & petulci, sic etiam frequenter matribus ad vbera, aut latera admouerantur, vt tanquam de re ordinaria inter pastores, non inuita, aut aliena videatur inde trahi comparatio. Sed triplici testimonio comparationis nostræ decorum illustro, primo Callimachi in hymno Apollinis,
Facile quidem pascuum fit plenum, neque capræ
Egeant hædis, admixta ouibus, in quas Apollo
Pascentes oculos coniecerit: neque sine lacte
Oues, neque infœcundæ, sed omnes sub se agnum habuerint
Pende τὸ *sub se.* addit Callimachus magis ad rem nostram.
Ἤδη ϗ μουνότοκος, διδυματόκος αἶψα φύοιτο.
Et quæ vnipara erat, gemellipara repentè fit.
Secundò Calpurn. *Ecl.2.*
Mille sub vberibus ballantes pascimus agnos.
Tertiò, & illo optimo, Euripidis, in Cyclope.
Πῶς μοι κατ' ἄντρα νέογνα βλαστήματα;
Ἦ πρός γε μαστοῖς εἰσιν; ἢ χ' ὑπὸ μητέρων
Πλευρὰς τρέχουσι;
Quo modo mihi se habent in antris fœtus recẽs editi?
An ad vbera eunt? an vero inhærentes matrum
Lateribus currunt?
Vt verò nec etiam ex minima parte hiantes, aut foraminatos diceret, addit in comparatione, nullam in his sterilem orbam reperiri. Cætera si desideres, vide apud interpretes. Solùm aduerto *διδυμεύουσας*, quasi hîc vocant L X X. ab aliis *διδυματόκους* appellari, vt ex Callimacho vidisti: ita & Theocr. *Idyl.1.*
Αἶγά τε τοὶ δωσῶ διδυματόκον, ἐς τρὶς ἀμέλξαι:
Ἃ δύ' ἔχοισ' ἐρίφως.
Capram tibi dabo gemelliparã, quam intermulgeas,
Quæ duos habet hœdos.
Neque alibi vidisse memini verbum *διδυμάζω*, pro quo in vsu est *διδυματοκία*. Id autem, quod bene notat Ghislerius, *sterilis*, in nostro & L X X. pro *orba* poni, orbitatem enim sonat שכלות illustro ex Theocrito adducto, qui non solùm capram suam gemelliparam dixit, sed adhuc vtramque habentem, id est, nullo orbatam. gemellos ad minutiem si deducas, vide Lucianum suprà.

PARAPHRASIS.

Vt error accuratâ incuriâ placet in crinibus, sic ordo placet in dentibus. Vnde grex illis caprarum lasciuiens, istis ouium compositus adscribetur. Ouibus ergo dentes comparabo, & lotis & gemelliparis, vt à grege ordinem, à lauacro candorem, à gemellis continuationem referant expressam, & minutiem. Ecquid vltrà in dentibus requiratur, quàm si sint æquales, non prominentes; candidi, non luridi: coniuncti, non rari: minutuli, non enormes?

VERS. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet.

A dentibus suo iure pergit ad labia: porrò horum dotes (præter roseum, siue coccineum colorem, quo hîc commendantur) tres numerantur, vt sint decenter clausa, non hiulca: suauiter prominula, non depressa: non tam longa, quàm leuiter arcuata: quomodo id suæ vittæ conueniat, viderit meus Delrius. quæ plura alia excogitauit Ghislerius, sibi retinuerit: ego à tota vitta coccinea, solum mutuatum colorem hîc agnosco: quemadmodum qui rosæ comparant, corallo, aut cariophyllo, merum illum colorem intendunt laudare, nec opus vt in vnoquoque membro laudabilia omnia, laudata existimentur. Cur nodum in scirpo quæram, quem dissoluam? cur premam quæ pro lacte sugendo, sanguinem sugerent? cur verò cùm tot alia possit coccinea in comparationem adducere, vittam, siue funiculum elegerit Salomon, non diuino: posses putare, cùm toties vittas inter fœminarum cultus legas, has vtplurimum esse coccineas, qui color gratior?

229. *Sermo dulcis.* *Eloquium dulce.* Sermonem ipsum intelligo, non vocis sonum, qui alibi in hoc Cantico commendatur. Certè דבר verba ipsa dicta, non soni venustatem denotat. Id etiam admittunt L X X. qui vertunt *λαλιά*, deinde addunt *ὡραία*, *eloquium speciosum*. noster signatiùs *dulce* sic passim apud Latinos & Græcos, *melle dulcior* dicitur optimi cuiusuis oratoris sermo. Vide quæ infrà ad illud, *fauus distillans labia tua.* Meritò autem commendatis labiis, meminit eloquij, quod illorum pulchritudini vera vita quodammodo, vt trahant & alliceant. Sic Græcum *florileg.7. epigr.174.*
Ἐχμαίνει χείλη με ῥοδόχροα, ποικιλόμυθα,
Ψυχοτακῆ: στόματος νεκτάρεα πρόθυρα.

Vrunt

Vrens me labia rosea, disertè loquentia,
Animam liquefacientia, oris nectarei ianua.

Vbi obiter nectaris dulcedinem nota verbis iosiciendis, de quo iterum *cap. 5.*

230. *Punicum color à granis mali punici.* *Fragmen mali punici.* L X X. in Regiis sic locum interpungunt, vt eloquium malo punico velint comparatum. cæteri Codices sentiunt nobiscum, & meritò. Genæ ergo his malia comparantur: genæ, inquam, non tempora, vt falsò quidam. Sed an granis? an cortici maturi mali? an ipsi florido? grana capiunt multi, quia iu his color gratior, nec aliud in genis hic laudatum voluit: fragménque intelligunt, qua parte natiuis gemmis interoritet, non qua tumet io cortice. repugnant L X X. qui corticem legont λέπυρον: & quod mihi summi ponderis est, repugnat noster, qui Hebræum verbum, quod *hic*, & *cap.* 6. teuera fragmen significat, ab פלח *in cap.* 6. de cortice explicauit: si tamen fles illis, illustrarem ex Lactant. Firm. quiruenustissimum Phœnicis ruborem hinc commendat.

Principio color est qualis sub sidere cœli,
Mitia quem croceo punica grana legunt.

& ex Callimacho *in lauacro Palladis*, de cuius Deæ rubore,

ἁ κώρα, τὸ δ' ἔρευθος ἀνέδραμε πρώϊον, οἵαν
ἢ ῥόδον, ἢ σίβδας κόκκος ἔχει χροΐαν.

O puella tunc ruber suffusus Dea, matutina
Vt rosa, aut mali punici granum, habet colorem.

vbi κόκκος lepidè pooitur. nam granum absolutè sonat: & item granum inficiendæ purpuræ designat, hæc in illorum gratiam.

231. *Genæ pomis comparata.* Si corticem maturi punici cum aliis malueris, lege præ aliis Sanchez, & caue, meo iudicio, ab his quæ Ghislerius, fusca illa quidem, de fusco colore intermiscet. pro his præter illa quæ afferunt do Theocr. *Idyl.*26. de puellis:

Ἰνώ, κ' Αὐτονόα, χ' ἁ μαλοπάραος Ἀγαύα.

Ino, & Antonoe, & malis genas similes habens Agaue.

Et quidem à Græca & Latina paranomasia, qui à genas μῆλα, & malas vocant, satis hoc probabile: L X X. hic (saltem in Regiis) μῆλον pro *gena* posuerunt.

Floridum punicum rati admittunt? si tamen flos iste exactè truinetur, fortasse non improbabilis huc accedet, & mihi probabilissimus ex his omnibus, quæ denoo inoeni, iudicatur. Suppono

232. *Poma aut mitia, aut acerba eodem vocabulo passim, proferuntur.* igitur primò florem mali punici non solùm notare tenuia illa foliola erumpentia, sed totum pomum com cortice illo tenero & purpureo: totum enim illud quidquid est flos mali punici, & vulgò, & apud scriptores appellatur. neque obstat quod רמון hic, *cap.* 8. significet malum granatum iam maturum, vtpote à quo mustum exprimatur: nam etiam malum puoicum, mite iam pomum sonat: & tamen ex iis, quæ infrà dabo, etiam florescena sonare declarabitur. Et mirum hæc scrupulum viris doctis iniicere, cùm poma omnia idem vocabulum habeant, aut mitia, aut acerba: licèt enim acerba nonnulla priuato quandoque vocabolo insigniantur, tamen eadem commune noo spernunt: & licenter suæ linguæ peritissimi L X X. ignorantiæ arguontur, qui cum *Exodi* 28. de florentibus puniceis explicarunt.

Suppono secundò ipsos L X X. Hebraismi sol doctissimos, quo tempore illæsa linguæ notitia perdurabat, teni nimis tubore intensam, pota sanguinem, per malum punicum, sed floridum explicare: sic illud Ezech. 19. n. 10. *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo, super aquam plantata est*; legunt Piutus in Cantica.

ἡ μήτηρ σου ὡς ἄμπελος, ὡς ἄνθος ῥοᾶς ἐν ὕδατι, &c. *mater tua quasi vinea, & quasi flos malogranati in aqua.*

Supponoo tertiò authores profanos cùm venustum ruborem puoici commendant, nec expressè granorum meminerunt, à politiotibus interpretibus, de florescenti explicari. Sic Mattialis *lib.* 1. *epigr.* 44.

Non pyra qua lenta pendent religata genista,
Aut imitata breues punica mala rosas.

Vbi quamuis matura poma ootet, at loquitur in comparatione pet ordinem ad tempus quo floruerant, *quòd*, inquiunt, *in germinatione ordinem rosarum seruent.* imò aliqui ad βαλαύστιον recurrerunt, id est, agrestis puoici florem. Propert. *lib.* 3. *eleg.* 3.

Et Veneris domina volucres mea turba columba
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.

Vbi Passeratius: *Punica rostra subrubentia, & accedentia ad florem punici mali*: vt Horatius *puniceas rosas* vocat. adde Virgil. qui *Ecl.* 5. dixit *puniceo rosseta.*

His breuiter adnotatis, omnino puto florescens ponicum hic significari, non qua parte in tenuia foliola superiùs purpurascit, sed qua in succulento cottice rubescit: hic enim gratissimè vernat, tumet, & nescio qoo modo in succulento corpore occultos poros retinet, vt pet omnia humanam carnem ad genas imitari videatur. Sic *cortex* nostri infià *cap.* 6. & L X X. vtrobique. propugnatur suauiùs, cortex enim maturi punici, licèt quandoque aot natura, aut arte rubeat, tamen subrusticè, dutiusculè, & fœdius quàm pulcherrimæ tone puellæ, (& fuscum iam colorem, qoem do extraordinaria vineæ custodia, colorata contraxerat,) exutæ debeat comparari. *Fragmen* quod hîc ooster, & *cap.* etiam 6. habent Hebræa, nobis fauent, pars enim illa, quæ intensiùs rbbet in genis, vix dimidium flurem puniceum, & illum grandiosculum, (qualis erant, de vbertate regionis Palæstinæ) excedete videntur.

133. *Coma tegendo vultui.* *Quod intrinsecus latet.* Eadem verba habentur suprà, vbi de oculis: &, vt ibi, hîc etiam bonis aliorum explicationibus suppetias præbebimus. qui cæsarie pudicè obtectas genas volunt, inueniur Euripide *in Phœnissis*, vbi ita,

Οὐ προκαλυπτόμενα βοστρυχώδη
ἁβρὰ παρῄδος· οὐδ' ὑπὸ παρθενίας
τὸν ὑπὸ βλεφάροις φοινικ', ἐρύθημα
προσώπου.

Non tegens casarie ornatas
Teneras genas: neque virgineum
Sub oculis pudorem, ruborem
Vultus.

Nouum scilicet velom desiderat, quo ornatæ iam crinibus genæ tegantor: supponit nihiluminus cæsariem ad genas missam. Facit ergo etiam biè locus pro illis, qui de velo ad faciem locum explicant. vide quæ ex Homéro dedi hîc *num.* 1. adde iterum eundem Euripidem *in Tauris*, ex cuiua dato, & dando testimonio tertiam & nooam huic Cantico adduces explicatlonem, latere scilicet nescio qoid geuarum venostum, oon sub cæsarie solùm, aut solùm sub velo, sed sub vtroque simul. ergo ille, de puella optat,

Χόρεις δ' ἐνσταίην, ὅθι καὶ
Παρθένος εὐδοκίμων γάμων
Παρὰ πόδ' εἱλίσσουσα φίλας
Ματρὸς, ἡλίκων θιάσους
Ἐς ἁμίλλας χαρίτων·
Χαίτας ἁβροπλούτοιο

Ἐς ἐμοὶ ὀρχουμένα: παμποίκιλα
φάρεα, καὶ πλοκάμους
Πεισελλομένα
Γένυν ἐσκίαζον.
Vtinam choris adessem, vbi etiam
Virgo laudatis in nuptiis
Ad pedem impellens, charæ
Matris, æqualium choreæ
Ad certamen gratiarum:
Coma mollis & ornata
Ad certamen incitata: variè picta
Pallia, & cæsariem
Dimittens
Genas inumbrabam.

234. *Pudor gratior ad amorem.* Neque mirum, laudentur ab sponso hæc integumenta, quibus dum ostentatur puellæ pudor, iuuenis amor accenditur. Nonous *lib.* 42. de puella Baccho dilecta.

Virgo instabilem obseruans Bacchi
Pallio suam marmoream abscondit genam,
Et magis combussit Bacchum: quia serui amoris
Verecundas quo magis intuentur mulieres,
Eo etiam plus amant abscondita facie.

Sic vulgo vertitur insulsè de genarum marmore, quæ hæc laus, aut quomodo in genis rubore suffusis: verte

Nonnus explicatus.

Pallio suam splendentem abscondit genam.

In Græco *μαρμαιρούσας*: *παρὰ τὸ μαρμαίρειν*. id est, *splendescere*.pergo. Erant autem hæc vela, siue palliola tenuia, vt suprà dixi *num.* 1. retardando magis, quàm aspectui penitus remouendo. Seneca *in Octauia.*

Velata summum flammeo tenui caput.

Lucanus *lib.* 2. non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem.

Lutea dimissos velarunt flammea vultus.

Ego tamen quamuis nouerim Hebræas velari solitas, non tamen die nuptiarum (nedum sponsalium, qualia hîc celebrata puto) flammeo vsas iurarim: vnde magis de velatis cæsarie genis, quàm de velo tectis locum sumerem: ni verius putarem, planiùs locum intelligendum de latente illo pudore, & modestia, qui tuoc temporis ex rubentibus genis probabatur. Signandus gemmâ Claud. 1. *de rap.* vbi de virgine.

235. *Pudor pulchritudinem auget.*

— Niueos infecit purpura vultus
Per liquidas succensa genas, castique pudoris
Illuxere faces: non sic decus ardet eburnum
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit ostro.

Illuxit quidem pudor qui latuerat, & latebat adhuc, sed tamen rubore proditus, inter virginei cordis latebras quodammodo cernebatur. maiori iure in hoc Cantico, vbi virgo sponso adducta instar florentis punici erubuit, vt pulchrior, sic etiam visa indidem modestior. transfer huc quæ multa scripsi *cap.* 1. vbi de genis turturis.

236. *Amantes etiam quod latet pulchrum putant.* Tandem possit aliquis existimare laudari hîc & suprà ab sponso partes aliquas, quæ, saluo pudore, laudari possent si viderentur, puta brachia, humeros & similia, quæ in aliquibus laudata legimus: & quamuis hoc ego non concederem, non tamen nimis illi contradicerem, qui diceret laudari suprà, partes palpebrarum, quæ dimissis è fronte cincinnis delitebant, & hîc genarum partes illas, quæ propriæ maxillæ vocantur, & in viris barba, in fœminis aut protensis crinibus, aut ornatu alio, à capite, vel à superioribus auribus deducto, modò etiam obumbrari videmus: solent quippe amantes, partes membrorum tectas à pulchris manifestis, pulchras pariter, imò & pulchriores iudicare: sic Apollo apud Ouid. 1. *Metam.* seminuda brachia videns ad lacertos, latentem illorum partem in Daphnide pulchriorem reputabat:

Spectat inornatos collo pendere capillos:
Et quid si comantur? ait: videt igne micantes
Sideribus similes oculos, videt oscula quæ non
Est vidisse satis: laudat digitosque manusque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos,
Si qua latent, meliora putat.

Facit huc quod idem scribit *lib.* 6. de Tereo recolente puellam.

— At repetens faciem motusque, manusque,
Qualia vult fingit, quæ nondum vidit, & ignes
Ipse suos nutrit, cura remouente soporem.

Iam ad alia.

PARAPHRASIS.

Sic pulchros dentes, pulchra pariter labia roseo cocco flammantia venustant, è quibus loquela melle dulcior emanat. Genæ tuæ florenti malogranato similes, non vnde in membranulis tenuissimis purpurascit, sed vnde in succulento cortice turgescit, qui penè carneus ad tactum, plenè rubens ad aspectum: inde mihi gratiores, quod cùm de virginea rubescant verecundiâ, latentem pectore pudorem manifestant.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. VERS. 4.

Finita egregia faciei pictura, gradatim ad collum descendit, & de graui (non superba) eiusdem, proportionatáque erectione turri Dauidicæ assimilat: fortè etiam de candore marmoruni, colorem eius marmoreum insinuat commendandum. de hac Dauidis turri, eiusque propugnaculis, & vnde ab illis etiam ad colli pulchritudinem sumatur comparatio, impensam iam operam nauarunt interpretes: egregiam, de more, Sanchez, qui hos clypeos de foris appensos probat, vt colli aut monilia, aut coronas aptiùs referre viderentur: lege. Ego duo præstabo denuò, cur præcipuè è Dauidica turri clypei penderent, idque siue intus, siue foris, meæ enim explicationi vtromuis eligas, perinde erit: deinde quid hic armorum apparatus laudando collo conducat, explicabo. De primo, priùs.

237. *Clypeorum decus vnde.* Legis passim apud authores, summum fuisse dedecus clypeos in bello amittere: inde Lacænarum vox nota ad filios bellum inituros, quibus parmas tradebant, *aut cum hac, aut in hac.* id est, aut victores clypeum referre, aut mortui in clypeo referri curate, cauete ne hostis illo potiatur: inde scita parmularia, *aut palma, aut parma.* Epaminondas Thebanus ictus in prælio lethaliter, hoc votum curauit. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Traiectus hasta sanguine & spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus saluus esset, deinde an penitus fusi hostes forent, interrogauit.* Plutarchus in Pelopida: *Græcorum leges non qui ensem, aut lanceam, sed qui clypeum amisissent, mulcta damnabant.* hæc ex multis, quæ Græcorum afferri possent: do pauca de Latinorum etiam communi more. Horat. 2. *oda* 1.

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi, relictâ non bene parmulâ.

Propter

Propterea miles ſtrenuiſſimus, dum confectis pluribus hoſtibus clypeum mille iam partibus fractum proiicere cogeretur, vt natans rediret ad ſuos, coaſcius veniam petiuit, addiique Valer. citatus: *Viſoque Imperatore, armis non amiſſis, ſed bene impenſis, cum laudem mereris, veniam petiiſti.* Eamdem legem Germanis tribuit Tacitus *lib. de illorum moribus.* hoc ipſum Hebræis vſitatum apertè colligo ex 2.*Reg.* 1. *num.*21. vbi expugnatum Saulem plorat Dauid: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, neque ſint agri primitiarum. quia ibi obiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* ac ſi hoc vnum eſſet dedecus luctuoſiſſimum. In Hebræo emphaticè eſt נגעל & LXX. *προσωχθίσθη*, id eſt, *abominationi habitus, & odio.* erat ergo tota victoris gloria & decus, hoſtiles reportare clypeos, & maior victi infamia clypeis ſpoliati.

2.Reg.1.n.21. explicatur.

Cauſſam fuiſſe credo, quia cùm in clypeis imagines ſuas Principes depictas gererent, aut in eiſdem milites Ducum portarent nomina ſcripta, videbantur in eiſdem captiuis Principes pariter captiuari, inque ad hoſtile templum appenſis, perpetuò triumphari. Magna his lux à Plinio, fortaſſe & à me illi, lib. 35. cap. 3. de Apio Claudio: *Poſuit in Bellona æde maiores ſuos, placuitque in excelſo expectari, & titulos honorum legi: decora res vtique, ſi liberorum turbam paruulis imaginibus ceu nidum aliquem ſobolis pariter oſtendat,* &c. *Scutis, qualibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines,* &c. *Origo planè virtutis, faciem reddi in ſcuto cuiuſque, qui fuerit vſus illo. Pœni ex auro factitauere & clypeos & imagines, ſecumque in caſtris tulere: certè captis eis, talem Aſdrubalis inuenit Q. Martius Scipionum in Hiſpania vltor: iſque clypeus ſupra fores Capitolinæ ædis, vſque ad incendium primum fuit.* De nominibus ducum ſcriptis, res claret etiam ex Apiano in bello Alexandrino, qui ait, milites in Hiſpania Pompeij nomen in clypeis geſtaſſe ſcriptum: ſignatus locus Quintiliani declamat. 3. *Vides munitum gladio latus loricam ferro aſperam, clauſam galea faciem, & ad terrorem belli criſtas minantes, inſcriptum in ſcuto C. Marij nomen, totum denique virum Martio habitu horrentem,* &c. taceo nunc de ſtemmatis aliis, in clypeis depictis, quæ cùm mentem & animos prælianitis indicerent, ſic victi deridendum furorem propalabant.

Plinius explicatus.

Hos ergo clypeos, quos Ethnici vt plurimum, hoſtibus ereptos, templis dicabant, vt omnibus conſpicui gloriam ſuam, & hoſtium infamiam prædicarent: turri ſuæ adfixos voluiſſe Dauidem hinc colligunt eadem mente. & ſicut apud Ethnicos, non ſolùm hoſtiles, ſed ſuos etiam clypeos ibidem ſuſpendebant, multis de cauſis, vt paſſim legis, ſic etiam ex hac turri multos etiam ſuos appendiſſe Dauidem, quibus ingruente bello exercitus eius vteretur, pro certo duxerim. Inter tot verò alia inſtrumenta, quæ in hac turri muniendis expeditionibus ſuis parauerat Dauid, præcipuè clypeos deſignatos ideo puto, quia neceſſariò poſſeſſi maiori in pretio forent, qui amiſſi tantum doloris afferebant.

Omnis armatura fortium. Aliqui appoſitiuè explicant de clypeis: poſſunt; re enim vera שלטי qui hic habentur, alibi etiam pro clypeis vſurpatur. Sed quid hoc ſibi velit hîc & in loco ſuprà allato 2.Reg. 1. num. 21. vbi *clypeus fortium* laudatur, nemo quem viderim, adnotauit: ni cæcutio, hinc rei intelligendæ aliquid adlucebit. Tyrones, aut inertes milites, albo & nulla pictura inſigni clypeo vtebantur. Vide Interpretes Virgilij ad illud *lib.* 9. de quodam,

Enſe leuis nudo, palmáque inglorius alba.

Econtra verò viri fortes, milites ſtrenui, ſtemma ſibi aſſumebant, aut ſe in clypeis effigiabant: vide quæ alij notant ad illud eiuſdem *lib.* 7.

Et Sacrana acies, & picti ſcuta Labici.

Vbi Seruius: *fortium virorum ſcuta picta, inertium & tyronum pura.* Ergo Saul tot victoriis glorioſus, non inglorium clypeum ferret, ſed qualem fortes: nec Dauid è ſua turri aut ſuos, aut hoſtiles, niſi depictos clypeos haberet, dandos fortibus, & fortibus ereptos. hoc quamuis ſatis probabiliter dici poſſet: tamen in hoc loco armaturam non ſolùm de clypeis capio, ſed etiam de omni genere miſſilium, vt alij probabiliter putant, expreſsè LXX. *πᾶσαι βολίδες.* Hæc ſunt quæ pro clypeis, & pro armis cæteris huius turris excogitabam: nunc vnde ex his colli laudes etiam capiantur videamus.

Vnus Ghiſlerius ibi, notando quartò ait, ſubindicari robur ſponſæ in contuenda pudicitiæ arce, ac ſimul in deuincendis & ſuperandis intuentium cordibus: ſubditque ornamenta illa colli inſtar aureorum clypeorum, oculos ſpectantium perſtringere. Quòd id aureis colli monilibus attribuat, nullo modo probarim. minùs enim deceret tantam pulchritudinem, vt non niſi fucata & alieno auri ſplendore oculos feriret: vide quæ dixi ad illud cap. 1. *collum tuum ſicut monilia,* vbi dixi collum innata pulchritudine, tamquam pulchriori monili adornatum: adde Ariſtenetum Latinum (Græco codice nunc careo) *epiſt.* 1. neſcio de qua: *ceruix alba & inornata, licèt ſatis eſſet ſuis deliciis ferox, ſed tamen eam monile præcingit.* Sic ſponſæ collum, licèt inornatum eſſet (concedo enim id temporis etiam monilibus comptum) ſatis ſuis deliciis ferociret. in cæteris magis ad rem Ghiſlerius, ſed rem magis de more innuens, quàm confirmans.

Ego ſic ſtatuo, in clypeis appenſis & his hoſtilibus, denotari cordium ſpolia quæ colli illius pulchritudinem decorabant: vt enim victor victi clypeum, vt ſuprà dixi, tollebat in trophæum, ſic pulchritudo illa ſuperatrix, mille ſibi de contuentium oculis triumphatis trophæa erigebat. Poſui ſuprà & alios clypeos, quibus ſe ſuoſque Dauid muniret: ſic in hoc loco honeſtos illius pulchritudinis mores, clypeorum nomine ſignificatos voluit ſponſus, quibus pariter ſe tuebatur, & intuentium oculos perſtringebat: eſtque, ni fallor, aptiſſima comparatio. faciunt huc verba Plauti in *Menechmo,* ſub initium militis, *ſc.* 1.

Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quàm Solis radij eſſe olim, cùm ſudum eſt, ſolent,
Vt vbi vſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

De clypeis autem ſplendentibus Hebræorum cùm aurei eſſent, lege, ſi placet, res Salomonis, & Machabæorum.

238. *Collum libidini expetitum.*

Volui, ſed non debui præterire ſolutionem dubij, ex qua data explicatio (quam omnino germanam puto) conſtabit penitus, & ſine qua curta penitus videretur. Quid, inquis, in collo eſt, vt in eo arx tuendæ pudicitiæ ab ſponſo collocetur, & quaſi hoc vehementiùs amantium corda percellat, & trahat, diligentiùs à virgineo ſponſæ pudore cuſtodiſium commendetur? huc clypei, hoc omnis armatura, id eſt, iacula omnia caſtitatis amouendæ alienæ libidini congeruntur? & cur

Pinus in Cantica.

non oculis, non labiis, non genis tanta custodia? Cur ita sit, nescio: scio tamen apud amorum scriptores, inter omnia membra quæ videntur, collum præcipuè appeti: inde monita lenæ ad puellam apud Propert. 4. *eleg.5.*

Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.

quas morsiunculas & notas repetit multis aliis locis. Ouid. *lib.1.eleg.7.*

Et collum blandi dentis habere notam.

& sæpè alibi. Adde Tibullum, & alios, quos non opus referre. Audi Plutarchum *in Demetrio*, cùm Lysimachus Rex Legatis eius ostentaret cicatrices, dentibus & vnguibus leonis sibi relictas; respondent Legati: *Et noster Rex Demetrius fera lamia morsus in collo gestat.* Scommaticè alludentes ad morsus celebris illius meretriculæ, quæ Lamia vocabatur. Suetun. in Caligula cap.33. *Quoties vxoris & amiculæ collum exosculeretur, addebat: Tam bona ceruix, simul atque iussero demetur.* Hæc è multis quæ nosti, necessariò libanda, vt quàm grauiter diuinus Spiritus etiam in cortice dramatis pulchrum, sed pudicum collum delineàrit, cognoscamus: cui tanquam peltato & fulminanti nulla vnquam minus casta nota, minus pudicus incursus fuerit pertimendus.

PARAPHRASIS.

Collum tuum marmoreum non superbè elatum, sed grauiter erectum, & proportione compositum, Dauidicam turrim marmoream repræsentat, inde amabilius quòd pudicitia venustum, venustate pudicum efformetur: vt enim clypeos victis ereptos in triumphi memoriam è turri illa suspendit Dauid; sic colli tui ferociens pulchritudo mille deuicta corda corriualium meorum detriumphata gerit. Vtque illic propugnaculis munita turris, insuper omni iaculorum & clypeorum genere abundat, hostiles, si qui forent, propugnatura incursus: sic pudor collum tuum obarmat, nulla vnquam libidinis notâ penetrandum.

VERS.5. **Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.**

VERS.6. **Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.**

Ex toto versiculo quinto, & ex parte sexti, correctiores omnes vulgati nostri Codices periodum componunt, & aptissimè quidem propositæ similitudini explicandæ: quæ quoniam, quidquid velint interpretes, eorum est, quæ in hoc capite continentur, obscurissima, nonnulla præsupponenda requirit necessariò. Primum, licèt & hodie & olim nobiles fœminæ quandoque nudatis mammillis processisse legantur, modestiores tamen se velasse, certo certius, vtpote quæ scirent inter meretricia libidinis irritamenta, nudationem istiusmodi collocatam: prætereo semi masculas Amazones, aut quæ illarum habitu affinguntur, frustrà à meo Sanchez huc vocatas. quæ dixi vno, vel altero Nonni loco, & illibato, confirmo. Primus habetur *lib.5. Dionys.* de Diana ab Actæone nuda deprehensa.

239. *Vbera olim modestioribus tecta.*

Diana rapens cum veste circularem mitram
Virginali cingulo verecundas abscondit mammas:
Et humidis membris se mergens in fluctus
Verecunda paululum totum corpus abscondit puella.

Nil à Græco absum, ibi: παρθενίῳ ζωστῆρι συνέσφιγξε ἔσχετο μαζῶν. Vbi vides primas curas pudicæ virginis, mammillarum velationem. Vehementiùs adhuc hic pudor explicatur *lib.2.* de virgine in euentu simili.

ὣς φαμένη πετάλοισιν ἑὴν ποιήσατο μίτρην,
Καὶ χλοερῷ ζωστῆρι κατέσφιγξεν ἄντυγα μαζῶν
Αἰδομένη· καὶ μηρὸν ὑπεσφήκωσε μηρῷ.
Sic dicens, frondibus fictam confecit mitram,
Et virescenti cingulo abscondit ambitum mammillæ
Verecunda: & fœmur constrinxit fœmore.

Quasi eiusdem modesti pudoris esset vtrumque abscondisse: hæc satis, vt omnino credam in parthenico Cantico, virginem nudatam papillis ab Spiritu sancto non immitti, quæ toties etiam in cortice literæ (vt suprà dixi, & dicam infrà) de pudica modestia commendatur. Nota obiter, mitram dici de fascia pectorali vtrobique.

Mitra pro fascia.

240. *Vbera à tumore commendata.*

Secundum, vberum dotem præcipuam esse tumorem, quo non flaccida & pendula, sed stantia quodammodo, viridem ætatem semper, & sæpe etiam probant virginitatem loca Prophetarum & Patrum, quæ huc afferri solent, nota iam: cape hæc ab aliis. Statius *lib.1.syl.2.*

——— ne mollem vterum, ne stantia lædas
Pectora.

Antiquior alius de eodem.

Hic corpus solidum inuenies, hic stare papillas
Corpore marmoreo.

Item alius eodem verbo.

Vrebant animum dura stantésque papillæ.

vt putem satis laudari vbera in hoc Cantico, si hinc laudentur, maximè si aduertas, quæsita olim remedia, huic stanti tumori conseruando: affert nescio quod Plinius *lib.25.cap.3.* quo ait: *Mammas à virginitate illitas semper staturas.* & *lib.28. cap.19.* aliud adhibet: *vt stent perpetuò mammæ.* Nescio enim quorsum fatigantur aliqui interpretes, & vt plurimum operam ludentes, dum quidquid in vnoquoque membro laudari potest, id totum in comparatione laudatum velint, cùm Panegyristæ id, quod præcipuè in membro expetitur, soleant tantum commendare, vt crinis colorem, oculorum splendorem, ruborem labiorum, omissis aliis, vnde crinibus oculis & labiis venustas augeretur.

241. *Vberum ornatus priscus.*

Tertium, longè aliter olim, quàm hodie saltem apud nostram Hispaniam, fœminas in ratione extenuandi, & constringendi pectoris se habuisse: modò enim sic totum æquant, vt etiam adhibitis tabulis natiuum mammillarum tumorem comprimere & complanare dicantur: olim extenuabant illa, & pectus pariter, ita tamen, vt tunica, aut fascia pectoralis tumorem vberum proderent, & quæsitâ diligentiâ vtrimque illa, tecta omnino, sed prominula exhiberent: notaui id sæpe in plusculis imaginibus prisco habitu indutis, quod ne liberè ab artifice factum putem, suadent (& docili persuadebunt) nondum ab aliis excussa penitus scriptorum loca in quæ incidi: tu iudicaueris. Catullus ergo de puella in nupt. Pel.

Non tereti strophio luctantes vincta papillas.

Vbi signatè Passeratius: *Constrictas gerens papillas, & quasi pugnantes & repellentes strophium.* quasi, inquam, pugna illa cerneretur, & papilla tumens repellendo strophium, se stantem probaret. Est pulcher locus Nonni *lib.30.* vbi de impia duri militis immanitate virginem occidente,

Occidit Codonam adhuc virginem, propitia esto
Parca,
Nec capillos miseratus fuit marcescentis capitis,
Nec roseum radium sordidata puluere frontis.

Neque

Neque in pectore æqualem rotundo pomo.
Mammillarum miseratus fuit inflexibilem stimulatorem mitra.

242. *Mitra pro fascia.* id est, mammillas tumentes acerbis adhuc pomis similes, quæ pectoralem fasciam inflexibiles propulsare & pungere videbantur. & nota hic & suprà apud Nonnum, strophium, siue mammillare vocari *μίτρην mitram*, quod non ita obuium.

243. *Hæduli coniscatores.* Tandem nota nihil in hædulis gratius cerni, quàm petulcam illam coniscationem, qua obuia quæque impetunt: ideo à Virgil. 4. Georg. *hædi petulci* dicuntur. quæ vox, vt ibi notat Cerda, eâ formâ deducitur à *peto*, qua bibulus ab *bio*, idque maximè cùm ad vesperam saturi ludunt inquietiùs: quod de agnis Lucret. *lib.* 2.

Vt satiati agni ludunt, blandéque coniscant.

Id autem, vt dixi, vespere solet euenire: inde Virgil.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Quibus positis, non ineptè putarem, locum ita capiendum, vt dicamus amantem sponsum, & hunc pastorem cùm vidisset tectas pro decoro sponsæ suæ mammillas, ostentato virginitatis tumore, strophium impellentes, stimulantes, & penè dixerim coniscantes, aptissimè illas rusticis illis delitiis comparasse, quæ maximè de suaui impulsu delectant, quales sunt hædulorum coniscationes: certè hanc voluptatem inter rusticanæ vitæ præcipuas numerat Virgil. 2. *Georg.*

— pinguesque in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hædi.

Plura ibi interpretes. Prudenter deinde hædis, addidit gemellos, sic enim Latini, vt ex Plauto disco. *fraterculare* dicebant de papillis pueri, sicut de eisdem puellæ erumpentibus *sororiare*. quæ adduntur de pascuis liliatis, & de aspirante die, explicui iam *cap.* 1. & nota Virgil. pingues in læto, id est, vberrimo gramine coniscatores posuisse, vt in hoc loco.

PARAPHRASIS.

Gemella vbera tua dum tumidè sororiant, & sic turgentia erumpunt de virginitate, vt duriusculis papillis fasciam pectoralem, quâ astringuntur, summouere, & perrumpere videantur: hædulos appellarim gemellos, qui in vberrimis pascuis ad vesperam vsque saturi, & inde petulantiores blande alludunt, festiuè quæque obuia coniscantes.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

VERS. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Nullus hucusque hæc verba inoffenso pede transcurrit, vnicuique deductum filum suum tenentatur: dicam tantùm quæ concatenationi meæ minus absona cogitabam. Erat iuuenis totus in sponsæ suæ laudibus occupatus, & cùm suo ordine commendandis vberibus deuenisset, noscens vt plurimum fœminas ibi odorum massam solitas recondere, floresque congerere, de quo multa iam dixi *cap.* 1. cogitat odoratarum delitiarum feraces montes, quasi inde vberibus fouendis mille delectæ aromata relaturus: neque mirum, vt qui priora membra laudanda potius curauerat, quàm à se comenda promiserat (nunc desiderio vberum comendorum detineatur; meminerat enim fortasse, imò certè) quòd, testante puella, inter illa ipse vbera commoraretur: ideo statim in hoc cap. *num.* 10. iterum ad vbera recurrit. Nec id satis, sed terriò itidem celebrat, & odorata prædicat, quasi non valens ab illorum encomiis separari, in quibus se suauiter commorantem, & ab sponsa sua detentum congaudebat: deinde, quasi quodammodo se incusaret, quòd singula membra percurreret, (hæc enim illorum videtur esse methodus, qui cùm vno verbo dilectam vndique absque mendacij periculo laudare nequeant, malunt illa, quæ habent laudabilia, percurrere sigillatim, quæ fœda, aut minus culta sunt, silentio tunc occulta prætereuntes:) addit totam esse pulchram, nec aliquid in illa reprehensibile inueniri. quæ quàm aptè cum inferioribus etiam cohæreant, deinceps suo loco declarabo. nunc vnum, aut alterum notatu dignum delibandum.

Ad collem thuris. Vapulauit iam meritò à Delrio meo ille, qui Vulgatum nostrum, de astruendo hîc thure, suggillauit: ego de notatione thuris & Libani sgam *cap.* 7. atqui, inquit, thus in Iudæa non nascebatur: possem dicere, cum Delrio, thus pro omnibus aromatis vsurpari. Addo deinde, non hîc assignari Solymitanos colles, sed aliarum prouinciarum, quas si res postularet, in gratiam sponsæ peragraret, de quo etiam sequenti versu. Tandem, cur non etiam colles thureos credamus Palæstinos? an quia Virgilius (quem multi sequuntur) dixerat 2. *Georg.*

244. *Thuris feraces multæ prouinciæ.*

——— Sola India nigrum
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis.

Nugæ. Strabo *lib.* 16. citat auctores, qui thus optimum nasci dicunt *περὶ τῇ Περσίδι*, *in Perside*. Apollon. *lib.* 3. *cap.* 1. felices has arbores concedit etiam *rupibus Caucaseis*. Dioscor. 1. *cap.* 70. Indicum ab Arabico discernit. quos omnes ad Virgil. dedit Cerda. quid, quod Statius visus id etiam Ægypto concedere, *lib.* 4. *syl.* 9.

Aut thus Niliacum, piperve seruant.

Quamuis, vt verum fatear, hic locus ab aliis de thure in Ægypto adulterato explicetur, de quo Plin. *lib.* 12. *cap.* 14. Sed quid quòd idem Plinius *ibidem* thureas arbores ait, *in Ægypto satas studio Ptolemæorum regnantium?* qui auctores satis, vt probabile credatur, alibi extra Sabæos thus germinare, vnde etiam potuit in Ierusalem.

245. *Irreprehensibile quid.* *Et macula.* In Hebræo מום *mum.* propriè *macula.* In Græco *μῶμος momus*: reprehensio; quia quidquid maculatum est, etiam reprehensibile: quâ phrasi Græci immaculatam pulchritudinem explicant. Musæus *in Leandro*

Κάλλος γὰρ ἀείπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς, &c.
Pulchritudo enim celebris irreprehensibilis puellæ
Acutior hominibus est veloce sagitta.

Theocritus *Idyl.* 18. de multis puellis pulchris:

Τᾶν οὐδ' ἄν τις ἄμωμος, ἐπεὶ χ' Ἑλένᾳ παρισωθῇ:
Harum nulla irreprehensibilis si cum Helena comparetur.

quasi vna immaculatæ pulchritudinis esset, secum, aut cum aliis comparata. Aliâ item formâ hoc variant Græci, vt exactam quamdam pulchritudinem, vocent *momum*, id est, aliarum pulchritudinum reprehensionem, quasi ad illius conspectum cæteræ reprehensibiles videantur: sic explicandus Nonnus *lib.* 42. instituens nescio quem amantem puellæ suæ Beroi blanditurum.

Nonnus explicatus.

Admiratione quidem dolosâ roseam aspice puellam,
Pulchritudinem laudans quod tantam non consecuta sit Iuno, &c.

Et charitas voca deteriores: ambarum verò
Reprehensionem dic, & Diana, & Minerua.
Et Beroem dic lucidiorem Venere.

Sie locus præsens poterit etiam explicari, quasi nolla sit pulchrior, apud quam sponsa appareat reptebensibilis.

246. *Momus Deus.* Ea quibus fictus Ethnicis Deus, qui μῶμος *Momus* vocabatur, omnium reprebensor: inde de re absolutissima nota parœmia. *Nec Momus hoc reprehendet*: vsus illa Aristenet. epist. 1. *Forma spectabilis, nec minimum quidem mordere potest Momus.* & flurileg. Græcum de balneo cuiusdam Mariæ.

Τῆς Μαρίας τὸ λόετρον ἰδὼν ἀπεδάκρυσε Μῶμος,
Εἰπὼν: ὡς Μαρίαν καὶ σὲ παρερχόμεθα.
Maria balneum intuens fleuit Momus,
Dicens, vt Mariam, sic te non attingimus.

Quamuis autem sciam, L X X. quandoque Hebræas phrases græcismis, menti potius, quam verbo respondentibus, explicare; non tamen crediderim id factum, quando in græcismis fabulæ & Dij immiscentur, absque grani necessitate.

PARAPHRASIS.

Quid ni ergo his vberibus delitias omnes procurem, maximè in illis, vt tute olim confessa, commoraturus? Ibo igitur, ibo, si res postulet in odoratos montes omnium aromatum genera conquisitum, quibus de more pectus istud, & vbera pulcherrima perfundas. Sed quorsum ego singillatim pulchritudinis tuæ partes percurro, quasi aliquam silentio dissimulandam fortiteris, quæ me laudatorem à te tota simul commendanda retardaret? Certè tota quota es, pulchra es, & nihil, quod iure reprehendatur, exhibes indecorum.

VERS. 8. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Tu lege quæ hic interpretes fusè, doctè: ego priuato meo filulo non dimisso aliorsum tendam, necesse est. Constituo vnus, vt vides, festiua sponsalia, multo ante solemnes nuptias, ea quæ in domo puellæ celebrata, in hoc temporis articulo, hac loci designatione, quid hæc à Libani vocatio sibi velit, planum concatenationis datæ progressum videtur retardare: tollendo obici aducrie, mihi hoc loco illorum opinionem necessariò tenendam, qui non Libanum illum montem celebrem, & à Ierusalem distantem hic intelligunt, sed Libanum illum Solymitanum, qui ab Hebræis omnigenis arboribus consitus, exquisita vndique amœnitate plantatus, cum nobilissimo illo & peregrino videbatur de delitiis decertare: hoc ad rem suam plures huius Epithalamij interpretes ex lib. Regum supponunt magis, quàm probant: sed quoniam certa huius rei stabilitas mihi magis, quàm illis necessaria, ne fundamento nutanti instabilem, & ruituram breui fabricam videar imposuisse, de ipso fulcicndo paucis agam.

247. *Libanus Salomonis, siue pseudo-Libanus.* Est quæstio grauissima ad illud 3. Reg. 7. num. 2. *Ædificauit quoque domum saltus Libani.* An reuera esset Pseudolibanus aliquis apud Hebræos, an domus vrbana & regia, ideo saltus Libani appellaretur, quia innumeris ex longinquo illo monte, adductis eò, cedris ædificata. hoc secundum cum multis tenet, & fusè probat noster Pineda *de rebus Salom. lib. 5. cap. 5.* ego eum aliis syluam, nemus, & puris putis arboribus consitum montem intelligo. Quis enim deglutiat in historia planissimè conscripta, nullis propheticis ænigmatibus obscura, nulla figurata locutione occulta: *saltum Libani* de columnis cedrinis in terra dispositis, & quodammodo plantatis, explicari? quid, quæso, poëticoteron magis dici poterat? sed feramus Latinam vocem *saltus* tam durè translatam: quis Græcam δρυμὸν, quâ L X X. vtuntur, quis Hebræam יער se vsquam tam inuitè tractam vidisse fateatur, vbique virorem, siluas, frondes, densas lucorum vmbras, amœnitatem omnigenam significantes? deinde, cur potentissimo, sapientissimo, & omnium voluptatum genera diligentissimè inquirenti, denegetur: id quod Adrianus Imperator tot minor numeris, ad summas delitias, & inuenire nouit, & potuit complere? Spartianus in eius vita. *Tiburtinum villam mirè exædificauit, ita vt in ea & prouinciarum & locorum celeberrima inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilem, Tempe vocaret.* Audis delitias Athenarum Thessaliæ, Ægypti, Latino Tyburtino cum nomine translatos? quis nesciat insignem Ciceronis villam pseudo-Academiam, à Græca & remotissima Academia sic vocatam; notum pueris laureæ Epigramma.

Quod tua Romana vindex clarissime lingua
Sylua loco melius surgere iussa viret,
Atque Academia celebratam nomine villam, &c.

Possem ire per plura: sed iis quæ iam viri magni, hæc addidisse satis.

248. *& hic vbi nam.* Insurgit iam secunda quæstio, nec facilior, vbi nam pseudo-Libanus vernaret: quæ alij asserant quære apud illos; quid ego suspicer, breuiter aperio: in domo illa, quæ erat in salto Libani, tribunal erat, & domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, vt constat ex 3. *Reg. 7. num. 7.* Quis ergo putet fuisse adeò durum Salomonem, vt litigantes cogeret ad longinquam villam, vbi interim ille delitiaretur? non ergo saltus Libani, in quâ hæc erat domus longè ab vrbe. deinde immensum illum thesaurum scutis aureis, & peltis impensum, quem legis 3. *Reg. 10. à n. 17.* in domo saltus Libani, vt indidem patet, condebatur, cum omni vasorum aureorum opulentia: at cuius esset incuriæ pretiosa quæuis, & magnificæ facta ostentationi, obtrudere deserto, vbi non ita frequens illorum vsus, nec ita secura custodia, vt in vrbe poterat reperiri? Porro igitur ab ipso Solymitano pomœrio, & amœnis suburbiis prætendi situm aliquem natiuâ pulchrum, arte comptum, collibus venustè subdiuisum, vicisque diuiorum pastorum celebrem: ad cuius terminum qua parte pertingebat vrbem regia domus de tribunali notior erat exædificata, indeque ad discrimen aliarum regiarum, domum saltus Libani appellari, quia illum aspiciebat, eiusque primum & optimum tractum, tamquam domesticum & nemus & viridarium continebat.

In hoc ergo saltu, aut iuxta illum vicum, inque eo sponsæ domum fuisse hinc coniecto, & ab hoc vico exiturá puella rogatur exire: cùm enim iuuenis illam sibi gauderet desponsatam, interque laudandum, vt solet, cuius incenderetur, festinandas cupit nuptias legitimas, quo die ab illo Libano in domum mariti, vt infrà patebit, erat adducenda puella: domum, inquam, quæ in distanti horto erat ædificata, vbi de more, (quod in Prolegomenis diai) nuptiæ celebrandæ. q. d. aliquando mihi sponsi, feliciori mariti titulo commuiabis.

O prodi

O prodiiſſem ex tuo hoc Libano in domum meam nuptiali ſerto coronanda, cui omnes peregrinorum montium difficiles, & inde pretioſiores delitias comparabo. quo, quid ſibi velit, iam nunc explico.

Coronaberis de capite Amanâ. Suppono cum probabiliori ſententia tres colles iſtos Amana, Sanir, & Hermon, eſſe partes non pſeudo-Libani noſtri, ſed Libani illius Syrij, & diſtantis à Ieruſalem in vltimis Iudææ finibus conſtituti: non tamen vt interpretes, hinc exituram, ſed hinc coronandam

249. *Corona pretioſior ex peregrinis floribus.*

exiſtimo, ac ſi dicat: Exi lubens de tuo Libano, remotioris Libani delitiis vernatura. quod vt probem, aduerto, ſolere apud priſcos, flores coronáſque inde pretioſiores æſtimari, vnde remotiores maiori ſumptu & periculo parabantur. Alluſit Euripides in Hippol. vbi iuuenis ad Dianam,

> Σοὶ τ πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτυ
> Λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω:
> Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτά,
> Οὐδ' ἦλθε πω σίδηρος.
> *Tibi hanc coronam contextam ex illibato*
> *Prato, ô Domina, adornans fero:*
> *Quo neque paſtor iubet paſcere armenta,*
> *Neque peruenit vſquam ferrum.*

Propert. *lib...eleg.* 11.

> *Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires,*
> *Non iuuat ex facili lecta corona iugo.*

Horatius ad puerum de delitiis ſibi ſpretis:

> *Perſicos odi puer apparatus,*
> *Diſplicent nexæ Philyra coronæ,*
> *Mitte ſectari roſa quo locorum*
> *Sera moretur.*

Certè, quia delicatiores Romani ab ipſa Ægypto coronandi Philyram aſportabant, & vndecumque locorum intempeſtiuas roſas conuehebant. ideo Mamertinus in Paneg. Iuliani. *Quin etiam cœnarum & prandiorum magnitudines Rom. populus ſanciebat: cùm quæſitiſſimæ dapes, non guſtu, ſed difficultatibus æſtimarentur, miracula auium, longinqui maris piſces, alieni temporis poma, æſtiuæ niues, hibernæ roſæ.*

250. *Puellis dona à longinquo chariora.*

Quam verò ſoleant puellæ aut diſtantia, aut periculo donorum delectari, explicat Propert. *lib.* puto 2. *eleg.* 16. vbi multa de hac re, libo pauca.

> *Ergo muneribus quiuis mercatur amicam?*
> *Iuppiter indigna merce puella perit.*
> *Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,*
> *Et iubet ex ipſa tollere dona Tyro.*

Quidam apud Ouid. 15. *Metam.*

> *Nec tibi delitiæ faciles, vulgataque tantum*
> *Munera contingent.*

Nihil ergo puellari ingenio commodius poterat in præſentiarum aut dicere, aut promittere ſponſus: & pende quod addit,

251. *Leænæ ferocitas.*

De cubilibus leonum. Parum refert, an hos leones, & pardos, de quibus infrà, prædictis collibus referas, an aliis: quidquid ſit, augetur conquirendæ coronæ difficultas, pretio augendo, & amoris ardori propalando. in Hebræo ſignatè אריות *leænarum*, non ſine commendarionis epitaſi. Ælianus lib. 12. cap. 39. *Perdiceas Macedo, qui ſecutus eſt Alexandrum ad bella, vſque adeò fuit audax, vt aliquando in ſpeluncam, leænæ latibulum ſolus introiret; verùm leænam ipſam non deprehendit, ſed catulos eius ſecum exportauit. Magnam hominum admirationem Perdiceas hoc facto meruit, etenim non ſolùm apud Græcos robuſtiſſimum & bellicoſiſſimum animal leæna putatur eſſe, verùm etiam apud barbaros: proinde dicunt Semiramidem Aſſyriam, non ſi quando leonem cœpiſſet, aut pardalim, ſimilem ne feram interfeciſſet, ſed ſi leænam ſuperaſſet, valde ſuperbiſſe.* Græca habent, ἀλλ' εἰ λεαίνης ἐκράτησ' ἐφῆπτ', μέγ' ἐφρόνει.

252. *Tigres viridei vnde.*

Pardorum. Tigrides intelligo, & poſſum. ſic doctiores capiunt illud Ierem. 13. 23. *Si mutare poteſt pardus varietates ſuas.* & *Habac.* 1. 8. leuiores pardis *equi eius.* Atqui varietas & velocitas tigridum nota, norunt pueri. Sudant aliqui in inueniendo è profanis authore non proletario, qui tigrides pardorum nomine inſigniant: puto non inuenere. Ego do Claudianum in ipſis latinitatis parietinis latiniſſimum, *lib.* 3. *de laudibus Stiliconis:*

> *Tum virides pardos, & cætera colligit Auſtri*
> *Prodigia.*

Deſipis ni tigrides capias, quos enim alios pardos de macularum virore vidiſti inſignitos. Ipſe ſe explicuit *lib.* 3. *de rap.* vbi de Hircana tigride,

> ——*furit illa marito*
> *Mobilior Zephyro, totámque virentibus iram*
> *Diſperſit maculis.*

Quæ autem ſint virentes iſtæ maculæ, veſtigare alterius eſt otij. Si hæc pardorum explicatio vera eſt, poſſet aliquis hinc illorum placito factum iri putare, qui Amanâ noſtrum, cum Amâno confundunt. nam certè Amanus tigribus nobilis. Valer. Flacc. *Arg.* 1.

> ——*haud aliter ſaltus vaſtataque pernix*
> *Venator cùm luſtra fugit, dominóque timentem*
> *Vrget equum, teneras complexus pectore tigres,*
> *Quas aſtu rapuit pauido, dum ſæua relictis*
> *Mater in aduerſo catulis venatur Amano.*

Sed nihil muto.

253. *Corona quàm è variis vna componeretur.*

Dices, videri nimium etiam ſub amatoria hyperbole, tot montes vni coronæ iactari peragrandos: at memineris quàm variis & floribus & herbis vna quæuis corona ſoleat intertexi. parco à quærendis aliis, tu lege quæ coronarum ſcriptores congeſſerunt. Solùm noto videri curati variam tot floribus coronam vernantem, quaſi auream imitaretur, quæ non vnius generis gemmis coruſcabat. Do vnum Nonnum *lib.* 32. ab illis verbis: ἐν κεφαλῇ ςέφος: vbi coronam Iunonis ſe commentis ſcribit.

> *In capite coronam habuit valde variam, in qua multi*
> *Lychni erant amoris comites, è quibus emittit*
> *Claros concuſſit ſplendores Cypria flamma:*
> *Habuit & lapidem illum, qui viros in amorem trahit*
> *Nomen clarum habentem luna iaculantis amorem:*
> *Et gemmam appetentem amoriferum ferrum:*
> *Et gemmam Indicam ad amandum illicem, quia & ipſa*
> *Ex aquis germinauit cognota Veneris nata ex ſpuma:*
> *Cyanéúmque hyacinthum amabilem adhuc Phœbo:*
> *Circa capillos verò ipſi amoriparam ligauit herbam,*
> *Quam amat Cytherea, tanquam roſam, aut anemonem.*

Sed de his iam ſatis: ſolùm nota non auditum huc-uſque ſponſæ nomen, quam ab hinc iam frequens.

PARAPHRASIS.

Ah quando ſponſa iucundiſſima, te nouam nuptam abduxero! O veni iam mecum ab hoc Libano tuo in villam meam, amœniorum nobilioris Libani collium, Amana ſcilicet, Sanir, & Hermon floribus nuptialibus coronanda, iiſque inter leonum cubicula, & ſpelæa tigrium collectis, vt corona ſit de peregrinitate gratior, de periculo pretioſior.

Vulnerasti

VERS. 9. **Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.**

Multa hic forent dicenda, nisi exactissimè hic tractus ab interpretibus iam discussus. addo ea, quæ fortè neglexerunt. Reddit rationem cur tantopere nuptias desideret, & nuptialis coronæ texendæ tot se periculis exponere non formidet, nimirum quòd vulneratus & languens, & penè excors, penitus contabescat: puto autem iras, quas modò concatenat laudes his & sequentibus versiculis, non solùm ortas, vt volunt interpretes, ex innato affectu in amatoribus idem iterum atque sæpiùs laudandi, sed præcipuè, vt explicet qualis ad singulas pulchritudinis eius dotes pereat, de oculis & crinibus hic clatet, de vberibus & labiis infrà dicam: nunc singula huius numeri verba examinemus, fusè si lineas, breuiter si loci opportunitatem metiaris.

254. *Amoris vulnera.* *Vulnerasti cor meum.* Amoris vulnera singulis penè verbis celebrant Erotographi, cordis plaga altiùs inflictum vulnus denotat. Ouid. *in epist. Paridis,*

Noc mea sunt summa leuiter districta sagitta
Pectora, descendit vulnus ad ossa meum.

Statius *lib. 1. syl. 2.*

Hunc egomet totâ quondam tibi dulce pharetrâ
Improbus, & densâ trepidantem cuspide fixi.

quibus deinde opponit,

Ast illam summa leuiter, sic namque iubebas,
Lampade parcentes, & inermi strinximus arcu.

255. *Amoris furor & amentia.* In Hebræo לבבתיני à voce לבב quæ cor significat, idque propriè vertunt LXX. ἐκαρδίωσας, quod multi vertunt, *abstulisti mihi cor*: & alij, *excordiasti me.* & mihi mirum à nemine, quem legerim, hic notatum, amatorium penè furorem hic denotari; cùm enim, vt apud Latinos, sic apud Græcos & Hebræos, cor pro sapientia & prudentia vsurpetur, quid aliud hic per excordatum virum, quàm amentem amore, meliùs intelligamus? in eodem sensu Oseæ 4. num. 11. *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* & hoc apptimè conuenit sponso, in ardentissimo amoris desiderio, quo nunc laborabat: nunquam enim se aut saniores, aut fideliores reputant amantes, quàm cùm se insanos prædicant. Theocritus *Idyl. 3.*

Ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα.
Vbi vidis, statim insaniuit, & in profundum incidis amorem.

& *Idyl. 2.* pastor amans id de se prædicat.

χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην.
Simul vidi, & insaniui.

Paris apud Ouid. loco citato: *Sed non est rationis amor.* Propert. *lib. 1.* ab amore coactus, *Nullo viuere consilio*, & addit:

Et mihi iam tota furor hic, non deficit anno.

Gallus ipse apud Virgil. *Ecl. 10.*

Certè siue mihi Phyllis, siue esset Amyntas,
Seu quicumque furor.

Anacreon ipse de se θέλω, θέλω μανῆναι. *Volo, volo insanire.* Sed quis amantium non ita? bene Plato *in Phædro,* post tres alios, quos vocat furores diuinos: τὴν τετάρτην δ' ἀφροδίτης, καὶ ἐρωτικὴν μανίαν, ἐφήσαμεν ἀρίστην εἶναι: *quartam verò Veneris amatoriam insaniam, dicimus potentissimam esse.* Vulgatus noster maluit rem notius per cordis vulnera explicare, & reuera cor sapientiæ & consiliorum sedes vulneratum, qui sanum esse queat, non video: vnde fortè insanum etiam voluit intelligere.

256. *Soror vox amatoria etiam vxori data, & cur.* *Soror.* Lipsius *elect. 2. cap. 1.* contendit hoc nomen inter amatorias nequitias apud authores profanos semper reponendum. repugnant multi è sacris interpretibus. decertauit iam hanc pugnam in vtraque arena meus Delrius, & profanâ, explicans Senecam, & sacrâ, ad illud *cap.* 8. huius Cantici *num.* 1. lege: ego enim vix meis describendis, nedum alienis transcribendis satis otij habeo. Vnum decerno, etsi amatoris hæc vox, non tamen inhonestam semper fuisse, vnde & coniugibus decenter vsurpatam: id ex verbis Assueri, quæ infrà dabo, patet: sic explico illud Prou. 7. num. 4. *Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea.* In quo loco prudentiam & sapientiam pro eodem vsurpari certo certius. Sensus ergo est: desponsa tibi hanc virtutem, cui vnicæ deditus, extraneos necessariò amores euitabis, & bene, quia adulterium oritur ex propria coniugis displicentia, qua placente, nouæ delitiæ non quærerentur. Quis enim credat, in hoc loco, metaphoricum concubinatum, & non potiùs matrimonium insinuati. Atqui, amicam, inquis, vocare præcipit, quæ vox nequitias sonat: somnium, legi. defœcaui iam hanc vocem suprà *cap.* 1. vt in hoc Cantico purissima habeatur. Hodie Hispani coniuges passim fraternitatis & amicitiæ nominibus inuicem se appellitant. hinc Assuerus, vt dixi *Esther* 15. *num.* 12. inter blandiendum: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere.* & quidem maritus erat. qui locus quoniam omnino necessarius huic Cantico, altiùs explicandus, caligat enim adhuc puto, etiam post tot tantorum virorum luces.

Prouerb. 7. num. 4. explicatur.

Esther 15. num. 12. explicatur.

257. *Persarum reges suis pro Deo culti.* Ignorat nemo ex innumeris penè scriptoribus id asserentibus, Persarum Regem, apud suos pro Deo cultum, & fortasse eo maximo, Iouem puta: (quem vt plurimum Mithræ, vel Solis nomine appellabant) id suspicor, quia vt Iupiter minoribus Diis diuinitatem impertiri videbatur, sic Persa Monarcha aliis, vt Surenæ: lege Serarium, pergo. Cùm ergo in Iouis nuptiis illud vnum insigne notaretur, quòd sororem pro vxore sortiretur: non dubito, quin qui se Iouem reputabat, vxorem suam & Iunonem & sororem solitum appellitare. Arrogabat hinc sibi Iuno apud Virgil. *Æn. 1.*

Ast ego quæ Diuûm incedo regina, Iouisque
Et soror & coniux.

Quid ni ergo putaret Ethnicus Assuerus, summi blandimenti loco habituram Esther (cuius ille fidem ignorabat) quòd soror appellaretur, cùm inde tacitè & Dea, Iuno scilicet, coniux & soror, veniret intelligenda? Hoc etiam aliis vsitatum lego. Clem. Alexand. *in protrep.* mortalium superbiam increpans. *Ceyx quidem filius Æoli, appellatur Iupiter ab vxore Alcione, rursus hæc Iuno appellatur à marito.* & quidem etiam apud viliores coniuges id in vsu, notus Plauti locus:

Eia mea Iuno, haud decet te tristem esse tuo Ioui.

Imò & ad id credo tendebant illi, qui aut naturales sorores, aut saltem adoptiuas sorores sibi in matrimonio copulabant, nimirum, Ioues inde & Iunones pressiùs appellari: duxit Ptolemæus Philadelphus sororem, & audis statim à Theocrito in Idylio *Iouis & Iunonis* titulo, propterea vocatos, duxit Nero Octauiam adoptiuam sororem, & canit tragicus *in Oct.*

Tu quoque terris
Altera Iuno, soror Augusti
Coniuxque.

& iterum

Fratris

Funris thalamos ſortita tenet
Maxima Iuno ſoror Auguſti.

Senecæ lux.

Et quidem ſi verum eſt quod multi cum Lipſio putant, *lib.1 epiſt. elect. epiſt.* 24. Syllanum voluiſſe ſororem ſuam ducere, hinc etiam Senecæ in ludo de morte Claudij bona lux, vbi ita. *Damnatum inceſti L. Syllanum generum ſuum occidit. ore per quod? ſororem ſuam feſtiuiſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare.* Ego tamen non crederem id temporis in orbis & vrbis conſpectu id conatum Syllanum: ſed furtiuè ſorore pro concobina vſum, & inde matrimonij vocabula vſurpaſſe.

258. *Amantes, coniugum blanditias captant.*

Ex his quæ dixi, duo facilè intelliguntur, à nemine, quem legerim, ventilata, nimirum potuiſſe ſe coniuges & voluiſſe fraternitatis nominibus appellare apud Ethnicos, vt ſe Iunones & Ioues blanditiis inſinuarent, & econtra, ideo quandoque inceſtuoſas nuptias affectaſſe, vt ſignatiùs diuinis Iouis & Iunonis titulis palparentur. Tertium ſuſpicor, propterea toties inter amaſias hos etiam conſanguinitatis titulos vſurpatos, vt de vocibus in coniugio vſurpatis, mutuo ſibi adblandirentur. moueor hac coniectura: quis neſciat *dominam* propriè de vxore matremfam. dici? lege quæ Cerda *Æn.* 6. Lipſ. 2. *Ant.* & alios quos citat: ego nonnulla olim coniunxeram ad Statium *lib.* 1. *ſyl.* 2. vbi ad maritum, *domina niueis à vultibus obſtas.* At quis apud Ouid. Propert. & ſimilis farinæ ſcriptores, millies amicas appellatas dominas non legit? ſic paſſim *dominus* vox maritorum propria eſt, & tamen amico datam ſcio. ſic titulus fraternitatis, qui coniugum, amantibus poſtea, credo, venit vſurpatus.

Potuit hoc blandimentum ad Hebræos à gentibus tranſire, dempto illo falſorum numinum errore, vt pleræque aliæ loquendi formulæ, quæ cùm apud Ethnicos errorem inuoluerent, apud Hebræos, qui illos vſurparunt, nihil tale ſonabant: ſicut nos hodie deorum fabulas, fortunæ nomen, fati potentiam ſine erroris periculo immiſcemus: de quo plura *verſ. vltimo huius capitis.* hoc ni placeat, recurre ad alias rationes, quæ priuatim apud Hebræos militabant, quas optimè tangit meus Sanchez, grauiter, plenè, vt aſſolet, in hunc locum.

259. *Mariti nomen pro ſponſo, & ſimilia.*

Sed qui, inquis, hic paſtor, quem non tam maritum, quàm ſponſum ſtatuo, hoc nominis blandimentum affectauit? id non mirum, penè enim mat tali licentia ſolent ſponſi ſimilibus vti blanditiis, imò & quandoque coniugij nominibus appellari. ſic ſponſi filiarum Loth, eiuſdem generos vocat Scriptura, vt notaui *fine ſuperioris c.* quia paulo poſt tales fieri ſperabantur. qua etiam de cauſſa & procos, audias etiam maritorum nomine quandoque inſignitos: tale eſt illud Virgil. 4. *Æn.* vbi Dido,

Quos ego ſum toties iam dedignata maritos.

hoc eſt, nuptiarum mearum petitores. apud eumdem, Damon *Ecl.* 8.

Coniugis indigno Niſæ deceptus amore
Dum queror.

Vbi bene Cerda: *non coniux*, inquit, *Niſa, ſed deſtinata coniugio quod ſatis.* addo Claud. *in nupt. Honory*, vbi iuuenis deſponſus tantùm, iam ſocerum appellat.

Hac etiam queritur ſecum. quo nam vſque verendus
Cunctatur mea vota ſocer? qui iungere differt
Quam pepigit.

260. *Sponſa propriè quæ.*

Sponſa. Vide quoties hoc nomen, ab vltimo verſu ſuperioris cap. vſque ad verſ. 2. cap. ſeq. repetatur: certè non antè, quia ille procus, non poſtea, quia iam maritus. Seruius Sulpitius lib. de dotibus. *Qui vxorem ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri, qui daturus erat, itidem ſpondebat: is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur ſponſalia: tunc quæ promiſſa erat, ſponſa appellabatur, qui ſpoponderat ducturum, ſponſus.* Sequebantur quandoque ſtatim nuptiæ, quandoque differebantur diu, vt ex Claudiano citato vides: ſic in hoc loco, de Hebræorum vſu vide Prolegomena.

261. *Oculorum indiuiſum munus.*

In vno oculorum tuorum, & in vno crine. Verus mihi ſenſus, quem innuit Legionenſis, aſſeri expreſſiùs Ghiſler. hunc fuſiùs declaro adhuc. licet naturâ ipsâ oculorum immiſſiones & iactus ſint inſeparabiles, eorumque munus aut in riſu, aut in dolore & lachrymis, indiſcretum: tamen augeri ſolet epitaſis, quando pro loquendi formulis vtriuſque miniſterium expreſsè adhibemus, ac ſi ab altero negligentiùs efficiatur. ſic vulgo dicimus, *vtroque oculo aliquid plorare*, non quòd alteri tantum id poſſit euenire, ſed quòd, ſi eueniret, exiguus ploratus notaretur; ſic etiam dicimus de eo, qui permixtis affectibus de eadem re gaudet, ſimul & triſtatur: *altero ridet, altero plorat oculo*; quo nec plenam lætitiam, nec triſtitiam cumulatam ſignificamus. Plautus *in Milite glorioſo, Act.* 2. *ſc.* 3.

Profectò vidi egomet, his duobus oculis meis.

quaſi dicat, non leuiter, ſed perſpicaciter. Hoc ergo innuit ſpunſus, dum altero oculorum ſe percuſſum indicat. quaſi dicat, vel etiam minimo, & furtiuo aſpectu ſe vulneratum: nec opus fuiſſe, vt attentè vtrumque oculum collimaſſet puella, quæ vel leui vnius ocelli reſpectu poterat excordiare: ſicut ab vnâ coma cæſariei ad collum fluitante aſpicienti animam ſuſpendebat. De coma vna ſimilem affectum noto *Floril.* 7.

262. *Coma ligans amantem.*

Χρυσῆς εἰρύσασα μίαν τρίχα Δωρὶς ἐθείρης
Οἷα δορικτήτους δῆσεν ἐμὰς παλάμας.
Αὐτὰρ ἐγὼ τὸ πάροιθεν ἐκάγχασα, δεσμὰ τινάξαι
Δωρίδος ἱμερτῆς εὐμαρὲς οἰόμενος.
Ὡς δὲ διαρρῆξαι σθένος οὐκ ἔχον, ἔστενον ἤδη
Οἷά τε χαλκείῃ σφιγκτὸς ἀλυκτοπέδῃ.
Καὶ νῦν ὁ τρισάποτμος ἀπὸ τριχὸς ἠέρτημαι
Δεσπότις . . . . . πάντα μεθελκόμενος.

Ab aurea extrahens vnum crinem Doris cæſarie,
Tamquam bello captas ligauit meas manus.
Ego quidem initio ridebam, vincula quaſſare
Doridis dilectæ facile exiſtimans:
Cùm verò ad rumpenda robur non haberem, ingemiſcebam
Quaſi area vinctus compede.
Et nunc, ò miſerrimus! à crine ſuſpendor
Domina . . . . . frequenter tractus.

263. *Oculi & coma præcipui ad amorem.*

Vltimum carmen, in codice quo vtor, haud ſanum, nec laborani quærendæ medicinæ. Cur autem noſter paſtor oculos, & crines, ſignarè tanto effectui coniungeret, id refero amatorum genio, quos lego ab his duobus vt plurimum vehementiùs abreptos: notum illud Horat. de pulcello,

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Floril. 7 *epig.* 109.

Τὰς πολυάρεας Μελίτης πλοκάμους, ἢ πυρόεντα
Ὄμματα, ἢ δειρῆς φέγγος ἀπεπλάσατο;

Quis crines Melites ſuaueolentes, & ignitos
Oculos, & cutis fulgorem efformauit?

264. *Altero oculo clauſo ſcopus attingitur.*

Hoc modo aliorum mens neſcio an explicata, an immutata. germanus, ſed non vnicus huiuſce

loci

loci sensus mihi reputatur: nescio enim quas in argutias me impellit Gilbertus Abbas, qui *serm.* 30. ad hunc locum, mystica post multa, sic addit. *Si plures habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solum dilectum intueri soles, quo solum vales. qui directiùs intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt, &c. oculus tuus vnus est, si purus est.* hinc enim ad litteram, haud violenter dici posse puto, certum in hoc loco, & directissimum ictum designari: qua mente Sophocles apud Athen. *dipnos.* 13. *cap.* 6. sic inducit Hippodamiam de Pelopis pulchritudine differentem.

Talem in aspectu obscurè venatricem
Amoris coruscationem quandam oculorum habet:
Postea saltat ipse, inceditque mei
Æquâ mensurâ oculum. velut fabro iuxta
Amussim ounte, dirigitur canon.

Græco codice nunc careo, vnde fortasse maior lux his versibus: nemo tamen non videat, innui in comparatione vsum fabri, qui altero oculo clauso canonem dirigit, vt passim videmus: ideo Pers. *sat.* 1. *Oculo rubricam dirigit vno.* Signatus explicando Sophocli Lucianus in Icaro Menippo: τοὺς τέκτονας πολλάκις ἑωρακέναι μοι δοκῶ, θατέρῳ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπομύοντας πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα. *Fabros enim sæpissimè vidisse mihi videor alterorantium oculo directiùs ad canones suos ligna exæquantes.* hoc ergo voluit Sophocles, sic directa fuisse amoris vulnera, quasi altero oculo emitterentur. An ergo tale quid voluit hic sponsus? fortasse. & tunc à sagittatio, cui feriendo scopo hic oculorum habitus frequentissimus, deductam comparationem crediderim. quasi dicat: Cor meum feriendum tibi posuisti dilecta, sicque in directum sagittas collineasti, quasi altero oculo clauso omnem aberrandi occasionem amoneres: deinde captam & percussam iam prædam, ne vsquam fugeret, adamantina vnius crinis tui catena colligasti? Adblanditur huic explicationi vsus amantium toties amoris sagittas de certo ictu commendans, Apollo apud Ouid. *lib.* 1. si memini, *Metam.*

265. *Amoris sagitta certa.*

Certa quidem nostra est: nostra est tamen vna sagitta
Certior in vacuo, quæ pectore vulnera fecit.

loquitur de amore. Allusit huc Seneca *in Hippol.*

Ipsumque Phœbum tela qui neruo regit
Figit sagitta certior missa puer.

Dixi plura ad Statium *lib.* 2. *sylu.* 1. *de nupt. Stellæ,* vbi de amoris dextra dicitur, *nunquam frustrata sagitta.*

266. *Vinum vulnerans.*

Dices, fateri se sponsum à crine vulneratum, non ligatum, non irretitum. fateor: sed idem in sua explicatione ad rem suam deglutire Legionensis, Delrius, Sanchez: communis ergo obiectio, non vni mihi intentanda, in omnium gratiam sic videtur soluenda. Puto igitur communi vulneris nomine venire intelligendum quidquid cor patitur: vnde cùm irretitum crine patiatur, suo modo percussum crine dici potest. sic mens quæ propriè vino illaqueatur, saucia vino dicitur. Strabo *lib.* 11. Scythas vocat οἰνοπλῆγας: *vino vulneratos,* & Iustinus *lib.* 24. *hesterno vino saucios* dicit. in Hebræo, *abstulisti mihi cor.* optimè, & oculos pulchritudinis sagittam dirigens, & crinis deinde illaqueans explicatur: sic etiam in Græco ἐκαρδίωσας, *excordiasti me.* Vbi aduerto, ideo fortasse LXX. propositionem *in* non duplicasse, quæ in nostro expressè, & in Hebræo ב habetur: sic enim in Regiis correctissimis circumferuntur: ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἀδελφή μου, νύμφη. ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἑνὶ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν σου: ἐν μιᾷ ἐνθέματι τραχήλου σου. Qui locus ibidem sic Latinè exprimitur: *Stupefecisti nos soror mea sponsa, stupefecisti nos vno ab oculis tuis, in vno torque colli tui.* quia nimirum præpositio *ab* iaculi immissionem denotat, & præpositio *in*, laquei retentionem. Sed de his iam satis.

PARAPHRASIS.

Neque mirum, ô suauissima sponsa, ô nomen hodie identidem de lætitia repetendum: neque mirum, inquam, felicius nuptiarum tempus sic suspirem, totque in coronæ tuæ gratiam periculis me exponam, cùm penè ad insaniam excors, penitus te deperiam: sic enim ad viuum præcordia transfixisti, & in directum ictus collineasti, vt instar sagittarij destinatum scopum dexterrimè attingentis, altero quodammodo oculorum clauso, sagittas in cor immiseris, percussumque adamantini instar vinculi, delicatulo crine (tantum est robur pulchritudinis tuæ) concatenatum teneas, non ampliùs fugiturum.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. VERS. 10.

Nihil mihi in hoc capite obscurius his verbis, quæ tamen alij ferè omnes sic dilucida videntur autumasse, vt eisdem explicationem addere, ducerent superuacaneum. Vnus Ghislerius hic egregiam nauauit operam: huic adhæreo. quatenus affectus vini inebriantis in comparationem adductos putat, longè discedo, aut concatenationem notes, aut pulchritudinis adductæ significationem: attende. Dixi superiori versiculo, non ideo recurrere sponsum laudandis iis, quæ iam laudarat, vt in nouis & maioribus encomiis solùm persisteret, sed magis vt qualis indidem afficeretur, significaret: vt igitur suprà, & oculo vulneratum, & suspensum crine se dixerat; sic in hoc loco se vberum illorum inspecta pulchritudine ebrium fatetur: inspecta, inquam, pulchritudine, vt suprà dixi, non nudâ, sed sub strophio gratissimum tumorem manifestante. huc faciunt quæ de inebriante pulchritudine dixi *cap.* 2.

267. *Pulchrum pro forti.*

Tota difficultas est, quòd cùm ad hanc mentem viderentur à Vulgato nostro vbera vino fortiora dicenda, dicantur *pulchriora,* cùm vinum non quod pulchrum, sed quod generosum inebriet vehementiùs. Nec satisfacit, quod Ghislerius, (qui obiectionem visus tacitè soluere voluisse) ait ideo pulchriora dicta, vt innuatur esse præstantiora vino. Quia hoc nisi potatum non inebriat: illa verò nondum gustata, solùm tantummodo visa possunt inebriare, hoc enim est de quo laboramus; quare conspectam illam pulchritudinem, quæ potenter inebriat, eo ipso non dixit fortiorem. Augetur difficultas quòd pulchritudo quæ visa inebriat, eo ipso hauritur, & inde oculi ebrij appellantur, de quo multa loco citato *cap.* 2.

Hic tamen nodus soluetur magis facile, quàm rumpetur violenter, si ex bonæ latinitatis authoribus notas mecum *pulchrum,* pro *forti* solitum vsurpari. Virgil. *Æn.* 1.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar.

Vbi Victorinus apud Cerdam: *pulchra, id est, forti.* Sed malo audias ipsum Cerdam ad illud *lib.* 7. *Æn.*

satius

—fatus Herculè pulchro
Pulcher Auentinus.

Vbi vir eruditissimus ira. *Cur hic pulcher, qui postea horridus, vt necessariò is, qui cum tegmine leonis cum dentibus, & impexisfetis? subscribo Seruio, qui fortem explicat tam hic, quàm lib. 4. quid quod pulchritudo parum congrua habitui Herculis, cui in manu claua, in tergo pellis leonis: cum præsertim non desint, qui pulcher scribant, & deducant à voce πολύχειρ, quasi dicas, multarum manuum, ac proinde fortis.* Hæc ille: tu alia apud alios offendes. hinc, puto, solemus Hispani & Lusitani præstantem militem, aut docem vocare pulchrum: sic dicimus, *lindo soldado, lindo Capitan.* quid? etiam de vino generoso idem & pulchrum, hoc est, *lindo* dicimus: sic apud Latinos transcendentalis est pulchritudo, ad omnia, quæ in vnoquoque genere excellunt. In Hebræo res clarior, ibi enim in priori loco est verbum יפה, quod propriè pulchritudinem notat, at in secundo טוב, quod excellentiam & bonitatem in quouis genere significat.

268. *Vinum vnguentatum.* *Et odor vnguentorum tuorum.* Deducunt doctiores, ad vnguenta & odores, qui ad vbera; sic ego, de quo vsu suprà *cap. 1.* sæpe dixi. Sed quorsum hæc ad inebriantis vini comparationem? hoc meum erit, quod sic explico. Notus vsus diluendi vnguentis vina ex profana eruditione apud Ethnicos: idem apud Hebræos patet ex *cap. 8.* vbi vini conditi mentio, vt ibi dicam: quid autem sibi vellent hoc luxu, aperit mihi, ni fallor, Ælian. lib. 12. cap. 1. *Quid? an verò non hæc certa sunt indicia luxus Græcorum? vinum enim vnguento mixtum bibebant, & supra quàm satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione vtebantur: vocabatur autem ciues μυρρίνης, vinum myrrhinitum.* Igitur non solùm vt suauiùs, sed etiam vt largiùs perpotarent, hoc vsi irritamento. Sic explicarem illud Sap. 2. n. 8. *vino pretioso & vnguentis nos impleamus.* quasi ideo signatè implendi, quia vnguentatum vinum. Igitur vnguentata vbera vehementiùs inebriatura, nec solùm oculis, sed & naribus animum captatura hic capiuntur.

Sap. 2. n. 8. explicatur.

Sic ventilata Ghisleriana illa scintilla, satis lucis ad hunc locum concepisse poterit aliquibus, & meritò, ni fallor, reputari. Mihi profundiùs aliquid hæret, quod sic eruo. Dixerat se iuuenis superiori versiculo oculo vulneratum, crine appensum: poterat putare aliquis querelas haa esse, & dui cuiusdam seruitij deprecationem: amouet igitur hanc suspicionem, dumque se ab vnguentatis vberibus inebriatum fatetur, iucundam & lubentem sui propalat traditionem; quis enim nisi volens & gaudens inebriatur? sed maius aliquid pro hac ipsa concatenatione meditor. dixerat se & oculis & crinibus vulneratum: apponit ab vberibus medicinam. vulnera lota vino, balsamo fota curari solent: id etiam apud Hebræos notum, ex verbis Christi Domini *Luc. 10. num. 34.*

269. *Odoratum oleum & vinum ad vulnera.* vbi ita: *alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* vbi oleum de odorato capio, aut si simplex Dominus intellexit, id viatoris Samaritani defecto paupertati. id certum ad vsum medicum odoratas herbas, aut pharmacum expetitas fuisse, Athen. *lib. 5. cap. 3.* citat Homerum, qui inducit Helenam, quæ εἰς δ' ἄρ' ἐν οἶνον βάλλε φάρμακον, *in vinum iniicit panaceum pharmacum*; scilicet è panacea confectum, quæ odorata. Virgil. *Æn. 12.* de Venere vulnus filij curatura,

Virgil. asseritur.

— Spargitque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.

Pintus in Cantica.

Vbi nescias cur Cerda ex vno Lucretio, solum *grauem* odorem tribuat Panaceæ: atqui, inquit Dioscorides, eius folia vocauit ὄζον, id est, *nimium odorata.* gerræ. norunt pueri, ὄζω *magis, bene odorata,* quàm nimium odorata significare. Certè Plinius vnguentum illud pretiosissimum, quod Regibus Parthorum temperatum scribit, etiam ex *Panace* constare scribit. planè ergo Virgil. capiendus: nec solùm grauis, sed & gratus odor panaceæ restituendus. ideo Statius *lib. 1. syl. 4.* inducens Apollinem medicas herbas numerantem, sic loquentem describit.

—odoriferis Arabum quod doctus in aruis,
Aut amphrysiaco pastor de gramine carpsi.

Ex his omnibus, aptissimè, ni fallor, locum πεφράζομαι.

PARAPHRASIS.

Ast nemo putet hæc mihi acerba vulnera durum seruitium, qui vberum odorata tuorum pulchritudine sic volenter afficior, & voluptuosè, ac si condito vnguentis vino indulgens festiuissimè recreatet, & quàm è re vini & vnguentorum huc venit comparatio. Vt enim fota vino, & odorato pharmaco lita vulnera curari solent: sic cordis mei vulnera, odorata vberum tuorum, vbi commotor, pulchritudine, omni vino & vnguento potentiori, dulciùs, & efficaciùs confouentur.

Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. VERS. II.

270. *Fauus de sermone.* Mellis lactisque comparatio sermonis elegantiæ designandæ, multis vsurpata. Vide quæ hîc Delr. & Sanchez. Sexcenta loca alia possem coniungere: vide quos dedit Barthius ad illud Claud. *in Paneg. Manl.*

Vel qui non stienti sermonis mella politi.

libro tantummodo Statium, qui faui expressè meminit *lib. 2. syl. 1.*

Et mixta risu lachryma, penitusque loquentis
Hyblais vox mixta fauis.

Sic capiendus Pinatdus *in Pythiis oda 6.*

Καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν
Μελισσᾶν ἀμείβεται τρητὸν πόνον.
Et in colloquendo cum amicis
Apum prabet perforatum opus.

id est, fauum suis cellulis condistinctum.

271. *Vestes odoratæ.* *Odor vestimentorum.* Æquè hoc tritum: vsum Hebræorum sacri firmant interpretes, sicut profani vsum Ethnicorum. incidi in alia, cape. Nonnus *lib. 41.*

Ambrosiâ tua pulchritudo est superior: æthereo verò
Nectare fragrante tua spirant tunica.

& iterum *lib. 46.*

Scrinea verò aperuit, bene fragrantia, vbi mulierum
Iacebant Sidonij purpurea vestimenta maris.

Sic Martial. *lib. 11. epig. 9.* de cuiusdam odorato halitu, ait referri.

De Pallatinis domina quod serica prelis,

id est, odorem spirat, qualem sericæ vestes Imperatoriæ vxoris. Quòd autem noster *thuris* expressè meminerit, aut speciem pro omni aromatum genere posuisse credendum, eamque pretiosissimam, qualis olim thus credebatur, de quo multa alibi. Vel puto puto thure vestem cape fumigatam: pro quo affert Sanchez inter alios Homer. *odyss. 8.* addo eumdem in hymno Apol.

Κυθέρεια εἵματ' ἔχων θυώδεα.

Immortalia vestimenta habent thus spirantia.

Hæc satis de verbis clarissimis. Venio ad illorum mentem & coneatenationem, quæ magis sublatet. Dixi suprà, in his versibus non solùm laudari membra, sed quomodo eisdem afficeretur, enuntiare sponsum. Laudatas suprà *eloquium* tamquam *dulce*: nunc hanc dulcedinem melleam, & lacteam expertum se testatur: quod vt explicem aduerto, in diuinis litteris *mellis & lactis affluentiam* in parœmiæ modum vsurpari rerum omnium abondantiæ significandæ. de quo præ aliis videndus Serarius *Iosue* 1. *cap.* 8. *q.* 4. & iterum 2. *cap.* 3. *q.* 2.

272. *Mel & lac, in sacris quid sonet.*

vnde cùm *Exodi* 3. *num.* 8. terra fluens lacte & melle Israëlitis promittitur, felicissima vberrimè regionis possessio declaratur. Suspicor igitur, eùm hoc temporis puella per sponsalia se iuueni tamquam possessionem promitteret, id vnum velle in hoc loco iuuenem celebratum, quasi dicat felicissimam sibi destinari possessionem, quasi lacte & melle fluentem: nec posse melle & lacte dimanans non eredi lingua illa vnde tanta promissio emanauit.

273. *Pastoris regnum quod.*

Moueor, quoniam nullibi vxor possessio & regnum mariti non appellatur, vt dixi suprà *cap.* 3. plura *cap.* 7. dicturus: at pastori sponso vnde meliùs possessionis compararío peterur, quàm ab vberi gleba, ab agro fertilissimo? certè, hæc regna sua vocant pastores; impleuit doctas paginas Cerda ad illud *Ecl.* 1,

Post aliquot mea regna videm mirabor aristas.

274. *Statius explicatus.*

non exscribo: ru lege. ex simili decoto Statiua *lib.* 1. *syl.* 2. ad nobilissimum iuuenem, & Romanum Dynastam Violantillæ sponsalibus lætum:

Quis tibi nunc alacri cælestum munere claro
Stella dies, quanto salierunt pectora voto,
Dulcia cùm domina dexter connubia vultus
Annuit, ire polo, nitidasque errare per axes
Visus.

Quia eùm nemo nesciat, Romanorum Principum superbiam (de quo multa in spicilegio meo scribo) summè possidendis post mortem astris Deorum instar, inhiasse: nulli rei melius tantæ puellæ possessio poterat comparari, quàm possessis astris: sicut nulli rei aptius, rusticantis possessio puellæ, quàm lacte melleque agris fluentibus, id est, vberrimis.

275. *Aurea verba.*

Vnum posset desiderari, an tectè lingua & vbera melleam & lacteam promissionem effundentia, de lacte & melle ibi condito celebrentur: sed hoc ex quotidiano vsu patet. do Ausonium in grat. act. ad Imperatorem, qui illi palmaram miserat, vbi ita. *Hac est picta, vt dicitur, vestis, non magis auro suo, quàm tuis verbis.* hæc volui excogitata, quia ad temporis occasionem, quo dicuntur, satis accommodata visa sunt.

Descripta tandem pulchritudine & eius affectibus, vno verbo vestis odorem laudat: id etiam ex vsu amantium, vt ex Nonno *loco antè citato* vides, de quo multa *cap.* 7. Quàm verò aptè postquam medicam vberum pulchritudinem laudauit, ad linguam sponsalibus annuentem recurrat, satis claret; quia per hæc firmissima sibi intee vbera illa commorauí sedea destinatur. quasi dicat,

PARAPHRASIS.

Et certè iam inde lætior, quia firmior per sponsalia, iu medio hoc tuo pectore, inter sic faustè medicantia vbera commorabor: quid enim votis meis annuens, nisi vberrimam possessionem tui quasi melle & lacte manantem terram, labiis linguâque melle & lacte quodammodo manantibus promisisti? hi sunt, quos laudatæ supra pulchritudinis effectus expetior. quam tandem odoratissima veste exornas magis.

Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. VERS. 12.

Laudauit hucusque puellæ pulchritudinem, & huius erga se vires commendauit, nunc illius pudicitiam sic extollit præcipuè, vt obiter non iam per partes, sed tota iterum veniat eius venustas celebranda: itaque septum horti, fontis sigillum, illibatum pudorem repræsentant: sed dum hortus amœnus, & fons illimis audirur, vtrimque noua pulchritudinis sonat commendatio, penè in hanc mentem Ghislerius. addit Sanchez locum *Ierem.* 2. *& Prou.* 5. vnde apertè colligitur nomen sitis & fontis ad honestatem pertinere: adducit ex *Genes.* 29. puteum clausum lapide: ex Athenæo 12. *cap.* 3. fontem apud Persas Regi destinatum, quem proinde aliis putat sigillatum. hæc sunt quæ ab aliis feliciter in hunc locum video laborata: an aliquid ego conferam, lector iudicauerit.

276. *Pudicitia periculum à pulchritudine.*

Dixi alibi pudicitiæ & pulchritudinis certamen, & quantum illi ab hac periculi immineret: vnde Iuuenal. sat. 10. *rara est adeò concordia formæ atque pudicitiæ.* Meritò igitur sic laudatæ pulchritudini, pudicitiæ laudes iuuenis connectit, quasi in hac vna concordes, nec alteram alteri rebellem congratuletur. puellam pulchram, hortum irriguum, vocat Ouid. *Metam.* 13.

Hortus de formosa.

Et si non fugias riguo formosior horto.

Noster dum horto addit fontem, pulchriùs irrigationem designauit. quàm aptè autem ex sepe & sigillo p[…]dot innatur, sic illustro, & fusiùs, quia nemo adhuc.

277. *Hortus de virgine.*

Hortus conclusus. Aptissimè. Vt enim flos illibatus in septo horto vetnar, sic flos virgineus in corpore puellæ cautè custodito. Catullus *in suo Epithal.*

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis, sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec grata puellis.

Inde crederem partes illas, vbi flos iste vetnat, castioti vocabulo hortum appellari. iterum illud apud Lipsium 3. *ant. lect. cap.* 1.

Quod meus hortus habet, sumas impunè licebit,
Si dederit nobis, quod tuus hortus habet.

Idem apud Græcos, vnde κῆπος, id est, hortus apud probatos authores, ἐφίβαιον τὸ τῆς γυναικός. adde illud Theodori Cyrenaici (apud Diog. Laërt. *in vita Diodori*) qui cùm audisset Stilponem, qui olim negauerat Mineruam esse Deum, accusatum apud Areopagitas, respondisse se verum dicere, quia Minerua Dea erat, non Deus, Deos quippe mares esse: dixisse fertur, *vnde hoc nouit Stilpo? num remota veste ipsius hortum inspexit?* licèt tamen feiuerim honestis vocabulis solere has partes ab Spiritu sancto nominari, sicut illud de puella, *Contra omnem sagittam aperiet pharetram*, Eccles. 26. num. 15.

num. 15. de quo doctas paginas replet Pineda *Iob 31. num. 10.* vnde poſſet aliquis putare in hoc loco, ſic pudicè accipiendum hortum, vt virgineus de concluſo dicatur: nulla tamen ratione eò adduci potero, cùm longè potiùs tota puella per hortum exprimatur, (quod & fecit Catullus) vbi illibatus flos pudoris amœnetur.

Concluſus. Id eſt, ſepto ſeráque munitus. Vſus hac metaphora Horat. *lib. 1. ſat. 2.*

Si interdicta petes vallo circundata (nam te
Hoc facit inſanum) multa tibi officient res.

Sed hîc de non tentanda, maritata loquitur, aut magis de cuſtodia externa, quàm de pudoris ſepto: ſic Plautus *in Curc.*

Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam.

Excellentiùs noſter ſeptum pudoris & virtutis intelligit, quo ſolo puella ruſticans contineretur.

278. *Aqua & potus de re venerea.*

Fons. Quæ huc diuina poſſent congeri, hauſit Salazar noſter ad rem ſuam *Prou. 5. num. 15.* An profani etiam ad rem ſimilem ab aquis mutuarentur metaphoras, inquiro adhuc. Baſilius Legionenſis *quæſt. quodl. part. 1. q. 2.* vbi nonnulla Cant. huius conatus explicare: ad illud cap. 7. v. 1. *vmbilicus tuus*, &c. vbi, vt potat, etiam hinc ſumi tur metaphora, adducit Pier. Val. neſcio quid de poculis & maritis differentem, quod tamen diligenter quæſitum, non potui inuenire: vult etiam huc facere Horat. qui, vt ipſe ait, ſcripſit: *Inachiam ter nocte potas*, merebantur hæc ſtomachum, ſed quoniam ille, neſcias quo iure, bene de ſe meritam ſocietatem noſtram viuens arroſit, retundo hîc ſtimulos, ne, contra religionis noſtræ genium, videar mortuo inſultare, cui etiam viuo & lædenti illa pepercit pia. Carmen Horatij habetur *Epod. od 12.*

Inachiam ter nocte potes, mihi ſemper ad vnum
Mollis opus.

Vbi clarè non verbum *potandi* reſtagante verſus lege (*poto* enim producit primam) ſed ſecundam vſurpat perſonam à verbo *poſſum*: ſubtieuit autem Poëta verbum aliud turpe ex ore vetulæ alienas voluptates inuidentis. Nihil ergo hæc ad rem, nec locus ille ex *cap. 7.* quamuis quæ affert profana vera forent, ita capiendus, vt ſuo loco patebit.

Aliunde ergo coniecto aliquid ab aquarum metaphora libatum Ethnicis. Donatus ad Terent. in Eunucho. *Riuales dicuntur æmuli de mulieribus, tranſlatione nominis à feris beſtiis, qui ſitientes cum ex eodem riuulo hauſtum petunt, in prælium contra ſe inuicem concitantur: ſic Cicero pro Cælio, ſia erit ex illo fonte riualis.* hæc Donatus. Acron verò ad Horat. non ſolùm feras, ſed etiam paſtores, aut agricolas de riuo decertantes, riuales vocat: *Riuales qui in agro riuum haberent communem, & propter eum ſæpe diſcreparent.* Vtcumque ſit, tacitè fœminæ riui, vel fontes ſignificantur, quandò illarum æmuli, riuales appellantur. Vnde poſt alias rationes

Aquarioli qui.

cur lenones *Aquarioli* dicerentur (vide Cerdam 2. *Tert. ſuo num. 998.* & Ramires 1. *in Mart. epig. 93.*) cogitabam aliquando, an data nomini occaſio, quòd viris aquam, id eſt, fœminam, illorum extinguendo ardori tradidiſſent. alludunt huc qui putant, propterea olim in nuptiis (ſcatent teſtimoniis Auctores) aquam & ignem deferri ſolitos, vt inſtitueretur maritus, ardorem ſuum ſolùm vxoris potu reſtinguendum.

279. *Fontes ſignati.*

Signatus. Signatè, quia fontibus etiam adhibita ſigilla, imò & claues: ideo Proculus Lycius apud Natal. Comit. *lib. 5. cap. 17.* ad Solem locutus,

Pinus in Cantica.

Κλῦθι ϕάνε ταμία, ζωαρκέος ὦ ἄνα πηγῆς
Αὐτὸς ἔχων κληῖδα.

Audi lucis quæſtor, qui vitam præbentis, ô rex, fontis
Solus habes clauem.

280. *Signaculum de virginitate.*

Quàm pulchrè verò ſignatura hæc & ſigillum virginitati deferatur, & pudicitiæ, illuſtro ex Lucilio, qui dixit: *primum Chryſicum negat ſignatam reddere.* Vbi Nonius cap. 2. *Signatam, integram virginem vetuſtas voluit dicere.* Plautus etiam,

Tam à me pudica eſt, quàm ſi ſoror ſiet,
Aut ſignata virgo.

Aperio autem eruditis eamdem phraſim etiam ex Græco penu. Æſchylus *in Agamemnone*, laudat fœminam σημαντήριον οὐδὲν διαφθείρασαν, *nullum ſigillum violantem.* quamuis hîc de coniugalis tori fide inuiolata loquatur. Meliùs ad rem noſtram. Nonnus *lib. 2.* qui de quadam dixit: ἄψαυστον ἔχε σφρηγῖδα κορείης. *Intactum ſua ſigillum virginitatis.* Apud Patres hæc phraſis communis. Euſeb. Gallican. hom. 2. de nat. Dom. *Materni pudoris ſignaculo minimè reſignato.* homil. 10. de Paſchate. *Inuiolato materna integritatis ſignaculo.* Ambroſ. hîc, *nemo reſignet quem genialis in vobis origo ſignauit.* Tert. de Patient. cap. 13. *viduam tenet, & virginem aſſignat.* & *de velandis virg. cap. 5.* cùm virginitatem reſignaſſet, *lib. 1.* ad vxorem cap. 6. *carnem ſuam obſignant.* quæ ex Patribus libo, debentur Cerdæ *ad Tertul.* habes ergo hîc illibatum virginitatis fontem, cui melius quàm ſuo faciunt illa Ouid. 3. *Met.*

Fons erat illimis nitidus argenteus vndis,
Quem neque paſtores, neque paſtæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus, quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus.

Hæc de noto aliàs verſiculo pluſquam ſatis.

PARAPHRASIS.

Aſt ſorderent hæc mihi omnia pulchritudinis tuæ decoramenta, niſi illibatis pudoris gratiis decorata: in te verò immortale amicitiæ fœdus pudicitia & pulchritudo conſeruarunt: ſic hortus ſeptus, illæſos ſemper flores: ſic fons ſignatus nitidos ſemper latices cuſtodit.

Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus: cypri cum nardo. VERS. 13.

Nardus & crocus, fiſtula & cinamomum, cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. VERS. 14.

De arborum, & aromaticarum plantarum, quæ hîc afferuntur, naturà, abundè interpretes, inde pete. mentem verborum longè aliam ab omnibus, breuiter ſic aperio. Vocarat hortum ſeptum ſponſam de pudicitia, nunc huius pudicitiæ effectus comparat amœniſſimè: quemadmodum enim ab horto conſito delicatè, licèt diligenter concluſo, aut per murum, aut per cancellos propagines fructibus onuſtæ, auræ odoribus gratæ emittuntur paſcendis oculis, naribus recreandis: ſic ab ſponſa geſtus compoſitio, vultus modeſtia, oculorum demiſſio, inceſſus grauitas tamquam pudoris fructus perennabant, &, quod maius erat, indidem optimus nominis & virtutis odor reſpirabat. At hæc myſtica magis, inquis, quàm dramatica. falleris, mi homo: in vtraque pagina, litera-

281. *Odor de fama.*

raliſſimè *odor* de virtute & bono nomine vſurpa-

 tur:

tur: In diuina, Eccles. 7. num. 2. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* & Ecclesiastici 49. *Memoria Iosia in compositione odoris, facta opus pigmentary.* 2. Cor. 2. num. 15. *Christi bonus odor sumus.* In profana, scitum illud Plauti, In Mostel. *Mulier rectè olet, vbi nihil olet.* & licèt à Mart. 2. *epig.* 12. velint posthumum de fœtidi odoris morbo insimulatum, tamen ad mores fœtidos carmen optimè deducitur.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Sed ad rem pudicitiæ, in qua sumus, est optimus locus Catulli *in nupt. Pel.*

——suaues expirans castus odores
Lectulus.

Vbi inter alia Passeratius caussam, quæ dictis vers. super. optimè congruit, adducit optimam: *An quòd castitatis & virtutis odor suauissimus sit tamquam floris? sic in carmine nuptiali,*

Cum castum amisit polluto corpore florem.

quia impudicam quasi spurcam & fœtidam omnes auersantur. Hæc ille.

282. *Fructus virtutum. Statius explicatus.*

Quæ dixi de fructibus, notiora sunt, quàm egeant probatione. Do vnum Statium *lib. 5. syl. 2.* quia pulcher. huc,

Quem non corrumpit pubes effrena? nouaque
Libertas properata toga? ceu nescia falcis
Sylua comas tollit, fructumque expirat in vmbras.
At tibi Pieria tenero sub pectore cura,
Et pudor, & docti legem sibi dicere mores,
Tunc hilaris probitas, & frons tranquilla, nitorque
Luxuria confine timens, pietasque per omnes
Dispensata domos.

Hi sunt fructus adolescentis, quos si cultum animi hortum (vt multi) siluescere pateretur, in vmbras expirasset, id est, in vmbrosos & inutiles ramos impendisset. Eâdem metaphora vsus Ambros. *Iuuentus neglecta siluescit.* Explicemus adhuc vnum, vel alterum verbum.

283. *Paradisus Latinè, Græcè, Hebraicè.*

Paradisus malorum punicorum. In Græco παράδεισος: vtraque vox ab Hebræa פרדס qua non simpliciter hortum, sed domesticum & delitiosè conditum, volunt explicari. Nolo igitur non solùm apud Hebræos, sed etiam apud alias nationes, videri mala punica inter primas similium paradisorum delitias numerari. Ælian. lib. 1. cap.

Punica mala pretiosa.

33. *Misit Artaxerxi Persidem equitanti malum punicum maximum obtulit in vanno Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit: E quonam paradiso depromptum hoc donum mihi affert.* Adde aliquid latere philtricum in malo punico (de quo *cap. 8.*) vnde fortasse expressiùs huc affertur.

284. *Mixti flores gratiosiores.*

Cypri cum nardo. Cypros nardo immiscet, nardum croco, & similiter in aliis, fortasse, quia gratiùs sic spirant. Sic Virgil. Myrtus laurosque iunxit, vt omnes hic notant, suauiùs exhalaturas. Addo in re simili Statium *lib. 1. syl. 2.*

Tu modò fronte rosas, violis modò lilia mixta
Excipis.

Martialis *lib. 4. epig. 14.*

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo.

Homerus *in hymno Panos.*

Ἐν μαλακῷ λειμῶνι τόθι κρόκος, ἠδ' ὑάκινθος
Εὐώδης, θαλέθων καταμίσγεται ἄκριτα ποίῃ.
Molli in prato vbi crocus atque hyacinthus
Suaue spirans floridus miscetur per multam herbam.

PARAPHRASIS.

Nihilominus, sicut quantumuis hortus sepiatur, per muros & cancellos diuitiarum suarum emittit spectandum apparatum, punicorum scilicet malorum ramos, exhalatque mixtam cyprorum & nardi redolentem suauitatem, nardi & croci, fistolæ & cinamomi fragrantiam, cum omnibus tum frondibus odoratis, tum arbusculis aromiferis, quibus exultat Libanus: sic pudicitia tua, de oculorum modestia, & vultus grauitate, & incessus pondere, totius denique corporis compositione, enitescit, virtutisque odores suauissimos emittit.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. VERS. 15.

Vt singularem, quam habeo, huius loci mentem patefaciam, priùs singula verba explicanda, idque paululum fusiùs, quia hinc cæteris interpretibus suppetiæ fortasse non temnendæ manaturæ.

285. *Hortus necessariò irriguus.*

Fons hortorum. Vt semper manans & viuus intelligatur, aliorum nimirum locorum fontes non ita perpetuò desideres emanantes: ast hortorum vita iugis irrigatio, qui in aqua semper viua foueantur, morientur. ideo Homerus *odyss.* 7. de fonte Alcinoi, *ἡ μὲν κῆπον πάντα σκίδναται, per totum hortum dispergitur,* ideo Columella lib. 1. cap. 2. *riuos decurrentes in prata, & hortos, & salicta viua aqua salientes demittant.* ideo Num. 24. num. 6. *Horti iuxta fluuios irrigui,* laudantur; sicut Isaiæ 1. n. 30. *hortus absque aqua,* damnatur. habes ergo hic fontem viuum iugiter fluentem, qualis nimirum hortis ne contabescant, necessarius: id statim vberiùs declaratum subdit.

286. *Aqua viua que.*

Puteus aquarum viuentium. Non distinguo puteum à fonte, sed fontem capio non in plana superficie positum, sed altiusculè depressum, qualem patres explicant Iacob puteum, qui simul fons: sedebat enim Christus sic *supra fontem,* qui tamen paulo infrà *puteus altus* appellatur à Samaritana *Ioan* 4. 11. his adde quæ bene Sanchez *hic.* Iam verò aquæ viuæ multa mentio in sacris, profanorum, quia res obuia, aperio tantùm fontes. Vide Brisson. 1. *form. pag mihi* 7. Tiraq. *ad Alex. lib* 4. *cap.* 17. Marsilium *ad Horat. lib.* 1. Cerdam *ad Virgil. lib.* 2. *& lib.* 8. *vers.* 70. *num.* 7. Casaub. *ad Pers. sat.* 2. vocantur autem viuæ, quia ebulliunt & mouentur, vt bene Sanchez. Adde propterea stagnantes mortuas appellari. vtriusque rei metaphoram visus explicare Plutarchus sympos. 6. *Stantes aqua & in cauitatibus hærentes facilè putrescunt, propter admixtionem terra: fluentes fugiunt, & repellunt offerentem se his terram.* Situ ergo & putredine tabescentes meritò emortuæ: contrà verò fuga cuiusque purgatæ, meritò viuæ nuncupantur. Viuæ etiam dicuntur aquæ dulces & salubres per oppositionem ad noxias & amaras, de quo videndus Salazar *Prou.* 10. *suo num.* 107. quod autem addit de viuis, quia viuentia gignunt, loco in quo sumus, ineptum reputo.

287. *Aqua leniter praceps salubrior.*

Fluunt impetu. Etiam verbum נזל defluxum significat, & ab altiori loco aquas emanantes: quod pulchrè noster per impetum explicauit; neque enim ad cenitum aqua sine innato pondere, & hoc pondus, est purus & putus impetus, qui non tam cum absono fragore, & dura violentia, quàm cum suaui declinatione, & naturali præcipitio explicandus: impetus violentior ab amatoria comparatione, mihi alienus. Explicatur autem hic optima aquarum conditio. Hesiodo in *Theogonia* laudatur,

πολύ

———πολυώνυμον ὕδωρ
Ψυχρὸν, ὅτ' ἐκ πέτρας καταλείβεται ἠλιβάτοιο.
———*celebris aqua*
Frigida, quae ex petra præcipitatur alta,

Sic Homer. *Odyss.* 17. ψυχρὸν ῥέεν ὕδωρ ὑψόθεν ἐκ πέτρης, *frigida defluebat aqua ex alto, & a petra.* Virgil. 3. *Georg.*

———*non illis epulæ nocuere repostæ,*
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina.

Licèt enim non tam expressè præcipitium denotet, tamen cùm *exercita cursu* laudet, satis pro me: præcipitio enim meliùs exercitas nemo nescit. Ouid. 4. *Fast.*

Valle sub umbrosa locus est aspergine multa
Vuidus ex alto desilientis aquæ.

Apul. lib. 4. *de summo vertice fons affluens*, &c. pulchrè Virgil. iterum *Georg.* 3.

Non umbræ altorum nemorum non gramina possunt
Gratè mouere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis.

288. *Fons unde puteus appellatur.* Vbi mihi nota, me in eo maximè ab aliis dissentire, qui fontem hunc & puteum in plano ponunt, & per occultos meatus aquis impetu à Libano defluentibus celebrant scatentem: ego enim ad rem meam illum in vertice, aut in medio Libani collocatum existimo: nec tam aquas vnde formetur fons hic, celebrari, quàm quas ipse fons rigandis hortis ad radices montis sitis è se effundat. Dices hunc fontem altum fuisse, indeque puteum dici, ac proinde eum videri à quo potius fune misso aquæ hauriendæ, quàm effluentem, & aquas prono munere effundentem. Id ego nullatenus hic probatem: nam cùm multi hoc in loco mecum puteum à fonte non distinguant, qui aliunde dicitur fons hortorum: quis non suggillaret minus aptam descriptionem, si tanto labore aqua exhaurienda, cùm ad hortos irrigandos, quo facilior defluxus, eo commendabilior? puta ergo puteum, quia tam cauâ & profundâ conchâ fons scatuiebat, vt de altitudine putei videretur, aliunde verò sic ascendens & ad labra exundans aqua, fontem pulchrum formare videbatur. & fortè ita capiendum illud Numer. 21. n 17. *ascendat puteus*, id est, ascendentibus aquis exundet, & exuberet. Instas, suprà dici fontem signatum & clausum; non ergo per labra aquas euomebat. Ast ego ideo caurè non per labra, sed ad labra vsque aquam ascendentem dixi: signatum ergo intelligo & clausum immisso tegumento, ne puluere, aut foliis turbaretur, ne potaturis belluis pollueretur, aut hostili veneno inficeretur: ita tamen, vt ne de vbertimè semper aquis & perenniter adnascentibus rumperetur, forinsecus adhibitis ad labra canalibus exundaret: quod & hodie sæpe factum videmus.

Numer. 21. n 17. explicatur.

Rei ita capiendæ moneor inde, quia LXX. qui optimè Hebræi verbi נזל vim agnouerunt, per strepitum & resonantiam hunc fluxum explicarunt φρέαρ ὕδατος ζῶντος, καὶ ῥοιζοῦντος ἀπὸ Λιβάνου, *puteus aquæ viuæ & resonantis a Libano.* quod etiam cum impetu Vulgati nostri facit, aut saltem nullatenus dissentit. Quis autem non videat latentes aquas, & occultis ductas meatibus, de adblandiente strepitu non laudari? Certè resonantia murmurans, strepitus iucundus tunc percipitur, cùm per glaream, lapillos, & alueolos vnda appatens præcipitat, oculos capians auribus insusurrans: quæ sub terræ visceribus silet, dum delitescit. hinc Virgil. *Georg.* 1.

289. *Aqua dulce resonans.*

Pictus in Cantica.

Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam
Elicit, illa cadens raucum per læuia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arua.

Horat. *Epod.* 2.

Fontésque lymphis obstrepunt manantibus
Somnos quod inuitet leues.

Habes ergo in hoc loco fontem in monte emanantem, indeque aquas argenteas grato strepitu murmurantes, inter lapillos & glaream in hortos ad radicem montis sitos emittentem. tales describit & laudat Porphyrius apud Tiraquell. de nobilit. cap. 31. num. 188. *Aquarum latices illi, qui à montibus, fontibus scaturientes per petrarum alueos deuoluuntur, & fluunt, synceriores multo incorruptioresque esse solent, quam qui per cœnosa palustriaque loca defluunt, quibus aut multam lutulentámque secum attrahunt materiam necesse est.* Amœnissimè Apul. loco suprà citato. *de summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturiebat, pérque prona delapsus euomebat vndas argenteas.*

De Libano. Cùm tot alios montes afferre posset, maluit Libanum, nouam, ni fallor, his aquis aucupans commendationem. nemo nescit Libanum dici à radice לבן id est *candescere*: vnde aliqui vertunt, *quæ fluunt impetu à monte candido.* Cuius appellationis alij alias afferunt causas: ego puto à perpetua niue montem sic appellari, vt notant ex loco illo Ierem. 18. n. 14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut euelli possunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes.* qui locus huic nostro totus explicationi meæ fauens annuere videtur. Sed quid, inquis, nix ad aquatum præstantiam? Audi Theocrit. *Idyl.* 11.

290. *Aqua è niue melior.*

Theocritus explicatus.

Lymphas Æthna mihi gelidas numerosa liquata
De niue dat, non ambrosia est iucundior illis.

quem illustro ex Athen. *dipnos.* 2. *cap.* 2. vbi ita: *Quæ fluunt per canales, statims sunt meliores, percussa enim fiunt molles; quare quæ ex niuibus fluit aqua, vtilis admedum esse videtur: nam quæ magis potui apta, sursum trahitur, & ab aere postea percutitur: quo fit, vt pluuia aqua, & quæ ex glacie manant, sint meliores, quia leuiores. Signum autem est quòd & glacies ipsa, reliqua aqua reperitur leuior: quæ est frigida & aspera, quia terrestris. Eadem etiam ratione aqua montana magis est potui apta, ijs quæ sunt in planitie, minus enim habet terrestris immixtum.* Igitur humore Libanicatum niuium occultis terræ visceribus exsucto fons repletus, postea tenuiotes & pellucidiores aquas, vipote niuis originem referentes, euomebat.

In his meis commentariis si aduertis, nusquam nouis meis obtrudendis opinionibus ita processi subdolus, vt emergentes obiectiones dissimulanter velim suppressas, id enim non tam veritatis studij indagandæ, quàm vanitatis foret negotij ostentandæ. In hoc ergo loco non me fugit, posse à rei rusticæ peritioribus opponi, irrigandis hortis ineptè aquas frigidas & niuatas experitas & laudatas. Plutarchus enim lib. de maiori vtilitate aquæ, an ignis, ita. *Plantas namque & fructus non mador, sed calidus fundit mador: quippe aqua algida minus, aut nulla ex parte feraces sunt.* quæ doctrina ab omnibus admittitur, neque pastor noster contrariam tenere poterat. Respondeo tamen, ideo non aquas immediatè à niue destillatas hortis hic assignari, sed quas priùs fons ipse foueret, & terræ quodammodo vberibus coqueret, quæ nihilominus leuitatem, & perspicuitatem à niuibus sortirentur. Quod si quid adhuc maioris frigiditatis retinerent, id voluptati dandum potatorum

tatorum: neque enim opus est, vt hortos hîc capiamus auari agricolæ, qui totus fructis studeret, sed etiam viri principis, qui multum voluptati putaret tribuendum, & in talibus hortis algidiores aquæ maximopere ad delitias expetuntur. inde noto ad illud *Ecl.* 1.

Virgil. explicatus.

Fortunate senex hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum.

Virgilianum pastorem, nihil contra mentem Plutarchi disseruisse, dum aquis frigus assignat, quia voluptatem expressam magis voluit, quàm vtilitatem: licèt alij sterilitatem agri Virgiliani hinc expressam velint. quidquid sit, gelidos delitiosorum hortorum fontes, passim laudatos legis.

291. Fontis & horti coniunctio puris moribus comparandis.

His (quæ vulgo fastidiosa scio, sed eruditiorum palato spero sapida) fusè notatis, iam huius loci mentem eruamus. Compararat simpliciter sponsam horto septo, fonti signato: deinde pulchrè horti immissiones dilatans, eisdem cautè custoditum, sed in ipsa custodia signis proditis manifestum pudorem declarauit: sic in hoc loco, dum à fonte supernè signato præcipites, ideoque puros & nulla terræ labe permixtos latices, immissos ait, eiusdem pudoris candorem, & splendidos argenti instar mores manifestos ostendit. & quidem aptissima in re pastoritia vtraque comparatio. Sic Virgil. in re simili flores (noster pulchriùs hortum) & fontes aduocauit. *Ecl.* 2.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec si muneribus certes concedet Iolas:
Eheu quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Vbi ne somnia mihi impones, audi quid Cerda. *Dicis hoc, quia imprudenter Iolam nominauit. nam hoc, inquit, quid est aliud quàm Austrum floribus immittere, qui noxij venti, apros fontibus, qui aquam turbant. ergo Alexim floribus comparat, & fontibus: Iolam, veriùs opes eius, Austro, & apro: nam quid non opes contaminent, quid non corrumpant.* Ac si amoris sui mores muneribus fœdarentur, iam aridis hortis, & lutulentis fontibus venirent comparandi? Venustè igitur noster horto tot aromaticis floribus vernanti, fonti tot puris laticibus scaturienti integros & incorruptos mores laudandos aucupatur. quæ adduntur de niuosa Libani origine, vlteriùs laticum synceram puritatem manifestant.

292. Honesta fama amantibus grata.

Neque caret mysterio quod tantopere aquas impetu strepentes apposuerit, grato murmure garrientes: id vt explicem, aduerte, nihil amatoribus gratius, quàm si bonus gratusque rumor de puellarum suarum pudicitia increbrescat: hinc è contra eorumdem querelæ, si rumor minus decens euagetur. Propert. *lib.* 2 *eleg.* 33.

Nuper enim de te nostras me læsit ad aures
Rumor, & in tota non bonus vrbe fuit.

Tibull. *lib.* 4.

Rumor ait crebrò nostram peccare puellam,
Nunc ego me surdis auribus esse velim.

Rumor vnde dicatur.

Aduerte deinde hanc vocem *rumor*, ab aquarum strepitu deriuari: vnde notant cultiores rumorem dici παρὰ τοῦ ῥόου, aut ῥεῖν, id est, à *fluxu* aquarum strepente. Germanus verò, qui, vt germanè fatentur omnes, acerrimo iudicio Poëtam explicauit, à verbo *ruo* deducit; & ab aquis ruentibus, vt videtur: vnde illud *Æn.* 8.

Ergo iter inceptum celerant rumore secundo:
Labitur vncta vadis abies mirantur & vndæ.

Explicat de strepitu aquæ remis verberatæ: itaque bonus, aut malus nominis rumor saltem apud Latinos, ab aquarum suaui, aut dissono strepitu deriuatur. Non perperam ergo putarim apud alias gentes, licèt vocum sympathia desit: tamen colloquentium sonitum, & murmura aquarum murmuribus comparata: sicut sæpe videmus in sacris litteris voces grandes sonitui aquarum multarum comparari, vt passim in Ezechiele & Apocal. videre est. Theocrit. *Idyl.* 1.

Ἅδιον ὦ ποίμαν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς
Τῆν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.
Dulcius ô pastor tuum carmen, quàm resonans
Illa è petra destillat supernè aqua.

Vbi non tam aquæ haustæ, quàm auditæ carmen comparatur, voxque dulcis, dulci murmuri componitur. Sic Virgil. *Ecl.* 5 *fine,*

Quæ tibi quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Puto igitur in his salientibus aquis, & gratum strepitum commouentibus, puellæ pudicitiam bonos de se semper rumores excitantem celebrari, quod sponso gratissimum, & in re, de qua agimus, commodissimum. De puteo hoc, seu fonte (imò fontibus) aquarum viuentium: cui multi voluut allusum, videndus Adrichomius *in Assir. num.* 67.

PARAPHRASIS.

Idem in fonte euenit, qui licèt signatus desuper, tamen per appositos labris canales vndas emittit nitidissimas: quemadmodum ergo iste in Libano scaturiens, per eiusdem cliuos aquas hortorum amœnitati præcipitat, de niue leues, de exercitio molles, limpidas de cursu, idque leni susurro, murmure iucundissimo, vt oculis pariter, & auribus blandiantur: sic pudor tuus, limpidissimi candoris mores aspicientibus exhibet, dumque optimos de se commouet rumores, aures quasi susurro gratissimo demulcet.

Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. VERS. 16.

Cùm priùs tam graphicè, hortum pariter, & fontem descripsisset, posses meritò addubitare, cur in totius descriptionis coronide, horto tantùm, & non fonti bene precando faueat: videturque respondendum, aquas è fonte manantes hortum irrigare, ex eisdemque tamquam necessariis hortum componi, non è contra: ac proinde dum horto felicia exoptantur, eadem contentis aquis videntur exoptari. Vt autem quò hæc vota tendant, deinde aperiam, aliqua supponenda.

293. Aquilo lascinus. Auster verò purus.

Primum, apud gentes diuersimodè admodum hos ventos audire: Boreas enim, siue Aquilo lascinius credebatur, nec cælestibus gratus: è contra Auster purus, & Diis iucundissimus habebatur. Cœlius Rhodig. *lib.* 15. *cap.* 23. post alia de discrimine horum ventorum: *Boream fingunt amatorium. nam Orithia rapta Zethem genuit & Calain, Austrum contrà Diis attribuunt: proinde meridie ingruente in Deorum templis panduntur vela, nec hominis ingressus patet, velut Diis sit destinatum eundi tempus: in ianuis quoque Meridici & Austri visuntur symbola.* ex quibus illustro Homerum *odyss.* 15. vbi antrum Nympharum describens, subdit.

Homerus illustratus.

——δύω δέ τέ οἱ θύραι εἰσίν·
Αἱ μὲν πρὸς Βορέαο, καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν·

Ai

Αἱ δ' αὖ πρὸς νότου εἰσὶ θυρώτεραι· οὐδέ τι κείνῃ
Ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν.
——*binæ autem ibi portæ ſunt:*
Hæ quidem ad Aquilonem peruia hominibus:
Quæ verò ad Auſtrum, ſunt diuiniores: neque illas
Homines intrant, ſed Deorum via eſt.

Meridies Diis gratus.

Quæ autem affert Cœlius de Diis ad Meridiem viſis, (quaſi propterea meridianus Auſter illis gratus) illuſtrat Cerda ad illud *Georg.* 4. de Protheo viſo, *medius cum Sol aſcenderit æſtus.* Addo optimum locum Auſonij *in Moſella.*

Dicitur & medio cùm Sol ſtetit igneus orbe:
Vt commune fretum Satyros vitreaſque ſorores
Conſortes celebrare choros: cùm præbuit horas
Secretas hominum tactui flagrantior æſtus.

De amoribus Aquilonis & Orithiæ, quos attingit, multa paſſim incurres: do alia quæ aliunde laſciuiam eius infamiam denotant. Nonnus *Dionyſ.* 1. Europam à Ioue ſub forma tauri raptam ſic deſcribit, ab illo verſu,

Καὶ δολόεις Βορέης γαμίῳ δεδονημένος οἴστρῳ.
Et doloſus Aquilo nuptiali commotus œſtro.

Veſtem omnem ſinuando impleuit improbus amator, &c. & quæ inde ſequuntur nequiora: vide timentis puellæ vox,

Μὴ Βορέην μετὰ ταῦρον ἐρωμανέοντα νοήσω.
Ne Aquilonem, poſt Taurum, amore inſanum experiar.

Apud alium etiam ex Græcis eamdem Aquilonis laſciuiam in eadem Europæ fabula legiſſe memini. nec re ipſa fabula ſuo caret fundamento. nam Boream volunt aliqui dici *ἀπὸ τῆς βορᾶς, à pabulo*, quòd hic ventus nutriat, paſcat, & ſana reddat corpora: apud Cœlium citatum, *generationi percommodus* appellatur. quid, quod Septentrionales nationes vnde flat ipſe, laſciuiæ infamia laborant, quaſi hic ventus naturâ ipſâ Venerem commoueat. Ouid. 6. *Metam.* de Thracibus, qui puri puti Boreales, hinc explicatur,

Ouid. explicatus.

——*ſed & hinc innata libido*
Extimulat, pronumque genus regionibus illis
In Venerem eſt.

Vbi etiam latè de Orithiæ amoribus.

294. Argonautæ quando.

Secundùm huius fabulæ notitiam apud Hebræos Salomonis tempore peruagatam, moueor, quia res Argonautarum, qua parte veræ ſunt, tempore Gedeonis euenerunt, vt rectè probat Salianus noſter *tomo* 1. at inter Argonautas ab omnibus penè priſcis, Calais & Zethes numerantur, filij Orithiæ & Boreæ. (Borealis re vera cuiuſdam Principis, qui Boreas appellabatur, vt etiam vento geniti, de celeritate exiſtimati) vt ibidem videre eſt. res poſtea fabulis aucta, obſcurata mendacio, à Græcis, Ethnicas alias & minus barbaras gentes percurrebat; inde ergo ad Hebræos vicinos emanaſſe credo, qui licèt hoc æui Boream & Orithiam non colerent, tamen vulgari rumore, non adhibita fide, ſed capto luſu, poterant venti laſciuiam cantilenis celebrare, ſicut Chriſtiani Poëtæ fabellas Ethnicas ſolent interſerere: ac proinde in cortice Dramatis cantico ſuo huc potuit alludere omniſcius Salomon, vt ex fabula myſterium indicaret. hoc ſpiritu non erubuit Iſaias, *ſyrenarum delubra, cap.* 13. *num.* 22. appellare, voluptatis illecebris inſinuandis: at quis neſciat ortam fabellam, aut ſaltem cultiorem redditam ab Homero, qui (ſi rem ad fidos calculos deducas) Dauidis, aut Salomonis tempore vixit, & multo ante Iſaiam ſcripta diuulgauit. Sic ſanctus Iob. (de quo vide Pinedam) tot ſæculis ante Salomonem, (cuius tamen res Hebræis notiſſimæ) quando filiam ſuam vocauit *cornu ſtibij* cap. 42. num. 14. velut LXX. *ἀμαλθείας κέρας, cornu Amaltheæ*, non fabulis fidem adhibebat, ſed ex notis fabulis ſchemati indicandæ nomen mutuabatur. ſimilia paſſim incurres. Hoc ſi diſpliceat, (quod quo iure fiat, non video) poſſes dicere, ſine vllo ad fabulam recurſu, ſed ex mero venti genio percognito, (qui, vt dixi, Venerem prouocat) potuiſſe Hebræis Boream de laſciuia infamari etiam, ſicut toties in ſacra pagina omnium penè vitiorum habetur ſymbolum.

Fabularum uſus qualis in Scriptura.

Quibus poſitis, iam quid de huius loci mente ſentiam, aperiendum. laudatur iuuenis ſponſæ pudicitiam ſub horti metaphora, cuius odoribus boni nominis aromata comparatur: quid ergo cupiat niſi vt hoc ſemper duret? quid precetur, niſi vt inde quiduis etiam minimum immodeſtiæ arceatur? quo autem pulchrius id explicaret, quàm vocato Auſtro, qui auras grato odore inebriaret, quàm amoto Borea, qui dum aliquid impudicum videtur ſonare, pulchros pudicitiæ odores corrumpere videretur. Later hîc etiam, non dura illa & proterua, ſed ſedula & amatoria zelotypia, eaque lepidiſſimè explicata, qua ſibi etiam à vento, quia non tam boni nominis, præcauetur, quæ ſingulis verbis nunc addam, non ſolùm huic meæ, ſed etiam aliorum explicationibus veniunt non inepta.

295. Venti ſurgentes qui.

Surge Aquilo. Vt vides, illis adhæreo, qui Aquilonem hinc fugatum volunt: fateor tamen verbum æquiuocum, quo nunc venientes, nunc abeuntes venti explicantur. æquiuocationis cauſam præbet, ni fallor, verbum *cado*, quo nunc incumbentes flatus, nunc diſcedentes ſignificamus: in priori ſignificatione, Varro in ſeſqui Vlyſſe: *Aduerſi venti ceciderunt: quod ſi pergunt diutiùs mare voluere, vereor,* &c. id eſt, venerunt, incubuerunt: huic ergo caſui, ſiue aduentui, ſurrectio, ſiue diſceſſus opponitur: in poſteriori Liuius lib. 25. *Cadente iam Euro, qui per dies aliquot ſæuierat.* huic diſceſſui, aduentus, ſiue ſurrectio ventorum aliunde reſpondet. ne autem locum ita capias, quaſi Aquilo horto priùs incumbens præſumatur, rogatus deinde vt abeat (minus enim id allegorico caſtoque horto conueniret,) ſed ne huc accedat, ne perflet illi præcipitur: ſicut cùm illi cui longam vitam optamus, precantes dicimus: Veni felicitas, abi mors. non quòd mors vrgeret iam, ſed ne accederet. exempla pro hac loquendi formula paſſim obuia.

296. Venti pro regionum qualitate temperati.

Veni Auſter. Peſtilens hic floribus apud Italos, vt notat Sanchez ex Virgil. *Ecl.* 2. adde Statium *in Glaucia meliorus.*

Ille velut primos expiraturus ad Auſtros
Mollibus in pratis altè flos improbus extat.

& in lachrymis Hetruſci,

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubenteſque roſæ primos moriuntur ad Auſtros,
Aut vbi verna nouus expirat purpura pratis.

Rectè tamen aduertit, ventos in diuerſis orbis partibus diuerſas habere qualitates, ex diuerſa plagarum, quas illuc peruehitur, conditionibus, perceptas: vnde qui peſtilens Italis, Palæſtinis ſuauiſſimus habetur. id ex Ariſtot. & Plin. firmat hîc Soto maior. Adde multa ex Philoſtrato *lib. de ventorum natura.* ideo Ariſt. in Meteor. *νότος αἴθριος τοῖς περὶ τὴν Λιβύην. Auſter ſerenus apud Libycos*, qui tamen pluuius & turbidus paſſim aliis.

297. Auſtri flatus qualis.

Sed quid ſi dixeris non opus ad diuerſas plagas recurriſſe, ſed ad diuerſam perflandorum, vt

sic dixerim, naturam: non enim floribus sponsus Austrum inuitat, sed plantis & arboribus aromiferis, & balsameis vineis: his autem non solùm apud Palæstinos, sed etiam apud alias gentes Auster vtilissimus: de quo multa Cerda ad illud Virgil. 2. Georg. *quique editus Austro*, &c. Nihilominus ad diuersas regiones recurro, ibi enim multos affert Cerda, qui etiam plantis noxium Austrum faciunt, quos tu legeris. Adde non ab hoc horto alienos credendos flores. In verbo *veniendi* latet emphasis, vidit meus Cerda ad illud Ecl. 5. *venientis sibilus Austri.* vbi ita, *cùm dicit venientis, innuit lenitatem. aliquis hîc, nullo iudicio, diceret flantis, sonantis, strepentis: ita in sacro eloquio, veni Auster: vbi fit inuitatio cum blandimento.* non potui tibi pulchram notatiunculam inuidere: pergo.

Perfla hortum meum. Dixit *meum*, vel amatorio more, facit enim hoc pronomen apprimè teneritudini, vel eo quòd ius per sponsalia aliquod iam haberet. neque, puto, caret emphasi vox ista non tam rogantis, quàm imperantis. quasi dicat: Veni, præcipio; perfla, iubeo. nam quam affers mulcendis aromatibus vtilitatem, eamdem illorum halitu perfundendus percipis: quid ergo tardes, quid moreris: aut preces potius, quàm imperium sollicites, cùm, etsi permulcens, huc venias permulcendus. Vtrumque ventis tribuunt amœniora scripta. primum Ouid. 1. *Metam.*

298. *Venti floribus mulsi, & mulcentes inui: cem.*

——— auris

Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Propert. *lib.* 4.

Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.

Claud. *in nupt. Honor.* de hortis Veneris:

Intus prata micant, manibusque subdita nullis
Perpetuum florent Zephyro contenta colono.

Secundum illustrat Nonnus *lib.* 3.

Ἤδη γὰρ ζεφύροιο προάγγελος ἔγγυθεν ὥρη
Σχιζομένων καλύκων δροσερὰς ἐμέθυσσεν ἀήτας.

Iam enim Zephyri prenuntia vicina hora
Apertorum florum roridas inebriauit auras.

Iterum *lib.* 41. parco Græcis:

Rectè sibilans, vitam spirans, venit aura
Bene odoratis ventis concussarum cupressorum.

& paulo pòst *ibidem*, ad rem aromatum, in qua sumus,

Per se verò fusi vnguenti sublimem odorem voluens
Aëries inebriauit transitus suauiter olens ventus.

Sic in hoc loco, fluxu aromatum, quæ ipse foueret, inebriandus pariter Auster inuitabatur. Nomine autem aromatum explica vel aromaticos flores, vel balsami & similium plantarum spontaneas lachrymas, quæ fouente Austro sponte stillabant. id pro Siciliæ situ Zephyro dat Claud. 2. *de rapt.* festiuissimis illis carminibus ab illis verbis, *Compellat Zephyrum*: subdens,

299. *Ventus florum & aromatum parens.*

Nunc adsis faueasque precor, nunc omnia fœtu
Pubescant virgulta velis, vt fertilis Hybla
Inuideat, vincique suos non abnuat hortos.
Quidquid thuriferis spirat Panchaia syluis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaspes.
Quidquid ab extremis Ales longæua colonis
Colligit, optati referens exordia sæcli:
In venas disperge meas, & flamine largo
Rura foue.

Sed pro *cap.* 4 hæc sufficiant.

PARAPHRASIS.

Tam ergo pudicos mores, tam castum hortum, vndique integritatis odores respirantem, nihil vel leuiter pollutum audeat attingere: abi hinc Aquilo, impudicitiæ solitus damnari: propera Auster, tu solus castiori hunc perfla respiramine, foue aromata, quorum fluxu inebrieris: sic in dilecta mea gratus boni nominis odor perennabit.

CAPVT QVINTVM.

VERS. 1. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.

ERVDITISSIME, & fusissimè hæc verba, & quæ sequuntur, tractant interpretes: ego breuissimus inceptum filum mihi sic deduco. Audierat puella, quàm fusus in ipsa, horti instar, laudanda processerit sponsus, & laudes quas tamquam amoris indices gratissimè audiuerat: eas & de modesto genio, & de ingenio virgineo innuit suppressas voluisse, idque pulchra allusione, quasi diceret: Abì dilecte, frustrà in sterili hoc pulchritudinis nostræ horto colendo immoraris, & quanto iucundiùs horti tui delitias, quas noui, veras carperes, quanto gratiùs eisdem indulgeres?

300. Venio, *pro eo.*

Veniat. Id est, *eat*, quod iam notarunt doctiores. exempla passim obuia in vtraque pagina. probat ex profanis Passerat. in suo Lexico, vbi latinissimos adducit Plautum & Terentium. ex sacris satis illud *Matth.* 8. vbi Christus ad Centur. *Ego veniam, & curabo eum.* id est, *ibo.* eadem ratione apud Græcos ἔρχομαι est ambiguæ significationis. de horto sponsi dixi *cap.* 2.

PARAPHRASIS.

Quàm profusus dilecte mi, (quo iure tute videris) in me instar horti laudanda processisti. istic quid non arescat? præstares, sat scio, hortum illum tuum elegantissimè satum, & excultum, vbi nuper conuenimus, adire, ibique præcoces fructus tibi carpere, quàm in nullius penè vtilitatis hoc horto tandiu immorari.

Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham, cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

Æquè ieiunus propemodum hîc procedam quàm in superiori hemistichio, si vnum, aut alterum verbum adnotabo. Cætera quæ hîc difficilia erant, diligentissimè apud Ghislerium legeris explanata: priùs tamen filum nostrum non interruptum sic ostendo. Suaserat sponsa iuueni hortum, laudes suas, quas de modestia putabat immodicas, verecundans: tunc ille, id iam factum, ait: iam in horto fuisse, aromaticas frondes ferculo

ſponſali,& ſimilibus delitiis meſſuiſſe,amicis epulum paraſſe, cum illiſque lautiſſimè diſcubuiſſe. quaſi dicat: Sic,ô ſponſa,in te horto meo viuido cotemplando & deſeribendo immorari: quid emortuum alium hortum mihi oberudis, maximè cùm iſte hodie permiſſus, meſſus,& ſponſali epulo occupatus. Vbi obiter nota, non ſolùm nuptiale epulum dari ſolitum, ſed & ſponſale: imò totum procatus tempus frequentibus conuiuiis tranſactum. huc alludebat Penelope apud Homer. *Odyſſ.* 18. Procis ſuis obiiciens quòd non tam de ſuo largi procorum more, quàm ambitæ ſponſæ bonorum eſſent voratores:

301. *Sponſale epulum.*

Atqui procorum non hic antea mos erat,
Qui bonámque fœminam & nobilis filiam
Deſponſare vellent, & inter ſe contenderent.
Ijdem ipſi adducunt ex ſua domo boues & pingues oues,
Κούρης δαῖτα φίλοισι, καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῦσιν,
Et ſponſa conuiuia amicis, ſplendidaque dona prabent.

302. *Mel, lac, vinum inter rura delitias.*

Sic in hoc loco factum credo, vocaſſeque iouenem ſuos ſponſæque amicos, quibus in horto ſuo epulum præbuit, quoſque ſecum deinde duxit ad ſponſalia. Nota deinde expreſſe lactis, vini, & mellis factam mentionem: quoniam his tribus opipara ruſticantis vitæ beatitas conſtare credita: imò & his Ouidius aurei ſæculi felicitatem expreſſam voluit *lib.* 1. *Met.*

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi ſtillabant ilice mella.

Nectar hic pro vino poſitum, vt ſæpe alibi, non addubito. Dio Chryſoſt. *orat.* 35. inter fabulas Indicæ felicitatis numerat fluuios, γάλακτος, οἴνου, μέλιτος, ἐλαίου: *lactis, vini, mellis, olei.* lib. 2. Sibylleorum carminum, de felicitate iuſtis danda.

Fontibus è trinis, vinum, lac, mella ſcatebunt.

In plures incidi, ſed hi ſatis. Feſtiuiſſimè autem hìc per imperatiuas voces, res narratur, *comediſe, bibiſe,* &c. quaſi ob oculos ponat, quæ antè hilaritate amicis inter epulas propinatet. Quòd ſi audaciùs in hoc loco, vt potes, *vinum* explices de mulſo, vel ſapa: putarem omnino, alludi ad potionem illam apud paſtores ſuauiſſimam, quæ à ſapa lacti infuſa *Burranica* ob colorem burrum, ſiue ruſum vocabatur. Ouidius de paſtorum Paganalibus.

Dum licet appoſita veluti in cratere camella
Lac nitidum potes, purpureámque ſapam.

Feſtus de hac apertè. *Burranica potio, lacti commiſta ſapa, à ruſo colore, quem burrum vocant.* & fortaſſe, hic eſt germanus ſenſus huius loci. Nunc nonnihil de verbis addamus.

303. *Vindemio de quouis fructu, ſic & meto.*

Meſſui. L X X habent ἐτρύγησα, *vindemiaui*, ſcio vtrumque verbum ad res alias, præterquam frumentariam & vinariam, transferri ſolitum. Primum Columella *floribus* dedit.

——duro qui pollice molles
Demetitis flores.

Virgil. *Æneid.* 11.

——virgineo demeſſum pollice florem.

De meſſe vuarum, & pellis, apud eundem, iam alij, ad arbores accommodauit, *Georg.* 2.

——vbi prima paretur
Arboribus ſeges.

Sic ἀμᾶν apud Græcos notat omnes fructus: vnde apud Heſiodum, καρπὸν ἀμᾶσθαι, *fructum metere*, apud Euſtathium φύλλα ἐπαμησάμενος, eſt *folia metens.* Debeo iſta Cerdæ, qui addit de verbo vindemiandi, etiam eodem dictioari apud Græcos, vnde apud Artemidorum leguntur τρυγήσειν μελίας, id eſt, *vindemiata olea*, & apud auctorem Geopon. τρυγᾶν μέλι, καὶ κηρία, *vindemiare mel & fauos.* Nihilominus in te aromatum, de quo agimus, maius aliquid latere viſum, quaſi iactabundulus amator inde ſe commendet, quòd integras meſſes & ſegetes odorum poſſideret, ſicut pauperiores alij frumenti. hac emphaſi explicabam olim Poetas, qui meſſem his dederunt. Statius *in Peleto verſ.*

Segetes aromatum.

Statius bis explicatus,

Ignis odoriferos exhauſit flamma Sabæos,
Et cilicum meſſes.

& in Abſcant. pietate.

Ver Arabum, cilicúmque fluit, floréſque Sabæi
Indorúmque arſura ſeges.

Seneca *in fur. act* 4.

& Seneca,

Quidquid Indorum ſeges
Arabéſque odoris, &c.

Martial. *lib.* 3. *epigr.* 65.

& Martialis.

Quod myrtus, quod meſſor Arabs, quod ſuccina triſta:
Pallidus Eoo thure quod ignis olet.

quo beatam illam terram commendant, quæ vt noſtra ſegetes, ſic illa vulgò felicia illa germina producit.

304. *Mel abſque fauo vbi.*

Fauum cum melle. Dubitaui aliquando, an ſignatum vellet mel illud, quod in fauis conditur, prout diſtinguitur ab illo, quod apes abſque fauis operantur: de hoc Ariſtot. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 22. *Ad Amiſum vrbem conuehitur à locis ſuperioribus mel candidum, craſſiſſimque nimis, quod apes laborant in arboribus ſine fauis.* Ne fidem Græcam deſideres, cape: ὃ ποιοῦσιν αἱ μέλιτται ἄνευ κηρίων ἐπὶ τοῖς δένδρεσι. Deinde ſubdit, *quale etiam fieri in Ponto cognitum eſt.* Sed hoc alius fouerit. te vera vox Hebræa יער vel mel, vel fauum denotat, non in viſitatis aluearriis, ſed in ſylua, vel ſaltu fabricatum, vnde multi hic ſaltum, vel ſyluam vertere voluerunt. Explico igitur de fauis, quos apud vberrimas prouincias in cauis arborum ſponte apes mellificant. Plinius *lib.* 18. *cap.* 11. de apibus: *circa Thermodoontem fluuium duo genera, aliarúmque in arboribus mellificant.* Vide quæ multa congerat Cerda ad illud *Ecl.* 4.

Mel & faui in arboribus.

Et dura quercus ſudabant roſcida mella.

De Palæſtinæ mellifica vbertate multa obuia.

PARAPHRASIS.

Id iam peractum, ô ſoror, ô ſponſa iucundiſſima, quippe hodie, vt tantam ſolemnitatem condecebat, hortum meum adiui, beatas aromatum ſegetes demeſſui, fauos è cauis arborum depromptas apparaui, vina miſcui, lac appoſui, & amicos, qui ſponſalia noſtra decoraturi, mille delitiis & conuiuio opiparo excepi; ſed ſordent mihi omnia, nauſeo ad illas horti emortui voluptates, dum te hortum meum viuidum contemplor.

Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis. VERS. 2.

Ego, mi lector, vt vides, cooquam cum aliis interpretibus, quos omnes veneror, digladior: ſic quales quales has meas denuo incudi lucubratiunculas, vt ſua ſibi ſarta tecta habere permittam, ergo in hoc loco contentioſiſſimo, quid vni mihi videatur, cape. Puto in primis, omnia, quæ in hoc capite vſque ad vltimum eius verbum aut facta, aut dicta proferuntur, ſomnij narrationem continere: cuius fauſtum omen eum paulo ante puella *cap.* 3. delibaret, nunc integram eius ſeriem exponit, idque aptiſſimè tecùm, eoim amatorio iure dictas ſibi ab ſponſo laudes totidem aliis remunerandas

nerandas recognosceret, huicque officio obnoxiam se sentiret, prudentissimè panegyrim inculcat, quam inter dormiendum dixerat, quasi inde minus fucata encomia videnda speraret, quòd à natura sopita, & non ab arte vigili prodirent.

305. *Somnia fusè descripta ab auctoribus.*

Quòd si quis putet, vix cum diuinæ poëseos decore stare posse, nimisque licentiosum videri, vt optima illa descriptio, & absolutissima iuuenis pictura, à dormiente puella prius ficta dicatur, is meminerit, nunquam apud profanæ poëseos scriptores, aut teneriores affectus, aut acumina pungentiora, aut teneriora colloquia, aut viuidiores picturas, quàm in somniorum narrationibus, inueniri. Propert. certè *lib. 3. eleg 4.*

DI meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit hesterna pessima nocte quies.

Plusquam octoginta carminibus somnium narrat, cuius mille picturas, & amoris zelotypiæ, quæ affectus lector inuenit. Idem *lib. 2. eleg. 26.*

Vidi ego te in somnis fractâ mea vita carinâ
Ionio lassas ducere rore manus.

Vbi viginti carminibus, quid non narrat? cultus semper & cum decore procedens Claudianus: sed cultissimus in illo Cereris somnio, 3. *de rapt.* lege ab illo versu,

Sed tunc ipsa fui, iam non ambagibus vllis
Nuntia materno facies inserta sopori.

Vbi scitissima colloquia mirabere. Sed quis politiorum non ita? concedatur ergo id poëtæ diuinissimo, citra artis læsionem, quod cum summa laude artis profani exercuerunt. Nunc iam aliqua verba examinemus.

306. *Præteritum per præsens narratur.*

Ego dormio. Viuida alicuius rei narratio, præteritum, per tempus præsens solet enuntiare, quasi illam ob oculos proponat. quæ loquendi forma, quia sæpe recurrit in hoc Cantico, aliunde testimoniis latinissimis sic firmo Cicero ad Heren. 4. *Eamus hospites. frater venit ex Salerno, ego illi obuiam pergo: vos huc decimâ venitote, hospites discedunt. ille se raptim domum suam coniicit, illi decimâ, qua iusserat, veniunt.* Terent. *in And. act. 1. sc. 1.*

——ego illud sedulò
Negare factum, ille instat factum denique
Ita tum discedo ab illo.

In... act. 2. sc. 2.

——Dromo pulsat fores,
Anus quædam prodit, hæc vbi aperuit ostium,
Continuò hic se coniecit intrò, consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

Io Phorm. act. 1. sc. 2.

Interea dum sedemus illi, interuenit
Adolescens quidam lacrymans, nos mirarier,
Rogamus quid sit, &c.

& sæpe ita similis elegantiæ scriptores. Iam verò de amatoribus curas suas reuoluentibus inter dormiendum dedi pluscula *cap. 3.* vbi somni huius habetur anacephalæosis: adde Senecam *in Hippolyto*, vbi amans,

Amantis somnia.

Non me quies nocturna, non altus sopor
Soluere curis alitur, & crescit malum,
Et ardet intus.

Iuuenis ad amasiam apud Terent. *in Eunucho:*

Dies noctesque ames me, me desideres
Me somnies, me expectes, de me cogites.

Ouid. *Metam 9.*

——placida resoluta quiete
Sæpe videt quod amat.

307. *Cor amantis vigilans.*

Cor meum vigilat. Rarus somnus amantibus, quies exigua, quæ tamen si obrepat, meliorem partem, cor scilicet, non tam insomnem, quàm vigilem relinquit. bene Apul. *in lib. de Deo Socr.* de somno & amore locutus ita. *Quorum è numero somnus atque amor, diuersam inter se vim possident, amor vigilandi, somnus soporandi.*

308. *Amantes per rimam locuti.*

Vox dilecti. Id est, cùm dormirem, ecce mihi videor audire dilecti vocem: an cantillantem illum ante foras, an per rimulas insusurrantem? Vtraque sanè vox amatoria est, & vtraque amatorio somno non inepta: ego tamen insusurrantem hîc credo denotari, dumque puella iuueni sibi visa respondisse, somniatum colloquium, non musicam videtur delineasse. de hoc vsu Propert. *lib. 2. eleg. 18.*

Aut per rimosas mittere verba fores.

& *lib. 1. eleg. 1.*

O; vtinam traiecta cauâ mea vocula rimâ
Percussas domina vertat in auriculas.

Ouid. 4 *Metam.* de Pyramo & Thisbe.

Fissus erat tenui rimâ quam duxerat olim,
Cum fieret paries domui communis vtrique,
Id vitium nulli per sæcula longa notatum.
Quid non sentit amor? primi vidistis amantes,
Et vocis fecistis iter, tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

Amantes noctu canentes.

Si quis tamen hîc Musicam notatam velit, firmet morem ex Persio Sat. 5. *extinctâ cum face canto.* vbi priscus interpres: *Amicarum fores solent vnguento perfundere, & ante ianuas illarum noctem vigiliis & cantu transigere.* Ouid. 3. *Amor. eleg. 7.*

Ad rigidas canto carmen inane fores.

& signatè *Fast. 4.*

Primus amans carmen vigilatum nocte negata
Dicitur ad clausas concinuisse fores.

Aduerto tamen Hebræam dictionem קול sic vocem significare, vt strepitum, & sonitum significet: sic *Genes. 3. num. 8.* pro strepitu pedum deambulantium posita creditur: an fortè in hoc loco vox non tam loquentis verba, quàm pulsari ostij strepitum denotat? fortasse. post quem deinde sequuntur preces, quas opponit. Et certè latissimè vox, & græcissimè φωνὴ passim & brutis, & inanimis transferri solita: sed non moror, dummodo puellam pariter sibi visam pulsati ostij strepitum percepisse fateatis; id enim Vulgatus noster claré innuit. Paraphrasim completo versiculo adhibebo.

Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

309. *Amantium verba ad amicæ fores.*

Voces istas singillatim iam in superioribus explicaui: maius tamen aliquid continent cùm copulantur, est enim amantibus innatum idem variatis nominibus repetere. Propert. *lib. 2. eleg. 19.*

Quin ego in assiduâ mutem tua nomina linguâ.

Vbi Passeratius, *id est, quamuis variete, & continuò appellem, mutatis verbis: mea Cynthia, mea lux, mea vita, mea voluptas, mel meum, meum corculum, meæ delitiæ, mei lepores.* quæ omnia ex Plauto sumpta. Magis ad rem Aristophanes in concionantibus, vbi ita quidam amicæ fores pulsans.

Δεῦρο δὴ, δεῦρο δὴ, καὶ σύ μοι
Καταδραμοῦσα τὴν θύραν ἄνοιξον
Τήνδε: εἰ δὲ μὴ καταπεσὼν κείσομαι, &c.
Ἄνοιξον, ἀσπάζου με, διά τοί σε πόνους ἔχω:
Ὦ χρυσοδαίδαλον, ἐμὸν μέλημα,
Κύπριδος ἔρνος, μέλιττα Μούσης,
Χαρίτων θρέμμα, Τρυφῆς πρόσωπον:

Ἄνοιξον,

Ἄνοιξον, ἀσπάζου τε, διὰ σέ οἱ πόνους ἔχω.
Agedum, agedum, & tu mihi
Accurrens fores aperito
Has: ſin minus, corruens iacebo, &c.
Aperi, amplectere, propter te labores fero
O aurum meum, ô cura,
Veneris germen, apicula Muſæ,
Gratiarum alumna, voluptatis vultus,
Aperi, amplectere, propter te labores fero.

Meritò ergo viſa ſibi puella, pluſcula hæc audiſſe; quia tunc inter ſperandum, inter pulſandum, tenerrima multa ſolent inſuſurrari. Et nota, quoties pronomen *mea* additur, quod totum amatorium: ſcatent ſimilibus profani, ideo non congero.

310. Cincinnorum forma.

Cincinni. Cincinnatos olim iuuenes, tritius quàm noteтur: ſponſi cincioni, infià in hoc capite deſcribontur. Solùm aduerto, cincinnus olim, non tantùm vodoſa ſinuatione, criſpatos, rotundo flexu, & penè anoulari ordine: ſed etiam angulari, viſos effurmari. in modum Græci ſigmatis maiuſculi, Σ, diſco ex Athenæo *lib.* 10. *cap. vlt.* vbi Euripides Theſei nomen ænigmatizans ΘΗΣΕΥΣ, & per figuras explicans maiuſculas, ita:

Athen. explicatus.

Cincinnum inde tortus, ipſa tertia.

Theodoctes *ibidem*, de eodem.

Cincinnus vt contortus eſt, hinc tertia.

Nec putes ſcribendum furtè eſſe aliud ſigma maiuſculum hoc modo C, nam Agathon, qui ita ibidem maluit, longè aliter iam ſigma iſtud explicauit.

Arcus Scytharum vti figura, tertia eſt.

Pergo ad alia.

311. Queſtus amantium de nocturno rore.

Guttis noctium. Nihil puella ſignatius ſibi auditum poterat ſomniare, quia ſi res eueniſſet, nihil iuuenis tenerius quereretur. tale eſt illud Anacreontis de Cupidine.

Μεσονυκτίοις ποθ᾽ ὥραις, &c.
Τότ᾽ ἔρως ἐπισταθείς μευ
Θυρέων ἔκοπτ᾽ ὀχῆας:
Τίς, ἔφην, θύρας ἀράσσει;
Κατά μευ σχίσεις ὀνείρους;
Ὁ δ᾽ ἔρως: ἄνοιγε φησί,
Βρέφος εἰμί: μὴ φόβησαι:
Βρέχομαι δ᾽, κἀσέληνον
Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι.

Nuper ſilente nocte, &c.
Superuenit, foréſque
Meas Cupido pulſat:
Quis tundit oſtium, inquam,
Turbáſque ſomniantem?
Recludo, clamat ille
Fores, metúmque pone,
Nam ſum puellus, & per
Illunem oberro noctem,
[Madens ab imbre totus.]

Florileg. 7. Meleager.

Νὺξ μακρὴ, καὶ χεῖμα μέσην δ᾽ ἐπὶ πλειάδα δύνει:
Κἀγὼ παρ᾽ προθύροις νίσσομαι ὑόμενος:
Τρωθεὶς τ᾽ δολίης Ἑλένης πόθῳ: οὐ γὰρ ἔρωτα
Κύπρις: ἀνιηρὸν δ᾽ ἐκ πυρὸς ἧκε βέλος.

Nox longa & hyems ad mediam pleiadem occidit,
Et ego ante fores obambulo madefiens,
Percuſſus doloſæ Helenæ deſiderio: non enim amorem
Venus, ſed ingratum ex igne miſit telum.

Chorus tragicus apud Sophoclem in Aiace deteſtans bellorum inuentorem.

Κεῖνος οὔτε στεφάνων,
Οὔτε βαθειᾶν κυλίκων
Νεῖμεν ἐμοὶ τέρψιν ὁμιλεῖν,
Οὔτε γλυκὺν αὐλῶν ὄτοβον
Δύσμορος, οὔτ᾽ ἐννυχίαν
Τέρψιν ἰαύειν ἐρώτων:
Ἐρώτων δ᾽ ἀπέπαυσεν, ὤμοι:
Κεῖμαι δ᾽ ἀμέριμνος οὕτως
Ἀεὶ πυκιναῖς δρόσοις
Τεγγόμενος κόμας λυγρᾶς.

Ille neque coronarum,
Neque ingentium poculorum
Concedit oblectionem,
Neque ſuauem tibiarum cantum
Infelix, neque nocturnorum
Amorum fruitionem:
Amores ablegauit, heu mihi!
Iaceo incuratus ſic
Semper crebro rore
Coma miſerè madefacta.

Dedi hos Græcos, quia ſimilis querelæ illuſtratio, apud vtriuſque paginæ Profeſſores ieiuna adhuc; totius ergo verſieuli ſenſus, & gratiſſimum narrandi ſomnij exordium ſic ſe habet.

P A R A P H R A S I S.

Igitur, ô dilecte, quandoquidem tibi, ne ruſtica & ingrata videar, laudatorium carmen remeriendum: ad ſomnium quod attigeram nuper, lata & læta recurro: habet illud laudes tuas, non de præmeditatione compoſitas, ſed ab effectu expromptas, quanto tuis ad elegantiam obiectiores, tanto quidem de ſinceritate gratioſiores: attendite ſodales narratiunculæ. Dormiebam itaque, ſed aſſiduis rerum ſuarum imagioibus mens euigilabat: ecce vobis videbar vocem eius, & pulſati oſtij ſtrepitum audire, ſolitíſque, (qua pollet) ſuauitatis blandimentis: aperi mihi, inſuſurrabat ſoror mea, dilecta dulcis, columba ſuauiſſima, mea irreprehenſibilis pulchritudo: ah ſi videres hoc caput nocturno rore madidum, & ciocinnos ſtillantibus guttis humeſcentes.

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos. VERS. 3.

Hæc ſunt, quæ, auditis iuuenis verbis, puella ſibi viſa aut tacitè cogitaſſe, aut inſuſurranter reſpondiſſe: friuola illa quidem, & ſomniantem apertè propalantia; in ipſo tamen ſomnio, delicatum faſtidium, & puellares munditias exprimentia; ſed mirum eſt, neminem illorum, qui iſta non per ſomnium, ſed reapſe eueniſſe putant, examinandum curaſſe, vbinam puellæ lectus ſterneretur, quæ tam facilè inde tenues ſuſurros audire, & tenuiores reddere audiendos potuit. euadunt difficultatem qui credunt illam pauperculam, & in tuguriolo poſitam rimoſo vocibus credo, & ventis vndique peruio, ſed immeritò. vide quæ ad calcem capitis primi dixi de puellæ palatio: imò licèt cum Sanchez putarem hanc puellam & vilem & peregrinam, iam tamen in ſponſi patria, & iam iam nupturam, ditiſſimo paſtori, quis crederet, in viliſſimo tugurio detinendam? altiùs ergo res examinanda in illorum gratiam, qui hinc ſomnium ablegant, neceſſariò, iis qui ſomnium admittimus ſaltem conuenienter: tunc enim ficti decorum maius, cùm facto ſimilius.

Suppono

312. *Lectus ad ianuam.*

Suppono igitur primò, olim apud Romanos in vestibulo ad ianuam lectos sterni solitos. Propert. *lib.4.eleg.vlt.*

Seu tamen aduersum mutârit ianua lectum;
Sed erit & nostro cauta nouerca toro.

Vbi non indoctas paginas ex Scaligero implet Passeratius: aptum illud Asconij ibi. *Deinde omni vi ianua expugnata, & imagines maiorum eiecerunt, & lectulum aduersum vxoris suæ Corneliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Vide ibi plura. Erat autem hic lectulus genialis, & nuptiis paratus, vt ibidem videre est. addit Lipsius *elect.1. cap. 17.* hunc lectum semper in atrio in pignus & monumentum coniugij asseruari religiosè. Vide quæ alij ad Horatium lib.1.epist.1. *Lectus genialis in aula est.* & licèt Cerda *ad lib. 4. Æn.* Lipsio subscribat, quasi illa in atrio & aduersùs ianuam collocatio, magis religionem, quàm vsuram ipsius lecti denotaret; credo tamen, ex vsu prisco in atrio cubandi, religionem postea ortam fuisse: quod in rebus aliis factum, noto alibi.

Suppono secundò, apud antiquiores Græcos, porticus sternendis lectibus designatos: certè apud Homerum *odyss.γ.* sic excipitur:

Illam verò illic sopiuit Gerenius eques Nestor
Telemachum charum filium Vlyssis diuini
Perforatis in lectis in porticu valde sonanti.
Iuxta verò bellicosum Pysistritum ducem virorum,
Qui ei adhuc calebs filiorum erat in regia,
Ipse verò rursus dormiuit in secessu domus excelsa:
Huic verò hera lectum parauerat, & cubile.

Ne verò effugias, putans hanc porticum in secessu interioris domus fuisse, & non potiùs in vestibulo prope ianuam, audi hospitium vtrique Principi apud Menelaum paratum, *odyss...*

Sic ait: Argiua autem Helena ancillis præcepit
Cubilia sub porticu ponere, & stramenta pulchra
Purpurea iniicere, sternereque supernè tapetas
Chlenasque imponere crispas suprà ad cooperiendum:
Illa ibant ex adibus facem in manibus gestantes,
Cubilia verò strauerunt. hospites eduxit præco:
Hi quidem in vestibulo domus illic dormiebant,
Telemachus heros, & Nestoris inclytus filius.
Atrides verò dormiuit in secessu domus excelsa.

& iterum *ibidem* apud Homer. *odyss...* Vlysses in domo Alcinoi ferme eodem vsu & verbis exceptus describitur, concluditque Poëta.

Sic illic quidem profundè dormiuit Diuus Vlysses,
Perforato in lecto sub porticu resonante;
Alcinous verò dormiebat in recessu domus excelsa;
Iuxtà verò mulier regina lectum apparauit, & cubile.

Homerus sæpe citatus explicatur.

Dedi pluscula ex Homero, quia à nemine, quem viderim, id notatum: in quibus omnibus, ni hallucinor, ideo post hospitum cubile, additur expressè secessus patrisfamilias tamquam aliquid nouum; quia videntur patresfam. ad totius domus custodiam prope vestibulum cubuisse. hoc autem nobilissimis hospitibus interim concessisse, quasi illorum curæ & fidelitati totius domus custodiam committere viderentur.

Suppono tertiò, apud Hebræos eiusdem moris indicia suboriri: moueor verbis Chrysologi *serm. 39.* ad illud *Luc.11.* (vbi paterfam. pulsanti intempesta nocte amico, audiendus è lecto respondet.) *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere.* De quo tropologicè, non tamen sine litteræ perspicacia, S. Doctor. *O quàm pulsanti iste gestit occurrere, qui secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam.* & meritò, quia, nisi in vestibulo foret cubile, non ille prius quàm surgeret, responderet, & audiretur: sed quia ibi erat, per rimas ostij facilè hinc inde verba commeabant. Pueros verò hoc loco, aut filios, aut seruos cape, qui non in eodem lecto, sed in eodem cubili erant: sic etiam in Græco εἰς τὴν κοίτην: sonat autem κοίτη non tam lectum, quàm cubile: quasi totius penè familiæ dormitorium ibi esset, cubileque, siue cubiculum lectulis sternendis, prope ianuam. fateor tamen *cubile* sæpe pro *lecto* sumi: non tamen ita frequenter, vt Cerda subiratus immeritò, putat ad illud Æn.12. *ascendere cubile.* pergo.

Hæc si vera, facilè soluitur nodus, nescias an cæcus magis, an ne videretur excæcans, de verborum per rimulas commeatione: tamen illis, qui iam hîc matrimonium initum putant, res indecora, vt ditissimam, quam dicunt, puellam, ancillâ prinent, quæ ostium aperiret. qui cum Sanchez nuptiales dies celebratos volunt, nondum tamen ratum matrimonium: viderint, quæso, an satis pro decoro puella & sola surgat, cùm licèt aliàs paupercula, à marito ditata intelligatur, in somnio omnia longè incommoda propelluntur, qui solùm vsitata amantium colloquia inuoluit: nec illa è lecto aliena, vt ex loco Lucæ patet: quòd autem puella, quæ necessariò iuxta matrem, sub famulatum custodia accubuisse credenda, sibi vni videretur voces audisse, indidemque, quin sociis notaretur & matri, respondisse, id somnio dandum: imò hinc maximè somnium in hoc loco intelligendum puto.

Quomodo induar. Inuoluitur etiam, credo, in futili hac & somniata excusatione aliquid, vnde fastidium puellæ videbatur excrescere: nimirum plicatam tunicam iterum explicandi, indutamque, paulo pòst colloquium iterum exuendam, iterum complicandi: habentur sanè hæc inter lautiorum munditias apud Homerum *odyss.α.* de Principe.

Vestes ad cubitum plicata.

Sedebat in lecto, mollem autem exuit tunicam,
Et illam quidem anicula sedula posuit in manus:
Illa quidem plicans, & aptans tunicam
Pax illo suspendit iuxta perforatum lectum.

In Græco πτύξασα, ἠ ἀσκήσασα, &c.

313. *In nuptiis loti pedes.*

Laui pedes. Recurro ad vsum illius temporis, de quo plenè hîc Sanchez. Qui nuptialem diem hîc admittunt, videant an aliquid lubeat argutari ex verbis Varronis: *Aqua & igne, mariti vxores accipiebant, vnde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte, per puerum felicissimum, vel puellam, quæ interest nuptiis: de qua solebant nubentibus pedes lauari.* Certè Hebræis, Ethpicisque nuptiis multa communia: an hoc etiam, illis quos interest, relinquo examinandum.

PARAPHRASIS.

Tunc ego, (scilicet confusus sopor, quid nisi futiles excusationes ministraret) abi, inquam, dilecte, quid intempestiuus delicatulam puellam inquietas? iam cubans, iterum tibi apertura re induar. iam lotos vnctosque pedes admisso vel puluisculo coinquinabo?

VERS 4.

Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

Verba

Verba plana, quorum puris fontibus, floribus integris neſcias cur aliqui immiſſos Auſtros velint apros intruſos. Dixerat iouenis multa, plura ingemuerat, nec tandem perſuaſerat: vnde auditâ friuolâ excuſatiunculâ, repulsâ verâ, intentat manus, digitos foramini immittit, non tam amouendum peſſulum ſperans, quàm nihil prætermittens: affectus & effectus proprius illorum, qui ardenter aliquò cupiunt commeare: qui æneum quandoque murum obiectum leui genuum, manuumque nixu, qui tutiſſima ſignacula admoto digito, perrumpere & reſignare, videntur affectare: non quòd ſperent, ſed quòd ſic fallere norint deſideria. Puella interim dum fruſtrà laborantem videt, & crebris pulſatiunculis oſtij, pulſantes æſtuantis amoris arterias prodentem, commotam pariter ſe fatetur, & tota viſcerum commiſeratione fluctuantem. quæ omnia, vt dixi, non tam facta, quàm ſomniata enarrantur.

314. *Porta coniuncta.* *Per foramen.* Qui puellæ tugurium, & illud rimoſum hîc volunt, aptè vtriuſque portæ mediam rimam capiunt, quam iniectis digitis internum peſſulum amouere conabatur ſponſus: ego, qui, vt ex dictis ad finem cap. primi, penè palatium pono, non bene iunctas bifores hinc expello; in ſimilibus enim ædificiis de iunctura & compactione celebrantur: inde apud Homer. *Iliad.6.* legis πυκινῶς ἀραρυίας, *fortiter coniunctas.* & *odyſſ.6.* dicuntur πυκινῶς ἀραρυίας, *diligenter coniuncta.* Meliùs qui foramen de loco clauis intelligunt. Certè vidi ego hiſce oculis pluſculos qui munitiſſimas ſeras miſſo digitulo inſtar adulterinæ clauis reſerabant. afferam quid coniectem.

315. *Porta foramina reticulata.* In Hebræo eſt חור quæ vox non ſolùm foramen, & cauernam, ſed etiam caniſtrum, ſiue rete ſignificat, vt nemo neſcit, ex loco *Geneſ.*40. *n.*16. videtur ergo in hoc loco foramen dici pars aliqua non artificum incuria, nec annorum carie, ſed induſtriâ foraminoſâ, aut ferreis virgulis decuſſatim tranſuerſis formata, aut in ipſa porta, crebris terebrationibus oculata: quales hodie reticulatas feneſtellas in cœnobiorum portis paſſim videmus. fauent L X X. qui ὀπῆς legunt: ὀπὴ autem non rimam ſonat fortuitam, ſed foramen & orificium certè artificioſum, vnde aliqui hîc *feneſtram* maluerunt: ego feneſtram caperem, ſed paruulam & reticulatam, eo modo, quo dixi. Ecquis ſcit, an de his rebus loquerentur L X X. qui illud *cap.*2. proſpiciens per *cancellos*, vertunt, δικτύων, per *retia*? de hoc foraminis genere caperem Lucianum *in Aſino*, vbi quidam dicuntur παρακύψαντες ὀπῇ τινι τὰ ὄμματα τῆς θύρας. *Mittentes oculos per quoddam oſtij foramen.* & paulo infrà: καὶ διά τινος ὀπῆς τῆς θύρας δείκνυσί μοι ἔνδον. *& per quoddam foramen portæ oſtendit me intus.* Ne verò rimoſam ſtabuli portam hîc ſuſpiceris, ſcias fuiſſe cubiculum, vbi pictoria quæuis aſſeruabantur. talem ſuſpicor fuiſſe τὴν ὀπὴν illam, per quam in macilenti corporis argumentum, digitum quidam immiſiſſe dicitur apud Ælianum *de varia hiſt. lib.*4. *cap.*28. & fortaſſe ideo ὀπὴ etiam *vocem* ſignificat, quia eâ voces tranſire, & miſceri colloquia ſolebant.

316. *Porta peſſulum dormiens.* *Venter intremuit.* Mille ex locis conſtat, ventrem in ſacro eloquio, pro corde & viſceribus vſurpari. ergo dum iuuenis foramina tentat, & ſecum tacitus Plautinum illud queri videtur:

Viden' vt dormiunt peſſuli peſſimi,
Nec mei gratia ſe commouent otiùs.

317. *Tremor de aquis.* Illa interim neceſſariò commouetur. in Hebræo eſt radix המה quæ propriè fremitum, ſtrepitum, *Pintus in Cantica.* reſonantiam & fragorem importat: vnde coniectabant aliqui, an Vulgatus noſter olim ſcripſiſſet *infremuit.* non probo. *intremo* in hoc loco propriiſſimè dicitur de commotis viſceribus. Adde fremitum & fragorem Hebrææ vocis ſignantiùs aquas frementes denotare, indeque metaphora huc deducitur: atqui turbatis aquis non minus tremor competit, quàm fremitus. Propert.

Amorum radiis picta tremebat aqua.

Claud. 2. de rap. *tremulas vndas* vocat. Vnde pulchrè expendit interpres ad illud Virgil. 8. *Te Stigij tremuere lacus.* ita Poëtam aquis dediſſe humanum affectum, vt non recederet ab illarum proprietate, vtpote quibus tremor natura inſitus. Vt ergo ab aquis turbatis fremitum Hebræa mutuantur, ſic noſtra tremorem: nec id à fideliſſima interpretandi ratione alienum. Similem amantis affectum expreſſit Ouid. *in epiſt. can.* *Vulgatus aſſertus.*

Vt mare fit tremulum, &c.

cætera patent. Pergamus.

PARAPHRASIS.

Ille interim per reticulata oſtij foramina, digitos immiſiſſe viſus, non tamquam quid ſperare videretur, ſed ne quid intentatum prætermitteret: dumque crebra pulſatione & tactu cum in caſſum imaginor laborantem, ſic mihi intimis viſceribus viſa commoueri, vt corde tremulo miſerans palpitarem.

VERS. 5. Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſima.

Quid vnus ſentiam, breuiter aperio priùs, plura deinde in aliorum gratiam addituros. Excuſarat ſe priùs friuolè, ideo non ſurgere, ne pedes lotos fœdaret: nunc quid iam commota & miſerans ſomniarat, profert: oſtendens ita æſtuaſſe, vt quæ pedibus timuerat lotis, iam nec manibus pepercifſet: aggreſſam maius hilariter, quæ ignauiter minus formidarat. plus manibus, quàm pedibus indulgent puellæ, duriuſque videbatur vnctas manus ferreo peſſulo hinc amouendo fœdare, quàm pedes admiſſo dum graditur puluere ſordidare. curatas non ſolùm vt modò, ſed etiam odorato vnguento delibutas, multi hîc ad rem ſuam ſupponunt, nullus probat: id mihi præſto, aliis obiter operam laturus. De hoc ergo Athen. *dipnoſ.* 9. *cap.* 27. ita. *Odoribus bonis manus vngebantur, honorem furfuris parui facientes, quod appellabant Lacedæmonij Cynades, ſicut Palemon declarat*, &c. *De conſuetudine vngendi odoribus manus Epigenes ait & Antiphanes in Arg.* &c. *vbi ambulabis, & lauabis de more manus, odoratam capiens terram. Philoxenus in cœna inſcripta: Pueri poſtea in manibus lotiones dederunt cum ſaponibus iride mixtis, tantum aquæ manus tepefacientis effundentes, quantum opus erat.* hæc ex non malis autoribus, autor optimus Athenæus. Antiphanes *in Zacyntho ibidem lib.* 12. *cap.* 30. *318. Manus vnguento curata fœminis.*

Ægyptio pedes priùs, mox & manus
Phœnicio mammas, ſimulque ambas genas
Siſymbrio mox alterum ringis brachium:
Amaracino comam, ciliumque protinus,
Serpyllino tergum, genuque perlinit.

Theocritus *Idyl.*17.

Χεῖρας φοιβάσασα μύροις ἔτι πάρθενος Ἶρις.
Manus purgans vnguentis adhuc virgo Iris.

319. *Vnguento ad cubitum.* At quorsum, inquis, hæc vnctio, non ad epulum, sed ad lectulum? hoc telum non mihi tantùm, sed illis omnibus intentatur, qui ad rem suam odoribus perfusam indormisse puellam aiunt: in omnium ergo gratiam retorquendum. firmat ergo mihi morem Aristophanes *in nubilib.* vbi maritus de vxore delicatola questus,

Ταύτην δ' ἔγημα, συγκατεκλινόμην, ἐγὼ
Ὄζων τρυγὸς, ταλάρας, ἐρίων, περιουσίας:
Ἡ δ' αὖ μύρου, κρόκου.
Hanc vbi duxi, eodem accubebam thalamo, ego
Olens facem, ficus & caseos, lanas, opes:
Illa è contra redolens vnguentum, crocum.

Venustè Homerus *Iliad.* 14. de Iunone parante se ad thalamum Iouis.

Ἀμβροσίῃ μὲν πρῶτον ἀπὸ χροὸς ἱμερόεντ@
Λύματα πάντα κάθηρεν: ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ.
Ambrosia quidem primum à corpore pulchro
Sordes omnes purgauit: vncta deinde pingui oleo
Diuino & suaui.

Lucianus in *Asino*, de fœmina monstroso cobili se parante: *ἡ μύρον ἐκ τινὸς ἀλαβάστρου προχεαμένη, τῷδ' ἀλείφεται, & vnguentum ex quodam alabastro proferens. eo se innugit.* Veniò ad Latinos. Catullus *in coma Beren.*

Non prius vnanimis corpora coniugibus
Tradite, nudantes reiecta veste papillas,
Quàm iucunda mihi munera libet onyx.

Horat. *oda* 5. *Epod.*

Indormit vnctis omnium cubiculis
Obliuione pellicum.

Esther 2. num. 12. explicatur. Vncta cubilia dixit, ob vnctos accumbentes. hinc lux loco Esther 2. num. 12. *Sex mensibus oleo vngerentur myrtino, & aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* Thalamo enim regio fœminæ parabantur, vt nosti. Faciunt huc etiam quæ alibi plura dedi de nuptialibus vnguentis: adde Anaxaridem *in Teret.* apud Athen. *dipnos.* 15. *cap.* 16.

Sed sponsa fiat nominata regia
Perunxis vnguentis corpus regaliis.

Philostrat. *lib.* 3. *vita Apollon*, vbi de Hyphaside fluuio: *in cuius ripis arbores nascuntur, e quibus vnguentum distillat, quo in nuptiis Indi perungi consueuerunt, sanctique ab illis æstimatur, vt nisi hoc vnguento perunctti nubentes fuerint, imperfecta nuptia,& Veneri minimè grata putentur.* Hæc mihi satis de puella paulo pòst nuptura.

320. *Famina vnctrices ad cubitum.* Qui putant puellam myrrham attulisse, vt maritum persuaderet, idque fœminei esse ingenij contendunt, impugnantur à Delrio meo, quia hunc morem *scio*, inquit, *in conuiuiis, in thalamo nescio.* Ego quamuis fatear frequentius legi fœminas vnctrices ad epulum, quàm ad thalamum, tamen & hoc etiam, magni viri pace, scio: do Musæum in Leandro, vbi puella iuuenem è mari salsugine infectum, lauat, vngit ad thalamum, vt ibi clarius, quàm opus erat, ostenditur, do tantùm quæ castis auribus non dissona.

Καὶ χρόα πάντα κάθηρε, μύρῳ δ' ἔχρισεν ἐλαίῳ
Εὐόδμῳ ῥοδέῳ.
Et cutem totam purgauit, corpusque vnxit oleo
Suauolenti rosco.

& certè cùm sciamus, ex iis, quæ paulo antè dixi, vnctos cubitum iuisse, quid mirum esset si à fœminis vngerentur, quas ad epulum ipse fatetur id muneris subiisse. Vtrobique quidem par decoria, aut indecentia reperitur. De hoc fœminarum munere, multa in Spicilegio nostro.

321. *Porta amatorum vncta, & coronata.* Putant alij myrrham attulisse sponsum, puellæque fores vnxisse, qua illa inter aperiundum vncta distillaret. possunt: exprimitur enim purus putus amatorum mos. Vide quæ hic Sanchez de amicarum foribus vnctis & coronatis, & quæ Rosa *tract. de die natali cap.* 10. addo Propert. *lib.* 1. *eleg.* 16. ad fores amicæ.

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa iacere faces.

Ouid. 1. *Amor. eleg* 6.

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura super, totâ limina nocte iace.

& *lib.* 2. *de remed. Amor.*

Effice nocturnam, frangatur ianua rixâ,
Et tegat ornatas multa corona fores.

& *lib.* 4. *Metam.*

Interdum madidas lachrymarum rore coronas
Postibus intendit, posuitque in limine duro
Molle latus, tristisque Sera conuitia fecit.

Catul. etiam,

Mihi floridis corollis redimita domus erat.

Vetus interpres Pers. *Amicarum fores solent vnguento perfundere, & ante ianuas illarum noctem vigiliis & cantu transigere.*

Quæres, an etiam Græcos mos peruaserit? Videtur suadere Athen. *lib.* 15. *cap.* 5. de amantibus locutus: *Honoris gratiâ, eorum velut Dei cuiuspiam vestibulum coronant: vel non amatis sacrificantes, sed ipsi amori postea coronas deponunt. est enim amatam, amoris simulacrum, cuius cùm domus sit templum, amasiorum fores coronant: idcirco qua nonnulli amatorum foribus sacrificant, vel potiùs, quibus se vero animi ornamento spoliari posse sentiant, in eorum honorem corporis ornatum detrahentes ob affectum, seque ipsos spoliantes, illis depensuerant. Omnes amantes hoc faciunt, at non præsente amato. nam id est impedimento, quo minus deponatur.* Dedi tantùm Latina, quia Græco codice nunc careo. Sed possemus dicere, Græcum autorem apud Romanos, vt scimus, commorantem, Romanorum amatorum mores expressisse: aut saltem suo æuo has amoris illecebras, cum aliis moribus victricis Romæ, Græciam penetrasse. nam quantum memoriâ atteutiùs refricatâ valeo recordari, numquam id apud priscos amatorios Poëtas Græcos legisse videor: si fortè legeris condonabis. ἀμέλει recentior, apud recentiores frequentior notitia *florileg.* 7, *epig.* 80.

Αὐτοῦ μοι στέφανος περὶ δικλίσι ταῦτα κρεμασθεὶς
Μίμνετε,
Hic mihi corona ad has bifores pensiles
Manete, &c.

Ibidem epig. 97.

Ἤν ποτε ἢ στεφάνους περὶ δικλίσιν ἀγκρεμάσαντα
Ὄψῃ γηθήσεις ποσσὶ πατεῖς ἀγέρως.
Si quandoque coronas ad portas suspendo,
Has irata conculcat superbis pedibus.

Ex his duabus explicationibus, ni mea mihi homini, vtpote propria, arrideret, starem primæ. tu vt malueris.

322. *Non est amoris mora, que amato apertus excipiendo impenditur.* Restat adhuc, vt in mei & aliorum gratiam, soluam ratiunculam Delrij, qua vnctam sponsam videtur impugnare. *Si se vnxit postquam statuit aperire, nimis certe otiosa, cùm res ita astuabat: si acelobat aperire cùm inaxit sese, vt quid perditio hæc?* Non esset sanè perditio, etsi nollet aperire: bene enim delicatæ & ditissimæ puellæ vngendæ, & sibi soli impenditur hæc myrrha, & si trecentis denariis posset venundari; quis enim nesciat immodicas impensas puellarum nobilium in se comendis?

comendis: certè licet hoc ſomnium, tamen non vltra limites rei eucocturæ, ſi concederem euentum dictis. Propugnemus oone alios, demus reapſe vnxiſſe vt aperiret: ideo ne offuſa, aut minus æſtuans? logi: non facit amans moras, amori quas facit: non friget, dum amato ſe componit. non ne paulo pòſt, cùm rota anxia, felix amores Menas, poſt ſponſum (quem aperto iam oſtio non inuenit) curſura videbatur: recurriſſe nihilominus ad cubile certiſſimè cooiectamus, ſumpturam pallium, quod ſibi ereptum queritur, *num.7.* aut dicat Delrius, illud ſecum aperturam detuliſſe, quod mihi ridiculum de cauſſa nulla, illi neceſſariò tardum de mora ignaua videatur: recurrit ergo ſumptura pallium, neque ideo minus ad inſequendum celer iudicanda. Pulchrè quidem in hanc mentem Ambroſ.lib.1.de Iſac,cap 6. *Bene quidem quaſi ſponſa veniebat cum pallio quo ſe obnuberet caput, cum ſponſus occurreret ei: ſicut Rebecca quid cognito quod Iſac veniret obuius, deſcendit de camelo, & pallio ſe operuit: ita & hac anima nuptialis veſtis prætermittebat inſignia, ne fortè reiiceretur quaſi veſtem non habens nuptialem.* non premo totam Ambroſij ſententiam: ſatis ſit inde notare non moratam ſpoofam in quærendo pallio, quia ſic parator: nec igitur in vngeodis manibus, quia ſic gratiores dilecto porrigendæ.

323. *Myrrha lachryma.* *Probati ma.* In Hebræo עובר *tranſeunte.* Multa hic interpretes: ego tranſeuntem credo appellari, illamque ſponte fluit, & quodammodo tranſit & excurrit foras: moueor, quia eadem עבר infrà *num.*13. à noſtro vertitur *myrrha prima.* atqui myrtha prima, quæque primas tenet, illa eſt, quæ ſponte fluit in lachrymas: ſecunda verò, quæ per inciſionem exprimitur, de hoc alibi loquor.

PARAPHRASIS.

Exſurrexiſſe igitur mihi viſa, omni excuſſo torpore illi apertura: quæque priùs pigritans, pedibus lotis & vnctis vicunque, à pulnere timuetam: iam nec manibus exquiſitiſſimè myrrha perunctis optimâ, patcendum decerno, eaſque etſi molles, duris deſtino vectibus amonendis.

Vers.6. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.

Pergit enarrans rem, quæ ſi facta foret, non viuidius, quàm hic ſoiooo ficta poneretur, ſic amoris mores habet delineatos. tu lege quæ alij: ego hic ea tantùm inculcauero, quæ difficilia, & aliter explicanda.

Peſſulum porta vnde clauſum dicatur. *Peſſulum oſtij mei aperui.* Id eſt, oſtium aperui, peſſulum amouendo: aut propriè, peſſulum aperire, eſt illum ab anſulis, quibus claudendo oſtio inſeritur, extrahere: quaſi in ipſis anſulis clauſus haberetur, inde apud Homer. odyſ. 1. *peſſulum extendere*, eſt anulis & anſulis inſerere, & quodammodo claudere, claudendo oſtio.

Βῆ ῥ᾽ ἴμεν ἐκ θαλάμοιο, θύρην δ᾽ ἐπέρυσσε κορώνῃ
Ἀργυρέῃ, ἐπὶ δὲ κληῗδ᾽ ἐτάνυσσεν ἱμάντι.
Feſtinabat ire ex thalamo, ianuam attraxit annulo Argenteo, inſuper autem peſſulum obtendit loco.

314. *Ille vox amatoria.* *At ille.* Non ſine amoris epitaſi. Notauit iam Donatus ad illud Terent. in And. act 2. ſc. 1. *Datur Pintus in Camica.*

ne illa Pamphilo nuptum. hoc pronomen cùm de certa, notaque perſona dicitur, amatoriè ſonare. ſic Virgil. — *ſolam ne perfidus ille, te colere.* plura Paſſerat. ad Propert. *lib.*1. *eleg.*12.

Tam longè illa meo diuiſa eſt millia lecto.
ſic lo hoc loco. q. d. ille, ille meus, quem colu, quem deperio, iam abierat.

Anima mea. Non nimis obſcura verba, ſed tameo obſcuriſſima conca tenatio. quæ alij huc congerunt, mihi non ad guſtum, timeoque, ne quæ ego dixerim, aliis deſipiant. Puto igitur puellam, dilectum ſuum animæ propriæ titulo appellaſſe: q. d. ille, qui anima mea eſt, liquefactus fuerat inter loquendum. hoc ſi ſemel deglutias, mi lector, facillima concatenatio iam elucet. idem eſt ac ſi diceret: quæ moroſior fui ad aperiendum, meritò tandem aperiens, dilecto non ſum fruita: ille enim iuſtas abſentiæ pœnas à me repetiit, qui penè ad liquefactionem tenerrima verba fundens, fuerat ſpretus. quo autem mollior conſtructio fiat deglutiendo, iam non inſipida miſceo condimenta.

325. *Anima blandimentum amatorium.* Sponſum vocari *animam* à puella, non alienum ab hoc Cantico, ſic multi ad rem ſuam, hîc *num.*1. explicant illud, *ego dormio, & cor meum vigilat.* id eſt, dum ego dormio, dilectus, qui mihi inſtar cordis, ad ianuam pernoctat, imò nec inuſitatum à ſacra phraſi, ſic 1. Reg. 18. nom.1. *Anima Ionatha conglutinata eſt anima Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Apud profanus obuia vox iſta inter amatorias. Terent. *in And. act.* 4. *ſc.*2. vbi nutrix ad puellam: *tu modò animæ, noli te macerare.* in Eunucho *act.* 1. *ſc.* 2. puella ad amicum: *ne crucia te obſecro anime mi, mi Phædria.* in *Heauton. act.*2. *ſc.*3. iuuenis ad amicam, *Salue mi anime.* Græcis idem blandimentum vſurparum, imò & Romanæ fœminæ Græcè illud vſurpabant: mordet Iuuenal. *ſat.*6.

In vetula quoties laſciuum interuenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή. i. vita, & anima.
Solùm videtur ingeri ſcrupulus à Grammatica: dicendum enim videbatur de iuuene, *anima mea liquefactus eſt.* ſicut ſtatim additur, *vt locutus eſt.* non obſtat, quia cùm fœminea animæ voce iuuenem appellaſſet, non incongruè eam dixit liquefactam: additur verò participium maſculinum *locutus*, iam non ad vocem, ſed ad rem ſignificatam, habito reſpectu. minus ſcrupuloſi hîc alij fontes: qua tamen parte affixum & articulum maſculinum admittont, hinc Interpretandi: in Hebræo ita נפשי יצאה *anima mea exiuit*, verbo, ſi ſapis, fœmmino, vt vides, & ſtatim, cum affixo maſc. בדברו *in loquendo eo.* id eſt, inter loquendum. LXX. ψυχή μου ἐξῆλθεν ἐν λόγῳ αὐτοῦ *anima mea exiuit in ſermone eius:* αὐτοῦ, inquam, non αὐτῆς: ſed, vt dixi, ad perſonam ſignificatam, non ad vocem ſignificantem id tribuendum.

326. *Amantes liquefacti.* *Liquefacta.* Hebræa & Græca, vt vides, deliquium & teneritudinem ſuſpirantis iuuenis, per *exitum animæ* declararunt: aſſequuntur id Hiſpani, qui de re ſimili, *ſalians ſele el alma.* Noſter vehementiùs, ſed ſub optimi interpretis fidelitate, ita exitum animæ declarauit, vt pariter languorem immiſceret, quod enim liquefit, dum regelatur, languet, effluit, & à ſe exit. Luſitani rem exprimunt, dicentes, *todo ſe derretia.* phraſim amatoriam Græci Latinique agnoſcunt: dedit multa Cerda ad illud Virg. *Eclog.* 8.

Vltimus hic dureſcit, & hac vt cera liqueſcit
Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.

Ego in alios præterea incidi. *florileg. 7. epigr. 174.*

Ἐκμαίνει χείλη με ῥοδόχροα, πειθολόμυθα ·
Ψυχοτακῆ.
Insanum me reddunt labia rosea, valde diserta
Animam liquefacientia.

Ælian. *lib. 12. cap. 1.* de Artaxerxe vidente Aspasiam: ὡφάνη καλλίστη γυναικῶν, καὶ παραχρῆμα, ὁ Ἀρταξέρξης ἐφλέγετο, καὶ κατετήκετο. *Omnium feminarum pulcherrima apparuit, statimque Artaxerxes quasi correpto igne liquefactus est.* Ouid. 3. *Metamorph.* de Narcisso.

Non tulit vlteriùs, sed vt contabescere flaua
Igne leui cera, matutinaque pruina
Sole tepente solent, sic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paulatim carpitur igne.

Vulgatus assertus.

Sic nihil noster Vulgatus nisi fidelissimè tractat.

327. Amor venatoris mores habet.

Quæsiui illum. En amantium ingenium clarissimè somnio expressum: suspirat iuuenis, pulsat, rogat, & tunc fastidiusè dimittitur: abiens queritur, discedens suspiratur. attigi hoc suprà cap. 3. n. 2. *quæram quem diligit.* vbi etiam de emphasi verbi *quærendi.* adde Horat. *lib. 1. sat. 2.*

——leporem venator vt alta
In niue sectetur: positum sic tangere nolit.
Cantat, & apponit: meus est amor huic similis, nam
Transuolat in medio posita, & fugientia captat.

Terent. *in . . .*

Non quæris quod habes, sed quæris quod abest.

Propert. *lib. 2.*

Semper in absentes felicior æstus amantes
Eleuat assiduos copia longa viros.

Hæc ab aliis dicuntur, sed in nostro Cantico, eadem non tam auribus, quam oculis visa proponi.

PARAPHRASIS.

Vbi aperui amoto pessulo ostium, dilectum suscepturа, video discessisse: & iustas inter somniandum, torporis, & ignauæ excusatiunculæ pœnas dabam, absentem suspirans: ipse enim, qui mihi vita suauis, dulcis anima, nimia teneritudine me inter compellandum liquefactus, adeò vt rupea perfringere potuisset, me duriorem iure optimo reliquerat subiratus. Adhuc tamen tento per vmbras, quæro, nec inuenio: voco, (& nescio an ita dormiens vocem emiserim) nec tamen respondere dignabatur.

VERS. 7. **Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.**

Nonnulla hîc supplenda ex *cap. 3.* vbi hoc somnium, vt ibi par erat, compendiosè narratum explicabam: vt enim hîc multa adduntur; sic ibi pauca, nunc necessariò supponenda. Igitur aperto ostio puella quæsiuit per viciniam, vocauit: nec respondentem vrbem adiisse suspicata, eò eundem quæsitura pergit: occurrunt vigiles, à quibus statim, si quid de dilecto norint, sciscitatur. hæc clarè *cap. 3.* enarrauerat, quibus nunc suppositis, quid tandem eueniret, addit: nimirum ipsos, vt erant duri, pro verbis verbera intendisse, nec à vulneribus abstinuisse. Vtque credendum nusquam eò furoris processuros milites, vt puellam inermem, delicatulam, vel etiam leuissimè ferirent, (si reapse res facta narraretur) nisi tanquam aut ebriam, aut amentem, indeque clamoribus cuncta confundentem, existimarent: sic in re ficta per somnium talem vigilibus visam indicat puella: quo mirè amatorij æstus vehementia declaratur. Tandem concludit post transactos circitores, custodibus murorum incurrisse, fortè enim eà etiam transiisse, sibi visa: à quibus insuper palliolo spoliatam se queritur. nec id extra militum vsum, qui dum præsidio excubant, vt plurimum incubant alieno, & hostilis raptus carentiam, rapinulis ciuilibus commutant. hæc satis pro connexione, cætera patent. subdo paucula.

328. Nuptialis ritus à synagoga nuptijs apud Hebræos.

Vulnerauerunt. Putat Sanchez (quia rem euenisse putat) hæc iocosè inter nuptialia sacra euenire solita, quibus instituerentur vxores, patere vitis, delitias abiicere. ego tamen si ritum admitterem, longè aliunde rem deducerem. dixi sæpe in nuptiis suis per omnia expressisse Hebræos modum illum nuptiarum, quo Deus synagogam abductam ab Ægypto, sibi in deserto desponsauit: vt ergo synagoga priusquam nuptias promissionis in terra celebraret, sponsalium tempore mille hostes incurrit, à quibus quandoque malè mulctata, mille verbera à cœlo ipso experta: sic nouæ nuptæ fictis periculis adigebantur, vt sob hac figura, quanti facienda mariti possessio, recognoscerent. tu, vt libuerit, mihi somnium meum, sartum tectum maneat.

329. Fœmina velata.

Pallium. Nescio an magis mihi mirum, an ridiculum, ab omnibus ferè datum hoc pallium pudicitiæ, quorum plurimi *cap. 1.* ad illud, *ne incipiam vagari,* in pallio, necessariò meretricios mores intelligendos iurauerant. Vide quæ ibi multa, ad nauseam fortè, scripserim: planè ergo rem explico vt ibi, delatum nimirum pallium de Hebræarum more, vnde Tert. de coron. mil. cap. 4. *Apud Iudæos tam solemne est fœminis, eorum velamen capitis, vt inde noscantur.* aut, si mauis, dic pallium detulisse, ne noctu ab aliquo in vico suo fortè nosceretur. Simili decoro Ouid. 4. *Met.*

Callida per tenebras versato cardine Thysbe
Egreditur, fallitque suos, adopertaque vultum
Peruenit ad tumulum, dictâque sub arbore sedet:
Audacem faciebat Amor.

Ego tamen amori ebrio, pectori æstuanti, desiderio ab obuiis quibusque nuntia perquirenti, magis de vsu, quàm de affectata absconsione pallium tribuerem.

PARAPHRASIS.

Maius nunc mirum, dulcior illecebrosi somnij affectus, in lecto iacens, septa claustro, domo circumclusa: videbar nihilominus mihi, non solùm per vicinos pagos, & nota compita, sed etiam per vicos, vt suprà attigi, & plateas vrbis excurrens circumcursasse. Visa mihi vrbis vigiles circitores incurrisse, à quibus amentis, & vociferantis, ebriæ instar, vapulans discedo: nec id satis, dum futiè aliá pergo, ecce tibi murorum custodes, qui, vt militum fert conditio, rapinis viuunt, à prioribus percussam, insuper palliolo spoliant.

VERS. 8. **Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.**

Qui hucusque mecum præsentem narrationem, licèt longè aliter, de somnio fuerant interpretari, hic iam me deserunt: ego adhuc, vt initio dixi, & vsque ad finem capitis omnia repræsentata

prius

priùs ſomnio, deinde opportuniſſimè ab ſponſa narrata puro: quòd ſi quis aut prolixum nimis, aut ſolito accuratiùs ſomnium arbitretur, legat quæ ſuprà *verſ.* 2. amouendis ſcrupulis congeſſi. Narrat igitur viſum ſibi, dum percuſſa & ſpoliata excurreret, querulæ & vociferanti commotas è vicinia fœminas occurriſſe, eiuſdem dolentes vicem, dolorem miſerantes: quibus tamen ſe nil aliud reſpondiſſe, nil rogaſſe, niſi vt inuentum, ſi fortè dilectum, non tam de vulneribus aliis, quàm de amoris penetrabiliori vulnere admonerent. Mille affectus huius acumina ponderant interpretes, quos omnes mihi ad ſomnium narratum transferre poſſem: ſed cur exſcribam, qui his commentariis ſportulam, etſi vilem, attamen ex penu proprio promiſi depromendam? Steti hucuſque promiſſis, nec deero deinceps, ſi Numen aderit. De adiuratione, de languore, déque amoris vulnere, dixi multa *cap.* 2. inde repete. Solùm nota ad rem meam, oculatiſſimè in Hebræo, & Vulgato noſtro (LXX. nunc minus moror) deeſſe huic adiurationi ceruorum & caprearum obteſtationem: quia nimirum, non tam ad venatrices puellas, quàm ad vrbanas fœminas facta fingitur. quod ſi infrà *cap* 8. *num.* 4. eadem obteſtatio taceatur, cùm ſodales ſolitæ & venatrices puellæ adiurentur, id in cauſſa eſt, quia quietis ſomnus & naturalis ſopor procuratur, cui plana adiuratio ſatis erat: aſt ebrio amoris ſomno, vt *in cap.* 2. aut amatorij ſomnij parenti, vt *in cap.* 3. quam ad rem adducatur illa obteſtatio, ibidem dixi.

PARAPHRASIS.

Vociferanti interim & gementi, occurriſſe mihi viſæ è viciniâ, miſeriam meam fœminæ miſeratæ: quibus, dum multa quærunt, dum querentur vicem, ego nihil aliud, quàm rogare, quàm adiurare, ſi dilectum fortè me feliciores inuenerint (omnibus enim æquè ac mihi metipſi notum amoris vehementiam ſuggerebat) non iam errantem vagè, durè percuſſam, impiè ſpoliatam, quàm ad deliquium vſque, eiuſdem deſiderantem oculos nuntiarent.

Vers. 9. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

Commotæ fœminæ vocibus, miſerantes puellæ queſtum & gemitum dolentes, paratiſſimas ſe exhibent inquirendo dilecto, illique languorem, quem notarunt, nuntiando: quoniam tamen ignotus aliàs ſibi paſtor iuuenis, inſigniores eius quærunt notas, quibus ſi fortè inuentus internoſcatur τὸ *ex dilecto*, id eſt, præ aliis dilectis. Vide interpretes. Porrò puellare ingenium elucet in eo, quòd quaſi ſolùm commiſerationem accurrentium deſcripturiat, obiter dictas ſibi pulchritudinis laudes non ſubticeat. Vt autem quandoque ex incendio vultus fatigati, ex lachrymis inter gemendum creſcit pulchritudo; ſic tacitè, ſed magno cum decoro viſus Salomon ſomnij narrationem compoſuiſſe, ac ſi puella & lachrymans & incenſa genas adeò ſe ipſa pulchrior euaderet, vt ab obuiis fœminis pulcherrimæ omnium titulum extorqueret, & inde pietatem, amotâ, aut ſuperatâ, quæ hîc ſemper immiſceri ſolet, inuidiâ. exempla paſſim incurres, ſignatè Claud. 2. *de rapt.*

330. *Lachryma & fatigatio augent pulchritudinem.*

Pintus in Cantica.

Plutonem non tam viſâ puellâ, quàm viſo pulchriori fletu mollit.

Talibus ille ferox dictis, fletuque decoro
Vincitur, & primi ſuſpiria ſentit amoris.

Ideo Seneca *in Troiad.* vbi de puella afflicta, occiſioni ducta.

—— ipſa deiectos gerit
Vultus pudore, ſed tamen fulgent genæ,
Magiſque ſolito ſplendet extremus decor:
Vt eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Iam iam cadentis, aſtra cùm repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies.

Cætera pateor.

PARAPHRASIS.

At quibus, inquiunt, notis pulchritudinis, quibus inſignibus, dilectus tuus, iuuenes alios, etiam amore dignos, antecellit, vt ſi fortè eum inueniamus, veniat cognoſcendus? quid enim tam arctè adiuratæ non flectamur, eo vel maximè, quòd quæ ſemper pulchra, (vt apparet) nunc obortis decoris lachrymis, incenſis gratiſſimis genis, viſa omnium pulcherrima: à feris, nedum à fœminis extorquens pietatem?

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Vers. 10.

Habes, mi lector, elegantiſſimam iuuenis iconographiam, cuius exhibendæ gratiâ, puella ad ſomnij narrationem, quam *cap.* 3. contraxerat, iterum recurrendum putauit. nihil hâc elegantius, nihil exactius legi, fatentur multi, addo nihil artificioſius affectibus puellæ exprimendis potuiſſe excogitari, quàm ſi quod efformarat dormiens ſimulachrum, in præſens retuliſſe fingatur: hinc ſponſi dictas ſibi laudes optimè remittitur, cum laudis certamine, victoriæ ambitione: ille enim celebrandæ puellæ pulchritudini, vigiles curas, lucubratiſſima carmina attulerat: hæc verò venuſtiſſima encomia, ſed ſomniata: aberat inde fucus, & fallacia, hinc vel etiam fallaciæ & fuci leuis ſuſpicio: ibi mens, hic voluntas laborauit: ibi ars, hîc natura viſa duxiſſe penicillum. Multa interpretes, plura Pineda in ſuo Prætio *lib* 6. *cap.* 4. vbi tori deſcriptioni bellam nauauit operam. ego de more pauca dicam, ſed mea: nunc aliorum dictis addenda, nunc ſenſui meo denuo exprompta. connexio patet, rogatam ſigna noſcendo, capiunt: ſic expreſſa, vt vix conſpectum proderent neceſſariò: ea ſunt,

Candidus & rubicundus. Non hac candidus, illac rubicundus, ſed vbique mixto decenter vtroque colore, pulcher: vno verbo, *roſicolor*, Græcis feliciùs & vſitatiùs ῥοδόχροος. dixi *decenter.* quia, vt in roſeo foliolo, pars alia leniùs candicat, alia rubet intenſiùs, ſic in illo ruberent flammantiùs genæ, frons remiſſior albicaret: vel, vt veriùs dicam, vbique ſeruato venuſtatis tenore, candor rubebat, rubor albicabat. tale eſt illud Virgil. *Æn.* 12 quem huc adducunt, nec expendunt, de colore puellæ.

331. *Roſeus color qui.*

——vel mixta rubent vbi lilia multâ
Alba roſa.

Vbi, vt bene notauit Cerda, rubor albis liliis datur à vicinitate roſarum, vt mixtus color intelligatur: dat & accipit hinc lucem Tertul. *lib. de Iudicio*, vbi de paradiſi floribus:

Tertul. explicatus.

Flos alium latus ſuo lumine veſtit amictus.

Sic hîc lumine & colore rosarum lilia ruberent, & horum splendore rosæ candicarent. affert Sanchez Statium 1. *Achill.* qui

& Statius.

—— niueo natat ignis in ore
Purpureo.

Qui totus ad rem meam, si excutiatur: id quod natat, & aquas suo colore inficere & obumbrare videtur, & pariter vitreo aquarum colore visum circum vestiri: hoc ergo voluit, ni fallor, Statius, vt niuem quodammodo ignescere, ignem natantem niuescere indicaret. illustra hinc mihi Claudianum 1. *de raptu.*

& Claudianus.

—— niueos infecit purpura vultus
Per liquidas succensa genas, castique pudoris
Illuxere faces.

Ideo enim *liquidas* dixit *genas*, vt purpura innatans infecta pariter, & inficiens notaretur. Similem formam exprimendæ mixturæ noto apud Propert. *lib.* 2. *eleg.* 25.

& Propert.

Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco. dulcis vterque color.

Vbi fuscus candor, (vt à pleno candore distinguitur) colorem grata mixtura triticeum significat; persequor hæc morosiùs, quia non solùm amœnissimum, in quo sumus, locum non abhorrent, sed maximè, quia hinc versus sequens aliàs obscurus, bellè illucidandus. iam rosei coloris commendationes, passim plenis eruditiorum paginis offendes. addo pulchrum locum Luciani *in Dialogo Dor. & Gal.* ἰδὲ σαυτὴν οὐδὲν ἄλλο, ἢ χρόαν λευκὴν ἀκριβῶς: οὐκ ἀπαινοῦσι δὲ τοῦτο, ἢν μὴ ἐπιπρέπῃ αὐτῷ καὶ τὸ ἐρύθημα. *Vide temet nihil aliud habere, quam plenissimum candorem: at verò iste minimè commendatur, nisi decenter admixto rubore temperetur.*

332.
Candor vultus candoris interioris index.

Candidus. Temperatus iste candor, vt nigredini opponitur, etiam physiognomonicè candores moris signat, sicut è contra nigror proteruiam. notum illud Horat.

—— hic niger est, hunc tu Romane caueto.

inde Ciceronis iocus de quodam: *Nec minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus Phormio.* notauit bene Passerat. *in Paneg.* Messal. *ad Tibullum*, in illo Horatij 1. *epist.*

Albi nostrorum sermonum candide index:

allusum ad nomen, quasi ideo candidus index, quia Albius. addenda hæc multis, quæ hîc de physiognomia iuuenis disputat Pineda citatus, &, ni fallor, voluit fortasse puella apud fœminas dilectum excusare, quæ de condolentium ingenio, illum fortè duritiei & proteruiæ incusarant, quòd discedens tam scitam puellam torqueret, passus errabundam. q. d. me me adsum quæ feci, in me conuertite crimen, ô sociæ! mea fraus omnis, nihil ille, qui in ipso vultu candido, candorem etiam pectoris manifestat.

333.
Ignis de rubore.

Rubicundus. LXX. habent πυῤῥὸς, id est, igneus: nemo tamen aduertit, optimè etiam ruborem per ignem explicari. facit huc Statius & Claudianus suprà citati: vide plusculos alios, quos affert Cerda ad illud Virgil. 12. de puella.

—— cui plurimus ignem
Subiecit rubor.

Signatissimus ad rem meam Arist. *lib.* 11. *meteor. cap.* 5. quem ibi adducit: μάλιστα δὲ φοινικοῦν, καὶ πορφυροῦν, διὰ τὸ ταῦτα μάλιστα ἐκ τοῦ πυρώδους, καὶ λευκοῦ φαίνεσθαι μιγνύμενα, κατὰ τὰς ἐπιπροσθήσεις: *in primis colores punicei ac purpurei, quoniam hi præcipuè mistura ignei candidique, altero alteri superindito, splendescant.* Nota mihi τὰς ἐπιπροσθήσεις, & ignem candicantem, & fuluescentem candorem adiurabis. Addo Statium *lib.* 1. *syl.* 2.

Aristoteles explicatus.

Hic puer è turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, &c.

& Moschum statim citandum: de eodem Cupidine.

χρῶτα μὲν οὐ λευκὸς πυρὶ δ' εἴκελος.
Cute quidem non candidus, igni autem similis.

Vterque plenum, & vix temperatum ruborem adsignificat.

334.
Vultu notissimus.

Electus ex millibus. Id est, inquiunt multi, quem inter mille & mille noscatis statim tamquam excellentioris, & selectioris pulchritudinis: possunt. sic Moschus adductus in Cupidine fugitiuo *floril.* 1. alij autorem pulchri poëmatij faciunt Theocritum:

Ἔστι δ' ὁ παῖς περισαμος, ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν.
Est autem puer claris notis insignis, inter viginti omnes noueris illum.

Fauet his Symmachus, qui vertit ἐπίλεκτος: vbi aduerterent velim, hoc verbum, licèt simpliciter *eligere* passim significet: tamen non rarò sumi pro *recognoscere: ex coniectura colligere.* Sic in Hebræo דגול *vexillatus.* quis enim inter milites notior, quàm qui vexillo insignis? Alij, electum ex millibus capiunt de pulchritudine cæteris præponenda, adeò, vt quicumque sana mente de formis iudicaret, hanc eligeret, quæ cæteris omnibus sic in amoris acie præstat, vt signifer gregariis militibus. Maius aliquid hîc latere puto, quod sic explico.

335.
Puella de ambitu nuptiis gloriosa.

Quòd puella nuptiarum causâ, mille ac mille procis vndique certatim petatur, maxima est pulchritudinis eius laus. Do plusculа in quæ incidi, quia hæc seges etiam humanioribus, ni fallor, intacta penè. Pindarus *in Pyth. od.* 9.

Τὰν μάλα πολλοὶ αἴτεον ἀνδρῶν ἄριστοι
Σύγγονοι: πολλοὶ δὲ καὶ ξεῖνοι: ἐπεὶ θαητὸν εἶδος.
Hanc valde multi optimates viri petebant
Cognati: multi etiam peregrini, quia miranda forma eius.

lib. 3. *Antil.* de epitaphio puellæ,

Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι, ἧς ἐπὶ πολλοὶ
Νυμφίοι ἱέμενοι πατρὸς ἵκοντο δόμον,
Κάλλευς, καὶ πινυτῆτος ἀγακλέος.
Virginem Antibiam deploro, propter quam multi
Proci desiderantes, ad patris venere domum,
Ob eius pulchritudinem, & prudentiam excellentem.

Polyxena apud Eurip. *in Hecuba.*

Ἐθρέφθην ἐλπίδων καλῶν ὕπο
Βασιλεῦσι νύμφη, ζῆλον οὐ σμικρὸν γάμων
Ἔχουσ' ὅτου δῶμ' ἑστίαν τ' ἀφίξομαι.
Nutrita sum spe optima
Regibus sponsa, æmulationem magnam nuptiarum
Constans: ad cuius domum focumque ventura essem.

Idem *in Electra*, de ipsa:

Ταύτην ἐπειδὴ θαλερὸς εἶχ' ἥβης χρόνος
Μνηστῆρες ᾔτουν Ἑλλάδος πρῶτοι χθονός.
Hanc postquam florens habuit pubertatis tempus,
Proci petebant Græcæ principes terræ.

Item *in Aulide*, de Helena.

—— ταύτης οἱ τὰ πρῶτ' ὠλβισμένοι
Μνηστῆρες ἦλθον Ἑλλάδος νεανίαι:
Δειναὶ δ' ἀπειλαὶ, καὶ κατ' ἀλλήλων φόνος
Ξυνίσταθ', ὅστις μὴ λάβοι τὴν παρθένον.
—— huius primates & præstantes opibus
Proci venerunt Græciæ adolescentes:
Atroces verò minæ, & mutua cædes
Parabantur ab eo, qui non consequeretur virginem.

Nonnus de procis Proserpinæ *lib.* 5. ab illis verbis,

Ὅτι

ὅτι μίστις ... ἐκμετ, &c.

Cùm omnes, quotquot incola cœli
Puellæ vnâ delectarentur, & nubilem ob virginem
Veneream contentionem haberent nondum violati matrimonij
Munera ferentes.

huic hæſit Claud. I. *de raptu*, de eadem.

Perſonat aula procis, pariter pro virgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu,

Ouid. 11. *Metam.*

Nata erat huic Chione quæ dotatiſſima forma
Mille procis placuit.

Prætereo quæ multa paſſim ſcribuntur de procis Penelopiæ, Atalantæ, Deianiræ, & ſimilium: videndus Claudianus *in laudibus Serenæ.*

336. *Electus ad nuptias præ aliis, glorioſus.*

Aliunde verò quod ex tot petentibus, vnus præeligatur, aliis poſtpoſitis, magnum hinc illi laudis incrementum, ſolentque puellæ hoc ſimul inſinuare, vt ſe pariter, & dilectum laudent, eique maioris affectus in electione exhibiti vendicent vehementiam. Ouid. *in epiſt. Didonis.*

Mille procis placui, qui in me coiere, querentes
Neſcio quem thalamis præpoſuiſſe meis.

Pulchriùs idem *in epiſt. Helenæ.*

Tunc ego te vellem celeri veniſſe carina,
Cùm mea virginitas mille petita procis,
Si te vidiſſem, primus de mille fuiſſes.

Homerolux. Hinc fax Homero *odyſſ. ζ.* vbi Nauſicaa ad Vlyſſem de ſe, quaſi ex aliorum ore locuta, monens, vt ſeparatim incederent, ne alij oblatrarent, dicentes:

Rectè fecit, ſibi ipſi obambulant maritum inuenit,
Aliunde certè: hos ſpreuit in populo
Phæacas, qui ipſam ambiunt multi & diuites.

Græcè: Τοὺς μὲν μνῶνται πολέες τε καὶ ἐσθλοί. Nam aperte venditat puella quàm ambitiosè peteretur, & latenter indicat, quem, ſi daretur optio, eligeret: quam verò aptè veniat hæc ſuſpicio, indidem diſces, ſi plura legis.

337. *Electio in nuptiis.*

Neque perperam hoc puellæ iudicium, vocaui *electionem.* ſic Ouid. 10. *Metam.* vbi pater ad natam.

——*vndique lecti*
Te cupiunt proceres, totoque Oriente iuuentus
Ad thalami certamen adeſt: ex omnibus vnum
Elige Myrrha virum.

Sic apud Græcos: Eurip. *in Aulide* de procis Helenæ, déque eiuſdem patre illi optionem faciente:

Δίδωσιν ἑλέσθαι θυγατρὶ μνηστήρων ἕνα
Ὅτου πνοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι:
Ἡ δ' εἵλεθ', &c. Μενέλαον.

Conceſſit filiæ vt eligeret vnum ex procis
Ad quemcumque grata Veneris auræ ferrent:
Illa verò elegit, &c. Menelaum.

Ex dictis præſens mihi videtur patere locus: vno enim verbo illum ſic commendat, vt obiter laudes ſuas de puellari ingenio non ſubticeat. quanta enim iuuenis pulchritudo, qui millibus & millibus præpoſitus? quanta puellæ venuſtas, quam mille & mille proci deperibant? conueniunt hæc cum iis quæ ſuprà dixi, de adducta ab ſponſo caterua *propter timores nocturnos* corriualium. nec contendo Hebræis puellis de more factam optionem eligendi: (quam apud Ethnicos factam paſſim legimus) ſatis quod affectu eligeret, vt ex præuiis amoribus conſtat, quem parentes effectu ipſi deſponſarunt, eiuſdem, vt par erat, propenſionem redolentes. Nec opponitur Hebræa vox דגול *vexillatus.* Vt enim fusè dixi ſuprà *cap.* 2. res militaris perpetua eſt amoris metaphora: potuit ergo vexillatum appellare, vtpote cui cordis ſui traderet vexillum, tot inter, qui pro cordis tantiarce decertabant, quo ſatis fuiſſe electus declaratur, & fortaſſe iuuenis ius vberiùs inſinuatur, eiuſque pulchritudo eximia magis declaratur, cuius machinis muniſſimam aliàs arcem erepturus inde vexillum penetrauit: quod noſter pulchrè per *electionem* ſimpliciter voluit declaratum, quia hæc admiſſa violentia, non inuoluntaria.

338. *Amoris inſidiæ.*

L X X. verſio caligat adhuc, ſi verbum ἐκλοχίζω examinetur: igitur τὸ ἐκλελοχισμένος vertunt *ſelectus.* Nemo neſcit præpoſitionem Latinam *ex,* & Græcam ἐκ, quandoque intendere ſimplicis ſignificatum: vt tollo, extollo: opto, exopto: λέγω ἐκλέγω, & ſexcenta alia. Quid ergo ſi dicamus, ἐκλοχίζειν *inſidiari*, cùm λοχίζειν nullo alio ſignificatu inueniatur? cogitemus: id ſi placet, ſenſus erit: is eſt dilectus tam pulcher, vt omnibus technis, omni induſtria, inter tot millia procorum, quos ſperno, mihi ambiatur, & amatoriis meis quantum valeo inſidiis captetur: vno verbo, *inſidiis petitus è decem millibus.* quaſi vellent L X X. Hebraicam militiæ metaphoram, ſimili metaphora explicare: eiuſdem emphaſis, licèt diuerſæ ſignificationis, quod ab optima interpretandi ratione non alienum. Inſidias autem amatorias deſcribit Tibul. *lib.* 1. *eleg.* 6. ad Cupidinem.

——— *an gloria magna eſt*
Inſidias homini impoſuiſſe Deum.

Propert. *lib.* 2. *eleg.* 32.

Nil agis, inſidias in me componis inanes.

& *lib.* 2. *eleg. vlt.*

Nil moueor lachrymis, iſta ſum captus ab arte:
Semper ab inſidiis Cynthia flere ſoles.

Eſt autem ingens iuuenis encomium, potuiſſe dicere, illud eiuſdem vatis *lib.* 2. *eleg.* 2.

Cùm te tam multi peterent, tu me vna petiſti.

Sed de hoc ſatis, quod verſo iam ad ſponſum vultu, narraſſe credo puellam.

PARAPHRASIS.

Attende nunc qualem in ſomnis te deſcriberem, non quæſitis longo ſtudio fucis, ſed pro vt in corde hoc meo effigiatis. Dilectus, inquam, meus ò fœminæ Solymitanæ, & candido rubore, & candore purpureo ſuffuſus, is eſt, quem inter mille, ac mille procos nuptias meas auidè petentes, tamquam omnibus venuſtiorem, mihi diligendum putaui, & deligendum.

VERS. II.

Caput eius aurum optimum: comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.

Locum hunc contentioſiſſimum reddidere verba nonnulla obſcura, ſcilicet כתם & פז item ἐλάται *elatæ*, &c. quæ omnia tam exactè ab interpretibus ventilata, vt nihil vltrà quærendum cenſuerim, cùm nihil nouum addi poſſe præſumerem. Prætermiſſis igitur vocibus ſenſum carminis eruamus. Multi ea ſignificatione aureum caput explicant, qua quidquid pulchrum, & in ſuo genere perfectum eſt, aureum vocamus: nihil ſimplicius, nec felicius nigris deinde crinibus explicandis. De hac ſignificatione paſſim profanæ eruditionis compilatores: vide quæ Cerda ad illud Virgil. lib. 10. —*at non Venus aurea contra.* adde ex Pyndaro *auream ſalutem*: ex Cicer. *aureolam orationem?*

339. *Aureum pro pulchro.*

tionem: ex Theocrito *Helenam auream*: ex Lucretio *aurea dicta*. quorum testimonia habet Passerat. ad illud Catulli,

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

qui plura dedit ad Propert. *lib.4.eleg.7.*

Hic Tiburtinâ iacet aurea Cynthia terrâ.

Lego & apud Horat.lib.2.od.10. *auream mediocritatem*. & apud Tibullum *lib. 1. eleg. 6. annum aureum*. ætatem auream, aurea sæcula, & homines aureos, gentemque auream nosti. *florileg. 7.* Apollo dicitur χρύσεος *aureus*, & item χρυσοχαίτης legis, id est, *aurei coloris*. in quibus omnibus nil nisi mera pulchritudo, & venusta perfectio declaratur.

340. *Aureis catenulis caput ornabant viri.*

Alij rem explicant, de aureo diademate gestato. non improbo: dummodo mihi tacitè Regem hîc Salomonem non obtrudant: scio enim coronas nuptiales, aut, vt ego puto, sponsales aureas & gemmeas, de quo alibi. nihilominus si ad aureum capitis ornamentum recurrendum, mauellem catenulas, vel aureas vittas ponere: de his Virgil. 4. *Æneid.* de Dione.

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Sed notum hoc fœminarum ornamentum: quid illud, inquis, iuueni obtrudis? memineris mi homo, Orientalium molles delitias, & Asiaticorum. ipse Poëta *ibidem* paulo pòst de Apolline.

——— *mollique fluentem*
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.

quod Cerda ibi explicat *de anulis aureis*, quibus inserti crines: sed, vt verum fatear, quæ ex Martiale, Seneca, Quintiliano adducit, optimè explicantur, de cincinnatis crinibus, & quodammodo in anulos redactis: cuiusmodi fictos crines vulgò hodie dicimus *cabello ensortijado*, id est, inanulatum. Sed mihi satis viro à Poëta dari has aureas plicaturas. Sic *lib.* 10. de Ascanio iuuene.

——— *fusos ceruix, cui lactea crines*
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Vbi *molle aurum* vocatur in fila netum. posset & Cerda hunc circulum de anulis aurei ductilis explicare. tandem scimus Athenienses aureas cicadas crinibus intexuisse.

341. *Coma ramentis auri fucata, imò & roramentis.*

Sunt & alij, qui ad ramenta auri inspersa illuminandis capillis recurrunt: id ex Lamprid. Spart. & Trebellio, quorum verba supponit, probat Sanchez: potest, licèt non omnes id asserant. nam Iosephus *lib.8.cap.2.* (nescio cur ab aliis aut 5. aut 7. cap. citatur) id etiam splendidioribus Salomonis ducibus attribuit. Certè hodie Gallicæ fœminæ similis pulueris ramentis crines fucant. Sed si ad fucum recurras, aperio & aliud fucandi genus non tam ramentis aridis, quàm liquidis roramentis. Propert. *lib.4.*

Si te Coa iuuat, Dabatarumque aurea ripa.

Versus haud purus: restituit Beroaldus ex vetusto Codice,

Si te Coa iuuat, derorantemque, aurea ripa.

Deinde explicat: *Capiti roramenta respergentem, quo magis coma illuminata flauescat.* Didicit ex Capitolino *in Vero*, qui de ipso Imperatore locutus: *dicitur sanè tantam habuisse curam flauescentium capillorum, vt capiti auri roramenta respergeret, quo magis coma illuminata flauesceret.* Sic enim lege, non *ramenta*, vt alij. Baptista Egnat. ibi, *auri roramenta, id est, guttas & stillas quasdam*, &c. ecquis scit. An Lamprid. in Commodo: *Capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato*, non tam *ramentis* dixerit, quàm *roramentis*? pro ramentis ergo solùm iuratus adest Trebel. in Gallienis. *Crinibus suis auri scobem aspersit.* Fortè hinc explicaueris Vopiscum *in Aureliano*, qui dicebat: *Plus auri esse in rerum natura, quàm argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum, & liquationum vsus perire.* has enim liquationes, etiam irrorandis crinibus impensas puto. hinc bona fax Statio *lib. 3. syl. 3.* de Hermo fluuio aurifero.

Vopiscus explicatus.

——— *quo Lydius intrat,*

& Statius.

Bacchus & aurato reficit sua cornua limo.

Cùm enim sciret, liquato auro fucari comas, Bacchum, qui aliàs cornibus aureis celebratur Horatio *lib.2.oda* 19. id ab Hermo traxisse fingit, cuius aqua, cuius limus humescens aurum fingebatur: cornua enim Bacchi pars eius cæsariei. nescio quid Tibul. *lib.1.eleg.8.* voluerit:

Quid fuco splendente comas redimire? quid vngues
Artificis doctâ subsecuisse manu.

Nam de omnibus quæ dixi, potest explicari.

342. *Coma arte candicans & nigrescens ad pulchritudinem.*

Tandem putat Sanchez posse alludi ad genus comæ in summâ flauentis, in parte verò intima nigricantis, quod fuco aliquo artis factum putat ex Anacreonte, cuius tres versus affert,

Λιπαρὰς κόμας ποίησον, &c.

Sed Anacreon aliter interpretandus, vt iam aperio. Hæc sunt (relictis aliis minoris ponderis) quæ hîc ferri solita, quæ, vt vidisti, aut mutuata, aut illustrata labore nostro, probabiliora puto relinquentur.

343. *Imò & natura ex diuerso fulgore.*

Puto nihilominus duplici alia viâ, quam inueni rem æquè probabiliter explicari posse. Sciendum igitur sic olim cæsariem pecti & fingi solitam, vt vbique cincinni prominerent in colliculos quosdam prominentiores, tenuiter ad medium relictis pulcellis cauitatibus, quas respectu comantium collium, valles diceres: ac proinde sine alio fuco, ex diuerso Solis fulgore, & vario lucis reflexu, vt coruscabant extimè, sic intimè veluti admissa vmbra nigricabant. repeto altiùs locum Anacreontis hinc intelligendum, is est in imagine sui Bathilli ad pictorem:

Anacreon explicatus.

Γράφε μοι Βάθυλλον οὕτω
Τὸν ἑταῖρον, ὡς διδάσκω.
Λιπαρὰς κόμας ποίησον
Τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιώσας:
Ἕλικας δ' ἐλευθέρους μοι
Πλοκάμων ἄτακτα συνθεὶς
Ἄφες ὡς θέλωσι κεῖσθαι.

Pinge mihi Bathillum sic
Dilectum meum, vt doceo.
Nitentes comas fac,
Intus quidem nigricantes,
Supernè verò solares:
Cincinnos verò ingenuos mihi
Cyrrhorum, inordinatè componens
Permitte sine lege iacere.

Vbi, ni fallor, ideo extimè splendentes comas ficto à se vocabulo ἡλιώσας, id est, *solares*, appellauit, quia à solo Solis & lucis fulgore, sine alio fuco, nouerat in puero splenduisse: sicut intimas ab vmbra vocauit nigricantes. & certè illud ἐς ἄκρον, satis pulcella illa, quæ excogito promontoriola, innuere videtur. τὸ ἐλευθερίους *ingenuos* dixi, contra quod alij, quia etiam apud Græcos seruis prolixa coma prohibita. Aristoph. in auibus: δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις: *cùm seruus sis, comam habes*, vbi vetus interpres: ὧν γὰρ ἐστὶ ἐλευθερίων τὸ κομᾶν, *est enim ingenuorum comam nutrire.* Sed pergo. Hinc etiam explicabant illud *florileg.7.epig.139.*

Cincinni ingenuorum etiam apud Græcos.

Fin

Florilegium explicatur.

Εἴτε σε κυανέοισιν ἀποςίλβουσαν ἐθείραις,
Εἴτε πάλιν ξανθαῖς εἶδον ἄνασσα κόμαις:
Ἴση ἀπ' ἀμφοτέρων λάμπει χάρις.
Siue te nigris ſplendentem capillis,
Siue rurſus flauis video regina comis:
Similis ab vtriſque relucet gratia.

Dat dictis plenam lucem Apuleius 2. *Metam.* qui mihi ſemper ſuſpectus vidiſſe, & didiciſſe à noſtro Cantico, ſic eius verba viſus expreſſiſſe. Laudans ergo crines ſic habet: *Quid cum capilli color gratus, & nitor ſplendidus elucet, & contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renidet, aut in contrariam partem variat aſpectum, & nunc aurum coruſcum in lenem Melis deprimitur vmbram, nunc coruina nigredine caruleus, columbarum colli floſculos immitatur.* Audis aurum ex vario reflexu in coruinam nigredinem commutatum? hanc ergo puta in puram præſentis loci mentem, vt caput ipſum quod aureum, ſiue impensè flauum erat, ex vario reflexu cincinnos inſtar corui haberet nigricantes. Fauet his in primis Hebræa vox תלתלים quæ etiam aceruos, collea, tumulos, ſignificat, vt multi hic ad rem ſuam obſeruarunt, quia qui habent cincinnos, vt ait Ghiſler. tot habere colliculos videtur: deinde additur שחרות. *nigras*, &c. quod epitheton fœmininum, non voci tribuendum, qua colliculi exprimuntur, quæ, vt vides, maſculina eſt, ſed præcedenti קוצותיו quæ fœmina. integrum ergo locum ſic vertes: *caput eius aurum par: coma eius ſicut colliculi, nigra vt coruus.* nunc nigræ qua colliculi, tunc enim inſtar auri ſplendebant: ſed quia medijs colliculorum cauitatibus nigricabant. hæc mihi non incongrua loci videtur explicatio: facilior tamen ſecunda quam iam ſubdo.

344. *Color caſtaneus vnde mixtus ad comas.*

Dixi ſuperiori verſu ſic candidum & rubicundum appellari ſponſum, vt tertius quidam color illius promiſcuus denotetur, nimirum roſeus. ſic credo in hoc loco ex auro & nigredine tertium quemdam colorem crinibus attribui, nimirum ſubflauum & caſtaneum, quo reapſe Chriſtus Dominus perpulcher dicitur. Certè eſt color iſte virilis pariter, & venuſtus: nec phraſis aliena. Ouid. 1. *Amor. eleg.* 14. de crinibus locutus:

Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis,
Sed quamuis neuter, mixtus vterque color.

quo caſtanei coloris temperatura ſcitiſſimè deſignatur: venuſtiùs tamen puella non ad meram nigredinem recurrit, ſed ad illam coruinam (de cuius eleganti fulgore infrà) vt quidquid ex aurei coruinique coloris pulchritudine commendatur, id totum temperando pulchriori caſtaneo impenſum intelligatur. Vnum, aut alterum verbum adhuc notandum.

345. *Palmarum elata.*

Elata palmarum. Sumo cum pluribus, de integumentis illis, ſiue inuolucris, quibus dactyli includuntur: quæ dum recluduntur, fila plura & capillamenta exhibent, iidemque flores appenſos, à quibus paruuli dactyli racematim inſtar acerbarum vuarum producuntur. Cuius rei iconem vide apud Ghiſler. addo nihil aptius à L X X. (quos τὰς ἐλάτας ſcripſiſſe cum multis credo, & à Vulgato noſtro) ſcribi potuiſſe: nam implicata illa capillamenta cincinnatam cæſariem repræſentant, quæ qua parte ad humeros & collum fluctuabat, flores atque racemos, quibus fluctuantes & pendulos cincinnos noui comparatos, referebat: hoc ſi exhibeo, aliquid eruditis feciſſe videar, cùm in vna elatarum comparatione omnia includantur, quæ ſingillatim à priſcis in capillorum laudem aſſumebantur.

346. *Coma floribus comparata.*

Igitur pulchros crines floribus comparatos expreſſit Syneſius lib. de Caluitio, *Vlyſſem à Minerua factum formoſum. Sic deſcribit Homerus, carulei pendens de vertice crines. & rurſus de eodem: criſpam qua in vertice fudit caſariem, & gratos hyacinthi flore cadentes.* locum Homeri habes *odyſſ.* ζ.

———κὰδ δὲ κάρητος
οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
———è capite verò
Criſpas effudit comas hyacinthino flori ſimiles.

quod idem repetit *odyſſ.* ψ. hinc Petron. Arb.

Vernanteſque comas triſtis abegit hyems.

loquitur de canitie ſub metaphora hyemis. Nonnus *lib.* 16. puellæ membra floribus comparans, preſſiùs cæſariei colorem hyacinthini dat:

Ἀθρήσας δ' ὑάκινθον, ἰδὼν κυανόχροα χαίτην.
Cernēs verò hyacinthum, vidi cyanei coloris comam.

& *lib.* 4. de Cadmo.

Relinquo capillos vt ne Phœbum prouocem
Colore, contumelia afficiens hyacinthum.

Lucianus in amoribus comas celebrat, ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἄνθουσιν ὅμοια πορφυρίζοντες: *qua hyacinthis pulchrè florentibus ſimiles purpuraſcunt.* Claud. *in nupt. Honorij,*

———non labra roſa, non colla pruina
Non crines aquant viola, non lumina flamma.

347. *& racemis.*

de floribus ſatis. Venio ad racemos, quorum plenam vindemiam facio ab vno Nonno. ergo *lib.* 10.

———ὀπισθοτόνοιο δὲ χαίτης
Βότρυες ἑλικόεντες ἐπ' ἀργυφέων θέον ὤμων
Ἀπλεκέες.
———retropendula ceſariei
Racemi flexuoſi ſuper ſplendidos currebant humeros
Non complicati.

& *lib* 34. de Nympha.

Πλοχμοὺς βοτρυόεντας ἀνερρίπιζον ἀῆται.
Cincinnos racemorum inſtar formatos ventilabant aura.

& *lib* 47. de puella plangente, & genas laniante, addit.

Καὶ δολιχὴν προθέλυμνον ἀνέσπασε βότρυν ἐθείρης.
Et oblonga radicitus diſtrinxit racemum caſariei.

Cincinnati viri.

Talea ergo cincinni ſponſo tribuuntur, qui, vt dixi, neque de forma, neque de colore homini dedecent, imò nec viro, qualis Alexander, de qua Ælianus *lib.* 12. *cap.* 14. Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Φιλίππου ἀπραγμόνως ὡραῖον λέγουσι φῦναι: τὴν μὲν γὰρ κόμην ἀνασεσοβῆσθαι αὐτῷ, ξανθὴν δὲ εἶναι. *Alexandrum etiam Philippi filium ſine forma cura formoſum fuiſſe ferunt, caſariemque illi cincinnatam & flauam.* Scio aliis comam flauam viris mollem haberi, ſed immeritò, vt ex Vlyſſe apud Homer. patet etiam. adde apud Hebræos à radice ציץ & cincinnos, & flores, deriuari.

348. *An prater Nazaraos alij comati apud Hebraos.*

Hîc tamen neceſſariò diſputatiuncula inſerenda, an de cæſarie oblonga ſponſus Nazarenus ſit intelligendus? ſupponunt id multi, imò & Ghiſler. ne Nazarenum faceret, circumtonſam comam illi attribuit: videntur (quamuis non exprimant) moueri, quia ſolis Nazaræis apud Hebræos prolixa coma. Duo aſſero. Primum, nullum eſſe incommodum ſi Nazaræus ſponſus intelligatur, vt etiam ad typum amoris ſacri religioſior & modeſtior iuuenis eligatur. Secundum, non neceſſariò ob prolixam comam, Hebræum iuuenem neceſſariò Nazarenum reputandum. Sed contra hoc ex recentioribus ſtat meus Poza, nouæ eruditionis Indiarum repertor felix, qui in ſuo Elucid. *lib.* 3. *tract.* 19. *cap.* 1. contendit Iudæos abſque Nazareatu ſemper tonſos, vnicum robur à Ioſepho *lib.* 1.

lib. 1. contra Apionem, qui approbat Cherillum, cuius & versus hos citat, de gente Hebræa:

Iosephus explicatus.

Sedes huic Solyma montes stagnum prope vastum
Tonsa caput circum.

Sed pace viri, quem doctissimum suspicio, non viget hic autoritas Iosephi, sed Cherilli, qui, vtpote alienus, paruifaciendus. id patet ex contextu: neque enim in illo loco disputat Iosephus, an Hebræi comati, sed an exteræ gentes notitiam Hebræorum haberent: & inter innumera autorum testimonia affert quinque versus Cherilli describentis Hebræos militantes Xerxi contra Græcos: quòd autem Græcus & peregrinus homo Hebræos tonsos appellet, id nec examinat, nec attendit Iosephus: ac proinde sola hic autoritas Cherilli pugnat, quæ, vt dixi, nullius est. Certè quid de Hebræorum coma sentiat Iosephus, aperit ipse *Antiq.* 8. *cap.* 2. de Equitibus Salomonis: *His decus addebant Equites flos iuuentutis, procerá statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas è Sarrana purpura induti.* An hos omnes putaueris Nazaræos? nugæ. ergo Nazaræi in hoc ab aliis, qui comam nutriuerant, distinguebantur, quòd illis toto Nazaræatus tempore caput nulla ex parte nouaculà rasum erat in præceptis: his verò radere si vellent, aut imminuere, semper liberum. nota quæ de Absalonis non Nazaræi cæsarie huc afferri possent. Sed de hac materia alibi fortè latiùs disputabo.

349. *Corui nigredo lucida.*

Coruus. Allatura puella nigredinem, aut auro immiscendam, castaneo colore temperando, aut per se ipsam de vario reflexu micaturam, signatissimè illam nigredinem elegit, quæ splendorem inuoluit, quæque, vt passim experimur, in coruo reperitur. Certè apud autores frequenter in laudata nigredine ad splendorem recurritur. Apul. *lib.* 11. *Met.* vbi de veste sacra. *Palla nigerrima splendescens atro nitore.* Mart. Cap. *lib.* 1. nescio de quo caliginoso: *Quod tamen si appulsu cuiusdam luminis tangatur inter obtenebrantes nebulas fuda perspicuitatis gratiâ pœniteat.* idem apud Græcos. Orphæus in hymno Nereides vocat κυαναυγεῖς, *nigredine splendentes.* Nonnus *lib.* 11. de Nymphia eadem mente, qua Mart. Cap. citatus.

Ὧν ὁ μὲν νιφόεντι κατάσκιον ἀμφὶ προσώπῳ
Λεπταλέῳ πέμπεσκε κελαινέφεος σέλας αἴγλης.
Quarum hæc quidem niueo vmbrosum vultui
Tenui misit nigri fulgorem splendoris.

Vbi & *nigrum splendorem* ponit, & *vmbrosum fulgorem* Athen. *lib.* 12. *cap.* 16. de Philadelpho: *Chlamydes illius nigrum coloris splendorem habebant.*

350. *Aurum de coma.*

Vnum fortè desiderabis, *aurum* de flauitie comarum illustrem: tritum potaui. Homerus duplici loco citato paulo pòst id satis innuit: sicut Virgil. 1. *Æneid.* ebori & auro vultum & cæsariem Æneæ comparauit. Latona apud Homer. *in hymno Apollinis*, dicitur χρυσοπλόκαμος, *auricoma*; & apud Euripidem ἵμερ χρυσοκόμας: *cupido auri comus.* Sed ô he, quis non ita?

P A R A P H R A S I S.

Cincinni capitis eius ex auri splendore venusto, & splendente corui nigredine temperati, sub flauo quodam medio colore, extremum pulchritudinis attingunt. imò vario lucis reflexu nunc ad superficiem aurei coruscant, nunc intus nitida corui nigredine splendescunt: quos, dum ad humeros pendent, aut flores racematim sparsos, aut racemos floride pendulos reputetis.

VERS. 12.

Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.

In hoc loco non ita comparationem sumendam puto, vt sponsi oculi aut columbis, aut (quod multo alienius est) columbarum oculis comparentur: sed vis similitudinis in eo latere videtur, quòd oculi illi habeant aliquid commune cum columbis, quæ iuxta aquarum riuulos colludunt: nimirum, quia sicut riuuli speculorum instar columbarum imagines exprimunt ad viuum; sic sponsi oculi specula vocentur, in quibus sponsa, quæ toties columba dicitur, repræsentetur: támque frequenter id factum, ob mirificam, quæ inde percipitur, voluptatem, vt iam quodammodo oculi in columbas transformati, columbæ appellentur. hoc vt explicem, quod vt absque dubio nimis patheticum est, & amatorium, pluscula subnotanda.

351. *Columbæ aqua pro speculo vtitur.*

Primum, non solùm familiare, sed etiam dulce colombis in aquarum speculo se videre: hinc est, vt vidua turtur, à limpidioribus aquarum crystallis dicatur abstinere, ne visa sui imagine, dilecti comparis memoria torqueatur. Mantuanus notissimis illis carminibus:

Sicut vbi amisso thalami consorte per agros
Sola volat turtur, nitidis nec potat in vndis,
Ne comitis prisci tristetur imagine visa,
Nec viridi posthac fertur consistere trunco.

Turtures autem de genere columbino esse, suprà probaui.

352. *Oculi speculares.*

Secundum, humanos oculos de hac speculari natura, quam sortiri solitos commendari: do illibatum locum Asterij Episcopi Amaseæ apud Phot. cod. 271. *adeò pellucidus est, & leuis in spissitudine, vt rerum vicinarum formas suscipiat, & tanquam speculum quoddam egregium formas repræsentet: & circuli medium, ideo vt κόρη, id est, pupilla appellatur, quia semper formam, ex aduerso sedenti humanam ostendit: homines enim mutuò se aspicientes, mutua sibi fiunt specula.*

353. *Amantes se inuicem pro speculo vtuntur.*

Tertium. Solitos amantes, hæc sibi inuicem specula affectare, cecinit iactabundus quidam, qui se in puellæ oculis versatum ait, nec tanto consumptum fuisse incendio admiratur. Fortasse ideo Hermias apud Athen. *dipnos.* 13. *c.* 6. narrans somnum Endymionis amore flagrantem, subdit:

Athen. fortè explicatus.

Somnus vero gaudens oculorum splendore
Puerum apertis oculis sopiuerat.

Credo, vt se attentiùs & diutiùs in illis miraretur expressum; sed quid oculos narro, qui natura ipsa, specula? auent amantes vbique amicarum se intueri, si possunt. Apul. 2. Milesiar. *Quid cùm capilli color gratus & nitor splendidus elucet, &c. vel cum guttis Arabum obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus, & ponè versum coactus oculis occurrens instar speculi reddit imaginem gratiorem.*

354. *Oculi speculares à formâ acceptâ vocantur.*

Quartum, meritò oculos aliquid repræsentantes, repræsentatæ rei nomine appellari: si enim etiam hinc philosophico supercilio verum axioma: *Intellectus intelligendo lapidem, fit lapis.* Cur oculus videndo lapidem, quodammodo lapidescere non dicatur? certè hinc ad rem suam mysticam Nyssenus *homil.* 4. ad illud cap. 1. *oculi tui columbarum*, pulcherrime sic scribit: *Quoniam qui non amplius aspicit ad carnem & sanguinem, ad vitam aspicit spiritualem, spiritu ambulans, & corporis actiones spiritu mortificans, totus effectus spiritualis, non animalis, neque carnalis. hac de causa fertur testimonium de*

anima

animæ liberata à corporali affectione, quòd habeat speciem columbæ in oculis, hoc est, characterem vitæ spiritualis, quod illustretur perspiciente animi facultate: si quidem iuxta Philosophorum sententiam, oculus species excipiens, quæ exeunt ex rebus aspectabilibus, ita visum in operationem deducit: hac de causa laus pulchritudinis oculorum est forma columbæ, quæ apparet eorum pupillis; sic quoniam purus est animæ oculus, capax est characteris columbæ & Spiritus sancti. Vbi ad rem meam aduerte prædictum locum capitis primi apud LXX. quibus hæret Nyssenus, legi: *oculi tui columbæ.* quasi à repræsentato spiritu, appellati. Clarius ad *cap.* 4. vbi idem repetitur, addit Nyssenus, vocari oculos sponsæ columbas, *quia cùm spiritualia dumtaxat videant, columbæ ac Spiritus sancti speciem ab iis, quæ intuentur, immissam habent.*

Ex his iam apparet meritò, puellam sponsi oculos columbas in aquis se speculantes appellasse, quasi semper in oculis illis tamquam in viuo speculo dilectæ columbæ species gestaretur. Nec obiicias, intendi in hoc loco dandum pulchritudinis signum, non amoris effectum, & affectum intentatum; quia nihil celebrandæ oculorum pulchritudini dulcius afferri posset; q. d. illum, ô Solymitanæ fœminæ, statim à pulchris oculis agnoscetis, clari sunt & nitidi, vt per omnia præstantissima specula videantur, indeque sic mihi dulces, vt perpetua illis insistam repræsentanda. Quid vero magis commodius amatorio cantico, quam sic laudari pulchritudinem, vt obiter amoris scintillæ nascerentur, vt multis dixi *cap.* 4. suprà?

355. *Columbæ à candore commendata.*

Lacte lotæ. Candidas, & quodammodo lacteas explicant, nec immeritò, hic enim color columbis commendatus. Catul. *lib.* 1.

Vt albulus columbus, aut Adoneus.

& iterum alibi,

Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo
Compar, seu quidquid dicitur improbius.

Ouid. .*Fast.*

Ergo sæpe suo coniux abducta marito,
Vritur in calidis alba columba focis.

quæ addenda Tibullo, quem omnes huc afferunt, qui dixit,

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Cecinit verò gratia comparationis, si non obuia quæuis, sed candidior, & inde venustior columba huc assumatur: obiterque puella laudes suas postabitur, ni fallor, aucupata.

Lac lauandis aptum.

Ego tamen & oculis meis, & puellæ pulchritudini maius aliquid addi putarem, si dilectas & delitiosas columbas, & reapse puto lacte lotas, huc allatas dixerimus; id enim ita fortasse vsu venisse, non leuibus coniecturis persuadeor. Prima esto; quia, vt nemo nescit, lac læuigandis dealbandisque corporibus deseruit, vt ex Poppæa Neronis amica patet, quæ lacte lauari solita: cur ergo læuigandis & dealbandis auiculæ plumulis apud priscos hanc ablutionem vsurpatam inficiabimur? Certè apud illos in summis delitiis habita columba, hinc & pretiosis vnguentis vnctam lego. Anacreon *in columba*:

Columba vnguentata ad quas delitias.

Ἐρασμίη πέλεια
Πόθεν πόθεν πέτεσαι;
Πόθεν μύρων τοσούτων
Ἐπ' ἠέρ@ θέουσα
Πνέεις τε, καὶ ψεκάζεις.
Amabilis columba
Vnde vnde pergis, aut quò?
Tot vnde nunc vnguenta
Huc aduolans per auras
Spirasque, spargisque?

Consonat Athen. *dipnos.* 15. *cap.* 17. qui in conuiuio columbas vnguento delibutas & circumuolitantes describens, subdit de eisdem: *vestes strataque conspergebant.* his autem sic vnctis vtebantur, aut vmbraculi, aut flabelli instar delitiosioris: miraris? adeste testes. idem Anacr. citatus.

Νῦν δ' ὡς ὁρᾷς ἐκείνου
Καὶ δεσπότην Ἀνακρέοντα
Πτεροῖσι συγκαλύπτω.
Si fortè pota fallo
Penis Anacreontem
Herum meum obumbro.

Antiphanes apud Athen. *dipnos.* 6. *cap.* 6. de delitiis Regis Cyprij.

Hic delicatæ res erat, quàm maximè
Supra fidem: quæ? Rex edens ventum excipit
Salis columbis, afflat huic aliud nihil.
It perunctus vnguentis erat Syris, ferunt
Quorum columbas fructibus suauissimè
Vesci: hoc odore venerant, vt huc simul
Multæ volantes, ac morari verticem
Supra volentes. territabant has statim
Pueri assidentes: hæ parum latæ haud nimis
Nec huc, nec illuc, prorsus afflabant, ita
Vt spiritum lenem, nec asperum nimis
Facerent ei.

Facit huc etiam quod Basilius scribit epist. 175. *Ars quædam est aucupandi columbas, videlicet talis: vbi vnam ceperunt, qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum assuefaciunt, deinde vnguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus: illa verò per vnguenti fragrantiam, agrestem illum & liberi pastus gregem, ad possessionem transfert eius, cuius ipsa est domestica, bene olentem namque sequuntur & reliqua.* Quid plura de vsu vngendi auiculas dilectas? certe etiam mortuas instar nobiliorum cadauerum perungebant. Statius in Psittaco Melioris honorifice sepulto:

356. *Aues honore sepultæ.*

——*Assyrio cineres adolentur amomo*
Et tenues Arabum respirant germine plumæ
Sicaniisque crocis.

Nec solùm vnguentis, sed & gemmis, si Deo placet, auiculas cultas lego. Alexander *in epistola ad Aristotelem*, de luxu Indico: *In domuum parietibus innumerabilia auium genera variis coloribus oberrabant inter auratas platanos, vnguibus rostrisque inauratis: pro inauribus torquibusque margaritas vnionesque gerentia.* Credo igitur non abstenturos lacteo lauacro, qui tot aliis pretiosioribus impendiis pro auicularum cultu non parcebant.

& culto gemmis.

357. *Aqua obluens columbis noxia.*

Secunda coniectura est, quia columbis lauacri & munditiei studiosis, non semper vtile aquæ lauacrum: licèt enim celebretur illud Varronis 3. de re rust. *Aquam puram esse oportet quæ influat, vnde bibant, & se lauare possint columbæ: permundæ sunt enim hæ volucres.* ad quam riuulos & fluenta plenissima huc adducta volunt: tamen mihi non minoris ponderis est autoritas Columellæ *lib.* 8. de Columbariis, vbi ita: *Vasa quibus aqua præbeatur, ita sint, vt colla bibentium admittant, & cupientes lauari propter angustias non recipiant: nam id facere eas non expedit.* Quid ergo mirum, si putemus apud Palæstinam, vbi lactis copia exundat, eius lauacra cultioribus columbis præparata?

Tertia, quia apud Syros Hebræis vicinos, columbæ in religione habitæ, vt ex Tibullo dixi; quid ni ergo pretiosius vnctas & lotas, quàm apud alias gentes suspicemur? rem notam, minus tritia

Columba Syris culta.

Luciani

Luciani locis illustro adhuc: ergo in Ioue tragœdo: Φρύγες δὲ μήνῃ, καὶ Αἰθίοπες ἡμέρᾳ, καὶ Κυλλήνιοι φάλητι, καὶ Ἀσσύριοι περιστερᾷ, καὶ Πέρσαι πυρί, καὶ Αἰγύπτιοι ὕδατι: *Phryges lunæ sacrificant, Æthiopes diei, Cylleny Phaleto, Assyrÿ columba, Persæ igni, Ægyptÿ aqua.* & in Dea Syria causam reddit: καὶ ὀρνίθων τοὺς μὲν ἄλλους σιτέονται, περιστερὴν δὲ μούνην οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσιν ἥδε ἱρή, &c. ὅτι τὸ Σεμιράμιος τέλος ἐς περιστερὴν ἀπίκετο. *Aues quidem alias edunt, a columba verò abstinent, quæ & ipsis sacra habetur, quòd Semiramis ad finem in columbam versa credatur.* Nec obstat quòd statim additur de Gallis Deæ sacerdotibus, nimirum: Ὀρνίθων τὰ αὐτέων περιστερὴ δοκέει χρῆμα ἱρότατον, καὶ ἢν ψαύσωσιν αὐτέων ἀέκοντες, ἐναγέες ἐκείνην τὴν ἡμέρην εἰσί. Τοὔνεκα δὲ αὐτέοισι σύντροφοί τε εἰσί, καὶ ἐς τὰ οἰκία ἐσέρχονται, καὶ τὰ πολλὰ ἐν γῇ νέμονται. *Inter aues verò, ipsis columba sacratissima reputantur, & neque ipsas tangere fas habent. quòd si quandoque licèt inuiti attigerint, impuri illa tunc die habentur: qua de caussa compascua ipsis sunt columba, & ad domos eorum diuertant, & vt plurimum in terra illa pasiuatar.* possum enim dicere hunc tactum sacerdotali tantùm superstitioni in prohibitis, non verò laicæ Assyriorum genti: aut loqui de tactu molesto, non verò religioso, qualis foret, cùm vngendæ & comendæ attectatenıur.

Columba gypsata felicitatis symbolum.

Denique apud Hebræos columba felicitatis symbolum fuit: ideoque ditiores, eius alas vlteriùs dealbandas, gypso illinibant, & tectis domus affigebant: quod ex probatis autoribus confirmat Lorinus ad *Psal.* 67. *num.* 14. indeque explicat illud, *penna columba deargentata.* Addoque signatè non *argenteam* dici, sed *argentatam*, quia quæsitus fucus non innatus. in Hebræo: *tecta in argento,* quo clarè obductio candoris significatur. Possent ergo etiam viuas lacte lauare, quo nitidiores sibi colluderent. nec impugnauero, si quis *lac* in hoc loco pro quouis fuco alio vsurparit: sicut Dauid pro fuco candidissimo, & gypso visus argentum vsurpasse: dummodo tandem fucus quicumque admissus intelligatur. Et quis scit, an sicut Hebræi crinibus suis flauescendis *aurea ramenta* spargebant, quod suprà ex Iosepho *lib.* 8. *cap.* 2. ostendi, sic columbis dealbandis, eisdemque splendori conciliando, argenteis ramentis vterentur, hisque allusum Dauidem?

Psalm. 67. num. 14. explicatur.

Quidquid sit, columbæ pretiosissimæ, & propterea comptæ huc appellantur: ex quibus proinde puellæ comparatæ dignitas excrescit, delitiæque, quibus habita innuuntur. quod additur de *fluentis plenissimis*, Hebraismus est, quo eadem res, quæ suprà per riuulos aquarum expressa fuerat, iterum repetitur: qui modus quàm passim in sacris litteris obueniat, ignorat nemo: adde torrentes pleniores, viuidius quàm aridulos speculo deseruire.

PARAPHRASIS.

Oculi eius viuidi, clari, nitentes, aliquid commune habent cum columbis delicatioribus. quibus adhibito fuco venustior candor quæsitus: sicut enim iste, dum riuulos pellucidos superuolitant, imaginem suam è vitreo illo humore, tamquam ab speculo puro immissam exultantes cernunt; sic oculi illi, dum mihi specula clarissima esse solent, meam mihi imaginem repræsentant: in illis me, quam identidem columbam suam appellat, dilectus gestat: vnde & ipsos oculos meritissimò columbas appellauerim. Vt enim specula imagine sibi obiecta vestiuntur, sic illi ex assiduo meo conspectu, quem percipiunt, quodammodo columbescunt.

Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis. labia eius lilia distillantia myrrham primam. VERS. 13.

358. *Flores de barba lanugine.*

Quæ hîc in genarum comparationem afferuntur, ideo obscura, quia Hebræus fons æquiuocè, Græcus verò transuersè paululum visus scaturire à nostro: omnium cohærentiam vide apud interpretes. Ego cum doctioribus primam malarum lanuginem laudatam, quæ à priscis florum metaphoram passim explicatam legis: vide quæ Sanchez. adde Nonnum *lib.* 5. de iuuene acerbè rapto:

> ——— καὶ οὐκ ἐδάη ἴουλον
> ἄνθει πορφυρέῳ κεχαραγμένον ἀνθερεῶνα.
> ———*& non cognouit lanuginem*
> *Flore purpureo signatum mentum.*

Vbi nota, etiam voculam ipsam, qua *mentum* notatur, scilicet ἀνθερεῶνα, flores, ἀπὸ τῶν ἀνθῶν, denotare. Idem *lib.* 10. de Ampello iuuene. parco Græcis:

> *Ampelus crescebat nuper nutritus ramus amorum;*
> *Neque ipsi mollis lanugo rubentis menti*
> *Imberbes niuea signauerat circulos maxilla*
> *Iuuenta aureum florem.*

Circuli de genis.

Gemmâ verò signandus hic locus, in quo *circuli* genis tribuuntur, quia Hebræum illud מגדלות aliqui per *circulos floridos* explicarunt. ex Latinis satis Claud. 2. *de laudibus Stiliconis.*

> *Purpureoque prima signatus flore iuuenta.*

Barba de herbis & plantis.

Barba mollis adolescentum.

Vt autem à floribus ad barbam, sic è contra, ab hac ad rem rusticam deducitur metaphora. Plin. lib. 17. cap. 23. *tonsili tenuium virgultorum barba.* Puto autem præter pulchritudinem mollitiem etiam à floribus mutuatam: hæc in adolescentibus commendata. Lucret. lib. 5. *vestit molli lanugine malas.* & iterum cultiori flexu: *impubem molli pubescere veste.* Theocr. *Idyl.* 15. de Adonide,

> Ὀκτωκαιδεκέτης, ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός:
> Οὐ κεντεῖ τὸ φίλημ' ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυρρά.
> *Octo & decem annorum, vel decem & nouem sponsus est:*
> *Nondum pungit osculum in eius labris roseis.*

Ideo apud eundem *Idyl.* 20. puella irridens hispidum bubulcum ironicûs ait:

> Ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις: ὡς ἁδέα χαίταν.
> *Quàm mollem habes barbulam, quam pulchram cæsariem.*

Vnde minus ad delitias Nonnus *lib.* 25. qui barbam vocauit ἴουλον στάχυν, *spicam iuuentutis.* pergo.

Areola aromatum. Similem aream nemo Claudiano dulciùs delineauit *in nupt. Honor.* vbi de horto Veneris:

> *In medio glebis redolentibus area diues*
> *Præbet odoratas messes: hic mitis amomi*
> *Hic cassia matura seges, panchæaque surgunt*
> *Cinnama, nec sicco frondescunt vimina costo:*
> *Tardaque sudanti prorepunt balsama succo.*

Vide quæ multa, licèt tacito aroarum nomine, scripsit *lib.* 2. *de rap. Proserp.*

359. *Topiary qui.*

Consita à pigmentariis. Pro Topiariis positus hîc pigmentarios existimant: de his audiendus Alexander Neapol. lib. 3. cap. 25. *Dixi Topiarios inter prædiorum rusticorum operarios censeri, dictosque à Græcis qui arbusculas virgultaque ductilia facili flexu in varias formas figurasque modò humi, modò per varia*

spatia vario & solerti ingenio efficerent, & concinnarent: fuisseque moris prisci buxo myrtoque, aut vario virgulto varias hominum effigies, nauiumque formas, aut turrium aditum, vel cubiculorum species in hortis per eiusmodi operis magistros qui Topiarij dicti sunt, effingi & concinnari, ἀπὸ τῶν τόπων, hoc est, *à locis quæ virgultis huiusmodi effinguntur: quæ quidem ars in hortis colendis frequens fuit.* hodie apud nostratum viridaria huius luxus delitias passim videmus. Sed, vt vides Topiariis nihil cum floribus commune, sed cum virgultis. hîc autem etiam, imò magis aromatici flores asseri videntur: vnde plures ad roseum maxillarum colorem candido rubroque permixtum confugerunt: quos qui vellet, posset etiam iuuare ex Nonno *lib.* 4. vbi Dea ad puellam de marito Cadmo, ab illis verbis.

Genæ florida.

Σοὶ γάμον ἄξιον εὗρε γαμήλιε ταμίη σεῖο μήτηρ, &c.

Tibi nuptias dignas inuenit nuptiarum dispensatrix tua mater
Nunquam tantum florem vidi, spontaneum enim
Vernum donum natura dedit Cadmo.
Vidi ego manum roseos digitos habentem, vidi frontem
Suaue mel stillantem, vultus verò amorem generantis
Tamquam rosæ rubent.

& *lib.* 16. vbi amator ad puellam,

Et aliquando odorato in prato ambulans
Flores omnes vidit germinantes æqualem colorem habentes cum puella:
Et quoddam verbum dixit in tenebrosos ventos:
Modò vix Nicæa tuam vidi hîc formam:
An ne tuam pulchritudinem mutasti in flores, pulchrò enim natum
Tangens rosarium, tuas noui genas.

Genarum circuli.

Musæus in *Leandro*,

Summi niuearum rubebant circuli genarum,
Vt rosa ex thecis bicolor.

Vbi obiter iterum nota, *circulos* genis attributos. Aristenetus epist. 1. *mixta candidiore ac tenui rubore genæ, natiuam rosarum splendorem referunt.* Dedi hos pauculos, quia illibati. ego tamen, vt vides, cum aliis non ad colorem, sed ad lanuginem recurro, de pigmentariis verò sic coniecto.

360. *Barba vnguentata.*

Notum olim apud priscos, non solùm caput, sed & barbam vnguento vngi. Anacreon,

Nihil curo Sardiani
Regni Gygem potentem,
Auri nec appetens sum,
Nec inuideus Tyrannis,
Sed curo delibutam
Vnguento habere barbam,
Sed implicare curo
Meos rosis capillos.

Nihil addo: restor Græcam fidem,

Ἐμοὶ μέλει μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνην.

Hébræis mos notus: vnde illod Psalm. 132. n. 2. *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Crederem igitur signatè huc pigmentarios, siue vnguentarios appellatos, vt vnguentarios flores, id est, vnguentatam lanuginem caperemus: ductâ metaphorâ ab vnguento liris floribus, de quibus *cap.* 1. & statim plura dicam.

361. *Pulchritudo perfecta picta dicitur.*

Quod autem ad artem visa recurrisse puella, nec solùm sponte natiuos flores huc adduceret, non carere crederem suo sale: sic naturalem & perfectam pulchritudinem, quasi arte factam solemus celebrare, & vulgò dicimus, *parece pintada.* hinc lux Propertio *lib.* 1 *eleg.* 2.

Propert. explicatus.

Pintus in Cantica.

Nec Phrygium falso traxit candore maritum,
Auecta externis Hippodamia rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apellæis est color in tabulis.

Vbi Passeratius. *Est in hoc simili dissimile. nam Apelles arte pinxit, & arte summa, cùm hîc à forma velit omnem artem abesse: sed eò respexit quòd quatuor tantum coloribus vsus dicatur Apelles.* non capit. imò id commendat, quod ita à natura facta, quasi penicillo Apellis ficta videatur. illustro hanc mentem ex Æschylo *in Agam.* de puella formosa. πρέπουσα θ' ὡς ἐν γραφαῖς: *pulchra vt in picturis.* prætereo Virgil. & Homer. qui Æneam & Vlyssem fabrefactæ ex auro & ebore statuæ assimilarunt. inde vetus Glossarium: τί κάλλος; φυσικὴ ζωγραφία *quid pulchritudo? naturalis pictura.*

362. *Lilia purpurea.*

Labia lilia. Ad liliorum genus purpureum referunt interpretes, quod ex Plinio & Theophrasto firmant: adde Virgilium 4. *Georg.*

———albaque circum
Lilia verbenasque prement, vescumque papauer.

Vbi Cerda. *Alba lilia ad discrimen aliorum, quæ rubent: vidi ego in Hispania sæpe rubentia lilia, quia sit eadem forma cum aliis tantùm diuersus color.* Martial. 4 *epig.* 42. ad rosas confugit.

Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

De forma liliorum, instar labiorum, iam alij.

363. *Flores vnguentati.*

Distillantia. Adiectum (quod nullus notare curauit) æquiuocum: nescias enim an labia, an lilia vocarit distillantia. pari æquiuocatione LXX. χείλη αὐτοῦ κρίνα στάζοντα σμύρναν. Vnde posset aliquis putare, lilia vnguentata (de quibus *cap.* 1.) & myrrham stillantia huic adduci, eo vel maximè, quòd non ita suauis odoris lilia purpurea esse dicantur, ac proinde ionato colore, & quæsito odore gratius videbantur venire in comparationem. Nihilominus in Hebræo tollitur æquiuocatio, ibi enim hoc adiectum fœmineum est, & labiis eiusdem generis tribuendum: cùm tamen lilia ibidem mascula habeantur שושנים.

364. *Verba vnguentata & meditantia.*

Myrrham. Ferè omnes ad bonum halitum labiis emissum, recurrunt. non probo, quia halitus oris propriè, vix labiis tribui potest. meliùs alij verba hîc commendata volunt: quod tamen, quia nemo illustrauit, id meum erit. Lucianus igitur *in Nigrino, ad finem*, de magistro prudentibus & attentis consiliis instituente, ab illis verbis, ἐπειδὰν δὲ ταῦτα ἴδῃ, &c. Vbi ita, *vbi autem hæc omnia perspecta habet, tunc demum tincta atque infecta sagitta, non veneno, quemadmodum Scytharum sagitta tinguntur, neque resina perinde vt curetum, sed sensim mordaci pariter & dulci pharmaco inuncta verè iaculari solet. Illud autem quod iactum est, & bene, adeò, & pro modo suo satis fortiter impulsum, eóque penetrans, vt iam transiturum esse videatur, citra tamen desinat, & manet pariter, & multum medicamenti illius de se emittit, quod videlicet dispersum totum circumquaque animum ambit. atque hoc illud est quo & oblectantur, & cur lacbrymas inter audiendum emittunt. quod & mihi accidit paulatim, & tacitè medicamento illo animum obeunte.* Meliùs puella non absolutè pharmacum, sed signatè myrrham expressit suauem pariter & amaram, prudentiæ verborum sponsi significandæ: laudem autem à suadela petitam optimè cum labiorum & vultus pulchritudine coniunctam, disco ex Nonno *lib.* 4. qui amœnissimam pulchri Cadmi descriptionem, quam suprà dedi, sic concludit:

Labiorum eloquentia laudata.

Labia tacebo, ipsum verò os pelagus amorum
Suadela inhabitans, fundit mellitam vocem:

L Et

Et gratiæ sequuntur totum corpus.
& *lib.* 41. puellâ pulcherrimâ graphicè descriptâ, addit:

Talis erat Beroë gratiarum germen: si quando puella
Dulciorem fauo mellifluam emittebat vocem
Dulciloqua insatiabilis, stabat super labia, suadela.

Psalm. 44. num. 3 explicatur.

Sic capio illud Psalm. 44. num. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Vbi pulchritudinem suadela comitatur: de quo plura in meo spicilegio. Aduerte tandem Homerum oratoribus tribuere vocem, λειριόεσσαν, *lirioessam.*

365. Lilium quid sum voce.

quam explicans Lucianus in Hercule Gallico ita habet: οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν εὐανθῆ τινα: λείρια γὰρ καλεῖται τὰ ἄνθη: *Oratores Troianorum vocem lirioessam immittebant, floridam videlicet quamdam vocem: liria enim appellantur flores.* ego tamen quamuis etiam ex Polluce norim, apud Homerum λείρια *liria* pro omni genere florum vsurpari: video tamen, quòd nemo negauerit lirium, & λείριον, propriè pro quouis genere lilij capi, maximè pro narcisso, qui flos purpureus & purè putè è genere liliorum rubentium: an ergo lilia purpurea & narcissi, aliquid habent commune cum suadela & eloquentia, vnde à Salomone & Homero huc vocata? cogitemus. Vide plura *cap.* 4. *vers.* 3.

PARAPHRASIS.

In maxillis eius ver totum floret, lanugo vernat mollis vnguento delibuta. sic à natura factæ, vt fictæ arte odoratorum florum areolæ vernantes. eius labia purpurantium liliorum instar leuiter repanda venustantur: vnde medicata, & medicantia pariter verba, quasi pretiosa illita myrrha solent emanare.

VERS. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

366. Tornatum de perfecto.

Supponunt omnes, optimè ad rei cuiusuis perfectionem denotandam à torno similitudinem desumi. nullus, quem viderim, probat: id præsto non solùm in rebus aliis, sed etiam in humanis membris. Catullus *in nupt Pel.*

Quæ tibi flexanimo mentem perfundit amore,
Languidulosque paret tecum coniungere somnos:
Læuia substernens robusto brachia collo.

Vbi Passerat. *Læuia, id est, mollia tactu, quasi torno polita, & rotunda.* Ælian. *lib.* 14. *cap.* 7. de adolescentibus Laconibus, nuda & bene compacta corpora ostentantibus, ita ὥσπερ διαγλυφέντες, ἢ διατορνευθέντες ἐπῃνοῦντο: *qui quasi sculpti celo, & torno laborati apparebant, laudabantur.* Laudantur igitur manus læues, teretes, succulentæ, non hispidæ, non scabrosæ, non flaccidæ: hoc erat manuum naturale ornamentum. Addit, ab industria additum aliud, scilicet ab anulis aureis, quorum pallæ gemmis fulgurabant, sic plures, quibus assentio. Amouendus tamen obex, quem aut dissimularunt, aut spreuerunt interpretes: tot ne anuli simul gestarentur, vt plenæ illis manus absque immodica hyperbole dici queant? ita credo, idque ex vsu prisco, quando non vnus tantùm, sed omnes ferè digiti anulis insigniti. Statius in coma Earini de Venere comente puerum:

367. Anuli olim plures gestati.

Tunc proprior iam cura Deæ quæ forma capillis
Optima, qua vestis roseos accendere vultus
Apta, quod in digitis, collo quod dignius aurum.

& iterum de Glaucia puero.

——modò puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

Plinius lib. 33. cap. 1. *Multis hoc modis, vt cætera omnia, luxuria variauit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo digitos onerando.* & iterum lib. 37. cap. 1. *Iam alij pondera eorum ostentant: aliis, plures quàm vnum gestare labor est.* erat nimirum luxus multos gestare anulos gemmis graues: sed luxus mollissimi ab his abstinere, quasi præ nimia teneritudine plusquam vnum gestare non valeret. quid quod hibernos anulos graues, æstiuos leuiores habebant; sic explicatur illud Iuuenalis *satyr.* 1.

Iuuenalis explicatus.

——cùm verna canopi
Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ
Difficile est satyram non scribere.

Sed redeo ad multitudinem anulorum, & in vno eodemque digito plures gestatos (quod etiam hodie fœminis vsu venit) discis ex Martiale *lib.* 5. de Stella viro splendidissimo locutus:

Sardonichas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.

Non ergo dedecet iuuenem multis anulis cultum hîc describi.

Hyacinthis. In Hebræo *Tharsis*, quam vocem LXX retinuerunt: certum est significare gemmas pretiosas, vnde variè à nostro transferri solet. Ego crederem, doctiorum pace, esse antiphrasim, radix enim est רשש, id est, *depauperare, ad inopiam redigere*, quia cùm summa opulentia in gemmis constituatur, antiphrasticè gemmas per paupertatem denotarunt.

368. Flores cur amantibus gestati.

Sunt qui hyacinthinos flores hîc volunt significatos: starem his lubenter, ni Græca & Hebræa visa repugnare: exprimeretur enim mos purus putus amatorius, de quo Clearchus Solensis apud Athen. *lib.* 12. *cap.* 31. quærit: *Cur in amatoribus flores, mala, resque eiusmodi in manibus gestare solemus?* vbi multis respondet. illud ad rem nostram: *fit enim florum pomorumque præsentia leuius desiderium,* quasi obiter amatorium iuuenis sui ingenium puella innueret, qui in desiderij leuamen flores gestaret: imò etiam indidem mirabunda, quòd qui semper torquenti absentiæ leuamen à floribus procurabat, nunc fugam & voluntarium discessum sustineret. Ah *Tharsis*, quàm mihi fores vox gemmea, si floridulæ explicationi arrideres? Certè cùm vox Latina sit æquiuoca gemmis, & floribus significandis: Hebræa verò non omnino clareat, quis iurauerit, per *Tharsis* etiam flores non denotari?

369. Virorum armilla.

Hæc sunt quæ in aliorum gratiam addenda putaui: quæ nouanda suspicor, sic habe. Aureas gemmatasque armillas priscis vsitatas nemo ignorat: has Liuius *lib.* 1. Sabinis viris tributas refert, *& aureas magni ponderis armillas, gemmatosque anulos* appellat. has etiam viris Hebræis in vsu discis ex Iuda *Genes.* 38. *num.* 18. à quo Thamar pro arrhabone postulat, *anulum, armillam & baculum.* Frustrà alij vocem פתיל aliter explicant, LXX. ὁρμίσκον, quo expressè genus monilis denotatur, vel torquis, vel circuli. quo non tam collum, quàm carpum (id est, partem illam, qua brachium manui connectitur) Iudas exornarat. sic Lucianus *in Amoribus*, Dracones, collaris aliàs genus, brachiis etiam attribuit, atque carpis, *quid referam illos*

illos Dracones carpos brachiaque circumterentes : qui vtinam pro auro , reuera ſerpentes fierent. Græca ſignatè περὶ κάρποις , καὶ βραχίοσι. has armillas inter nodiorum prædictorum ornamenta, licèt alij brachialia vocent , tamen Iudith 10. num.5. *dextrariola* appellantur , quia communi internodio adhibita, nunc brachij , nunc dextræ comptus habebantur. Credo igitur armillas has brachatas hîc celebratas : moueor , quia in Hebræo eſt גליל *orbis circulus* , quibus vocibus meliùs armillæ , quàm anuli ſignificantur, cùm ſit à radice גלל *voluere, reuoluere , circumire.* quæ quamuis digitorum anulis poſſint accommodari , aptiùs longè circumuolutæ carpo armillæ tribuuntur. Vocamus nos cum Gallis *braçeletes* , & fœminis tantùm videmus vſitatos.

370. *Venter pro pectore.* *Venter eburneus.* Tu vide, quæ alij, qui mihi nuſlatenus ad guſtum. quæ excogito non plenè ſatisfaciunt, non dum tamen meliùs aliquid addendum denuo potui inuenire. explico locum de parte illa pectoris collo ſubiecta, humeris correſpondente, quæ ab ſponſo, decorè & modeſtè nuda geſtata , & ab indagaturis puellis facilè cerni poterat. hoc vt pateat , ſuppono quòd omnes fatentur ventrem in ſacris litteris ex vi Hebraicæ etiam pectus ſignificare : ſatis nunc illud Pſalm.21.n.15. *factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* at cor in medio pectoris eſſe, ſi cor habes, non inficiaberis.

371. *Pectus ſummum olim nudatum.* Suppono ſecundò ſatis videri probabile ſuperiorem partem pectoris viris olim nudatam, id in omnibus ferè priſcis imaginibus datur cernere: idque non ineptis coniecturis ſic oſtendo , quia humeri etiam à fœminis nudi geſtabantur : ergo etiam pars illa pectoris, quæ ſupra mammillas eſt, à collo , & humeris correſpondet , nudata præſumenda. D. Hieron. in libello de ſuſpecto contubernio. *Palliolum interdum cadit , vt candidos nudet humeros , & quaſi videri noluerat , celat feſtina quod volens detexerat.* atqui palliolum, vt noſti, non erat domeſticus habitus & inordinarius. Ouid. 3. *de Arte,*

Pars humeri tamen ima tui , pars ſumma lacerti
Nuda ſit à læua conſpicienda manu.

Nonnus *lib.*10.de iuuene Ampello.

———integrum verò reiecta cæſariei
Cincinni flexuoſi ſuper ſplendidis currebant humeris.

372. *Oſcula pectori infixa.* In Græco ἀργυφέων ὤμων. vbi candor cutis narratus denotatur. Deinde , quia pectus officioſis oſculis colebatur; ergo aliqua parte nudum erat, neque enim niſi arroganter pars tecta oſculo porrecta. Lucianus *in Nigrino* τὸ ςῆθ☉ ἢ τ̀ δεξιὰν καταφιλεῖν : *pectus , aut dexteram deoſculari.* Non. *Dionyſ.* 4.

Ἠλέκτρη κύσε χεῖρα , καὶ ὄμματα , καὶ πόδας ἄκρους,
Καὶ κεφαλὴν , καὶ στέρνα , καὶ Ἠμαθίων☉ ὀπώπην.

Electra oſculata eſt manum , & oculos , & pedes ſummos:
Et caput, & pectus, & Emathionis frontem.

373. *Collum viris ornatum.* Hanc partem pectoris cum collo , auro , gemmis adornabant etiam viri, eo modo, quo nunc fœminæ ſuæ geſtare ſolent ornamenta , quæ propriè *gargantillas* vocamus. ſic explico , (Cerdæ mei & aliorum pace.) Virgil. *lib.*5.de Troianis adoleſcentibus,

Virgilio lux. *———it pectore ſummo*
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Nam reuera ordinarij torques & monilia non tantùm ſummum pectus, ſed & medium, & quandoque imum ſolent adornare. Signatiùs autem *Pintus in Cantica.* Virgilius ſummum pectus voluit expreſſum , quia pars illa nuda ornamentorum gutturis particeps. Sic eundem explico *lib.*8.de Senonibus.

Itetum explicatur. *Virgatis lucent ſagulis : tum lactea colla*
Auro innectuntur.

Si enim Poëta de torquibus loqueretur , quæ ab induto collo ad pectus ſuſpenduntur , fruſtrà & ineptè lacteum colorem immiſceret : voluit ergo lacteæ & nudæ cuti ab auro venuſtatem conciliatam : ſic explicandus Næuius , quem ibi ad rem ſuam adducit Cerda,

Collum marmoreum torques gemmata coronat.

Vbi obiter etiam mihi gemmas nota. Certè hos gutturis & ſummi pectoris torques hodie ab Aſiaticis geſtatos audimus, quos, vt dixi, in fœminis tantùm apud nos hodie videmus.

374. *Colla Hebræis adornata. Prou.3.n.3. explicatur.* Hunc vſum apud Hebræos ex nonnullis locis auguror increbruiſſe. Salomon *Prou* 3. *num.*3. iuuenem inſtituens : *miſericordia & veritas te non deſerant , circunda eas gutturi tuo , & deſcribe in tabulis cordis tui.* Vt eſſent decorius gutturis, & ſummi pectoris ornamentum , quæ aliàs auro & gemmis ornabantur, tabulas enim cordis de planitie illa ſupremi pectoris explico , quæ cor ſuperius deregit : in gutture ſatis apertè non longa colli ad imum pectus monilia, ſed torquem, quem *gargantilla* dicimus , intellexit. ſic *cap. 6. num.* 11. in re ſimili : *liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo.* tandem illa *colli nuda* Iacob quæ mater pelliculis protexit *Geneſ.*27. *num.*16. vehementer ſemper fui ſuſpicatus etiam de prima parte pectoris ſetoſa & collo ſubiecta fore explicanda. Hæc omnia probabilem ſaltem reddent præſentem huius loci explicationem , vt prima pars illa pectoris eburnea de candore appelletur , & de torquibus à gutture ad illam vſque deductis , iiſque gemmatis, tandem ſapphiris diſtincta commendetur. non abſunt LXX. qui vertunt πυξίον ἐλεφάντινον, *pyxicula eburnea.* quaſi ſit diminutiuum τοῦ πυξίδ☉. meliùs alij , *tabula eburnea.* quod quantum pro me faciat, nemo non videt. *Item cap.6. num.11.*

375. *Halitus oris.* Occurrit à LXX. alia explicatio, quam non inuideo aliis fouendam. Venter, vt noſti, pro viſceribus , in ſacris paſſim ſumitur. quid ergo ſi halitum, qui à viſceribus per os & nares efflu[illegible] hîc commendatum dicas, tanquam ſi à pyxicula & olfactoriolo eburneo exhalaret ? cogitato.

Hæc ni placeant , totum ventrem patentem cum aliis explica , ſi talis frons eſt : aut ornatum ventris , ſi tanta innatæ pulchritudinis oblinio: aut interiorum affectuum caſtitatem cum Ghiſlerio , ſi tanta in dramate allegoriarum fames eſt. mihi nihil horum vllatenus deglutiendum venit.

P A R A P H R A S I S.

Si manus aſpicitis , læues illas, teretes , ſucculentas, quaſi formatas torno mirabimini , de gemmatis etiam, quibus ornantur armillis , ſplendentes. ſic pectus eius, qua parte nudum, ſub collo datur conſpici, & natiuo candore albicat inſtar eboris , & torquibus è gutture demiſſis , ſapphirinoque ſplendore micantibus decitatur.

VERS.15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.

Ferè omnes per crura id omne explicant, quod eſt à coxis vſque ad talos : neque mirum; qui

 enim

enim nudati ventris signa posita deglutiebant, quid in fœmora oculis etiam exponenda deglutirent. alij tacent: vnus Sanchez princeps, vt solet, tibias intellexit, & egregiæ nauata operæ, ignotum olim tibialium vsum priscis probat, sed tantùm fasciis subligari calceos, vnde bona pars surarum & crurum oculis exhibita, quæ proportionata & candida, post reliqua pulchritudinis signa etiam iuuenem posset manifestare; quæ affert de Romanis, etiam tibialia non agnoscentibus, foueo, nondum perpenso loco Tibulli *lib.4.* vbi puella ad iuuenem nobilissimum Cherinthum.

376. *Tibi alia ignota olim.* Tibullus explicatus.

Quis furor est, quæ mens densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus.
Quidve iuuat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis.

Non ergo illa tecta, neque defensa, etiam inter venandum. quod verò Virgil. 1. *Æn.* Tyriis venatricibus tribuit *altè suras vincire cothurno*, modesto decoro tribuendum puto, ne succincta venatui vestis nudas fœmineas tibias exhiberet: non tamen ex altè vincto cothurno & illo venatorio, fœminarum tibialia, nedum virorum, probari possunt.

377. *Corpus humanum ædificio comparatum.*

Columna marmorea. Latet emphasis necessariò expendenda: notum corporis humani symmetriam à fabrefacto ædificio comparari, id ex Philosophis & anatomicis disces. caussam pulchrè aperit Pacatus in Paneg. Theodosij: *Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo: siue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, siue cum venerit fingit habitaculum pro habitu suo.* Sciendum igitur apud priscos omnem ferè augustiorum ædificiorum ornatum columnis constare, putataque illa vilia, in his innixa. Stat. *lib.1.syl.*x.

378. *Columnæ in ædificio celebres.*

Pendent innumeris fastigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucens satiata metallo.

Tibul. *lib.3.eleg* 3.

Quidve domus prodest phrygiis enixa columnis.

Propertius:

Quòd non Tænareis domus est mihi fulta columnis,

Ouid. 2. *Met.*

Regia solis erat sublimibus alta columnis.

Sen[illegible] *in Thyest.*

Immane tectum cuius auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.

Prætereo innumeros, præter Virgil. 1. *Æn.* qui figuratè,

——*immanesque columnas*
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Apud Græcos etiam idem vsus in domo Vlyssis refert *odyss a.* κίονα μακρόν. *columnam longam.* imò & in domo Iouis in hymno Apollinis initio, κίονα etiam affert. Apud Hebræos *in lib. Regum*, & sæpe alibi, vix nobile ædificium legis, columnis non innixum. Huc ergo allusum crederem à puella, quæ plenè superiorum membrorum pulchritudine descripta, totum hoc formositatis palatium, cruribus tamquam columnis enixum, vt par erat, declarauit: firmitatem ergo, & stabilitatem à columnis mutuatur cruribus, candorem à marmore. Optimè autem cutis candorem per marmor, quidquid sit Hebræum שש, explicari, iam alij viderunt. adde hos plusculos, in quos incidi. Nonnus *lib.* 15. dat iuueni δάκτυλα μαρμαίροντα, *digitos marmoreos*, & de virgine *lib.*42. splendentem, vt suprà dixi, genam, à marmore deriuat:

379. *Marmor de candore carnis.*

φαρει μαρμαίρουσαν ὑπὸ [illegible]
Veste marmoream suam abscondit genam.

Martial. *lib.*8.

Adstabat domini mensis pulcherrimus ille
Marmorea fundens nigra falerna manu.

Lucilius dixit, stantes papillas, *pectore marmoreo.* & Næuius suprà citatus, *collum marmoreum* celebrauit. de marmore lege quæ subdo.

Vulgatus assertus.

Bases aureas. Temere vidi aliquem cogitantem, Hebræum שש potuisse meliùs, per aliud pretiosioris materiæ exprimi, ne postea aurea basis dedeceret, neque enim auri & marmoris mixtura in vsu. fallitur. Nihil Vulgatus noster non propriè, non scitissimè transuertit, *obturabit os.* Virgil. 1. *Æn.* qui Æneæ pulchritudinem comparans sic habet.

380. *Marmor in pretio, & vnde.*

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, parinsve lapis circundatur auro.

Parium marmor notari nemo negat, quia Paros insula candido marmore insignis: vnde Aquila & Theodot. pro columnis marmoreis, vertunt *Parias.* Vides quàm aptè aurum marmori iungatur? & quidem si Hebræum שש propriè marmor significat, vt multi volunt, putarem Tyrium potiùs, & Sidonium notari, hoc enim candidissimum, & instar gemmæ, dignum quod auro inuolueretur. Dubitas de Tyrio marmore, tamquam de re noua? Fateor non id vulgare apud authores; video tamen Statium *in balneo Hetrusci*, hoc inter nobilissima alia celebrasse.

Non huc admissa Thasos, aut vndosa Caristos:
Mæret Onyx longè, queriturque exclusus Ophites.
Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis
Purpura sola cauo Phrygia quam Synados antro
Ipse cruentauit. maculis lucentibus Atys.
Quasque Tyrus niueas secat, & Sidonia rupes.

frustrà enim Calderinus hîc Sidonium *de gutta purpurea* explicauit. Cùm ergo Tyrus niueo marmore insignis, & Hebræis vicina, cur ad aliud remotius marmor confugiamus?

381. *Sandalia Hebræorum.*

Has ergo bases aureas quidam de pedibus pulchris explicarunt. possunt. sic Catullus.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Alij ad calceos aureos recurrunt, nec immeritò. ego ad sandalia, quæ Hebræis in vsu. docet Euangelium, & liber Iudith. Moueor, quia hinc vterque euitatur scopulus, ne aut iuuenis discalceatus ponatur, quod indecorum: nec pede vndique tecto incedens, quod minus aptum ad signum ex pulchritudine pedum sumendum: sandalia autem sic plantas calceant, vt superiorem partem detegant: venustè χρυσὰ σανδάλια, *aurea sandalia.* Omphalis celebrat Lucianus. ergo pedes pulchris sandaliis pulcherrimi hîc commendantur.

Species vt Libani. Ad Assyrium montem confugiunt omnes, idque suo iure, vt pulchritudo hucusque per partes descripta, tota simul similitudine illius montis commendetur, qui passim in sacris litteris typus speciositatis esse solet. Ego aliò pergo, iure ne, an iniuria, lector iudicauerit. Nota ex libro *Regum 3.cap.7.* speciositas illius palatij, quæ domus Libani dicebatur: huic allusum puto. cùm enim, vt dixi, ex appositis columnis humanam pulchritudinem sub metaphora pulchri ædificij celebraret, quid aptius adduci posset, quàm palatij pulcherrimi commemoratio, quod tantæ speciositatis idea poneretur? nec noua in re simili comparatio: sic alij explicarunt illud Psalm. 143. v. 14. *filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* quasi ad instar & plantam templi pulcherrimi

382. *Ædificij comparatio ad pulchritudinem.*

pulcherrimi efformatæ. Et quamuis ego hunc Psalmi locum longè aliter in meo spicilegio explicarim; satis tamen ad rem præsentem, à viris me longè doctioribus ita sumi, vt præsenti Canticorum loco lucem afferat. ergo Libanus continens hic pro contento palatio.

383. *Proceritas ad pulchritudinem.*

Electus vt cedri. Volunt hic omnes commendatam proceritatem, & meritò: statura enim iustæ proceritatis, pulchritudinis complementum. alij multos dederunt, ego in alios incidi. Virgil. *lib.* 6.

Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, victórque viros supereminet omnes.

Statius *lib.* 4. *sylu.* 4. de alio Marcello,

Seu campo pedes irreparas, est agmina supra
Nutaturus apex.

Tumidior adhuc 4. *Theba.* de Capaneo.

It pedes, & toto despectans vertice bellum.

Claud. *lib.* 1. de laudibus Stiliconis.

Iam tunc conspicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris
Membrorúmque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis.

Silius Ital. *lib.* 5. *—lati super agmen vtrumque*
Ingens tollebat humeri caput.

Plinius in Paneg. Traiani: *Tu sola corporis proceritate elatior alijs & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti.* Pulchros verò arboribus comparatos ex Homero testatur Ælianus, de quo alibi: cedri verò eleuatio & proceritas, ignota nemini.

384. *Cedrus incorruptibilis.*

Sed cùm videamus cedros in ædificia ideo expeti, vt euitata carie immensum durent: ideo enim de domo Libani dicitur, *& quatuor deambulacra inter columnas cedrinas. ligna quippe cedrina exciderat in columnas, & tabulatu cedrinis vestiuit totam cameram,* 3. Reg. 7. n. 2. Posset aliquis putare laudari in hoc speciositatis ædificio talem dispositionem, vt auguraretur, fore, vt tardè senesceret, diu viridioris iuuentæ amœnitate integra vernaturum.

Pulchritudo incorruptibilis optatur.

Optabat id Mart. *lib.* 14. *epigr.* 13.

Diligat ipsa senem quondam, sed & illa marito
Tunc quoque cùm fuerit, non videatur anus.

quasi in longiori ætate adhuc pulchræ iuuentæ floribus amœnanda. Propert. *lib.* 2. *eleg.* 2.

Hanc vtinam faciem nolit mutare vetustas,
Et si Cumææ secula vatis aget.

Et Stat. *lib.* 1. *syl.* 2. *—sic damna decoris*
Nulla tibi, longè virides sic flore iuuenta
Perdurent vultus, tardaque hac forma senescat.

maximè, cùm ex comparatione Libani, palatij nimirum non solùm pulchri, sed & excelsi, abundè videatur proceritas commendata. forsasse hoc non nemini arridebit.

P A R A P H R A S I S.

Sic elegans pulchritudinis ædificium naturæ studio diligentissimè elaboratum, cruribus rectis & candidis, tanquam Tyriis niuei marmoris columnis, iisque super pedes pulcherrimos tanquam super aureas bases impositis, sustentatur: quod vbi videritis, saltus Libani palatium quà speciosum, quà procerum conspici reputabitis: vt quæ hoc temporis tyrannidem, annorum iniuriam cedrina incorruptibilitate diutiùs superabit: sic illud de optima humorum temperie, longissimo viridantis iuuentutis vigore augustior vernaturum.

Vers. 16. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.

Pintus in Cantica.

Sanchez immissi halitus suauitatem explicauit, & optimè cum superioribus in sua paraphrasi, id connectit: alij verborum dulcedinem aucupantur. frustrà, cùm de hac suprà: pauci cum Pineda vocis iucundam lenitatem, in gutture vocis instrumento expressam volunt: hi placent. vnum præsto quòd illi minimè quid sibi velit post graphicam pulchritudinis effigiem, recursus ad vocem, explicare. Vt vultus, sic sonus vocis, & dearticulationis modulus in omnibus hominibus variatur, & facilius quandoque ex voce, quàm ex vultu illos cognoscimus: sic puella *Act.* 12. *num.* 14. Petrum à voce agnoscit. Meritò igitur sponsa post formam, ad vocem recurrit, post illius signa pulcherrima, huius melleam suauitatem subiungens, vt si fortè loquentem audirent, statim à dulcedine noscitarent. Ideo Venus apud Moschum in Amore fugitiuo, post signa pulchritudinis addit.

385. *A voce homo noscitur.*

—κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα
Οὐ γὰρ ἴσον νοεῖ, καὶ φθέγγεται: ὡς μέλι φωνά.
—mala mens dulcia verba,
Non enim idem sentit, & loquitur: vt mel vox eius.

Quasi etiam à vocis dulcedine, imò indidem magis noscitandus. Hebræa, & Græca habent, *Guttur illius dulcedines.* sed perinde est.

386. *Desiderium pro amore.*

Totus desiderabilis. id est, amabilis. res clara. sermo phrasim à Græcis. Nonnus *Dionys.* 4.

Qualem habes procum felicissima, qualem coniugem
Videbis desiderabilem.

Græca habent ὄψεαι ἱμερόεντα. Coluthus in raptu Helenæ vocat νύμφην ἱμερόεσσαν, id est, *sponsam desiderabilem.* & de eadem Helena Paridem pulcherrimum spectante, ait:

Παπταίνειν ἰνδάλματα ἱμερίδων βασιλῆα.
Spectare sibi videbat desideriorum regem.

id est, Cupidinem, ni fallor: qui desideriorum rex appellatur, quia nullum ardentius desiderium, Cupidini non subiectum: imò ipsum Cupidinis nomen, quo numen amoris significabant, desiderium notat: & πόθος passim pro vtroque vsurpatur. Plato in conuiuio Socratis: *Amor nihil est aliud, quàm desiderium pulchritudinis, ex ipsoque desiderio est natus.* Maluit autem fortasse in hoc loco puella dilectum desiderij potius, quàm amoris vocabulo insignire, (Hebræa enim & Græca emphaticè habēt, *totus desiderium*) quia tunc absentiæ dolore puncta, acriùs hunc affectum persentiebat: tunc enim vera & germana tolerantur desideria, quæ nullum vernaculorum idiomatum assequitur, nisi Lusitanum, nunquam satis laudatâ vocolâ *saudades.* Cicero 4. Tusc. *desiderium, libido eius, qui non adsit videndi.* Horatius de absente amico: *nunc desiderium, curaque non leuis.* Cætera elatent. Vide quæ suprà dedi, ad illud, *tota pulchra es.*

P A R A P H R A S I S.

Habetis oculis, à forma, signa clarissima: vultis & auribus? mel merum, imò ipsam dulcedinem, si eius vocem auditis, haurietis: inde fit, vt vndequaque amores conciliet, rapiat desideria. Satis signorum: ite nunc quæsitum, talis est enim dilectus, talis. vera protuli, nec illis verbum additum ab effectu, nunc maximè, absentem suspirantis.

Vers. 17. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

Claudit puella festiuam somnij sui narrationem, adductis verbis, quibus miserantes fœminæ

suam miseræ opem, & indigæ suppetias sunt pollicitæ: videntur autem ista dicta non sine quadam doloris epitasi, & admirationis nota. quasi mirum esset tam pulchrum iuuenem, quique mores blandissimos ingenuitate formæ ingenitos innuebat, potuisse aliquid duri retinere, potuisse tenerum iam teneros affectus declinare, puellæ maximè, quam fœminarum pulcherrimam suspiciebant: ideo, credo, signatè L X X. pro *declinauit* vertunt *ἀπέβλεψεν, quo aliò oculos conuertit*. q. d. tu digna quæ etiam rebelles & duros aliàs oculos detineres: quo ergo aliò potuit ille tuus suos conuertere, nullibi quidem gratiùs immoraturus? *τὸ quæremus tecum*, explico de cura simili, sed via dissimili: vt per varia dispersæ illæ hac, hæ isthac, vt in talibus euentibus vsu venit, huc ac illuc discurrentes, faciliùs quæsitum inuenirent. nam, dicant, amabo, interpretes, si simul euitandæ zelotypiæ, iuuenem erant cum puella cateruatim quæsituræ: quid opus erat signis eidem cognoscendo, cuius puella vel vmbram statim recognosceret? ineptè simul itura, mandaret dicenda, & nuntiandum amoris languorem commendaret, quem ipso aspectu viuidiùs exhiberet? hoc mihi ratum. intelligendum verò, fœminas non tam certum locum quæsiisse, (hunc enim si sponsa sciret, iam eò priùs conuolasse præsumerent) sed solitos & frequentes stationum iuuenis scopos, vt illuc tenderent forsitan inuenturæ. hos illam dixisse credendum, neque nunc narrat, quia ad id quod proposuerat de laudibus, superuacaneum. Dum ergo sola excurrit, paulò pòst inuenit felicior, tenet eum reliquis quæ suprà ad rem, in qua erat, *cap.* 3. enarrauerat. Hæc satis de hoc capite, vbi sponsalium solemnitas terminatur.

PARAPHRASIS.

Et in quænam loca, inquiunt, solet diuertere dilectus iste tuus, nescimus quomodo in tanta formæ suauitate duriusculus tui pulcherrimæ dolores non miseratus, quæ etiam ferrea ingenia posses emollire? quò solet declinare: vt diuersis viis, sed eâdem tecum curâ eundem perquiramus? talem, amor meus, te somnians delineaui: nec aliunde, vigilans volui encomium contexere, quàm vnde cor ipsum non affectato fuco, sed affectu proprio locutum intelligitur.

CAPVT SEXTVM.

VERS. 1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.

VT plurimum hæc verba sic sponsæ tribuuntur, quasi eisdem fœminarum respondeat interrogationi, locum designans, quò suspicata dilectum diuertisse: sibi habeant, mihi nullis non incommodis hæc concatenatio exponi visa. Alij meliùs nouum hinc colloquium incepisse putant. Ego, vt in priuata acoluthia mea dixi, non solùm nouum colloquium, sed etiam nouum actum, tertiúmque, & vltimam dramatis partem hinc designo: vt sicut in primo actu, ardentia desideria: in secundo, solemnia sponsalia; sic in hoc tertio nuptiæ legitimæ decantentur. Vt ergo in dramatis vsu venit, nonnulla intus facta supponuntur, deinde in scenam proditur: supponitur ergo solemni more (quem Hebræis communem dixi *cap.* 1. *num* 4. & *cap.* 8. iterum confirmabo) venisse sponsum in soceri domum, ab eiúsque gremio puellam vi simulatâ, facto raptu abstulisse, vt ex contextu patebit, dúmque pergunt nuptialem currum ascensuri, quo in sponsi villam solemniter vehendi: huius, & sequentis capitis scenæ repræsentantur. Proloquitur igitur in hac scena, puella, cuius verborum sensus talis est.

387. *Vota nuptiarum impleta metaphorâ celebrata.*

Dilectus meus, &c. Solent in Epithalamiis suspirata diu desideria, & impleta mariti vota, variis metaphoris, iisque congratulatoriis celebrari. Statius *in nuptijs Stellæ & Violantillæ*.

Macte toris Latios inter placidissime vates
Qui durum permensus iter, coeptique laboris
Prendisti portus.

Vbi sub nauigationis metaphora, felicem portum puellæ possessionem appellat. Catullus *in nupt. Manl.* puellam sub horti & floris metaphora celebrauit. dixi ad illud cap. 4. *hortus conclusus*, &c. Hoc ergo voluit sponsa in hoc loco, cùm iam se in viri sui cerneret potestate, festiuissimè pariter, & pudicè alludens ad supradicta iuuenis verba. quasi dicat: potetis tandem horto illo tuo, concluso cæteris, tibi iam tradito, amoris & fructibus, & floribus desideratis diu fruiturus. Quomodo autem aut castiùs, aut decentiùs possent hæc explicari? fordet præ his Statius, & si purissimam phrasim in toto suo Epithalamio (profanis cæteris vnicus pudor, fax parthenica) affectarit: ergo ille in re simili,

388. *Idem, & applausus in nuptijs.*

——pone ô dulcis suspiria vates,
Pone tua est: licèt expositum per limen aperto
Ire, redire gradu: iam nusquam ianitor, aut lex,
Aut pudor: amplexu tandem satiare petito
Coniugis.

Quanto venustiùs pariter & modestiùs, per aromaticas plantas, pomorum fructus, lilia candicantia, quibus horti cultissimi delitiæ continentur, Salomon metaphoram suam variauit? prætereo profana alia, quoniam in hac materia vt plurimum fœculenta. L X X. legunt *ποιμαίνειν, vt pascat, regat*, &c. verbo propriè gregis: sed quod passim etiam ad gubernandum regnum & familiam transferatur: & in hoc sensu etiam faciunt: sin minus, sto Vulgato nostro, eâ mente, quam dixi, Hebræa consonant.

PARAPHRASIS.

En tandem, dilecte mi, patet tibi hortus ille, quem toties celebrasti, & cæteris, vt par erat, conclusus, tibi vni sanctis connubij legibus possessori legitimo, delitias illas suas aromata, fructus, lilia, consecrabit.

VERS. 2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Pergit sponsa in beata sui traditione celebranda, & iure, sibi in sponso per nuptias comparato, declaran

declarando: habet autem, ni fallor, miram emphaſim variatio terminorum, quo hic idem affectus *cap.* 2. exprimitur à puella: ibi enim *num.* 16. ita, *dilectus meus mihi, & ego illi.* hîc è contra priùs ſe dilecto tribuit, deinde ſibi dilectum: concordat vterque originalis fons Hebræus, & Græcus, qui vtrobique eamdem varietatem diſertè obſeruat, *cap.* 2. habent רעי: ἀδελφιδός μου. in hoc verò loco è contra אני: ἐγώ, &c. eodem vbique tenore, quo Vulgatus noſter, ne res ſine myſterio poſita videatur. illud autem tale autumo: ſuprà, vbi tantummodo amores ſcintillabant, & virgineo decoro maluit puella potius, quàm appetens, videri correſpondens, ni fortè liberior, imò effrenatior, quàm virginem deceret, ad amores videretur: hîc verò vbi iam nuptiæ celebrantur, & caſta iucundæ ſeruitutis vincula deſignantur, ſe prætulit, quaſi ardentior hanc amet ſeruitutem, dilecto in fouendis ſanctis vinculis, quantopere potuerit, non poſtponenda: nil enim aliud maius in nuptiarum die poſſet promittere, cùm nil maius à nouis nuptis tunc ſoleat exoptari. Statius citatus ad Violantillam.

389. *Vtrinque fides.*

> ——*at tu pulcherrima forma*
> *Italidum, tandem merito poſſeſſa marito,*
> *Vincla diu quæſita foue.*

Quod addit, *paſcitur inter lilia*, vitam dilecti ſui paſtoritiam denotat, ſed vt amantium mos gerit, flores immiſcet, lilia ſpargit, tum vt pulchritudinem, tum vt paſcuorum ſignificet vbertatem: quod tamen ſupra dixi *cap.* 2. de liliis ſpei ſymbolis, huc non facit: mens enim intercalantium ſententiarum, quæ in hoc Cantico reperiuntur, non opus eſt ſemper eodem modo explicare.

PARAPHRASIS.

Dum ambibas procus, & feruentia pectoris deſideria propalabas, priùs te meum dixeram, deinde me tuam: vt de virgineo pudore non tam prouocans promptior, quàm reſpondens obligatior intelligerer: nunc vbi de grata connubiorum ſeruitute agitur, priùs me tuam fateor, ô amor, ô paſtor meus liliatus, quàm te meum: caſta enim vincula, & debitum obedientiæ præſtandum obſequium pronam & promptam ſubire, mihi decorum.

VERS. 3. **Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.**

390. *Rapina ſimulata in nuptiis.*

Attende filo meo, ad ſeriem enim, quam deduxi, hic paululum obſcuratur facet labyrinthus: ſciendum igitur vtriuſque ſuperioris verſiculi verba ab ſponſa fuiſſe dicta, dum adhuc inter feſtiuos raptoris ſui complexus erat: poſſumus enim putare ſic in ſcenam prodiiſſe, quaſi facto intus raptu, illam adhuc detentam oſtentaret: vel ſaltem prolata ſtatim, vbi laxato iam raptus amplexu, puella cum iuuene aſcendendo currui inceſſiſſe intelliguntur, vt dixi: in hoc ergo temporis articulo, puellæ iam lubentiſſimè ſe tradenti, nihil aptius iuuenis pacificus tantæ prædæ poſſeſſor, ſed recens a raptus conflictu poterat reſpondere: igitur pulcher imam & pacificam iam poſſeſſionem, cui inclitis, quam vrbi pulcherrimæ & ipſo nomine pacem præbenti, compararet? pugnas verò illas renuentis modeſtè puellæ, & ſimulati raptoris violentiam euitantis, cui ſignatius conferret, quàm aciebus? vtrumque tamen fuſiùs comprobandum.

Sicut Ieruſalem. Rebus, quæ aut habentur, aut habitantur, pulchræ pulchri Domini, aut habitatores ſolent comparari. Virgil. de Daphni,

391. *Comparatio rei habitæ ad habentem.*

> *Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.*

Statius *in coma Earini,*

> *Tu puer ante omnes, ſolus formoſior ille,*
> *Cui daberis.*

Et paulo pòſt de eadem.

> ——*cryſtallaque portas*
> *Candidiore manu.*

Idem *in Euchariſtico*, de magnitudine aulæ Domitiani,

> *Æthereo & tantum Domino minor.*

Martialis in eadem re *lib.* 8. *epig.* 36.

> *Hæc auguſti tamen, quo vertice ſidera pulſat,*
> *Par domus eſt cælo, ſed minor eſt Domino.*

Puella igitur quæ de domus ſuæ vicinitate, habitatrix Ieruſalem poterat haberi, (ab eadem enim cauſſa ſodales eius, toties hîc filiæ Ieruſalem appellantur) meritò vicinæ vrbi & pulchritudinis & pacis titulo comparatur. quam bene autem corporis venuſtas cum venuſta ædificiorum ſtructura comparetur, dixi *cap.* 5.

Terribilis. q. d. Tu quæ nunc te mihi decoram & ſuauem exhibes, Papæ! quàm nuper duram & pugnacem inter rapiendi amplexus te exhibuiſti. euenit nimirum, quòd puella *cap.* 1. inter ſuſpirata vota dixerat: *trahe me, poſt te curremus.* Vbi priùs ſe de more reluctaturam inſinuat: deinde non ſolùm ituram, ſed curſuram poſt dilectum: vbi mira ſuauitas. Vnde colligis non ſolùm ſolemnem apud Hebræos raptum, aut apud Ethnicos, ſed etiam reluctationem puellarum fuiſſe in vſu: credo ab eadem cauſſa, qua vicini Perſæ, de quo *cap* 1. de hac reluctatione Catullus *in ſuo Epithalamio.*

392. *Simulata rapina in nuptiis.*

> *Qui natam poſſis complexu auellere matris,*
> *Complexu matris retinentem auellere natam.*

Igitur puella, *quæ*, vt in re ſimili habet Ouidius, *cum ita pugnaret tamquam quæ vincere nollet*, tandem lubenter expugnata non iam terribilis, ſed ſuauis ſequitur dilectum: verùm enim hîc etiam illud eiuſdem, *pugnando vinci, ſe tamen illa volet*: licèt quandoque in hac pro matris retinentis gremio reluctatione virginum legam lachrymas. Claud. *in Epithal. Palladij,*

> ——*flentemque cupido*
> *Detraxit matris gremio.*

& iterum *in Epithal. Honorij*, quaſi modeſtiæ cauſſam aſſignans,

> *Iam nupta trepidat ſollicitus pudor*
> *Iam produnt lachrymas flammea ſimplices.*

Tuncque neceſſariò puella ſe defendens, & matris gremio implicans, neceſſariò terribilior appareret. De matris gremio plura *cap.* 8.

PARAPHRASIS.

Semper tu mihi pulchra, ô dilecta: nunc verò, nouo ſuauitatis decore etiam exornata, cùm te, quæ de prædictis dotibus pulcherrimæ & ſuauiſſimæ vrbi, ipſo nomine pacem exhibenti æmulatis: poſſeſſor iucundiſſime pacificus iam obtineo: ſed Papæ! quàm te paulo antè terribilem expertus ſum: quam anxiè reniti viſam, quam acriter pro matris gremio pugnare, cùm inde ſolemni nuptiarum more, ficto raptu, ſimulata vi abducere te conarer,

VERS. 4. **Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.**

Variè varij hunc versiculum superiotibus concatenant: ego ad rem meam aliter ab illis. Dixerat pacifica iam præda potiri, quæ priùs terribilem, dum raperetur, se exhibuerat: patheticè verò nunc admiratur, noua prælia eamdem comminisci, noua pulchritudinis tela iaculatam, & ab oculorum fulgore nouos ictus meditantem. hoc posito, illustrabo priùs, quæ alij, deinde mea subdam.

393. *Oculus fulgore præstringens, & ignitus.*

Auerte oculos. Non quòd id velit, cùm nihil ardentius cupiat, quàm semper immotas dilectæ palpebras sibi assistentes: sed vt hoc loquendi genere oculorum fulgorem, ad radios illos lucifluos fulminum instar bellè commendet: nihil enim in oculis excellentius, quàm splendor ille, cui intuentium palpebræ conniuent, & quasi sole præstrictæ visus acies hebetantur. congero pluscula, sed intacta. Aurelius Victor in Augusto. *Fuit toto corpore pulcher, sed oculis magis, quorum aciem clarissimo siderum fulgore vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus, tamquam Solis radiis, aspectui suo: à cuius facie dum quidam miles auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret? respondit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum*; de eiusdem oculis Sueton. cap. 79. *gaudebatque si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem Solis vultum submitteret.* Lampridius de Alexandro Seuero: *fuerunt multa signa, quibus principem humani generis esse constaret, nimius ardor oculorum, & diutius intuentibus, grauis.* Helena Paridi suo apud Ouid.

Tu modò me spectas oculis lasciue proteruis,
Quos vix instantes lumina nostra ferunt.

Ælianus *lib.* 13. *cap.* 1. de pulcherrima Atalanta: οὐδεὶς ἂν ἰδὼν αὐτὴν ἠράσθη ῥᾴθυμος ἄνθρωπος· ἀλλ' οὐδ' ἂν ἐτόλμησεν ἀντιβλέπειν τὴν ἀρχήν· τοσοῦτον μὲν τῆς ὥρας κατέλαμπεν ἡ αἴγλη τοὺς ὁρῶντας. *Nullus quidem ita dissolutus homo, qui in illius amores lasciuiret, cùm illam aspexisset: imò nec omnino illam ex aduerso poterat intueri: tantus erat splendor formæ eius, aspicientium oculos instar fulguris præstringens.* Homerus *in hymno Veneris*, de Anchise Venerem vidente:

Ὡς δ' εἶδεν δειρήν τε, καὶ ὄμματα κάλ' Ἀφροδίτης
Τάρβησέν τε, καὶ ὄσσε παρακλιδὸν ἔτραπεν ἄλλῃ.
Vbi autem vidit collum, & oculos pulcbros Veneris,
Timuit, & oculos declinans, vertit aliò.

Hunc fulgorem per ignem & ardorem alij explicarunt, quibus animus papilionis instar exuritur. huc plura afferri possent. libo pauca, quia res notior. Trebel. in Claudio. *Staturâ procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu.* Anacreon ad pictorem de imagine puelcella sibi exprimenda:

Τὸ δὲ βλέμμα νῦν ἀληθῶς
Ἀπὸ τοῦ πυρὸς ποίησον.
Oculos autem verè
Tamquam ex igne fac.

Moschus *in fugitiuo*, tribuit Cupidini ὄμματα δριμύλα, καὶ φλογόεντα: *oculos acres & flamantes.* floril. 7. *epig.* 109. pulcherrimæ puellæ tribuuntur πυρόεντα ὄμματα, *oculi igniti.*

394. *Amantis animus volat adamatam.*

Auolare fecerunt. Ferè eodem modo LXX. ἀνεπτέρωσαν, *mihi alas addiderunt.* quod explicant: cogunt me, vt cor istud & animus à me volet: tibi nimirum immoraturus. do pulchrum pro hac re epigramma apud Agellium *lib.* 19. *cap.* 9.

Aufugit mi animus, credo vt solet ad Theotimum
Deuenit, sic est, perfugium illud habet:
Quid si non interdixerim, ne illum fugitiuum
Mitteret ad se intro, sed magis eiiceret?
Ibimus quæsitum? verùm ne ipsi teneamur
Formido: quid faciam? da Venus consilium.

Eadem phrasi Theocritus *Idyl.* 11. & credo hinc furatus, cum nostro Cantico.

Ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι.
O Cyclops, Cyclops, quò mentem tuam auolasti?

id est, auolasse permisisti. quo etiam insaniam denotat amoris, de qua ego multa *cap.* 4. sic explicanda versio Ambrosij *lib.* 1. *de Caïn cap.* 4. qui illa Prou. 7. num. 5. *quæ verba sua dulcia facit*, ita legit. *quæ sermonibus adoritur gratiosis, faciens iuuenum corda volare.*

Ambros. explicatus.

395. *Superbia volatilis.*

In Hebræo pro *auolare fecerunt*, est verbum à radice רהב quæ mille significationes habet: multi vertunt, *quia me superbiorem fecerunt.* quod aliqui ita explicant, quasi videatur superbire dilectus, quòd tam pulchram, dilectam, & sibi vni attentissimè addictam sortiatur: hucque volunt reduci posse volatum, quo Vulgatus & LXX. vtuntur: non tamen probant: id mihi debeant. Noto igitur iactabundam gloriolam, & de re quauis conceptam elationem optimè explicari per volatum; quid enim superbus curat nisi humum deserere, auras ventosus volitare, cælo ascendere? huc facit illud Izetzes *chil.* 1. *hist.* 7.

Βορέας Θρᾷξ ἐξ Ἀθηνῶν ὀρείθυιαν ἁρπάξας
Ζήτην γεννᾷ, καὶ Κάλαιν εἰσάγαν ἀβροκόμας,
Καὶ τὸν Ἀβεσαλὼν αὐτὸν τρίχωσιν νικῶντας:
Οὕσπερ καὶ πέτεσθαι θριξὶν, ἔφασαν μυθογράφοι:
Ὡς ἐπηρμένους ταῖς θριξὶν αὑτῶν γαυρωμένους.
Boreas thrax ab Athenis Orithyam rapiens,
Zetem generat, & Calain valde cæsarie ornatos,
Et Absalonem ipsum densitate comarum vincentes:
Quos & volare capillis dicunt fabularum scriptores,
Tamquam elatos capillis suis, atque superbientes.

Hinc etiam superbis, Dædali & Icari alas & fabulam accommodamus: hinc lux *Abdiæ* 1. *num.* 4. ad Principem superbum: *Si exaltatus fueris vt Aquila, etsi inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te.* & sæpe alibi sub Aquilæ & plumarum metaphora superbia designatur. quam autem superbiant amantes, de puellæ suæ pulchritudine, & quanta ex hac superbia in puellam ipsam laus proueniat, aperit Græcum Epigramma.

Abdias 1. 4. *explicatus.*

396. *Superbia amantis de pulchritudine puellæ.*

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε: τρισόλβιος ὅστις ἀκούει:
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν: ἀθάνατος δ' ὁ συνών.
Felix qui te videt, beatissimus qui audit,
Semi-Deus qui osculatur, Deus qui te fruitur.

Propert. *lib.* 2. *eleg.* 15.

Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.

Idem *ibi eleg.* 4. & *lib.* 1. *eleg.* 8.

Nunc mihi summa licet contingere sidera planta.

Similia passim leges: mihi hæc satis in aliorum gratiam. quid verò ipse sentiam, iam aperio.

397. *Amor venator, anceps.*

Puto quidem ab aucupio metaphoram desumptam, quasi dicat iuuenis: Quid iam pacifica nouas pugnas inuentas? & facta mihi præda, me prædam captas? nosco retia, & viscum oculorum tuorum, frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum: auerte illos tuos, aliàs fugiam, auolabo. non quòd fugere velit, aut non capi, cùm nihil optet ardentiùs: sed vt ita vim oculorum, noua & arctiora identidem vincula cordi nectentium, venustissimè declararet. eadem mente explico Hebræum, *extulerunt, eleuarunt.* hoc enim etiam significat רהב licèt clariùs noster cum LXX. metaphoram auiculæ expresserint. firmo phrasim similibus aliorum locutionibus, floril. 7. *epig.* 145. de puella pulchra,

Oculi viscati.

——λάτρις ἱμέρου
φοιτῶ θηρατὴν ὀμμάτων ἰξὸν ἔχων.
——*famula amoris*
Vagor, venatorem in oculis viſcum habens.
Sophocles apud Athen. *dipnoſ.* 13. *cap.* 6. de pulchro iuuene,
Talem in aſpectu obſcurè venatricem
Amoris, coruſcationem quamdam oculorum habet.
Eôdem refero iterum florileg. *epigr.* 82.
Κ' αὐτὸς Ἔρως ὁ πτανὸς ἐν αἰθέρι δέσμιος ἥλω
Τοῖς σοῖς ἀγρευθεὶς ὄμμασι.
Et Cupido ipſe volans per æthera ligatus tenetur
Tuis oculis tanquam venatione captus.
& *epigr.* 174.
Καὶ γλαυκαὶ κυανέων ὑπ' ὀφρύων ἀστράπτουσαι,
Σπλάγχνων ἡμετέρων δίκτυα καὶ παγίδες.
Et pupillæ oculorum denſis ſubciliis fulgurantes
Viſcerum noſtrorum, retia & laquei.
Dedi hos omnes ex penu Græco, Latinos tute quære, inuenies pluſculos: coniunxi cum aucupio venationem, ob ſimilitudinem: primus & vltimus locus expreſſi de aucupio, & magis ad rem noſtram.

Ex hoc affectu quem iuuenis expreſſum voluit, cùm pulcherrimè obiter oculi laudarentur, pergit vlteriùs in puellæ pulchritudine, qua ſe denuo percuſſum ſentiebat commendanda: porrò quæ de crinibus, dentibus, & genis affert, abundè caput 4. manent explicata, inde repete. Solum de gemellis fœtibus adde locum Æſchyli *in ſupplicibus.*

398. *Oues gemellipara.*

Μῆλα τ' εὐθενοῦντ' ἄγαν
Ξυνὰ δίτοκα ἐμβρύοις
Τρέφοι χρόνῳ πεπαγμένῳ γόνος.
Ouéſque fœcunda admodum
Cum gemellis agnulis
Alant tempore conſtituto prolem.

P A R À P H R A S I S.

Immo videris in hac media pace, in hac tanta ſuauitate, noua prælia identidem comminiſci: auerte, quæſo, auerte oculos iſtos tuos à me: tanto enim collucent fulgore, vt ſingulis aſpectus radiis, fulmina euibrare videantur: quibus præſtrictus aut conſumar, ſi immoror, aut imbecillis fugiam neceſſe eſt, hinc auolans, ne tanquam mollis auicula captus trahar, qui modò dulci te traxi violentiâ.

VERS. 7. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.

VERS. 8. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

In nuptiis vxor loco filiæ veniebat.

Nihil hîc habui quod aliorum ſcriptis ad comptum poſſem addere: quid autem vni mihi videatur, breuiter vt aperiam, ſupponendum, die nuptiarum vxorem loco filiæ marito apud Hebræos, atque Ethnicos veniſſe, quod fusè *cap.* 7. infrà *n.* 1. confirmabo; quo poſito, mihi ſeriem elariſſimè iam deduco. laudauit hucuſque iuuenis puellæ pulchritudinem, concluditque propterea meritò illam, præ millibus aliis, quæ eiuſdem nuptias & amores ambibant, in thalamum elegiſſe, tenerrimè loco filiæ habendam, non ſolùm qua cura à patre, ſed etiam quibus à matre blandimentis nata foueri ſolet; idque non aliis inuidiam, ſed plauſus excitaſſe, quippe quæ ſe iure poſtpoſitas eximiæ ſponſæ pulchritudini fateri indecorum non reputabant: manifeſtior ex ſingulorum verborum examine res apparebit.

399. *Iuuenis ambitus ad nuptias glorioſus.*

Sexaginta. In his, & ſequentibus numerus certus ponitur pro incerto: porrò ſicut puella ſuprà iactaret tot millia procorum, qui eius nuptias ambibant, hunc vnum ſibi elegiſſe dixerat: ſic ille inuicem à millibus ſe petitum ſcribit, & hanc vnam cæteris præpoſuiſſe memorat, quo illam eximiè laudat, & ſe obiter commendat: ſic Euripides de pulcherrimo Hippolyto exule.
Νυμφίδια δ' ἀπόλωλε φυγᾷ σᾷ
Λέκτρων ἅμιλλα κόραις.
Nuptiales periere thalami ob exilium tuum,
Déque his nuptiis certamina puellarum.
Quaſi multæ de obtinendo Hippolyti matrimonio contenderent. Achilles de ſeipſo apud eumdem *in Aulide.*
——μυρίαι κόραι
Θηρῶσι λέκτρον τὸ ἐμόν.
——*mille puellæ*
Venantur nuptias meas.
Statius *ſylu.* 5. de pulchro Parthenopeo.
——*aut quem de turribus altis*
Arcadas Ogygio verſantem puluere metas
Spectabant Tyriæ non toruo lumine matres.
Claud. *lib.* 1. de Stilicone ſuo.
——*& plebs pharetrata videndi*
Flagrauit ſtudio, defixaque hoſpite pulchro
Perſides arcanum ſuſpirauere calorem.
Eſther etiam illud Geneſ. 49. n. 22. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Et, ſi rectè memini, Perſius *ſatyr.* 2. (qui modò non ad manum) de matertera puero fauſta optante.
Hunc optent generum, rex & regina, puellæ
Hunc rapiant.
Hæc ego multo antè ſcripſeram, cùm prodeunt aurea carmina noſtri Montmorenei, qui *idyl.* 4. mentem hanc meam penè attigit, eo numine quo nullis priſcorum cedit:
——*vnicus iſte*
Lactea neglectim qui pendet in vbera cirrus,
Cor mihi ſurripuit: & quid non cætera poſſint?
Me ſibi ſexdecies optarunt ſæpe puellæ:
Sola tamen Sulamitis habet.

400. *Vxor Domina, vel Regina.*

Regina. Contendit Sanchez matresfamilias olim reginas appellatas. quæ affert, mihi nondum aſſertæ probabilitatis: puto ſimplicius hîc, præcipuas vxores nomine reginarum venire, vt nobiliores & principes familiæ notarentur: quo ſenſu Romani dominas appellabant. Vide innumera quæ coniungit Cerda ad illud *Æn.* 6.
Hi dominam, Ditis thalamo deducere adorti.
Adde de vxoribus Ouid. 3. *Triſt.*
Nec domina lachrymis in noſtra cadentibus ora.
Suetonium in Claud. *Occiſa Meſſalina paulo poſtquam in triclinio diſcubuit, cur domina non veniret, requiſiuit.* Catull. in nupr. *ac domum, dominam voca,* &c. ſic apud Græcos δέσποινα, quæ vox dominam modò, modò reginam ſonat, pari frequentia ſumitur pro vxore.

401. *Concubinæ apud Hebræos quæ.*

Concubinæ. Erant verè vxores, ſed ſecundariæ, ſolùm prolis cauſa quæſitæ, notarunt omnes, vbi & de priſcorum polygamia: ideo has à reginis, id eſt, dominabus & matribus fam. diſcernit. de puellis & adoleſcentulis longè aliter ſentiò atque alij:

alij: capio de virginibus adstantium virorum, quæ licet de sponsi nuptijs non cogitarent, vrbanè tamen, vt assolet, eius colloquia, vtpote pulcherrimi, & prudentissimi affectabant: ait ergo multas esse nobiles virgines, quæ cuperent eius præcipuas esse vxores, familiæque dominas: plures quæ non adeò ausæ, saltem secundarum vxorum titulum affectabant: plurimas, quibus volupe erat ab illo non toruè spectari, audire verba, excipi vrbanè. quo obiter inter pastorum potentissimos & nobilissimos se visus numerare, cuius proinde nuptiæ non passim absque temeritate venirent optandæ, sed suo ordine: in populis autem semper quo ordo splendidior est, carius ænoenitur: ideo Reginæ 60. plures concubinæ, tenuiores aliæ innumeræ.

Vna est columba. Allusit huc Tertul. de Monog. cap. 8. *Ad simplicitatem columba prouocat, auis non tantùm innocua, verùm & pudica, quam vnam vnus masculus nouit.* Porrò amatoriam hanc dicendi rationem illustrat Tibullus *lib.* 4.

402. *Vna vni amanti, in laude sumitur.*

Tu mihi sola places, nec iam te præter, in vrbe
Formosa est oculis vlla puella meis.

Propert. *lib.* 2. *eleg.* 13.

———qui nunc iacet arida puluis,
Vnius, heu quondam! seruus amoris erat.

& *lib.* 1. *eleg.* 13.

Quæ tibi sit felix, quoniam nouus incidit error,
Et quodcumque voles, vna sit ista tibi.

Vbi etiam *vna tibi*, sonat fidelem & castam: sicut è contra Mart. *lib.* 1. *epig.* 59. de Næuia adultera dixit: *Næuia non vna est.* & fortasse obiter pudicitiam puellæ suæ innuit hoc loco sponsus.

403. *Maritus vxori loco matris.*

Vna est matris suæ. Deesse notam comparationis, iam alij ad rem suam aduerterunt. quasi dicat: vna est, quam sic diligo, sicut mater vnicam filiam. mihi etiam sine nota comparatiua sensus procedit: vt enim dixi, maritus die nuptiarum loco patris veniebat. q. d. mihi vna dilecta, & præ millibus electa, cui illi solemni iure pater, sed affectu & blandimentis instar matris ero: ne gremium genitricis, vnde modò illam rapui, desiderare videatur: de patris titulo nuptiali, vt dixi, planè *cap.* 7. *num.* 1. infrà: hunc autem de teneritudine in maternum mutari, (quod insolens posset videri) iam probemus. Vxor ad maritum apud Sophoclem *in Aiace.*

—σὺ γὰρ μοι πατρίδ᾽ ἤστωσας δόει,
Καὶ μητέρ᾽· ἀλλ᾽ ἡ μοῖρα τὸν φύσαντά με
Καθεῖλεν, ᾅδου θανασίμους οἰκήτορας.
Τίς δῆτ᾽ ἐμοὶ γένοιτ᾽ ἂν, ἀντὶ σοῦ πατρίς;
Τίς πλοῦτος; ἐν σοὶ πᾶσ᾽ ἔγωγε σώζομαι.

——tu enim mihi patriam vastasti bello,
Matrem sustulisti, mors verò patrem
Abripuit ad Manes infernos:
Quæ mihi posthac, pro te, patria erit?
Quæ diuitiæ? in te enim vndique ego saluor.

id est, in te mihi omnia salua sunt, patria, mater, pater, opes. Sed clarè Andromache ad maritum Hectorem apud Homerum *Iliad.* 6.

Ἕκτορ ἀτὰρ σὺ μοί ἐσσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ:
Σὺ δὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Hector quidem tu mihi pater eris, & veneranda mater:
Tuque frater, tu mihi pulcher maritus.

404 *Matrum amor in filiam vnicam.*

De amore verò quo matres vnicam natam prosequuntur, pulchrè Claud. 1. *de rapt.*

Ætnææ Cereri proles optata virebat
Vnica: nec tribuit sobolem Lucina secundam:
Fessaque post primos hæserunt viscera partus.
Infœcunda quidem, sed cunctis altior extat
Matribus, & numeri damnum proserpina pensat:
Hanc fouet, hanc sequitur. Vitulam non blandiùs ambit
Torua parens: pedibus quæ nondum proterit arua;
Nec noua lunata curuauit germina frontis.

Parco pluribus. Ex dictis capies, cur Deus, qui sæpe patrem populi sui se appellauit, in maximarum delitiarum, quas congerit Isaias *cap.* 66. promissione, *num.* 13. se matrem vocet. *quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* sic Paolus fidelium in Christo pater, matrem se maluit Galatarum appellare, *Gal.* 4. *num.* 19.

405. *Amans vnde beatus appelletur.*

Beatissimam. Sto illis, qui omnibus his tribus ordinibus filiarum, (id est, puellarum, quas innumeras dixerat) Reginarum & concubinarum, coniunctim tribuunt, & beatitatis prædicationem, & laudum encomia. Solùm noto in re amorum, & nuptiarum beatitatem solitam vsurpari, quæ propriè opes notat, & iocunditatem, (norunt non barbari:) quasi in coniuge & opes & felicitas (quod suprà dixi) comparentur: quod etiam ad amantes alij traducunt. hinc lux Horat. *lib.* 3. *oda* 9.

Lux Horat

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candida
Ceruici iuuenis dabat:
Persarum vigui rege beatior.

Quis autem opes & felicitatem horum Regum ignoret? imò Propert. *lib.* 2. *eleg.* 15. amantium lectulum *beatum* appellauit. hæc de voce. de re nihil tritius, quàm in die nuptiarum felices vocari coniuges. Stat. *in nupt Violant. lib.* 1. *syl.* 2.

Felices vtrosque vocant: sed in agmine plures
Inuidere viro.

Theocr. *Idyl.* 18.

Fortunate sponse, faustus aliquis sternutauit vehementi tibi
In Spartam, &c.

Quidquid ad sensum desideras, paraphrasis exhibebit.

PARAPHRASIS.

Quid ergo mirum talem te deperiam. inter millia millium procorum, me tibi vnum elegisse, & dilexisse dixeras. par pari refero: mille quippe etiam virgines dilectum istum tuum suspirarunt: multæ, vt cum Rege hoc tuo quem vocas, tamquam præcipuè vxores, & domus dominæ conregnarent: plures non tantùm ausæ, at secundasius, vt scriberentur nuptiis, exoptarent: innumeræ (quibus inferior sors) quoad minus vrbanis & amatoriis obsequiis, dum lætitiæ caussa conuenimus pastores, à turba minus ingratæ noscitarentur: sed has omnes præterui, tibi vni columbæ meæ vnus adstringendus, & inter mariti teneritudines, prouidâ patris curâ consultatus, sed eo affectu, quo tenerior mater, vnicæ filiolæ indulget blandimentis, ne matris, è cuius gremio te rapui, desiderare delitias videaris. Hinc, ipsæ etiam virgines, quotquot fuerunt, priùs nostri cupidæ, dum te mihi nuptam agnoscunt, se meritò postpositas recognoscunt, & quantum illis excellas ingenuè professæ, & te beatissimam prædicant quòd me habueris, & dignam ea beatitate laudibus prosequuntur.

VERS. 9.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.

Hoc

Hoc encomium adstantium puellarum chorus cantat, quasi sponsi fidem liberent, & facto ipso testentur Sulamitidis pulchritudine superati, sicut astra cætera à Lucifero, luna, & sole superantur. hucusque illi, qui rem meliùs intellexerunt. maius aliquid, aut saltem emphaticoterum hic latere puto, nimirum in vi certaminis speciem quamdam tacitam, quo ita ab sponsæ pulchritudine, cæterarum pulchritudo deuicta ostenderetur, quasi in arena de palma contendisse videantur. id vt explicem, aduerto, apud pulchritudinis encomiastas comptiores, sic formosos his astris comparari, vt aliquid & prælij & victoriæ vtplurimum immisceant, quo laudatis suis certamen pulchritudinis fuisse, & consecutam victoriam denotarent. probemus paucis singula.

406. *Pulchritudo astro comparata.*

407. *Aurora vincit astra.*

De aurora Virgil. 8. *Æn.* de Pallante,

Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo tenebrasque resoluit.

Illa enim tenebrarum resolutio obstantium hostium vim superatam signat Gratiùs Statius, non tam à tenebris parum id, quàm ab altis astris reportatam auroræ celebrat victoriam.

Qualis eras, procul heu cunctis puerisque virisque
Pulchrior, & tantum Domino minor: illius vnus
Ante decor, quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.

τὸ enim *premit* satis calcatas deuictorum aliorum siderum ceruices notat. Hesperum verò eamdem cum Lucifero stellam, norunt pueri. Seneca de morte Claudij.

Qualis discutiens fugientia Lucifer astra,
Aut qualis surgens, redeuntibus Hesperus astris.

fugientia dixit astra, à superante & discutiente Luciferi fulgore.

408. *Sic & Luna: ideo cornuta.*

Venio ad Lunam: de hac Ouid. *in epist. Leandri*, vbi iuuenis ad illam.

Quantum cum radiis fulges, argentea puris
Concedunt flammis sidera cuncta tuis,
Tantum formosis, formosis omnibus illa est:
Si dubitas cæcum Cynthia lumen habes.

In τῷ *concedunt*, palmam oblatam noscis. Seneca in *Hippolyto*:

Pulchrior tanto tua forma lucet
Clarior, quanto micat orbe pleno,
Cùm suos ignes coëunte cornu
Iunxit & curru properante pernix
Exerit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent stellæ faciem minores.

Non *tenent faciem*, quia passæ deliquium maioris pulchritudinis fulmine percussæ. Sed si argutari libet in re amœna, putarem in hoc loco Canticorum non tam lunam plenam, quàm corniculatam significari, in qua satis pulchritudinis ad comparationem & emphaticoteros apparatus cornuum, ad certamen, & licèt in Hebræo & Latino indifferens sit vox vtrique lunæ significandæ, tamen in Græco non tam μήνη ponitur, quàm σελήνη, qua licèt quæuis luna significetur, tamen ex propria nominis notione luna noua, ac proinde corniculata notatur, dicitur enim σελήνη, quasi σέλας νέον, *lux noua*: hinc olim explicabam Synesium *hymno 9.*

Synesius explicatus.

Ἁ δ᾽ ὑ κεράων σελάνα
Πλήθουσα ῥοῦ πυρὸς
Ἀγεῖτο σελάνα
Ποιμὰν νυχίων θεῶν.
Ipsa quidem cornutum lumen
Replens influxu ignis
Ducebat luna
Pastor nocturnorum deorum.

Vbi nouum lumen selenis, siue lunæ, vt vides, cornutum appellat, & tacitè notationem visus explicasse. quæ si tibi ad gustum visa, vides iam quàm aptius hæc cornua veniant ad certamen: ego quidem ex hac nota adolescens, erudite interpungebam, & venustè, ni fallor, explicabam Senecam *in Hippolyto act. 2.*

Seneca explicatus.

Intende sic te lucida vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris, eas.

quasi cornibus nubes rumperentur, ab obscuritate victoria reportata non displicerent hæc meo Cerdæ, qui ad illud 1. Georgicorum:

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus,

explicat de via sibi aperta auratis cornibus. sic etiam explicabam eumdem Episcopum Synesium *hymno 5.* vbi ita,

Synesius iterum.

Tibi Sol equitat
Diei perennis fons.
Tibi taurina frontis luna
Noctis tenebras pellit
Tibi nascuntur fructus,
Tibi pascuntur greges.

loquitur de creaturarum obsequiis Deo præstitis: Græca habent: σοὶ δ᾽ ἀταυρώπα μήνα τὸν νυκτὸς ὄρφνας λύει: quasi ideo soluat, quia tauri formis cornua ostentat.

409. *Sol victor.*

Venio ad Solem. Horat. *lib. 3. oda 21.* qui victor celebratur,

Dum rediens fugat Astra Phœbus.

Claudianus *in Phœnice*, de Solis Oriente,

Vnde rubet ventura dies longéque coruscis
Nox afflata rotis refugo pallescit amictu.

Licèt his duobus non veniat in pulchritudinis comparationem, satis tamen, vt qui aliàs siderum victor, pulchritudinis exemplar habeatur.

Hæc omnia festiua magis, quàm necessaria mihi viderentur, si aliunde scirem explicare vltimam huius encomij partem, qua nouæ nuptæ dicitur, *terribilis vt castrorum acies ordinata.* quod enim cæteri aiunt, in eodem sensu sumenda, ac illa, quæ paulo antè sponsus dixerat, illis ad suam concatenationem, & explicandi modum suaue venerit: mihi ad rem meam vtrobique durum, qui tam aliter, & tam aliò verba sponsi explicaui: mentem ergo collaudantium puellarum ex dictis capies, quæ enim tanto fulgore pugnax instat Luciferi, Lunæ, & Solis aliarum pulchritudines expugnabat, cui melius, quàm aciei instructæ compararetur? prætereo quæ ex Athenæo *lib. 13. cap. 33.* de certaminibus pulchritudinis olim publicè institutis huc fortasse non aliena afferri possent. Noto adhuc vnum, aut alterum verbum, prædicto sensui non ineptum.

Ille epitasim signat.

Ista. Solet pronomen istud addi non sine epitasi: notauit Passeratius ad illud Propert. *lib. 1. eleg. 15.*

Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.

Affert Apuleium, qui dixit: *isti tui oculi per meos oculos ad ima delapsi præcordia.*

410. *Astra progredientia.*

Progreditur. Siue comparationem factam putes ad progressum ambulationis, siue cum aliis, ad crescentem magis ac magis lucis fulgorem: ad rem meam perinde erit, pompam enim per ædes ad currum progressam pono. pulchrè verò etiam Auroræ *progressus* tribuitur à nostro, sicut à latinissimo Poëta sideri processus adscribitur *Ecl. 9.*

Ecce

Ecce Dionei processit Cæsaris Astrum.

Aduerte tandem inter tot multa, quibus virgines vti poterant ad excellentiam sponsæ denotandam, nihil signatius astris adduci potuisse; licèt enim falsum sit quod prisci putabant, ex Astrorum conuersione musicam suauissimam resultare: negari tamen nequit ordinatissimos siderum exortus & occasus sic quodammodo ad numerum dispositos, vt choreas formare videantur, vnde & choros stellarum legimus celebratos: bene ergo nuptialis chorus non solùm modulis sonans, sed & numeris tripudians, astris comparatur, vbi & sponsa præcipuas partes dicitur obtinere: & de hoc tripudianti concentu explicarunt aliqui illud Iob 38. n. 7. *cùm me laudarent astra matutina.* nec his obstat D. Ambros. qui *lib. de Isaac cap. 7.* Ita, *electa vt Sol: quod autem Aquila ait, sonans vt Sol, videtur illa axis cælestis conuersio, Solisque & lunæ & stellarum cursus concentus globorum exprimi, à quibusdam etiam nostris videtur: qui quoniam non venit ad fidem, saltem propter gratiam suauitatis non videtur alienus.* Hic enim non tam cursus stellarum quodammodo tripudiantem, quàm sonum illum modulantem, vt dixi, & musicam Pythagoricam, minus probat S. Doctor: de qua multa dixerat 2. *exaemer. cap. 2.*

411. *Astrorum chorus,*

Si quis verò contendat locum hunc nostrum Canticorum, sicut & illum Iobi *cap. 38. num. 7.* ad musicam astrorum pariter cum tripudiis referendum, non nimis pugnabo, non quia ibi veros concentus, vt dixi, & musicam existimem: sed quia, vt in prolegomenis notaui: sæpe in Scriptura, non ad rem, vt in se est, sed prout in hominum opinione versatur, fit allusio. Vnde cùm adeò musicæ cœli sententia vulgo increbresceret, illam ad comparationem volui vsurpatam: vt *cap. 7.* de Iona bibente pluribus probabo. nec his repugnaret Ambros, qui non iam allusionem, quàm musicam ipsam voluit minus probatam. Vide *cap. 7. vers. 1.*

412. *& musica.*

Scriptura res vt in hominum opinione versantur memorat.

P A R A P H R A S I S.

En fidem tuam liberamus, ô pulcher Salomon, & neque inuidæ, neque maleuolæ, præconia dilectæ nuptæ tuæ omnium puellarum Sionitidum nomine decantamus: quid ni, si progreditur illa inter sodalium choros, tanquam inter astrorum tripudiantes choreas Lucifer erumpens; tanquam inter nocturna sidera, splendens luna: vniuersæ pulchritudinis Sol sula: puellas cæteras dulci speciositatis armatura sic euincens, vt Lucifer, luna, sol, cætera videntur lumina triumphare: vt hinc meritò instructa formositatis acies, cæteras debellans formosas veniat appellanda?

VERS. 10. Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

VERS. 11. Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Multa hîc, & illa egregia interpretes: sed tamen quæ nec concatenationi, nec chronographiæ nostræ possint inseri. ego quidem cum pluribus, prædicta omnia verba sponsæ tribuens, ab illorum mente, & serie facile me expedio. Laudarant sodales puellam quasi in ipsa pulchritudine terribilem, & instar aciei Instructæ bellatricem: illa tunc, comiter & festiuè laudem declinans, (obiter etiam sponso, qui illam eodem titulo paulo antè affecerat, respondens) quàm sit ignaua, quantum à militia absit, adhibita narratiuncula protestatur. q. d. Quid appellatis terribilem illam, quam paucis antè diebus tantummodo Martialium quadrigarum aspectus potuit perterrere? Aminadab autem intelligo aliquem ex primariis Regis Equitum, qui certum quadrigarum numerum gubernabat, ex innumeris, quas per varia loca, sub principum suorum cura habebat Salomon, de quibus multa in libris Regum.

Sic autem à metaphorica pulchritudinis terribilitate, ad veræ militiæ rationem transit puella, sicut à propria belli terribilitate ad metaphorica pulchritudinis arma solet appellari. Ælianus lib. 2. cap. 24. *Miloni nemo aduersariorum pomum, quod in manu tenebat, eripere potuit, quod tamen amasia eius nullo negotio illi extorquebat.* Possem ire per Innumera, vbi de Marte Venerem timente, de Hercule Omphalem trepidante, tanquam de periculosiore bello loquuntur autores: do tantùm carmina Nonni *lib. 34.* venustè ab amico traducta. alloquitur armatus Dux fugientem puellam.

413. *Ab amore & militia inuicem metaphora.*

Virgo, precor superans bellis, superatus amore
Chalcomedea mane: præda tibi damna repellet
Non cursus, veriem oris honos: truculentior igne
Corda hominum comburit Amor: fax mollis, acerba
Tela fugat: non bella gero; cur ergo timore
Concuteris? formâ tantum peltata, ferocis
Insanos pellis bellatrix cuspidis ictus.
Quid? superas: an tela tibi, vel scuta petenda?
Ast quorsum? frontis gladius vibratur eburnus,
Ex oculis furis hasta tuis: parmámque ministrant
Purpureo candore genæ. si fortè reprendat
Quis segnem: iis nunquam Veneris monumenta reuoluit.

Vbi simili ad locum nostrum dissimilitudine, iuuenis se de Martiali horrore nec fortem, nec timendum prædicat, quia amore victus: sicut econtra sponsa comiter & modestè, se de pulchritudinis terrore minus laudandam innuit, quæ Martiali quadrigarum strepitu fuerat terrefacta. dicitur *hortus nucum*, quia ibi frequentiores.

P A R A P H R A S I S.

At videte ne vrbanè ista magia, quàm verè dicta fuerint: quis enim appellatam me terribilem, & aciem instructam non derideat? Vultis scire quàm sim strenua, attendite. Descenderam diebus præteritis in hortum visura florentes vineas, poma erumpentia, punica germinantia ignara fore, vt id temporis quadrigas suas, (quas rex Salomon ad vrbis præsidium, ad hostium terrorem illi commendarat) exerceret Aminadab: vt vidi, vt tremui, penè exanimata, turbata penitus: ite nunc, & me aciem, & me terribilem appellate.

VERS. 12. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

Choro virginum iam multi hæc verba tribuerunt: ego vnus choro adolescentum potiùs tribuenda, illorum tunc concatenatio facilis cum superioribus: immorabatur sponsa cum dilecto, & ad sodales virgines vltima verba fecerat: id vrbanè adolescentes mariti comites queruntur, rogant vt tandem ad illos etiam conuertatur, quo illius iucundissimi conspectus gustu, non ieiunent: hîc enim *reuertor*, pro *conuertor* poni, ex Hebræo alij notarunt, certè ex Græco ἐπίστρεφε satis res apparet.

Sulamitis.

414. *Vxoris nomen à mariti nomine compoſitum.*

Sulamitis. Germanam hanc huius vocis orthographiam, recentiores ferè omnes aſſerunt, & meritò, concordant enim Hebræa, & Græca correctiora: ducitur à radice שלם *pacificari*, à qua & Salomon, vt ab ſponſo Salomone, id eſt, pacifico, Sulamitis, id eſt, pacifica appelletur: ſic tres Patres apud Theod. addit Delr. ſic veri Salomonis veram coniugem. nemo tamen, quem viderim, huiuſce rei rationem, & noui nominis ab ſponſo deriuati cauſſam voluit ſcrutari, præterquam Sanchez noſter *ad cap.8.ver.*10. in illa prior ego incideram, & ex iis quæ addo, non fruſtrà laboraſſe videbor. Sciendum igitur ſolitos olim maritos, è ſuis vxorum noua nomina componere.

415. Athen explicatus.

Athenæus lib.13.cap.13. *Euxenus mulierem accepit, vnà habitabat, mutatóque nomine Ariſtoxenam appellauit.* Dixerat paulo antè, *Appellabatur autem Petta puella.* Euxenus ergo, Græcè Εὔξενος, id eſt, *bene hoſpitalis*, puellam, cui, vt patet ex hiſtoria, nimium fuerat obligatus, vtpote quæ tot aliis procis ſpretis illum elegerat, à ſuo nomine Ariſtoxenam dixit, id eſt, *optimè hoſpitalem*, ἀριστοξένην: poſitiuo εὖ, in ſuperlatiuum ἄριστον tantùm commutato.

416. 2.Machab.4. num 30. explicatur.

hinc 2.Machab.4.num.30. *Contigit Tharſenſes & Malotas ſeditionem mouere, eo quòd Antiochi Regis concubinæ dati eſſent.* Alludit ad vſum, quo olim vxoribus regiis variè vrbes ad cenſum, victum, vel cultum aſſignabantur: concubinam verò hîc de ſecundaria vxore capio. Sciendum igitur τὸ *Antiochi*, non eſſe nomen Regis, ſed concubinæ, ac in tertio caſu conſtruendum. Græca clariſſima: διὰ τὸ Ἀντιοχίδι τῇ παλλακῇ τοῦ βασιλέως ἐν δωρεᾷ δεδόσθαι. *eo quòd Antiochidi concubinæ Regis dono darentur.* quaſi Antiochus à ſe puellam Antiochidem appellaret.

417. item Matth. 14.num 3.

Vnde crederem illud Matth. 14.num.3. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & poſuit in carcerem propter Herodiadē vxorem fratris ſui.* ita intelligendum, vt fœmina iuncta Philippo fratri ſuo aliter vocaretur, quam Herodes ſacrilegè raptam, inceſtuoſoque ſibi collocatam matrimonio, à ſuo nomine Herodiadem appellauit, & fortaſſe id voluit Chryſol. *ſerm.*173. vbi ita.

418. Chryſologo fortè lux.

Herodias, quæ vxor eſſe duorum fratrum ſcelerus amore contendit, vt affectione violaret affectum, & ſociaretur Herodi Herodias, ne eſſent vel nomine diſſimiles, qui erant ſcelere, moribus, vitâque conſimiles, & iungerentur vocabulo, quos criminum iunxerat turpitudo. D Fulgent. ſerm.7. de Ioanne. *Quid habetis contra Ioannem Herodes & Herodias, quos ad conſortium nominum adduxit impuritas criminum.* clare: quaſi crimen nuptiarum nominis communicatio ſequeretur.

419. *Mutata nomina in nuptiis.*

Quæ ſcripſi hucuſque, non ita dicta intelligo, vt contendam ſemper in nuptiis ſolemnem fuiſſe hanc paranomaſiam, ſatis ad rem meam, ſi frequenter, ſaltem non rarò affectatam nouerimus, quòd ex allatis teſtimoniis ſatis patet. aliàs verò diuerſiſſima coniugum vocabula, quis ignoret? Addo, quandoque mutata propter nuptias vxorum nomina, nec tamen è maritorum nominibus efformata. ſic ad illud *Eſther* 2. *num.*7. de Mardochæo, *qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.* vbi Serarius ſuſpicatur poſt adeptum regnum, & initas Aſſueri nuptias, vocatam Eſther, quæ priùs Ediſſa vocabatur. illuſtro coniecturam ex Athenæo *lib.*10.*c.*12. de Antiocho magno. *eo tempore quo bellum gerebat, cùm virginem Chalcidicam adamaſſet, eam ſibi nubere ſtuduit, cum vini eſſet bibax, ebrietatique deditus: erat autem ea filia Cleoptolemi, vnius virorum illuſtrium, quæ cæteras omnes pulchritudine antecellebat: impoſuit ipſe præterea puellæ nomen Eubæam.* Videbatur tamen teneritudinis maioris, ſi ſimilitudo vocabuli intereſſet.

420. *Amaſia nomen à ſuo componebat amaſius.*

Vnde auguror, cur amantes quandoque amaſias ſuas, quas occulto vocabulo volebant celebratas, è ſuo nomine, ſed illo ſublatente denotarent: amauit Stella iuuenis nobiliſſimus Violantillam, quam obliquis carminibus Aſterem appellabat. Stat. *lib.*1.*ſyl.*2.

421. Statius explicatus.

Aſteris & vatis totam cantata per vrbem:
Aſteris ante dapes, noctu Aſteris, Aſteris ortu.

Quia nimirum ἀστὴρ Græcè *ſtellam* ſignificat: vnde Aſterem, ſiue ſtellulam, à ſuo nomine amicam appellabat, tantùm Græco velamine ſuperinducto. hæc ipſa Violantilla à Martiali *lib.*6. *epig.*2. Lanthis appellatur.

Perpetuam Stellæ dum iungit Lanthida vati.

Quia Græcis ἴον *viola* eſt: ipſe tamen amator teneriùs à ſuo nomine Aſterem appellabat.

422. & Ambroſ.

Alluſit ad hunc morem D.Ambroſ.*ſerm.*17.*in Pſalm.*118. vbi ad illud huius Cant.7.num.6. *chariſſima in delitiis.* quod LXX. vertunt ἀγάπη ἐν τρυφαῖς, *charitas in delitiis.* ſic ſcribit. *Pulchra decore virtutis, ſuauis iucunditate gratiæ, remiſſione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, & ipſa iam charitas, quæ diligendo Deum, & nomen acceperit, quia Deus charitas eſt.*

Ex dictis claret, cur nuptiali die puella Sulamitis, id eſt, pacifica appelletur: nimirum, indidit illi hoc nomen Salomon, id eſt, pacificus ille ſuus: vel potiùs chorus, cui aliàs mos notus, feſtinè in coniugum gratiâ nomen inuenit. Formantur magis iſta ex iis, quæ ſuprà innui, & ſtatim num.1. ſequentis capitis latè probabo: nimirum die nuptiarum vxores maritis loco filiarum venire, & in eorumdem familias adoptari: in adoptionibus autem nihil frequentius, quàm mutatio nominis: ita vt adoptatus nouo titulo, adoptantis nomen ſapiat, & præ ſe gerat.

423. *In adoptionibus mutatio nominum.*

De Romanis impletas vbique paginas incurres: ſatis illa Appiani lib. 5. *Moris eſt Romanorum, vt adoptati, adoptantium nomina accipiant.* & Claud.*in* 6.*conſ. Honorij.*

Hîc illi manſere viri, quos mutua virtus
Legit, & nomen rebus Romanis adoptans,
Iudicio pulchram ſeriem non ſanguine duxit.

Apud Hebræos licèt non concedamus in adoptionibus, in adoptantis nomen omnino veniſſe adoptatum: tamen aliquam nominis haberi rationem, vt ſaltem in obliquo adoptantis nomen adoptato gereretur, mihi conicitur: nemo enim neſcit, priores duos filios Ioſeph, auo ſuo fuiſſe adoptatos, *Geneſ.*48. *num.*5. de quibus ſtatim *n.*6. ita habetur: *inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac.* neque enim, vt putant, ſolus fauor benedictionis hîc importatur, ſed etiam titulus gentilitius ab adoptante. Vnde de cæteris filiis Ioſeph, qui poſtea naſcerentur, dixerat num. 6. *Tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.* quia per ſe terræ præmiſſæ partitionem non ſortituri, ſed tamquam horum fratrum appendices, ac proinde nomen adoptantis Iacob non referebant. res clarior apud Euangeliſtas de Ioſeph noſtro.

424. *Rapina ſimulata in nuptiis.*

Si quis tamen legendum contendat *Sunamitis*, quæ vox *emptam*, & *captiuam* ſonat: vnde & Symmachus legit ἡ ἐσκυλευμένη. id eſt, *prædâ capta*, poteſt recurrere ad raptum nuptialem, de quo ſæpè dixi, tunc enim puella quaſi bello captiua marito ducta: vnde Catullus feſtiuè,

Quid faciunt hostes captâ crudelius vrbe.

Sicut *cap.* 1. dixi, *captiuam captiuitatem*, Synagogam sponsæ instar raptam appellari.

425. *Chori dramatici conditio, & scommata.*

Claudo huoc versiculum, & pariter totum caput sextum, addens non esse extra decorum, vt chorus adolescentum festiuè querulus sponsam tacitè reprehendat, quòd illos non attendat: sic chorus virginum apud Theocritum in Helenæ Epithalamio sponsum vrbano sale respergit quòd otiùs discederet cubiturus: *idyl.* 18.

> *Siccine coepusculo cubitum abysti, ô chare sponse?*
> *Nunquid grauatus nimium es genibus, nunquid somniculosus?*

Sic apud Catull. *in suo Epithalamio* Hesperus iocosè increpatur,

> *Hespere, qui cælo fertur crudelior ignis?*

PARAPHRASIS.

Quid ad solas amicas virgines attendis, noua nupta? ad nos etiam mariti sodales, iucundúmque festiuæ pompæ satellitium conuertere, ô Sulamiti: hoc iam tibi faustum nomen à Salomonis tui nomine deriuatum, pro tempore debetur, vt non solùm amatoris dulcis, sed dulcioris mariti, instar patris tenerrimè te adoptantis, in illius inserta familiam, familiarem titulum ritè sortiatis.

CAPVT SEPTIMVM.

VERS. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

CONNEXIO horum verborum, cum superioribus mihi plana: respondent virgines sponsæ sodales adolescentibus sponsi comitibus: optarant illi, vt vidisti, vt puella noua nupta ad se conuerteretur videndam; his verò respondent iam virgines festiuè: nam ad iuuenes facta verba, indicat verbum Hebræum generis masculini תחזו id est, *videbitis*. noster tamen in singulari vertit, quia, vt in Prolegomenis notaui, choro nunc singularis, nunc pluralis numerus assignatur. nunc, quò tendat hæc responsio, videamus.

Choros castrorum Ne nouæ nuptæ verbis, quæ se ignauam dixerat, deterritæ sodales viderentur, non tam palinodiam recinunt, quàm prædictum epinicium noua comparatione confirmant. q. d. nil aliud videbitis, ô iuuenes, nisi reapse verum quod paulo antè de pulchritudine puellæ bellatrice dicebamus, nostri omnium speciositatem vincentis: quemadmodum enim populi nostri exercitus, quo se fortiùs animent, & accendant in hostes, musicos choros solent adhibere: sic Sulamitis ista debellandis aliarum speciositatibus fulminat, vt musicos castrorum choros ducere videatur. qua dicendi formulâ fortasse ad musicos choros & tripudiantes stellarum choreas, de quibus dixi *cap.* 6. allusum etiam voluerunt. noua huius loci explicatio; non tamen innouatus à me vsus allatæ musicæ ad exercitum. Exhausit multa noster Roa *singul.* 3. *cap.* 16. vnde explicat locum ex *lib.* 2. *Machab. cap.* 12. *n.* 37. *& cap* 15. *num.* 29. do ad rem meam pauca ex innumeris, in quæ incidi. Cornel. Tacit. *lib.* 4. *Annal.* de Romano duce contra Germanos expedito: *Simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus & tripudys præsultabant, mittit dilectos sagittariorum.* Athen. dipnos. 14. cap. 11. *Robustissimi idcirco Lacedæmonij cum tibijs militare consueuerunt, Cretes cum lyra, Lydi cum tibijs ac syringibus.* in re simili longum horum catalogum lege apud Lucianum *in laude saltationis*. Pergo. Diodorus Siculus de Lusitanis: ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνειν, καὶ παιᾶνας ᾄδειν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις: *in bellis ad numerum incedunt, carmina, siue peana canentes, cum aggrediuntur.* ne verò Hispani rideant, audiant de his patrio more Silium Italicum.

426. *Musica in bello.*

427. *Sic Lusitani & Hispani.*

> ——*ritu iam moris Iberi*
> *Carmina pulsata fundentem barbara cetra.*

Parco paginis. De Hebræorum more signatus locus 2. *Paralip.* 20. *n* 21. de Rege Iosaphat. *Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. cúmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum, filiorum scilicet Amon, & Moab, & montis Seir, qui egressi sunt, vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt.* Ne verò nouitium inuentum aliquis hoc existimet à Iosaphat ad Machabæos, cui proinde Salomon hîc alludere non posset, cogitet mecum, an melius aliunde, quàm ex hoc vsu veniat explicandus Dauid Psalm. 149. n. 7. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus,* &c.

Psal. 149 n. 7. explicatus.

Gressus tui. Eidem choro hæc & sequentia verba tribuo, sub eadem periodo contenta. incipit verò hîc festiuum & nuptiale canticum, alterius ab vtroque cùm virginum, tum adolescentum choro in laudem sponsæ compositum: rem sic concateno, firmarant virgines quæ dixerant de victrice, & instar exercitus parata sponsæ pulchritudine, ad iuuenes conuersæ. nunc ad puellam intentæ, idem ex incessu confirmant: vt enim exercitus quamuis pulcher dum castrametatur, pulchrior tamen dum progreditur ordinatus, apparet: sic sponsa progrediens currum ascensura, vt dixi, pulchrior incessu ipso apparebat. bene Ouid. 3. *de Arte.*

428. *Pulchritudo incessus.*

> *Est & in incessu pars non temnenda decoris.*
> *Allicit ignotos illa, fugátque viros.*

Vnde & à gradiendi modo olim notæ Diuæ. Virg. 1. *Æneid.* apud quem Iuno.

429. *Sic in Deabus.*

> *Ast ego quæ Diuûm incedo regina, Iouisque*
> *Et soror & coniux.*

Quasi ipso se proderet, & laudaret incessu. Clariùs *ibidem* de Venere.

> ——*pedes vestis defluxit ad imos,*
> *Et vera incessu patuit Dea.*

& *lib.* 4. de Dea Iride notatur:

> *Ardentésque notate oculos, qui spiritus illi,*
> *Qui vultus, vocis ne sonus, vel gressus eunti.*

Non immoror explicando quid priuatum haberet incessus hic Dearum, à mortalibus fœminis alienum, de quo Cerda: mihi enim nunc satis, si ab

inceſſu decoro, qualis qualis ille fuerit, Dearum maieſtas pulchrior apparere putaretur. pergo ad mortales. Statius de Glaucia pulcello puero:

430. Statius explicatus.

Sic tener ante diem vultu, greſſúque ſuperbo
Vicerat æquales, multúmque reliquerat annos.

Quaſi dedeceret vultus pulchritudo, ſine greſſus venuſtate: ſuperbia enim in hoc loco (vt innumeris aliis) venuſtatem innuit, & decorem. Tibullus *lib.* 4. de Sulpitia:

Illam quidquid agit, quoquò veſtigia flectit,
Componit furtim, ſubſequitúrque decor.

Plutarchus de claris mulieribus *cap.* 23. de Timoclia illuſtri fœmina Alexandro adducta: *qui cùm ex vultu & ſtatura corporis, tum & inceſſu, & morum grauitate generoſam contemplaretur*, &c. multa de hoc in meo ſpicilegio. Claudo hunc tractum Homero *odyſſ.* 8. laudante μαρμαρυγὰς ποδῶν: *Incentes vibrationes pedum.* vbi interpres: μαρμαρυγαὶ τῶν ποδῶν, αἱ συντονοι κινήσεις: ἐκ γὰρ τῆς ὀξείας κινήσεως ἀποστίλβειν γίνεται τις τῶν ποδῶν: *ſplendores iſti pedum, non ſunt citata illorum motiones, ſed excitatis motionibus, ſplendor quidem apparentibus pedibus ſuboritur.*

431. Pedum ſplendores.

432. Calceorum elegantia.

In calceamentis. Magna pars integri encomij, quod in hoc capite continetur, decorem puellæ commendat, à cemptu potius nuptiali & acquiſito, quam à natura, vt ibi videbimus: hîc ergo prædicta inceſſus venuſtas à calceamentis commendatur: de quibus, quia ſatis Sanchez, ſupprimo quæ vltrà poſſent congeri: addo Homer. *in hymno Merc.* quia Maiam vocat καλλιπέδιλον, *pulchra calceamenta habentem.* De cura autem & elegantia illorum apertum eſt teſtimonium in hiſtoria Rhodopidis puellæ venuſtiſſimæ, cui dum lauaret, Aquila calceum rapuit, illúmque longè aſportatum in ſinum Ægyptij principis Pſammetichi demiſit, qui, vt fert Ælianus lib. 13. cap. 33. *Miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem, & concinnitatem.* Puellam, cuius ille erat, ſummo labore & diligentia quæſitam abduxit ſibi copulandam. poſſes dicere, illud Holophernis: *Sandalia rapuerunt oculos eius.*

Filia Principis. Vnus Ghiſletius (cæteri aliò tendunt) penè ad rem meam, non penitus: vult blanda appellatione, quod & hodie fieri ſolitum, vxorem hic filiam mariti appellari. maius aliquid aſſero, ſolemnem fuiſſe morem, vt vxores filiæ maritorum dicerentur, quia in illorum & nomen & familiam tranſibant: vnde aptè nuptiarum die, in quo ſumus, virgines nouam nuptam mariti filiam appellant, ſicut ob ſimilem cauſam iuuenes paulo antè vocarunt nouo nomine Sulamitidis: imò & hæc ſunt (vt in acoluthiæ prolegomena notaui) quæ cum aliis de raptu, & ſimilibus infrà dandis, me impulerunt, vt actus condiſtinguerem, & ſolum hunc vltimum cum tribus ſcenis ſuis putarem nuptialem. Noua igitur tantum præſenti loco, quæ aliis Sacris vetus noſcitur eruditio.

433. Vxor in nuptijs loco filiæ marito veniebat.

Ergo ad hunc vſum reuocant multi poſt Pinedam *in ſuo Salom. lib.* 5. *cap.* 4. illud Pſalm. 44. n. 11. *filia Regis.* vbi etiam idem Pineda affert illud de Bethſabee reſpectu Vriæ, *erat illi ſicut filia*, 2. Reg. 12. n. 3. & Ierem. 3. num. 4. vbi Deus ad ſynagogam ſub ſponſæ metaphora: *ergo ſaltem amodo voca me, pater meus.* Vbi etiam vide Sanchez in ſuis Commentariis in hunc Prophetam. quem morem inſinuat ad *cap.* 8. huius Cant. & ſuprà *cap* 4.

De vſu gentium afferunt vnum Boëtium in topica Cicer. *Coemptio fiebat hoc modo: rogabat vir an ſibi mulier materfam. eſſe vellet? illa reſpondebat, velle: itaque mulier conueniebat in manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem, & erat materfamilias viro loco filia.* Eiſdem penè verbis Seruius *in* 4. *Æneid.* addo optimum locum A. Gell. *lib.* 8. *cap.* 6. *ad finem*, vbi ait: *Matremfam. appellatam eſſe eam ſolam, quæ eſſet in mariti manu mancipióque: vel in cuius maritus manu, mancipióque eſſet: quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet.* quæ verba bene, vt cætera ſolet, Ferdinandus de Mendoça explicat *lib.* 3. *cap.* 14. *de conf. Concil. Iliber.* vir ſane non ſine magna reip. litterariæ iactura importuno fato raptus: tranſcribo inde pauca, quia probant etiam, quæ ſuprà dixi de vxore nominata. *Suum heredem dicit matremfam. eſſe, quòd filiafam. loco ſit, qui & ſuus hæres dicitur: vnde quemadmodum filij, nomina, & quæ nunc cognomina patris, ſiue Gentilia vocamus, aſſumebant, ſic & vxores. filiabus enim patres cognomina non imponebant antequam nuberent, vt ex Q. Scæuola Titus Probus lib.* 10. *epiſt. Valer. Max. refert: nuptæ verò non patris, ſed mariti cognomen, & eius familia ſumebant.* ad hunc morem reuocabam olim Catullum *epigr.* 73.

Pintus in Cantica.

Catullus explicatus,

Dilexi tunc te, non tantùm vt vulgus amicam,
Sed pater vt natos diligit, aut generos.

id eſt, dilexi non inſtar amicæ, ſed vxoris, quæ marito tanquam patri inſtar filiorum venit. ſic & Propert. *lib.* 2. *eleg.* 7.

& Propertius.

Tu mihi ſola places, placeam tibi Cynthia ſolus:
Hic erit & patrio ſanguine pluris amor.

id eſt: quamuis amica, eris mihi pluſquam vxor; vxorem enim maritus tanquam pater: ego te pluſquam pater reſpiciam. his adde quæ ex Græcis attuli *cap.* 6. *n.* 8. ad hanc rem.

Reſtat explicandum, cur ſponſus hîc dicatur Princeps. Ghiſlerius facilè ſe expedit, quia Regem ipſum Salomonem, ſub paſtoris metaphora, ſponſi partes obire in hoc dramate exiſtimat. ego id nunquam admiſi: recurro ergo ad vſum, quem ſæpe dixi, quo amantes & amici Reges vocantur: de quo *cap.* 1. & 2. adde in die nuptiarum, quo puella inſtar regni comparatur, nomen Regis, ſiue Principis ſignatiùs venire. Ioannes Antiochenus homil. in Pſalm. 4. *Quoniam Dauid mulierem, quæ erat in viri poteſtate, tanquam alienum regnum occupauerat, (cuilibet enim viro regnum eſt propria coniux, & non ſic rex purpuram & diadema, vt vir vxorem ſuam diligit) propterea qui ex vxore natus erat ei filius, inſurrexit Tyrannus, volens abripere regnum patris: vt rapuit ipſe regnum alienum, & vim paſſus eſt circa proprium: & quæ clanculum peccauerat, de eo triumphus palam actus eſt.* Ex hoc vſu, mariti apud Romanos ab vxoribus Domini vocabantur. Virgil. 4. *Æneid.*

434. Vxor regnum mariti.

Cui que loci leges dedimus, connubia noſtra
Repulit, ac Dominum Æneam in regna vocabat.

Quæ ibi affert Cerda ex Ouid. 2. *Faſt.* & *epiſt. Cydippes*: ego ſemper aliter intelligi poſſe putaui. Explico hîc illud *Prouerb.* 4. *n.* 8. de ſapientia, quæ, vt bene ibi notant interpretes, ſub ſponſæ metaphora venit: *arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus: & dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & coronâ inclytâ proteget te.* id eſt, deſponſata tibi te Regem facit, (quia vxor regnum mariti) ac proinde coronâ inſignitum, ideo Prouerb. 12. n. 4. *Mulier diligens corona eſt viro ſuo.* quia ſemetipſa inſtar regni tradita, Regem coronatum conſtituit.

Prou 4 n 8. explicatur.

item Prouerb. 12. n 4.

Iunctura feminum. Femina, ſiue fœmora tota hîc laudata putarunt plures, ſibi habeant: ego qui nec iuuenis ventrem laudari modeſtè poſſe credidi, minus hoc diglutiam: nuſquam hæc à profano ſcriptore paululum modeſto ſcripta legeris, nedum

ab Spiritu sancto, etiam in cortice, celebrata putentur: idque ore virginum, quibus non solùm prolixa laudatio, sed ipsa tantùm expressio ruborem attulisset: ferè eadem ratione displicebit qui fœmorum vertebras aut ad coxas, aut ad genua de pulchritudine laudatas volunt. Feliciùs ergo alij cum Genebrardo aiunt, non tam pulchritudinem, quàm connexionem fœmorum cum tibiis, & harum cum pedibus celebrari: quasi ideo pulchri gressus, quia ex sic aptè connexis membris, nulla inter ambulandum claudicatio cernebatur. Hæc explicatio modesta est: neque enim virgineum os dedecet si gressus laudet, à commissuris fœmorum deriuatos, quas à natura ita factas volunt affabrè, vt ab artifice monile annulis aptè insertis fabricatur: quæ tamen laus est, si puella claudicationis vitio liberetur? non est in re pulchritudinis laua prima, vitio carere: nec videtur ad rem laudari iam venustis gressibus, claudicationis deformitatem amouere, quasi aliquid maius. Facillimè tandem noster Sanchez putat dissectam à fœmoribus tunicam fibulis pretiosis, quæ monilibus comparentur, fuisse constrictam: suspicatur enim partes vestium apertas, quæ apud alias nationes vncinis, globulis, & similibus astrigmentis colligantur, apud Hebræos aureis annulis, siue fibulis fuisse connexas: id verò tribuendum ait sponsæ pudori, cum Lacænæ fœminæ, & fortè Romanæ discinctis commissuris illis, apparituris fœmoribus locum exhiberent: quod etiam de Hebræis puellis vult coniectādum. Sed si, vt ipse fatetur, vestis hæc phrygionia aliis superinduebatur, certè quamuis non esset fibulata & coniuncta, adhuc non reuelaret fœmora, quæ interna saltem veste tegerentur: adde satis durum videri Lacænarum singularem morem ob palæstras, Hebræis puellis obtrudere sine robustiori aliquo fundamento. Addidi (præter morem meum) quid in vtraque opinione durum apparet, vt ab aliis emollitum suauius veniat quod dixero amplexandum. amota tandem ab auribus illorum explicatione, qui decantatam fœmorum pulchritudinem voluerunt.

435. *Fibulæ assuentes.* Ego putarem celebrari in hoc loco, tanquam inter præcipua cultus nuptialis ornamenta, tatum & delicatum compingendi vestes genus: attende, non solùm illas partes, quæ necessariò aliquando aperiuntur (& nos globulis, siue vncinis connectimus) fibulis interim pro tempore nectebant veteres: sed illas etiam, quas filo serico & acu ita coniungimus, vt partes telarum contexere videamur, fibulis delicatiores fœminæ coniungebant. Ælianus *lib.* 1. *cap.* 18. de prisco fœminarum luxu. τῶν δὲ χιτώνων τὰ περὶ τὰς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέρραπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνῆπτον κατὰ πλήθος. *tunicas vero, qua parte ab humeris ad manus vsque defluunt, non consuebant: sed fibulis aureis, & argenteis continuatis connectebant.* De simili vsu explico Homerum *odyss* 18. vbi de vestimento sponsæ ambitæ oblato, ita.

Homerus explicatus.

πέπλον μέγαν περικαλλέα ποικίλον· ἐν δ' ἄρ' ἔσαν περόναι δυοκαίδεκα πᾶσαι χρύσειαι, κληῖσιν ἐϋγνάμπτοις ἀραρυῖαι.

――attulit magnam pulchram vestem
Variam, vbi erant fibulæ duodecim: omnes
Aureæ, iuncturis bene flexibilibus congruentes.

Nam suspendendæ vesti, vna, aut altera fibula solet affighari, paulo plures ordinariis apertutis consibulandis: at duodecim in vnam tantùm vestem allatæ, videntur supplendæ assuturæ deuenisse. Comparantur autem hæ fibulæ monilibus, quia si longam partem aliàs assuendam connectebant, cùm multæ & continuatæ insererentur, quodammodo catenulam, aut monile efformate videbantur. Adde (o Hebræo legi pro *monilibus* חלאים quæ vox propriè *gemmas* significat, & bacchata gemmataque monilia videtur denotare: credo, quia iuncturæ, siue fibulæ, de quibus hic sermo etiam gemmatæ: tales enim lego comptiorum fœminarum. Claud. *de Venere lib.* 2. *rapt.*

Fibula gemmata.

――sudata marito
Fibula, purpureos gemmâ suspendit amictus.

Nec nisi de fibula gemmea intelligerem, id quod statim additur de Proserpina,

Collecta teriti nodantur Iaspide vestes.

Parco multis, quæ de gemmeis fibulis ex Virg. & Statio afferri huc poterant.

436. *Vestis sacerdotalis.* Restat videndum an Hebrææ vestes vtplurimum duabus telæ partibus cōstarent, ita vt vtriusque lateris oris assuerentur, vt hanc futuram fibulis commutatam non temere coniectasse videamur. id quidem aperit Iosephus *antiq.* 3. *cap.* 8. tanquam singulare quid, hunc ordinem assuendi tunetsum in sacerdotali tunica adducens: *Hac tunica non constat è duobus segmentis, vt futuras habeat in humeris & lateribus: sed vnica tela in longum contexta, aperturam in summo habet, non transuersam, sed in longum descendentem a tergo, & antè vsque ad medium pectus.* Cæteras igitur tunicas consutis lateribus integrari constat: vnde cùm fibulas futuræ loco venisse coniectemus, meritò illas à summis fœmoribus demissas, tanquam fœmorum ornamenta laudat chorus.

Dices, liberè dictum videri solas laterales partes à fœmoribus confibulatas laudari, cùm tunica duabus etiam telæ partibus ab humeris & pectoris lateribus componeretur, quas proinde etiam consibulatas dicamus, plusquam liberè his prætetiitis, solas fœmorum fibolas laudatas diuinamus. Respondeo fortasse non esse hanc totius corporis tunicam, sed quæ à cinctura ad talos reliquum corpus, vestiret, nos vocamus *vasquiña.* Quòd si integram contendas, dicam non opus fibularum impendio ad futuras pectoris laterales, quæ satis tectæ & comptæ fascia pectorali & cingulo. Dixi in Prolegomenis, sæpiùs mihi meris tantùm coniecturis insistendum: sub hoc pacto huc venisti, mi lector: fer patienter; ferè enim omnia huius capitis, quæ obscurissima, fumiganti tantùm face illucidanda recognosco: donec alius doctior, & maiori è cœlo luce dignior scintillulas has nostras dignetur confouere.

PARAPHRASIS.

Quid, ô adolescentes, in hac pulchra Sulamitido aspicietis, nisi pulchritudinem nostrâ, vt diximus, superatam? quæ nostrarum instar acierum in ipso pulchritudinis certamine quasi bene ominantes choreas iam producit: ipse modestus maiestatis incessus quasi facto dotium agmine rem annuntiat. Ah, quibus gressibus, quàm pulchro calceamento noua nupta, noui sponsi tui (qui te hodie tanquam felix comparat regnum) solemni titulo filia procedis? de cætero quàm compta vndique? vestis à summis fœmoribus non ordinaria filorum futuræ, sed continuis gemmarum fibularum iuncturis ex vtraque parte connectitur. quæ dum miro ordine in longum concatenantur, monilia bacchata affabrè constructa exprimere videntur.

Vmbilicus

VERS. 2. **Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.**

Dixeris, amabo amice lector, quis vſquam ſcriptorum humani corporis pulchri dotes recenſens, vmbilicum laudandum annumerauit, etiam cùm turpiuſculè minutiſſima quæuis ſumpſerit deſcribenda? cedo vel vnum: puto non inuenies. quid enim, quidquid torqueantur interpretes, pulchritudinis ſingularis appareat in vmbilico, vt non dixerim modeſtè, verùm nec ſcitè veneris commendandum? atqui, inquiunt alij, ideo in hoc Cantico nullus Dramatis ſenſus perquirendus, ſed res omnino myſterio adducenda: ego, vt verum ingenuè fatear, vt primos nouonihil materiales, ſic ſecundos omnino tardos & laboris oſcitantis exiſtimarem: illos, quia non niſi craſsè rem explicandam voluerunt: hos, quia cùm in materialis vmbilici explicatione, nihil decori, vt par erat, inuenire poſſent, vlteriùs commodiorem aliquem ſenſum inquirere, vigiliis parcentes, neglexerunt. Prudenter igitur & feliciter alij cultum aliquem & ornatum, qui ad vmbilicum pendere, hîc inuenerunt: quos inter egregiam nauauit operam noſter Sanchez. Horum & pedibus & manibus venio in ſententiam, dum ornamentum ſignificare volunt, licèt ab illis differam, quòd nec cingulum, nec gemmam, nec laminam vmbelici nomine vocatam intelligam, ſed ſuperiùs indumentum ad ſinum in ipſo medio corporis decore corrugatum, quod propriè *vmbo*, ſiue *vmbilicus* appellatur. hoc vt explicem, nonnulla ex profanæ eruditionis penu, ex Cerda & aliis criticorum, mihi huc mutuanda neceſſariò.

437. *Vmbilicus veſtis.*

Sciendum igitur, apud Romanos ſic laotiorum togam componi, vt in multas plicas ad ſinum corrugata clypei ſpeciem exhiberet, cuius partem mediam, vmbonem appellabant: vnde de candida toga explicant doctiores illud Perſij, quod denuo foueo:

Cùm blandi comites, totáque impune ſuburra
Permiſit ſparſiſſe oculos, iam candidus vmbo.

De quo inter alios Cœlius Rhodig. *dicitur vmbo, quoniam Gabino habitu recurrens ad humerum ſiniſtrum, veſtis vmbonis vicem repræſentat.* & meritò è clypeis ducta huc metaphora. nam Hector apud Homer. *Iliad.* 22.

Perſio lux.

Εἰ δέ κεν ἀσπίδα μὲν καταθείομαι ὀμφαλόεσσαν.
Quod ſi ſcutum quidem depoſuero vmbilicoſum.

& iterum *Iliad.* 19. afferuntur: ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι, *clypei vmbilicoſi.* ſed pergo ad rem veſtiariam. Tertul. lib. 5. de Pallio. *nec artifice eſt qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat, in cilias totumque contracti vmbonis figmentum cuſtodibus forficibus aſſignet.* Vbi Cerda inter alia multa: *dictus vmbo, quia quod eſt vmbo in clypeo, id eſt, in toga ſinus, nempe medium, & quaſi vmbilicus.* tam Cerda, quàm Cœlius aduocant Apuleium mileſiarum vltimo, qui magis ad rem meam, quia de habitu fœmineo loquutus; igitur de Palla Iſidis Deæ, ita. *Palla nigerrima ſplendeſcens atro nitore, quæ circum circa remeans, & ſub dextrum latus ad humerum recurrens, vmbonis vice, adiecta parte lacinia multiplici contabulatione dependula, ad vltimas oras nodulis fimbriarum decoriter fluctuabat.*

Putarem igitur celebrari hîc ab adoleſcentibus (illorum choro vt alternis cœnator, hunc verſiculum tribuo) comptùs genus, quo indumentum iſtud ſponſæ decore ad medium corrugatum io-

Pinius in Cantica.

telligatur: quod quia ad medium, vmbilicus dicatur, & quia rotundum & plicaturis quodammodo iſtriatum, vaſi tornatili meritò comparetur. ſed de cratere tornatili, iam ſubdo plura.

438. *Luna & crater inuicem nomina communicant.*

Crater tornatilis. In Hebræo pro *tornatili* eſt הסהר quæ vox lunam plenam ſignificat, vnde fatentur omnes ex Hebræo verti poſſe, *vas rotundum inſtar lunæ plenæ.* Vel fideliùs, *vas lunæ plenæ.* quod Paraphraſtes vertit, *circulus lunæ.* Incipiamus hinc, vt meliùs Vulgatus noſter intelligatur. Vas, vel phialam lunæ in hoc loco capio de ipſa luna, ſeu de rotundo lunæ ſplendentis corporeque verè maculoſis illis quodammodo cauitatibus, argentea phiala videtur: vnde è contra argenteam phialam lunæ plenæ comparauit Mart. *lib. 8. epig. 51.*

Quis labor in phiala? docti Myos, an ne Myronis?
Mentoris hæc manus eſt, an Polyclete tua?
Liueſcit nulla caligine fuſca: nec odit
Exploratores nubila maſſa focos.
Vera minus flauo radiant electra metallo,
Et nimium felix puſtula vincit ebur.
Materiæ non cedit opus: ſic alligat orbem,
Plurima cum tota lampade luna nitet.

Dixi, *maculoſis cauitatibus.* quia aſpectui noſtro (vnde tot fabulis datus locus) tales videntur. nota pueris verba illa Varronis. *Si exoriens Sol concauus videtur, ita vt è medio fulgeat, & radios faciat partim ad Aquilonem, partim ad Auſtrum, tempeſtatem humidam & ventoſam futuram innuit.* Comparatur ergo comptus ille corrugatæ veſtis ad medium, qui (vt dixi) vmbilicus appellatur lunæ plenæ, quæ ſplendentis phialæ formam videtur exprimere: vnde infero etiam veſtem fuiſſe ſplendidioris telæ. ſic Homerus *odyſſ.* 24. telam Mineruæ vocat ἠελίῳ ἐναλίγκιον, ἠὲ σελήνῃ: *Soli ſimilem, vel lunæ.* nec ſcio an in hymno Veneris non ſolùm ad telæ ſplendorem, ſed etiam ad vmbilicatam formam recurrerit, cùm dixit.

439. Homerus explicatus.

Ὅρμοι δ' ἀμφ' ἁπαλῇ δειρῇ περικαλλέες ἦσαν,
Καλοὶ, χρύσειοι, παμποίκιλοι: ὡς δὲ σελήνη
Στήθεσιν ἀμφ' ἁπαλοῖσιν ἐλάμπετο: θαῦμα ἰδέσθαι.
Monilia autem circa tenerum collum perpulchra erant,
Pulchra, aurea, variegata: vt verò luna
Pectora circum tenera ſplendebat, miram videri.

Sic Græca vertenda, malè enim vulgò, mutato numero fœdantur. Sed redeo. Cùm igitur luna plena crater, ſiue phiala tornatiſſima videatur, forraſſe Vulgatus noſter, non tam phialam, quamuis ordinariam, quàm lunam in modum phiolæ voluit intellectam: ſin minus vmbilici dicti formam clariori voluit, de vſitato cratere, comparatione illuſtrare.

440. *Poculum pro potu.*

Nunquam indigens poculis. Notarunt omnes, & meritò, (ex Hebræo enim res patet) pocula hîc non de vaſis, ſed de ipſo potu intelligenda, ſic enim latiniſſimè dicitur. adde, præter illa, quæ iam alij dederunt, tertium locum Virgil. 3. *Georg.*

——*non illis epulæ nocuere repoſtæ.*
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina.

& Claud. 3. *de raptu.*

Vdaret necà ſilua fauis, neu vina tumerent
Fontibus, & tota fremerent in pocula ripa.

Dices: quid ergo ſibi vult in Hebræo textu phialam lunæ, vel potiùs lunam ipſam in phialæ modum efformatam dici nunquam poculis indigentem, id eſt, ſemper potu ſatiatam. nunquid luna bibit? Credo, idque non tam ex Salomonis opi-

M 3 nione,

441. *Scriptura accommodat se in sermone vulgi opinionibus. Luna bibens, sic Sol, & stellæ.*

nione, quàm ex vulgari hominum sententia: accommodat se enim, vt sæpe notaui, Scriptura sacra, vulgaribus hominum dictis, & sententiis. Plutarchus lib. 2. de placitis Philosoph. cap. 21. *Solem subiecti alimenti percurrere tractum, nec vltra progredi: esse autem Oceanum terramve, cuius expirationibus pascitur*, loquitur de caussis brumæ & solstitij. & cap. 18. vbi de illuminatione lunæ, ita. *Heraclitus ait, solem atque lunam eodem modo affici, &c. illustrari autem ipsas sorbendæ spiraminibus humidis, ut conspicuæ sint: solem quidem splendidiùs, vt qui in aëre liquidiore vehetur, at lunam turbidiore, ex quo & fusciorem esse.* Lucianus in Icaro Menippo, de sectis Philosophorum, de potu stellarum, τὸν ἥλιον χαλκεύς ... ἀνιμῶντα ... *Sole ipso instar fistulæ per funem demissa, vaporem ex mare attrahente, atque illis omnibus suo ordine potionem subdiuidente.* ibidem iterum Empedocles, in lunæ globo

Luciano Iar, habitans de se locutus: ... *& nunc lunam inhabito, aërinaque vt plurimum, ac rore pastus.* quasi lunæ ὁμοδίαιτος, quia hæc rore pasta. Plin. lib. 2. cap. 8. *Non tanta est cælo societas nobiscum, vt nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor. illa nimio alimento tracti humoris, igne am vim abundantia reddunt, cùm decidere creduntur: vt apud nos quoque id luminibus accensis liquore olei notamus accidere.* Ouid. 2. *Metam.* de intacto fonte & occulto hinc illustrandus.

& Ouidio. *Quem neque durato gustarent ore volucres,*
Ipse nec æthereo Phœbus gustauerit igne.

In hos ego incidi. Vide plura apud Delrium ad illud Senecæ, *modò lotus vndis Hesperus.* & iterum in *Agam.* vbi dicitur, *stella cadens.* plurima deinde

Luna sicca quæ. apud Cerdam ad illud Æn. 1. *Polus dum sidera pascet.* ex Plinio & Plutarcho adducto colligis hunc potum astris datum, vt nutrita luceant, aliàs fulgore minuenda, hinc *sicca luna* dicitur de non plena, sed de imminuta & obscurata. Plin. lib. 17. cap. 9. *fimum terra miscere plurimum refert, Fauonio flante, ac luna sitiente*, &c. *quocumque tempore facere libeat, curandum est ab occasu æquinoctiali flante vento fiat, lunâque decrescente ac sicca.* Vnde Turnebus lib. 11. *cap.* 17. explicat illud Propert. *lib.* 2. *eleg.* 17.

Non liget in triuiis sicca requiescere luna.

Addit Passeratius, etiam decrescentem lunam vocari siccam, quia tunc non potat Solem, iuxta illud Anacreontis, τὸν ἥλιον σελήνη πίνει, *Solem luna bibit.* do integrum hymnum, quia etiam ad rem meam.

Fœcunda terra potat,
Hanc arboresque potant,
Phœbusque potat æquor
Ipsumque luna Phœbum:
Et potat æquor auras.
Quid ergo vos sodales
Potare me vetatis?

Versio est Henrici Stephani.

* Ex his claret iam mens Hebrææ phrasis: comparatur vmbilicus lunæ plenæ, nunquam pocula desideranti, nunquam sitienti: ac proinde semper pastæ, semper splendenti, cùm splendorâ potu vel Solis, vel humoris, quòd mauolo. & quidem, si dixerimus Vulgatum nostrum in cratere tornatili lunam intellexisse, hinc etiam explicandus. si verò pulchrum vestis vmbilicum ordinariè phialæ affabrè laboratæ comparauit: tunc crederem phialam de non indigentia poculorum laudari, vt plena, non hiulca & vacua intelligatur: tuncque ad vmbilicum laus transfertur, vt illa vestis posterio leniter protuberans, saltem non caua, non hiulca, intelligatur. Adde, sicut ab splendore phialæ liquor infusus vibratis radiis tremere videtur: sic fortasse partem illam vestis non solùm splendentem, sed etiam gemmarum fulgore, vt diclmus, tremere ntem celebrari, longéque fulgores eiaculantem.

Aceruus tritici. Incumbebat, vt dixi, vmbilicata illa corrugatio summo ventri, indeque chorus totius ventris ornatui describendo manuducitur: aut ergo par illa vestis ad fœmora fibulatæ, quæ ventri imminet, vel laciuia ipsius superioris indumenti vmbilicati, quæ in ventrem protendebatur, venter hic appellatur: hoc mihi certo certius. quomodo ergo hanc pictis fasciibus ornatam vestem explicent alij, lege apud Sanchez. Vt quid ego suspicer, paucis aperiam, aduerte. Fuit olim in vsu apud veteres, sic telas auro distinguere, & quasi punctis guttatim interserere, vt minuta grana sparsa referre viderentur, & hodie quidem simili modo guttatas auro telas sæpe videmus. Rariùs illud quod affert Athenæus *lib.* 2. *cap.* 9. de certo telæ genere. *Est autem hæc vestis valde fortis, lenitatisque gratiâ parata: nam aureis quibusdam maculis perexiguis, milioque similibus est intexta. quod milium totum purpureis fluxibus in interiori parte coniunctionem sortitur in medio* vbi mihi aduerte, illam milij ad medium coniunctionem, necessariò aceruo mihi venire comparandam. τὸ autem *in interiori parte*, non ita intelligendum, vt auersa telæ facies, ἐσωτερ dicimus, capiatur ad medium ornata: quorsum enim hæc cura tanto artificio oculis non exponendo? ergo vel interiorem partem vocauit ipsum medium, sicut interiorem partem alicuius prouinciæ vocamus eiusdem medium, per ordinem ad oras & fines, quos exteriores dicimus: vel trama per interiorem partem artificis texturâ ita recurrebat, vt in exteriorem ad medium pulchrum texturæ artificium exhiberet. Nec aliter explicandum putarem illud *Psalm.* 44. *n.* 14. de vestibus sponsæ Reginæ: *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Aduerte deinde has guttas, siue aurea puncta, etiam apud Hebræos granis frugum comparari, & vbicumque ponantur, sic appellari: ideo ad illud cap. 1. num. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* quod alij vertunt *in punctis*: quinta editio signatè legit, ἐν κέγχροις, *in miliis*, id est, punctis instar milij.

442. *Vestis aureis granis insignita.*

Athenæus explicatus.

Psalm 44. num 14. explicatur.

Puto igitur guttatam auro vestem significari, eiusque puncta, quia grandiuscula non tam milio, quàm tritico comparari: quæ dum ad medium, qua parte ventrem tegebat, grana quodammodo coaceruata coniungebat, meritò aceruus tritici appellatur.

443. *Vestis fimbria.*

Vallatus liliis. Qui mecum hucusque prædicta omnia de ornatu explicarunt, depicta lilia in veste, & acu elaboratos flores huc afferunt. de veste florida passim multa inuenies: quod additur signatè de liliis, poteris confirmare ex multis, quæ ad rem aliam affert noster Pineda *lib.* 6. *Salom. cap.* 5 *num* 4. de vestibus liliatis. Ego aliter: puto fimbrias hic denotari, ad oras vestis demissas. moueor, tum quia fimbriarum in vestibus luxus præcipuus: tum, quia fimbriæ ad extremam vestem magis propriè illam cingere, & vallare videntur. Apul. lib. 1. de Palla Isidis: *ad vltimas oras nodulis fimbriarum decoriter fluctuabat.* Superbiùs illud Zenobiæ

nobiæ apud Trebell. *ad conciones galeata proceſſit cum limba purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam: media etiam cyclade veluti fibulâ muliebri aſtricta, brachio ſæpe nudo.* D. Iſidorus de peplo. *cuius fimbria aurei flaminis ſummitate dependens.* ſic in ſacris. vnde illud *Pſalm.* 44. paulo antè citati, *in fimbrijs aureis.* & *Exod.* 28. *n.* 33. de tunica Sacerdotis: *deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies.*

444. *Coſymbi qui in vello.* Ergo crederem ea auro gemmato, aut fortè ex filis aureis & ſericis formata lilia, quæ per circuitum fimbriæ veſtem vallarent, ſicut ſacerdotalem tunicam malogranata. Moueor, quia ad illud *Iſai.* 3. *n.* 18. de puellarum luxu puniendo, *in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum.* LXX. habent, *καὶ ἀφελεῖ κύριος τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ αὐτῶν, καὶ τοὺς κοσύμβους.* id eſt, *auferet Dominus gloriam veſtimenti earum, & coſymbos.* Vbi Sanchez in re ſatis difficili ſtandum putat Baſilio, qui ait ornamenta eſſe aſtura extremæ oræ veſtimentorum & ex ea pendentia, qualia malogranata ex tunica ſacerdotali, quæ icciteo dicitur *κοσυμβωτός.* Addo ſimilem fuiſſe mentem traductoris in Bibl. reg. qui icciteo vertit pro coſymbis, *tunicas fimbriatas.*

Iudith 10 *n.* 3 *explicatur.* & quis ſcit, an illud Iudith 10. num. 3. *Aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures.* vbi idem Sanchez putat lilia pretioſioris materiæ aut ex collo pendentia, aut in veſte aſſuta fuiſſe, de liliis ad fimbrias pendentibus, ſit explicandum? neque id nouum.

Marcellinus explicatus. Audi Marcellinum *lib.* 14. vſitatiſſimum ſuo æuo veſtium luxum mordentem: *longioris fimbriæ tunicæ perſpicuæ lucent varietate liliorum.* Sic illum explico: quaſi lilia è fimbriis penderent. quòd ſi malueris lilia non pendentia, ſed acu picta, ad fimbriam tamen, non nimis repugnem: ſcio enim telas ad medium, aliâ picturâ inſignitas, ad oram tamen floribus variegari. Ouid. 6. *Metam.*

Vltima pars telæ tenui circumdata limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

Fauent hæc Cerdæ, qui ad illud *Æneid.* 1. de veſte Didonis,

——pallam ſignis, auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho.

Ita habet. *Circumtextum: notat oram veſtis & fimbriam. itaque acanthus erat textoria arte ad oram velaminis.* Ego de acantho florido plura alibi dabo. Laboraui in propugnando hoc fimbriarum ornatu, quia ſic meliùs liliorum vallum explicatur.

Hæc mihi de fœminarum tunicæ vmbilico, & ventre, ad comptum reducenti, denuo inuenta ſunt: feliciùs poſt me alij inuenient meliora, ſic ſpero, quo priſca de membris laudatis opinatio minus celebretur: ad ſenſus enim myſticos, quos ſancti PP. hinc deducunt, æquè recens opinio deſeruit: & aliunde pudori congruentiorem nemo denegauerit. quam autem ſoleat in ſacris Epithalamiis non ſolùm pulchritudo, ſed etiam ornatus laudari, conſtat ex hoc Cant. *cap.* 4. & ex *Pſalm.* 44. profanos nuptiarum ſcriptores paſſim in re ſimili videas occupatos: de tantùm bina Latinæ poëſeos lumina, Statium, & Claudianum, illum *in nupt. Violentilla.*

445. *In Epithalamijs veſtes laudata.*

Vincis opes animo, queritur iam Seras auaros
Anguſtum ſpoliare nemus, Clymeneaque deeſſe
Germina, nec virides ſatis illacrymare ſorores:
Vellera Sidonio iam pauca rubeſcere tabo,
Raraque longæuis niuibus cryſtalla gelari,
Huic Hermum, fuluoque Tagum decurrere limo
Nec ſatis ad cultum.

Hunc verò *in nuptijs Honor.*

Certatim nouis onerant connubia donis:
Cingula Cymothoë, rarum Galathea monile,
Et grauibus Spathale baccis diadema ferebat.

& quæ pulchra ſequuntur. Concludit poſt multa de Venere ornante nouam nuptam.

Dixit & ornatus dederant, quos nuper euntes
Nereides, collo membriſque micantibus aptat,
Ipſa caput diſtinguit acu, ſubſtringit amictus.

Sed de hoc verſiculo iam ſatis *verſ.* 3. de virginibus: ſed de illo iam ſuprà.

PARAPHRASIS.

Iam verò ſuperius indumentum, quo ab humeris ad imum pectus circumducitur, dum artificioſa ſinus corrugatione vmbilicatur. Craterem iſtriatim tornatilem adumbrat, qui inſtar plenæ cuiuſdam lunæ (nunquam totem vt fulgeat, ſitientis) ſplendeſcit, & tremulos laticum fulgores eiaculatur. nec ignobilior textura partis quæ ventrem tegit, radiantibus enim auri guttis, granorum manipulorum inſtar, ad medium miro ordine confluentibus, aureum tritici aceruum repræſentat: cumque ad fimbrias, miri artificij pendentia pretioſa lilia cingunt & venuſtant.

Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. **VERS. 4.**

446. *Ebur de cervo pulchrâ.* Celebrant adoleſcentes collum, oculos, & naſum Sulamitidis. de proportione colli ad turrim, iam ſuprà: additur ebur candori, nitori, læuori denotando. ſic Aeontius ad Cydippem apud Ouid.

Tu facis hoc, oculique tui quibus ignea cedunt
Sidera, qui flammæ cauſa fuere meæ,
Hoc faciunt flaui crines, & eburnea ceruix,
Quæque, precor, veniant in mea colla manus.

Anacreon de ſuo Bathillo:

Τὸν δ' ἀδόνιδος παρελθὼν
Ἐλεφάντινος τράχηλος.
Adonidis præteribam
Eburneum collum.

ſic alij ſimiliter.

447. *Oculi ſpeculares.* *Oculi tui.* Vnus Deltius in hoc loco inter multa alia vidit, ab ſpeculari fontium natura peti etiam ad elatos & ſpeculares oculos ſimilitudinem; quorſum autem huc ſpeculum veniat, non curauit: ego credo hinc præcipuè laudem peti, in eóque encomium poni, vt oculi ita pulchri & nitidi celebrentur, vt ſponſo tanquam dulciſſima ſpecula haberentur: vt ergo *cap.* 5. diximus, columbinos iuuenis oculos columbis comparari, quia columbæ ſponſæ ſpeciem in illis gerebat: ſic in hoc loco ſponſæ oculi fontibus conferuntur, quia ardenti & intento inueni ſæpiſſimè pro ſpeculis ſeruiebant, quaſi nullibi feſtiuiùs ſe cerneret, nullibi gratiùs ſe videret. id vt probem, aduerte, aquas olim paſtoribus pro ſpeculo deſeruire: vide quæ multa affert Cerda ad illud amantis Corydonis *Ecl.* 2.

448. *Fons naturæ ſpeculum.*

Nec ſum adeò informis, nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Signatiora mihi quæ affert ex Calp. *Ecl.* 2.

Fontibus in liquidis quoties me conſpicor eſſe,
Admiror toties.

Nemeſianus item 2. *Ecl.*

Quin etiam fontis ſpeculo me manè notaui.

Sic etiam in sacris, Prou. 27. num. 19. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* & præter ea, quæ *cap. 5.* dedi, faciunt huc verba interpretis ad illud Luciani in Alcyone πέλαγος ὅμοιον κατόπτρῳ, *pelagus simile speculo.* vbi ita, *Natura solertissima rerum omnium architectrix oculum animantium ad speculorum imaginem finxisse videtur, quippe parti pellucenti nigrorem quemdam adiunxit à tergo, quo sublato, protinus tollatur & videndi facultas: vnde scitè dictum est illud, vt speculum oculus est artis, ita & oculum esse naturæ speculum.* Obiter verò (sicut in fonte) & grata serenitas, & serenus oculorum risus commendatur.

449. *Piscina qua.* *Piscina.* Non opus est recurras ad piscosa stagna, quod hîc aliqui volunt. fontes & stagna clarissima intelligo, quamuis nullatenus ibi pisces nutrirentur: huc enim etiam latinissimè sonat piscina. notauit bene Gutherius *lib. 3. de iur. Pontif. cap. 6.* qui antiquum lapidem, vbi scribebatur: *Arcam sepiendam piscinamque*, nimirum Diis sacratas sic habet. *piscinam pro viuario, in quo pisces asseruantur, frustrà hîc acciperemus: est enim piscina* δεξαμενὴ ὑδάτων ἁγνῶν. *id est, aquarum receptaculum ad sacrificiorum vsum, quibus aqua viua maximè necessaria.* hinc etiam balneorum lauacra piscinæ vocabantur: exempla obuia incurres. de Hesebon oppido in confinio Gad, & Ruben celebri, deque porta eius celebriori Rabbath, (hanc noster per filiam multitudinis explicauit.) & aquarum ibi scaturientium abundantia. abundè interpretes: quid adderem non inueni.

Nasus tuus. Metaphura obscurissima, hanc vt euoluerent nihil inuentarum interpretes reliquere. fateor nihil in hoc Cantico me diutiùs torsisse: nec tamen absque fructu laborem æstimo: lector iudicauerit. vt quid cogitarim, aperiam pluscula supponenda.

450. *Halitus apud Hebræos à naso commendatus.* Sciendum igitur primò Hebræos priuata phrasi bonum, aut malum halitum non tam ab ore, quàm à naso immissum explicare: ideo infrà, *odor oris tui sicut malorum*, n. 8. in Hebræo est אף ךְ *nasi tui.* LXX. expressè: ὀσμὴ ῥινός σου, ὡς μῆλα, *odor naris tuæ, vt mala.*

451. *Turris de vasculo turrito.* Secundò, hanc vocem *turris*, LXX. πύργος, Hebraicè מגדל, non solùm significare turrim excelsam, & munitam, sed etiam vasculum turritum, & in modum turris fabricatum. videamus de singulis. In primis de voce Latina *turris*, in hoc significato Mart. *lib. 14 epig. 16.* cuius lemma, siue titulus, *Turricula.* ita,

Quæris composita manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

erat enim vasculum turritum, à quo sine dolo tali emittebantur. voce Græca id expressisse volunt Horat. *lib. 2. sat. 7.*

——qui pro se tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos.

Vbi licèt multi legant *phymum*, vel *phyrmum*: omnes tamen de pyrgo explicant. Notum illud Apollinaris lib. 8. cap. 52. *Thessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus.* His adde quæ noster Cerda ad rem suam *Aduers. cap. 76.* Floardus lib. 2. cap. 6. *Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Maria.* iterum lib. 1. cap. 18. *Tibi hæredi mea Ecclesia suprà memorata, iubeo turriculam, & imaginatum calicem fabricari.* D. Gregor. Turonens. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 86. *acceptâque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, vt eam altari superponeret, &c.* Buleng lib. 2. cap. 3. *Constantinus fecit patenam ex auro purissimo, cum turre, & columbâ, ornatam gemmis.* vbi plura.

Sic apud Græcos: vnde *Antil.* 1. apud Ramires Mart. 4. *epig.* 14. hoc ipsum lusorium instrumentum, quia etiam quandoque fiebat ex ligno, vocatur δρύϊνος πύργος, *turris lignea.* hinc ego ad rem meam corrigebam desperatum locum D. Basilij Seleuci orat. de Ioseph, fœminam insidiantem iuueni, describentis: καὶ πάντα τὰ ἔξωθεν ὡς γυναικὸς μηχανὰς χρωμάτων, ῥημάτων, χρωμάτων: τὰς δὲ ὀμμάτων ἀπάτας, τὰς δὲ ἐρρίνου λίθους, τὰς δὲ ἀκοῶν τῆς ψυχῆς πολιορκίας, τὰς διὰ φύσεως κλάσεις τοῦ σώματος: δι' ὅσων γὰρ ὁδῶν τῶν αἰσθήσεων τὰ θέλγειν ἰσχύοντα: πάντα πρὸς ἕνα σκοπὸν τὸν νέον ἠρείδετο. Quæ verba sic vertit peritissimus noster Claudius. *Tuo eo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes, oculorum pellaciam, lecythos vnguentarias se naribus insinuantes, animæ per aures obsidiones, naturales corporis fractiones: nam per omnes sentiendi vias ibat quidquid illecebrosum, omnia adolescentem in vnum scopum ferebant.* malè vexauit hic locus, vt ipse fatetur in notis, virum sapientissimum, & alios similes quos diligens consuluit: tandem vt euaderet, τὸ λίθους, vt vides, in τὸ ληκύθους mutauit. ego cùm videam metaphoram à bello desumptam, vnde ἀπάτας audis, μηχανὰς, & πολιορκίας: crederem in hoc loco scripsisse Basilium, pro λίθους, vocem πύργους, sub eadem metaphora, & tunc pyrgos, seu turres etiam de turritis olfactoriolis explicarem. obiter etiam corrigerem illud διὰ φύσεως, & reponerem δι' ἁφῆς: denique τὸ ἠρείδετο passiuè potiùs explicarem, quia τὸ νέον, & τὸ σκοπὸν appositiuè poni puto. Totum igitur locum sic conuerto. *Tacto externas, vt à fœmina esse solent, machinas, fucum, verba, vestes: dolos in oculos, turres pigmentarias in odoratum, in auditum animæ obsidionem, in tactum fractas corporis mollitudines: namque per omnes sentiendi vias, illecebrosum aliquid obrepebat, quæ omnia tamquam in vnum scopum, in iuuenem scilicet ferebantur.* hæc sunt quæ mihi de obscurissimo Basilij loco, quatenus huc pertinet, dicenda fuerunt. Pergo.

Basilius Seleucus explicatus.

Vox pariter Hebræa מגדל significat turritum vasculum: ideo *cap. 5. ver. 13.* vbi in plurali habetur מגדלות, & noster vertit *arculas aromatum*, Pagnines & alij vertunt *turriculas aromatum*: vnde Legionensis & Delrius pyxides, naterica, pyrgos, & turrita vascula, hîc intellexerunt. fauent LXX. qui propterea φιάλας legerunt: phialæ autem inter pyxides & turrita vascula possunt numerari.

452. *Olfactoriola priscis in vsu.* Tertiò sciendum, pyxidum & olfactoriolorum naribus recreandis apud priscos, vsum frequentissimum, maximéque apud Hebræos: apud quos etiam ebur ad has delitias maximè expetitum. ex profanis satis Aristophanes de Phryne in cœrtice.

Φρύνην ἔχουσαν λήκυθον πρὸς τὰς γνάθους.
Phrynem habentem lecythum ad malas suas.

Vide quos alios affert noster Claudius ad locum Basilij citatum, & ex Latinis quæ alij ad Propert. *lib. 3 eleg. 8.*

Et crocino nares myrrheus vngat onyx.

pergo ad Hebræos: certè *cap. 1.* vbi nos legimus, *fasciculus myrrhæ*, vertunt aliqui ex Hebræo צרור *olfactoriolum myrrhinum.* & Isaias 3. *num. 19.* inter delitias ponit, *murenulas, & olfactoriola, & inaures.* quod dixi de ebore, patet etiam ex hoc Cantico, illud enim cap. 5. *venter eius eburneus*, vertunt LXX.

πυξίον

πυξίον ἐλεφάντινον: pyxicula eburnea. & illud Psalm. 44.num.9. *Myrrha,& gutta, & cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis.* multi (etsi ego aliter sentiam) de eburneis pyxidibus explicarunt. L X X. legunt ἀπὸ βάρεων: ait verò Suidas βάρεις significare ..., ..., ..., ..., ... id est, *muros, pyrricos, aulas, turres, sphæras.* Vnde ex penultima significatione, ego turritas pyxides intelligerem: sicut Lemnius ea vltima, rotundas & sphæricas illas intellexit.

Libanus pro monte & thure. Quartò notandum Græcum λίβανον, vbique aut montem illum, celebrem, aut thus æquiuocè significare. notum pueri: parem verò æquiuocationem fallere in sacris, in Latino *Libano* reperiri, ita vt Libanus etiam pro puro puto thure vsurpetur, certo certius. hinc illud Eccles. 24. num.21. *quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* vt nemo negabit: ideo in Regiis vertitur, *& quasi thuris vapor* sic *Osea* 14.*num*.7. & odor eius vt Libani. Paraphrastes Chald. habet, *odor incensi aromatum.* ex Hebræo verò sciendum vanam esse illorum distinctionem, qui putant לבנה *lebonah* semper pro thure poni; at verò לבנן *lebanon*, necessariò pro monte Libano vsurpari, etenim ne longius progrediamur, in hoc Cantico cap. 4. vers. 11. *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*; in Hebræo est *lebanon.* econtra *ibidem vers*. 14. vbi dicitur, cum vniuersis lignis Libani, quem doctiores meritò de monte explicant, in Hebræo est *lebonah*. Maneat ergo vtramque vocem æquiuocam esse, & nunc montem, nunc aromaticam thuris speciem significare.

453. *Thus olim pretiosum.* Quintò aduerte longè pluris olim, quàm modò fieri thuris odorem: ita vt thus per excellentiam, de odore diceatur, vt ad *cap.4. vers.* 11. alij notarunt. Caussam puto, quia charissimo tunc pretio stabat merces: vnde tribus digitulis acerræ imponebatur, & acerra plena sacrificasse, ingentes opes denotabat, ideo Alexander debellatâ Indiâ fertur multum thuris misisse suis, vt Deos iam vberius colerent. De quo plenè agam *in spicilegio meo.* hodie merces vilior, & fortasse ideo eius odor, minus gratus ad delitias. Solùm addo ad rem meam à Martiali gratum respirantis halitum inter mille alias delitias etiam thuri comparatum. *lib*. 3. *epig* 65.

Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita
Pallidus Eoo thure quod ignis olet.

Sed de hoc, vt dixi, multa alibi.

454. *Contra te: vox bellica.* Sextò sciendum, *respicere contra aliquem* esse vocem bellicam, qua prouocatio ad certamen, quodammodo significatur. Colligo ex Iosepho Gorionide *lib*.3. *cap*. 19. Hebraicarum phrasium obseruantissimo: ergo *lib*.3. *cap*. 19. ita de Iuda Machabæo præliante. *Clamauit Iudas, ad te ô Gorgia: transiliensque ad eum extendit manum vt tangeret: at Gorgias conuersus retrorsum fugit à facie Iuda, proiectisque a se armis bellicis euasit.* Clarius cap. 22. *Vidit Iudas in ipsa pugna Nicanorem habentem in manu sua gladium euaginatum, clamansque ait: Contra te ô Nicanor, & cum curreret contra illum, in feruoris sui virtute, exertis Nicanor humerum, & fugit à facie Iuda.* Sed locus clarior Ezechiel 4. num.3. *Obfirmabis aciem tuam ad eam, & erit in obsidione, & circumdabis eam* & Leuit. 17. num. 10. *si comederit sanguinem, obfirmabo faciem contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Sumitur verò metaphora à tauris, qui aggressuri faciem firmant, quod propriè dicimus, encarar.

Tandem suppono, Damascum pro delitiosissima vrbe vsurpari, ideo *Amos* 1.*num*.5. dixit Deus, *& conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis.* Vbi ferè omnes melioris notæ interpretes, non tres vrbes diuersas, sed vnam Damascum intelligunt, quæ & campus idoli, & domus voluptatis appellatur, ob varias delitias, quibus referta: in Hebræo בית עדן qua voce etiam paradisus voluptatis appellabatur. imò volunt doctiores, in Damasci situ olim fuisse paradisum, propéque illum occisum Abel, à cuius sanguine vrbs nomen compararit. Damascus enim, *terra sanguine ebria*, aut *bibens sanguinem*, vel saccus sanguinis sonat. pergo. Ieremias etiam 49. *num*. 25. de Damasco euersa: *Quomodo dereliquerunt ciuitatem laudabilem vrbem lætitia.* erat autem Damascus totius Syriæ metropolis, Isai.7. *caput Syriæ Damascus.* Vnde pro tota Syria solet vsurpari, vt ad Ieremiam alij aduotarunt. Nemo autem dubitauerit maiorem partem Syriacæ, vel Damascenæ voluptatis, in odorum, & vnguentorum copia collocatam: vnde Syrium munus pro odoribus apud Propert. *lib*.2. omnes interpretantur.

455. *Damasceni siue Assyrij odores.*

Oscula qua in gelidis dabis suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

Tibullus de Apolline,

Intonsi crines longa ceruice fluebant,
Stillabat Syrio myrrhea rore coma.

Horat. *lib*.2 *oda* 7.

——fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

& alij passim.

Ab his radicibus fastidiosè iactis, fructum iam, vt spero, non iniucundum intelligendo versiculo obscurissimo carpamus. mens ergo eius est: ceteris puellis olfactoriola, & pyxides eburneas, capiendis odoratis auris naso assumptas: Sulamitidi verò ait, tam suauem è naribus efflatum odorem, vt omnes Syrios odores prouocare & vincere videatur: ac si nasus turrita, & eburnea pyxis esset plena pretiosissimo vnguento omnes thuris suffitus æmulante. Quid autem naso similius, optimè respirant afferri potuit, quàm turrita pyxicula, quæ figura, candore, læuoreque eburneo eius formam sicut vnguento exhalato, suauem eius halitum repræsentat? Dicitur autem thus prouocare Damascum, sicut Statius *in Genethliaco Lucani*, dixit de Bætica regione oliuifera.

456. *Prouocare etiam de inanimatis.*

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Vnctis Bætica prouocas trapetis.

& Horat. *lib*.2.*oda* 6. de Tarento:

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.

Sic passim alij in re simili. Latet autem in dictis elegans allusio, & quia pyxidem, turrim appellauit, pergens in eadem metaphora, respicere contra, id est, prouocare Damascenos odores ait: sicut turris in confinibus erecta, contrastare hostes videtur.

Hæc mihi pro loco obscurissimo excogitata: quæ, si qua mea, vt par est, displiceant: sto Sanchez nostro, pro cuius(quam apud illum lege) explicatione, hæc adde. Euripides in *Electra*,

457. *Metaphora ab humanis membris ad res inanimes.*

Ἐὰν δ' ἰσθμίας γῆς αὐχὴν ἐμβαίνει ποδί.
Ta verò Isthmia terra ceruicem ingressus pede.

Vbi interpres: *id est, Isthmum, humanæ ceruici similem.* sic capiendus Aristophanes in Lysistrata, vbi Athenien

Athenienses inter alia loca pangendo fœderi repetunt.

—— καὶ τὸ Μηλιεῦ
Κόλπον τὸν ὄπισθεν, καὶ τὰ Μεγαρικὰ σκέλη:
—— & Meliacum
Sinum penè adiacentem, & Megarica crura.

Sic Lusitaui nautæ vastam in Brasilia regionem ab specie vocant, *Caput lacerti.* & Salustius, *Sardinia in Africo mari facie vestigij humani, in Occidentem, quàm in Orientem latior.* potuit ergo turris illa Libani à longè visa nasum repræsentare, cui proinde nasus puellæ comparetur. hæc pro Saochez.

PARAPHRASIS.

Collum tuum quâ rectum, læue & candidum eburneam turrim meritò appellarim. Oculos verò serenitate gratos, risu serenos, vt sponso pellucidiorum fontium instar, natiua, & iucundissima sint specula, nitidissimis Helebon stagnis comparabo, quæ ad celebriorem vrbis portam, (de Rabbath, quam respicit, nomen mutuatum) pulcherrimè perennant. Nasus tuus penè de forma, & penitus de [illegible]ore & candore eburnea pyxis, pyrgus alabastrinus, vasculum [illegible]rrirum: vnde tam suauis halitus, & thureum quodammodo emittitur respiramen, vt omnes Syriæ voluptates, omnes Damasci odores prouocare & vincere possit facilè. & quanta laus ista; vt cùm exteræ puellæ olfactoriola naribus admoneant ad delitias, tu pro naso viuum olfactoriolum gerere videaris.

VERS. 5. Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.

Laudatis à Iuuenum choro singillatim faciei membris pulchrioribus; consequenter virginum chorus caput, à summa fronte credo ad verticem, commendat: idque ab ornatu potius, quàm à natura. Porrò cùm *Carmelus* Hebraicè כרמל æquè celebrem montem, & colorem coccineum significet, alij purpureum flammeum hîc explicarunt, alij floream coronam & vernantem, qua comptum caput florido & vernanti monti comparetur. Vt quod sentiam, aperiam, aduerte. Solet in sacra Scriptura frequenter à nostro Vulgato sic vsurpari nomen Hebraicum pro suo significatu, vt tanquam nomen proprium poni videatur: & ne pergamus longiùs ab hoc Cantico, *cap. 2. vers. vlt.* montes *Bether* celebrantur, cùm tamen illud non sit (vt videbatur) nomen proprium, sed, vt multi volunt, montes scissuris & cauitatibus interstinctos significans: in quibus, quia etiam aromata pluscula, *montes aromatum* vocantur *cap. vlt.* sic cap. 5. n. 11. *propter quadrigas Aminadab*, plures nomen hoc non Principis alicuius proprium, putant sed pro suo significatu poni, & quemuis indeterminatè significare. Non temere igitur hîc Carmelum, non propriè, sed pro coccineo ornamento quod significat, positum existimabimus, maximè cùm *Libanus*, vt paulo antè diximus, qui montem videbatur significare propriè, pro suo thuris significatu sæpiùs vsurpetur.

458. *In Scriptura nomen proprium ponitur pro suo significatu.*

Ecquis hic ornatus, inquis? non flammeum nuptiale puto: tum, quia non mihi satis perspectum, an flammeo nuptiali Hebrææ vterentur, tum quia, licèt id ratum foret, flammeum tamen tegendo potius vultui, quàm supremo capiti, quod norunt pueri, aptabatur: in hoc autem articulo vbi tam distinctè collum, nasus, oculi, vtpote penitus patentes laudantur, quis credat flammeo quamuis tenuissimo vultum tectum? si recurras ad vittas coccineas, non satisfacies, quia hæ connectendis crinibus vsurpantur: hic autem Carmelus, siue cultus purpureus ipsi vertici desuper imminebat, vnde signatè in Hebræo & Græco legitur, *caput tuum quod super te, sicut Carmelus:* עליך & ἐπὶ σέ: vnde obiter alij bene colligunt, non caput ipsum, sed ornamentum, quod quia tegebat, caput dicitur, hic celebratum.

In hac ergo Carmeli significatione, suspicor describi crinium integumentum, & ornatum superius, vocamus nos *escofia.* hoc enim inter cætera puellaris cultus, propriùs capiti imponitur: cuique colorem purpureum quæsitum, disco ex Athen. *dipnos. 9. cap. 27.* vbi ita. *de mantili mentionem fecit Cratinus in Archilochis: mantilibus coma florens plena dedecoris.* Vbi vides mantilia hæc comendis, & floridandis, vt sic dicam, comis vsurpata. quæ autem essent, subdit statim: *& Sappho vbi in quinto carminum Venerem alloquitur: Mantilia Cangonum purpurea misi: & hac vituperabis, cùm dona honorifica sunt. Cangonum mantilia dicit capitis ornamentum, velut Euclaus significat, qui expositiones fecit in inscripta Asia.* Hæc ex priscis authoribus Athenæus.

459. *Color purpureus ad capitis ornatum olim.*

Adhuc tamen probabilius puto, montis ipsius Carmeli comparationem hinc non excludendam, sed ex industria hunc potius, quàm alium montem designatum, qui nomine ipso ruborem & purpuram importat: vt ruborem & purpuram, quæ propriè de floribus, & maximè de rosis celebratur, in corona viuidiùs importare videretur. Statius *in lachrymis Hetrusci.*

460. *Purpura veris de floribus, maxime de rosa.*

Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Virgil. *Ecl. 9.*

Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
Fundit humus flores.

Vide multa ibi apud Cerdam. & iterum ad illud *lib. 4. Georg.*

Purpureos metunt flores, & flumina libant.

Adde Claud. *in nupt. Honor.*

Lætitiæ causas ignorat dicere miles,
Lætaturque tamen, Mauortia signa rubescunt,
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

Et iterum idem,

Nec miles pluuia flores dispergere vitu
Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.

Apul. in historiola Psyches: *Hora rosis & floribus purpurabant omnia. Gratia spargebant balsama.* Lucianus in balneo Hippiæ: *instar purpuræ floribus & venustate renitet.*

Coma purpura Regis. Ex dictis latens emphasis apparet: celebrarat, si rectè cogitaui, ruborem & purpuram florum & ornatus: nunc crinium purpuram & colorem commendat. quasi dicat, nihil mirum rubeant pulchriùs & flores & ornatus, cùm venustatem à comis mutuarentur, quæ non vtcumque, sed instar regiæ purpuræ coruscabant. Ecquis, inquis, purpureus hic comarum color? rufum illum & intensè accensum, quem *açafranado* dicimus, interpretes supponunt. possunt: quia licèt hic color hodie minus commendatus, potuit olim haberi in delitiis, etiam quippe in re pulchritudinis, voluptatem cum temporibus videmus variatam: certè hunc croceum, cum temporibus & penè ignitum colorem fuco affectatum, discis ex D. Cypriano *tract. 13.* de habitu virg. *Dominus tuus dicit, non potes facere capillum vnum album, aut nigrum, & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse*

461. *Color purpureus comarum olim commendatus.*

poten

petentiorem? audaci conatu, & ſacrilego comptu crines tuos inficis, & malo præſagio futurorum capillos iam tibi flammeos auſpicaris. Quaſi ſic accenſi ſcintillarent crines, vt flammas infernas vomere viderentur. Didicit ex magiſtro, quem vocabat, Tertulliano de cultu fœmin. cap. 6. *Video quaſdam & capillum croco vertere: pudet eas etiam nationis ſuæ, quòd non Germanæ & Gallæ ſunt procreatæ, ita patriam capillo transferunt: male ac peſſime ſibi auſpicantur flammeo capite.* Sed vtroque clariùs D. Hieron. epiſt. ad Lætam. *Caue ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.* Faciunt ad rem meam verba Cerdæ ad locum Tertull. *Exiſtimo Hieronymum in epiſtola ad Iulianum huc alluſiſſe, etiamſi tacitè, loquens enim de diuite & Lazaro, ait: Diuitem purpuratum gehennæ flamma ſuſcepit. quaſi purpura transiret ad flammam concolorem.* Si ergo purpura flammæ concolor, citati Patres, qui crines flammeos dixerunt, purpureos intellexerunt. Virgil. 1. *Georg.*

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Ouid. 1. *de Arte.*

Filia purpureos Niſo furata capillos.

Sic Tibull. *lib. 1. eleg. 4.*

——*purpurea Niſi coma.*

462. *Epitheta prudenter explicanda.*

Credo nihilominus, non tam croceam, & igneosè accenſam, quàm ſubflaueſcentem cæſariem hic notari. moueor, quia hic color vbique gratior, & temperiei Palæſtinæ regionis frequentior. neque obſtat, vt *purpura* in comparationem aſſumatur. nam in re hac ſatis eſſet ſi flauities paululum intenſior rutilaret: ſicut cùm aureos dicimus crines, de caſtaneis, & roſeos digitos, de candore non pleno, ſed verè carneo. prudenter Athen. dipnoſ. 13. cap. 27. *Neque enim cùm Poeta dixerit auricomum Apollinem, pictor ſtatim aureos capillos Deo efficit, ſed non nigros, nam peior fuiſſet pictura: neque cùm dixit roſeos digitos, nam ſi in colore roſaceo digitos intinxerit, purpureas manus, non autem pulchræ mulieris faceret.* Et certè rubor, vel rufus color, qui frequenter purpuræ tribuitur, etiam de flauo dicitur. A. Gellius lib. 2. cap. 26. *Fuluus enim & flauus, & rubidus, & phœniceus, & rutilus, & luteus, & ſpadix, appellationes ſunt rufi coloris.* Vnde Pineda *in ſuo Prauio lib. 6. cap. 4. § 3. num. marg. 7.* huc videtur inclinare.

Claudianus explicatus,

ſic explicandum puto illud Claud. 2. *de laudibus Stilicon*is, vbi de iuuene Eucherio,

Purpureo prima ſignatus flore iuuenta
Eucherius flectebat equum.

& Nonnus.

id eſt, flaua lanugine. & *Dionyſ. 5.* habet Nonnus de ſimili mendo nondum ſignato, ἄνθεϊ πορφυρέῳ, id eſt, *flore purpureo,*

463. *Cincinni canales, cornua, & colliculi appellantur.*

Vincta canalibus. Verba obſcuriſſima, quæ iam plures ad metaphoram detulerunt. ſic ego. Tu vide quid alij de metaphoricis canalibus inuenerunt, & maxime felicem Sanchez operam. ego puto hos canales non tribuendos purpuræ, vt Regem induit, ſed comarum purpuræ, id eſt, ipſis comis flaueſcentibus. Canaléſque explico de cincinnis; attende. Immiſſo calamiſtro torquentur comæ in anulos coniunctiſſimos, quæ mediis cauitatibus relictis, & ad frontem temporaque pendentes, caui canales meritò dici poſſunt. Calamiſtri vſum apud Hebræos norunt Doctores *ad Iſaiam 3.* vbi *acus* non tam de aurea ornante, aut diſcriminante alia, quàm de criſpante ſumitur: ſic apud profanos paſſim *acus* pro calamiſtro. Simili metaphora ſic poſiti crines, à Græcis κέρατα, id eſt, *cornua* vocantur, credo, quia tanquam pyramidulæ excauatæ, & in acumen à radice deſinentes corniculatim detorquentur, vt videmus. Iuuenal. *ſat. 13.*

Cærula quis ſtupuit Germani lumina? flauam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?

Sic apud Hebræos cincinni vocantur תלתלים hîc *cap. 5.* quæ vox propriè colliculos & tumulos ſignificat. quod etiam ex Varrone illuſtratur, qui dixit: *Colliculus vitreus intortus vt cincinnus.* Vt ergo à figura colliculus, & tumulus vocatur cincinnus, cur ab eadem & ſimul à cauitate canalis non dicatur.

464. *Cincinni abſque vittâ nodari.*

Dices, minus propriè dici comam vinciri cincinnis, ac proinde purpura, ſiue flauities vincta canalibus, ineptè ad cincinnos cauos referri. Quæro à te, mi lector, an abſque vllo vinculo, abſque vllis vittarum nexibus, cirrati cincinni de anulorum connexione nodari dicantur? fateberis, credo: ſic enim explicant omnes illud Martialis *epigr. 3.* de ſpectaculis:

Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes:

id eſt, hi à natura, illi ab arte. ideo Seneca 3. de ira cap. 26. *Rufus crinis & in nodum coactus apud Germanos virumque decet.* Si ergo nodari crines dicuntur dum criſpantur, cur non vinciri? Sed cur petam quod exigere poſſum. idem Seneca epiſt. 125. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel, vt Scythæ ſolent, ſparſeris.* Sic hunc locum legit Raderus *ad Mart.* & Dempſterus *ad cap. 35. lib. 5. Paralip.* quòd ſi contendas legendum, *Germanorum modo vinxeris*, vt olim corruptiores codices ferebant: nihil contra me, cùm conſtet non vittis, ſed cincinnis vinctos Germanos. ergo purpura vincta canalibus, ſeu cincinnis, nihil aliud eſt, quàm flauities cincinnata. Do, vt vides coniecturas, non ἀποδείξεις.

465. *Amans defixus.*

LXX. hunc locum longè aliter capiunt, & interpungunt. *Plexus capitis tui ſicut purpura. Rex ligatus in tranſcurſibus.* Explicant omnes ligatum & defixum præ puellæ deſiderio. Illuſtro id ex Propert. *lib. 1.*

Vt me defixum vacua patraris in hora.

Et ex Claud. 1. *de laudibus Stilic.*

——*defixaque hoſpite pulchro*
Perſides, arcanum ſuſpirauere calorem.

Regem autem de ſponſo explico, ob cauſas ſæpiùs tactas.

P A R A P H R A S I S.

Caput tuum purpureo comptu, & omnigenis floribus, ſed maximè nobili roſarum rubore coronatum, delitias Carmeli, ipſo rubentis titulo, effigiat. Sed quid mirum, & comptus & flores rubeant pulchriùs, rubentem comarum tuarum flauitiem æmulatæ? Cæſaries enim tua inſtar regiæ purpuræ fulgurans, in cauos cincinnos vincta, conſtipatóſque anulorum veluti canales contorta mirè radiat.

Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delitiis. VERS. 6.

Verba mihi ſunt iuuenum, quorum ſenſum ſic eruo. Delicata teneritudo, niſi in fluidam vergat molliriem (quæ faſtidium parit) amores fœminis dicitur conciliare. Laudatur igitur ſponſa, eiuſdem priùs membris laudatis, quòd ita fœmineas delicatuli ſexus temperet delitias, vt pulchritudinis decorem non excedat, aut affectato languore, aut virilitate præſumpta, quod fœminas nonnullas deturpat, ſed intra venuſtatis metas tenorem conſeruet.

466. *Fœmina venuſtas, nec mollis, nec virilis.*

Delicatam

466. *Fœmina venustas nec mollis, nec virilis.*

Delicatam mollitiem reprehendit Arnob. *lib.* 6. vbi de Baccho. *Membris cum mollibus & liqueris fœminei dissolutissimus laxitate.* Tibul. *lib.* 2. *eleg.* 3.

Vt mea, luxuria, Nemesis fluat vsque per vrbem.

Econtra verò sic fœminei sexus delicatum ingenium præuertere, vt virilis durities affectata videatur, virgini & maximè sponsandæ indecorum. Vnde prudenter Ælianus *lib.* 13. *cap.* 1. dum virile quid tribuit Atalantæ, signarè, à thalamo expressit alienam: eius verba, *vultum habebat quodammodo virilem, & seuerum: idque partim ex ferino victu, siquidem & animosa erat: partim propter exercitia montana. puellare, aut molle nihil præ se gerebat, neque enim de thalamo prodierat.* Græca, ἀῤῥενωπὸν δὲ καὶ γοργὸν ἔβλεπεν, &c. econtra hîc sponsa, etsi montani exercitij non ignara, decore tamen delicata, vtpote thalamum ingressura, delineatur. ideo Iuuenalis inter caussas scribendæ Satyræ apponit

——*Nania Tuscum*

Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ.

Quis enim non indignaretur fœminam ita delicatioris sexus oblitam, vt bestiariam ageret in amphitheatro.

467. *Amor pro re amatâ.*

Charissima. Sponso nimirum tuo Salomoni. Oculatè verò, quando debitus delitiarum tenor laudatur in puella, eadem sponsa charissima appellatur: aut quia propterea meritissimo ardentiùs ametur: aut (quod mihi magis arridet) quasi inde laus crescat, quia cùm charissima sit, teneorem hunc seruet: nusquam enim fœminæ mollius diffluere affectant, quàm cùm se nimis amari norunt. in Hebræo אהבה, sic & LXX. ἀγάπη, *amor in delitiis.* Viuidius enim per hunc abstracti nominis titulum, quàm elata foret puella Salomoni suo, chorus declarauit. sic Propert. *lib.* 2. *eleg.* 8. Briseidem vocat, amorem Achillis,

Tantus in erepto sæuit amore dolor.

Vbi Passerat. *erepta amica, & abducta Briseide.* & iterum *lib.* 1. *eleg.* 4.

Nonnullo grauius tentatur Cynthia damno,
Quàm si cum rapto cessat amore Deus.

id est, erepto amasio. ni placeo, lege apud alios, alia longè diuersa.

PARAPHRASIS.

Licèt, ô Sulamiti, omnia tibi pulchra, nihil tamen in hac pulchritudine gratius, quàm delicati sexus meræ non violatæ. Ah quàm venusto, quàm dulci decoro delicatum fœmineæ conditionis tenorem conseruas, vt neque, Salomonis tui amor, diffluas in mollitiem fastidiosam, neque agrestibus exercitiis assueta virilem videaris duritiem affectare: sed intra gratos delicatæ pulchritudinis terminos contineris.

VERS. 7. Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.

468. *In fœminis iusta proceritas decora.*

Restabat complendæ bellæ descriptioni proceræ staturæ commendatio: est enim pulchritudo apta membrorum compositio cum quadam coloris suauitate: proceritas verò, compositionis membrorum decorum complementum, & in fœminis proportionata longitudo etiam maximè experita. Vide Sanchez. adde à me hos plusculos. Venus de Violantilla apud Statium *lib.* 1. *syl.* 2.

——*Latias metire, quid vltra*
Emineat matres: quantum Latonia Nymphas
Virgo premit, quantum egomet Nereidas exto.

Propertius,

Fulua coma est, longaque manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

Vide quos dat Cerda ad illud *lib.* 1.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

ideo Iuuenalis *sat.* 6. hunc defectum cothurnis supplentes fœminas deridet.

——*Andromachem à fronte videbis*
Pòst minor est, aliam credas, credo si breue parui
Sortita est lateris spatium, breuiorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adiuta cothurnis.

469. *Deæ proceræ.*

Ideo etiam Deabus procera corpora ad venustiorem maiestatem tribuebant: constat ex Statio & Propertio adductis. loca alia passim incurres: do tantùm Claudianum, & Homerum illum de Proserpina Palladi, Veneri & Dianæ comparata, 2. *de raptu.*

——*Æquali tendit per gramina passu,*
Nec membris, nec honore minor, potuitque videri
Pallas si clypeum ferret, si spicula Phœbe.

hunc *odyss.* 5. vbi Vlysses versutus ad Calypsum diuam.

——Οἶδα καὶ αὐτὸς
Πάντα μάλ' οὕνεκα σεῖο περίφρων Πηνελόπεια
Εἶδος ἀκιδνοτέρη, μέγεθός τε.

——*scio enim ipse*
Omnia diligenter, quia te prudens Penelope
Specie deterior est, proceritateque.

de hoc satis.

470. *Rectitudo ad proceritatem.*

Statura. In Hebræo קומתך rectè à nostro vertitur per staturam: sola difficilis Symmachi translatio, qui vertit, *ætas tua*, voluit, credo, significare ætatem virentem, vt par erat puellæ, sed rectam & crescentem instar palmæ, qua etiam proceritas denotetur: facit huc Plato 7. *de legibus.* σώματα δὲ κάλλιστα οἶμαι τό γε ἁπλούστατον ὡς ὀρθότατα δεῖ νέων ὄντων αὔξειν φύλαξ τῶν παίδων. Vertit Cerda citatus. *Corpora pulcherrima simpliciter ea fore censeo, quæ rectissima in tenera ætate crescunt.* quod explicat. *etenim rectitudo tota ad proceritatem tendit.*

471. *Pulchritudo arbori comparata.*

Palma. Sic alij in re simili ad arbores confugiunt. ex Græcis addo Theocritum *Idyl.* 18. de Helena.

Ampla procera qualis exsurgit sulcus in aruis,
Aut in horto cupressus.

Græcè ἢ κάπῳ κυπάρισσος. & Homerum *odyss.* a. vbi Vlysses ita ad puellam, quam palmæ comparat, Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα: *in Delo namque tale Apollinis iuxta aram palma recens germen succrescens notaui.* Do plenos Ouid. versus de Galathea 14. *Met.* quos Sanchez citat.

Floridior prato, longa procerior alno,
Nobilior pomis, platano conspectior alta.

Sic factum illud, *quasi palma exaltata sum in Cades.*

472. *Vbera pomis, floribus comparata.*

Botris. Explico cum multis, non de vitis botris, sed de ipsius palmæ botris & spathaliis: caue imagineris hîc vbera nuda, satis ad comparationem si (quod suprà probaui) tecta, sed prominula per vestem exprimerentur, & à pectore erumpentia, vt à palma botri: de his palmæ racemis dixi suprà. hîc verò nonnihil fecisse videar si illustrem tumentia virginum vbera, solita nunc absolutè vernæ pompæ, nunc floribus, pomis, & botris comparari, vt non solùm venustus, sed etiam vsitatus hic huius loci loquendi modus videatur. ergo *floril.* 7.

Hæc priùs erat amabili corpore, vernantibus papillis.

Non dissentit Nonnus 1. *Dionys.*

——veſtem ab vtraque verò
Amorem ſuſſerans abſtraxit immatura mamilla.

Florilegium explicatur.

Mauris autem, & *immaturas* ad fructus ſpectat. iterom *in floril. epig.* 174.

Καὶ μάζαι γλαγόωντες, ὁμόζυγες, ἱμερόεντες,
Εὐφυέες πάντων τερπνότεροι κάλυκος.

Vulgò vertitur:

Et mamilla lacte turgidula, bene iuncta, deſiderabiles,
Solida, omni delectabiliores roſa.

Faueret verſio, ſi ſana, Ghiſletio, qui ideo bottos vineæ hic maluit, quia aptiores *ad exprimendum eorum tumorem & copiam lactis.* quo autem iure puellæ recèns nuptæ, vt ipſe fatetur, turgentia lacte pectora adſcribantur, ipſemet viderit. Sed ad rem vox Græca γλαγόωντες, non lacte turgidulas ſignificat, ſed inſtar lactis candidas: neque enim mammoſa nutrix, ſed puella pulchra ibi deſcribebatur. Theocr. *Idyl.* 27. vbi puella:

Τί ῥέζεις Σατυρίσκε; τί δ' ἔνδοθεν ἥψαο μαζῶν.
Quid agis Satyriſce? quid intus tangis meas mamillas.

Cui tunc ille,

Μᾶλα τεὰ πρώτιστα τάδε χνοάοντα διδάξω.
Poma tua primùm hac pubeſcentia recognoſcam.

Nonnus explicatus.

Nonous *Dionyſ.* 30. facit mamillarum virginis formam pomo ſimilem rotundo πειγομένοις μήλῳ. dedi ſuprà verſus ad rem aliam, ſed hîc non abſque noua luce repetenda.

Non capillos miſeratus fuit marceſcentis capitis,
Non roſeum radium ſordidata puluere frontis,
Neque in pectore æqualem rotundo pomo
Mamillarum doluit inflexibilem ſtimulatorem mitra.

Vbi mihi nota papillas mitrâ, id eſt, faſciâ pectorali tectas, illamque ſtimulantes, adhuc de forma prominula pomo comparatas: ſic in hucloco licèt tectas, botris comparat chorus. pergo. idem *lib.* 35.

——καὶ ἥψατο πολλάκι μαζῶν
Οἰδαλέον, ῥοδόεντα, ἐοικότα εἰσέτι μήλῳ.
——& tangebat ſæpe mamillam
Tumentem, roſeam, ſimilem adhuc pomo.

Apud eumdem *lib.* 48. virgo iactabundula ad æmulam:

——ἰδὲ μαζοὺς
Ὄμφακας, οἰδαίνοντας, ἀθήλεας.
——vide mamillas
Tamquam immaturos botros, tumentes, non fœmineas.

id eſt, vt virginem, non vt mulierem decent.

Explico ergo, vt dixi, locum de mamillis tectis, ſed arte, ſic compoſito indumento, (de quo ſuprà) vt prominulæ botris aſſimilarentur. Nota deinde finiſſe puellas palmæ comparatione deſcriptionem, innuentes quod ſuprà dixerant de Sulamitis vincente pulchritudine, quaſi meritò triumpharet cæteras, quæ ipſa ſtatura, & corporis habitu victricem palmam repræſentabat. eſt enim moris decori in ſimilibus epithalamiis, vt confluentes amicæ lubenter nouæ nuptæ cedere, aut velle, aut ſimulare videantur: diſcis ex Theocrito *Idyl.* 18. vbi chorus virginum:

473. *Virginum adſtantium pompa in epithalamiis nuptæ cedit.*

Nos enim omnes coæua eius, quibus curſus idem erat,
Vnctæ, virorum more apud Eurota lauacra
Quater ſexaginta puellæ fœminea iuuentus:
Ex his tamen nulla vitio caret cum cõfertur Helenæ
Vt aurora exoriens decoram oſtendit faciem,
Cùm veneranda nox abit, hyeme candidum ver remittente,
Sic & aurea Helena elucebat inter nos.

Pinius in Cntica.

& ex Stat. *lib.* 1. *ſyl.* 2. vbi de Venere ad nuptias Violantillæ veniente.

Ipſa toros & ſacra parat, cœtuque Latino
Diſſimulata Deam, crinem, vultumque, genaſque
Temperat, atque noua minor geſtit ire marita.

Sed de verſiculo aliàs clariſſimo, ſatis. pergo ad obſcuriora.

P A R A P H R A S I S.

Quidni ergo, ô Sulamiti, cedamus tibi libenter, & palmam tibi formæ, concedamuſque ipſo corporis habitu, & egregia proceritate palmam victricem, arborumque reginam adumbraſti, eiuſque bottos, mamillarum vireſcentium adhuc tumore, & ab obducta veſte prominula effigiaſti.

Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum. VERS. 8.

Qui negant hæc verba choro tribuenda, quia ſingulari numero prolata, diſcant à Sanchez hic, quàm id in vſu. ego in Prolegomenis, etiam adductis teſtimoniis cauſſam ſimilium locutionum explicaui: vide quæ ibi. illud mirabere quod adoleſcentum choro tribuam vnus, quod nec ipſi ſponſo tribuere modeſtè alij præſumunt: vt tamen videris quid ſentiam, fortaſſe explicationem non abhorrebis. audierant pulchro epiphonemate puellas ſponſam palmæ comparaſſe, & vt erat tota pompa iam ad hortum, vbi celebrandæ nuptiæ, diſpoſita & penè progrediens: arrepta à comparata palma, occaſione, ſpondent ſe vbi eò peruenerint, nihil prius facturos, quàm palmarum fructus decerpere, quibus ſpirantem illam palmam, ſponſam ſcilicet debito obſequio cumulent: indeque euenturum, (qua autem ratione ſtatim dicam) vt & ſinus vbera quæ fragrantiùs reſpirent, & oris halitus poma & ſuaueolentia mala imitetur. Quàm autem ex vſu & decoro puellæ ruſticaturæ ſimiles delitiæ promittantur, aperit iure ſimili Corydon Virgilianus *Ecl.* 2. qui puerum ad ruſticandum ſecum inuitans ſubdit:

474. *Dona è rure in nuptiis ruſticis.*

Huc ades, ô formoſe puer, tibi lilia plenis,
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais,
Pallentes violas & ſumma papauera carpens, &c.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneaſque nuces, &c.

Vide quæ Polyphemus ad Galatheam apud Ouid. 13. *Met.* Meliùs tamen illud de Nymphis & Naiadibus Virgilij, vt hîc non tam amator, quàm chorus fert delitias: ſic Catullus *de nuptiis Pelei.*

Aduenit Chiron portans ſilueſtria dona, &c.

Nunc ſingula percurramus, & probemus.

Fructus eius. Ex Hebræo סנסניו alij *ramos*, alij *cacumina*, *elatas* alij explicatunt. noſter optimè *fructus*: elatas ergo intelligo (de quibus ſuprà) dactylorum, qui non adhuc mites, ſed immaturi, ſic tamen ad puellarum cupedias, gratiores: quæ acerbis adhuc fructibus inhiant auidiùs. adde caulium palmæ medullas etiam hoc tempora (oppetens vet deſcripſi in chronographia) ſapidiſſimas: quas etiam optimè noſter fructuum generico nomine appellauit. Dioſcorides quidem *lib.* 1. *cap.* 126. ait elatas, ſiue tegumenta fructus palmæ adhuc floreſcentis, iam tunc fructum & caulis medullam recentem habere comeſtibilem. addit

475. *Palmarum cupedia.*

in autumno esse semimaturos dactylos: quos tamen Prosper Alpinus apud Ghisler. *cap.* 5. mense Martio iam paruos & prominentes describit. hæ palmæ cupediæ etiam hodie apud Bæticos nostros.

476. *Botri de aliis quàm de vite.*

Botri vinea. Capio botros cypreti floridos & odoratos, id est, fragrantes & vernantes cypri ramulos, quos Hebrææ puellæ ad delitias inter vbera collocabant. de hoc vsu, & cur botri nomine ramus vineæ, quæ vocabulo cypretum appellatur, dixi iam ad illud cap. primi num. 13. *fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Sensum ergo verborum vt aperiam, aduerto

477. *Palma odorata.*

elatas ipsas & frondes palmæ odoratas esse. dixi pluscula suprà *cap.* 5. de elatis palmarum, & *cap.* 3. de virgula fumi. Adde Dioscoridem capite paulo antè citato, qui subdit, odoriferam esse, ac proinde vti elata vnguentarios spissandis vnguentis. Laguna etiam bonus eiusdem interpres fatetur florentes dactylos capillato tegumine, & illo odorifero, includi. Ait ergo chorus, futurum, vt cùm puella odoratum palmæ ramusculum vberibus applicuerit, tam suauiter vbera sint respiratura, ac si botros cypreti, siue aromaticæ vineæ illi collocauerit. Dices illatam vim verbis videri, cùm enim dicatur, *erunt vbera tua sicut botri vineæ*, non tam de applicato ramo, quàm de forma vberum botros exprimente, sententiam explicandam. non moueor. pende, amabo, mi lector, non ouum ouo similius, quàm loquendi modus, quem hîc excogito, aliis huius Cantici phrasibus, à doctis similiter vsurpatis. Si caput sponsi ab aureo diademate comente dicitur *aurum optimum*, si iuxta LXX. lectionem venter ab eburneo ornatu, dicitur *pyxicula eburnea.* Sicut multi volunt puellæ collum à monilibus, dicitur *sicut monilia*, cur vbera à botris comentibus *sicut botri* non commendentur? certè ego tardus discrimini noscendo.

478. *Odor oris à pomis.*

Sicut malorum. Subdunt futurum, vt his cupediis degustatis puella non solùm recreetur, sed etiam suauissimum halitum spiret, qui suauissimo malorum respiramini comparetur. priscos olim, odoratorum pastillorum loco, (qui hodie, & apud Romanos, vt ex Martiali constat, bono halitui conciliando vocabantur) fructibus arborum vsos, satis constat ex Theophrasto 4. *hist. cap.* 4. qui de pomis citreis, siue medicis, ait, χρήσιμον πρὸς εὐωδίαν τοῦ στόματος: *vtile esse ad oris fragrantiam.* idem habet Dioscorides, Auicenna, Plinius, quos dedit Cerda ad illud *Georg.* 2.

——animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Addo Athen. *lib.* 3. *cap.* 5. ex Dioscoride. *bonum in os odorem confert. Si quis in iure, vel alio quouis mali interiora luxaueris, atque in os expresserit, & sorbilles, suauis efficitur ei odor.* Cùm ergo palmæ cupediæ odoratæ essent, vt sæpe dixi, non dubium, quin etiam bonum halitum conciliarent. adde eundem Athen. *lib.* 14. *cap.* 22. vbi de palmarum fructibus, ita obiter de loto arbore disserentem. *est autem hic cibus ficui persimilis, atque palmarum fructibus, odoris tamen suauitate iucundior.* Vbi nulla

Palma odorata.

foret comparatio, ni palmarum cibus iucundi etiam foret odoris. Vt florido ramo palmæ illustrando, cypri botros vsurpat, sic halitui relicto, odorem malorum, quia hic solet optimum oris respiramen commeodare. disco ex Martiali *lib.* 11. *epig.* 9. de halitu pueri, vbi ita.

Lassa quod externi spirant opobalsama drauci,
Vltima Corycio quæ cadit aura croco:
Poma quod hibernâ maturescentia capsâ,
Arbore quod verna luxuriosus ager.

De simili oris halitu iterum *lib.* 3. *epig.* 65.

Quod spirat tenera malum mordente puella,
Quod de Corycio quæ venit aura croco,
Vinea quod primis floret cum cana racemis,
Gramina quod redolent quæ modò carpsit ouis.

habet quidem hæc explicatio si nihil aliud, saltem verba aliàs contentiosissima, modestissimè prolata: cætera lector iudicet.

PARAPHRASIS.

Proh! quàm aptum virgines symbolum, tibi Sulamiti pulcherrimæ inuenerunt? ergo nunc iam meditamur, vbi primùm ad hortum accedamus, palmas conscendere, & inde tibi meliori palmæ, delitias quasi spolia offerre: non adhuc quidem adeò maturi fructus, sed tamen gratæ puellarum cupediæ carpentur, elatæ scilicet dactylorum odoriferæ, & caulium medullæ suauissimæ: quas vbi pectori admoueas, odorem tanquam botrorum vineæ cyprissantis emittet: vbi gustes, ab ore suauissimum tamquam malorum halitum respirabis.

VERS. 9.

Guttur tuum tamquam vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

Hæc sunt verba virginum, quibus dictum alternis Epithalamium concludunt: assumpta enim ansa ab vltimis adolescentum verbis, qui oris sponsæ halitum suauiorem, quasi ab elatis gustatis mutuandum cecinerant: grata reprehensiuncula, (vt in his amœbæis fieri solent, de quo *cap.* 3. *num.* 11.) eosdem carpunt, tamquam cùm eos, qui vellent alieno fuco indigere, puellam suaui respiratui comparando, & oti commendando: quæ ita aliàs à natura ficta, vt ab ipsis visceribus, & penitiori gutture, halitum suauissimum respiraret. neque hoc mirum, videmus enim aliquibus naturalis complexionis virtute optimum quoddam inditum respiramen.

479. *Odor oris à visceribus.*

Guttur. q.d. Non solùm in summo ore, aliunde mendicatus odor gratus, sed sponte natus, & ab ipso profundo gutture, à visceribusque attractus fluit iucundissimus, suauissimus halat. alio sensu Martial. *lib.* 1. in hanc rem.

Ne grauis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstat
Extremo ructus cùm venit à barathro.

Guttur ergo pro halitu grato, & suaui à penitiori gutture animâ vsurpatur.

480. *Vini odor suauissimus.*

Vinum optimum. Poterat fortasse aliquibus indecora videri comparatio, cùm vini odor, non tam sobriè puellæ, quàm bibaculis aniculis videatur conuenire: sed certè vini odor non tam post potum ructatus (vt à Fescennia suprà) quàm ab amphora pretiosiori exhalans, vt in hoc loco sumitur, etiam à cultissimo Poëta in optimi halitus comparationem vsurpatur: do plura carmina Martialis ex *lib.* 11. *epig.* 9. vt videas quas inter odorum delitias vinum adducatur: loquitur de pueri halitu.

Lassa quod externi spirant opobalsama drauci,
Vltima Corycio quæ cadit aura croco,

Poma

Poma quod hibernâ maturescentia capsâ,
Arbore quod verna luxuriosus ager,
De palatinis Dominæ quod ſerica prelis,
Succina virginea quod regelata manu,
Amphora quod nigri, ſed longè fracta falerni, &c.

& certè Homerus hym. Bacchi vino tribuit ὀδμὴν ἀμβροσίην: *odorem immortalem.* ſic *odyſſ.* 9.

Ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει
Θεσπεσίη.
Odor verò dulcis à cratere, aſpirauit
Diuinus.

Adde, alludi fortaſſe ad vinum conditum, & vnguentum (de quo alibi) quod omni aromati ſolet anteferri.

481. *Halitus bonus cur optatus.*

Dubitabis fortaſſe, cur in hoc Cantico, toties gratos halitus, & anima ſuauis commendetur? ſed audiendus Plinius, qui totus pro me viſus reſpondere: loquitur ergo *lib.* 11. *cap.* 53. de halitu, ſiue anima viuentium reſpirata: *Hominis tantùm naturà inſici voluit pluribus modis, & ciborum ac dentium vitiis, ſed maximè ſenio. Dolorem ſentire non poterat, tactu ſenſuque omni carebat ſine quo nihil ſentitur: eadem commeabat recens aſſiduè, exitura ſuprema, & ſola ex omnibus ſuperfutura, denique hæc trahebatur è cælo: huc vſque tamen reperta pœna eſt, vt neque id ipſum, quo viuitur in vita, iuuaret.* Vbi vides quàm doleat etiam animæ, ſiue halitui inficiendo, morbis viam inuentam: quaſi gratiſſimum foret, ſi illæſus iſte ſeruaretur. neque mirum, halitus enim fœtor, omni vultus deformitate, omni corporis vitio, auertendis affectibus potentior haberi ſolet.

Dignum dilecto meo, &c. Quàm varient hîc Hebræa, & aliunde quàm aptè cum vulgaris noſtris componantur, iam optimè hîc interpretes adnotarunt: ego de his nihil. Innuuntur ergo tacitè, credo, potentia & deliciæ ſponſi Salomonis, quaſi is eſſet, ac ita lautè viueret, vt non niſi delicatiſſimo, odoratiſſimoque vino vteretur. Dicitur autem tranſlatè vinum *ruminandum* (quæ vox ciborum propria) vt illius excellentia denotetur, quaſi ditiſſimuſque iuuenis, qui ad mille alias guſtus delitias nauſearet (vt aſſolet) faſtidioſus: tamen vini illius excellentiam ita miraretur, & odorem, vt illum non ſolùm voluptuosè bibere, ſed quodammodo reguſtare, & ruminare videretur: quo maximè ſponſæ halitus ſuauiſſimus commendatur.

482. *Dilectus, etiam à non amaſia dici rectè dicitur.*

Dices minus decorè virgines videri alienum ſponſum, titulo dilecti ſui compellantes, introduci. falleris, in re feſtiua (prætereo rationem myſterij, de quo alibi) virgines ſponſum amicæ ſponſæ dilectum non laſciuè, ſed comiter, & vrbanè, etiam apud Theocritum *in Epithalamio Helenæ appellant. verba Poëtæ:

In Sparta quondam apud Flauum Menelaum
Virgines virenti hyacintho coronata
Ante nuper pictum thalamum chorum ſtatuerunt,

& poſt aliqua, ſic illas inducit loquentes:

Siccine crepuſculo cubitum abiiſti, ô dilecte ſponſe?
Nunquid granatus nimium genibus? nunquid ſomniculoſus?

Neque obſtat quòd in Hebræo ſit דודי, id eſt, *amori meo*, quæ verba tenerrima videntur, & ſolius ſponſæ digna, aut amaſiæ: vocula enim iſta ſic *Amor* non ſolùm ab his quos amantes propriè vocamus, vſurpatur: ſed etiam ab aliis tamquam vrbanum quoddam blandimentum. ſic Princeps, amor populi, vrbis, &c. ſæpiùs appellatur.

* *Pintus in Cantica.*

PARAPHRASIS.

Certè pulcherrima Sulamiti, curtus adoleſcentum chorus, inter muniſculorum officia ad tuas laudes procedit, qui te elatis ſuis conciliando oris odori quaſi hoc ſuco egentem, vſuram exiſtimauit, cùm ea ſis, quæ natura ipſa à penitiori gutture & viſceribus eum odorem reſpires vt odoratiſſimo ab amphora vino, quo etiam dilectus nobis tuus Salomon, (aliàs ſcitiſſima guſtus faſtidiens irritamenta) non ſolùm cum voluptate, ſed etiam cum reguſtatione vteretur: veniat comparandus.

Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. VERS. 10.

Hæc verba cum his quæ ſequuntur ad finem vſque capitis, citra controuerſiam ſponſæ tribuenda. licèt verò ſuo modo putem hunc verſiculum intercalarem eſſe, cum eo, qui *cap.* 2. ponitur, & *cap.* 6. ſemper tamen repeti noua energia, & quæſito nouo concatenationis lepore, vt ſuis locis noto, exiſtimaui. Vocarant puellæ ſponſum Salomonem feſtiuè & vrbanè dilectum, & amorem ſuum: cumque eſſent abſque dubio è nobilioribus, quæque olim iuuenem ſibi ad nuptias non abhorrerent, vt erat deſiderabilis, & pectus, de quo *cap.* 6. feſtiuius nunc, & vrbanius ſponſa, non tam zelotypa, quàm monitrix, aduertens magis, quàm animaduertens: ſubdit, iam amorem illum, ſeu amabilem iuuenem olim quodammodo communem, & omnibus affectatum, ac proinde dilecti nomine appellatum à ſingulis, ſuum eſſe priuatum, & nuptiali iure ſibi ſic addictum, vt deinde à nemine, niſi à ſe ſola, dilectus & amor meritò compelletur. Facit ſignatiùs ad mentem, id quod plures ad rem ſuam iam notarunt, vbi enim nos legimus, *& ad me conuerſio eius*, in Hebræo eſt, תשוקה quæ vox obedientiam, & ſubiectionem quamdam ſignificat, quaſi addictior adhuc puellæ ſponſus, ſic ſuis nuptiis contentus, vt præbendum ſibi à fœmina obſequium, illud totus vxorius fœminæ præberet. Simile illud Catul. *in nupt. Manlij*, ad puellam:

483. *Maritus quomodo obediat vxori.*

Ille non minus ac tu
Pectore vritur intimo
Flammâ, ſed penè te magis.

Sic apud Stat. *in nupt. Violant.* ad maritum dicitur,

—adhuc optas, promiſſaque nomine dextræ
Vota pacis. pone ô dulcis ſuſpiria vates,
Pone, tua eſt.

Quaſi quæ priùs multis optata, vni tantùm addicta, & vnius appellanda iam veniret. quod ergo ſponſa protulit, tale eſt.

PARAPHRASIS.

Atqui vos, ô Sionitides puellæ, adhuc in Salomonem meum, tamquam in cælibem olim, amoris luditis blandimentis, & titolo dilecti compellatis: non ſubiraſcor zelotypa, ſed amica moneo: nunc iam mea eſt, & vt ego me illi totam, ſic ille ſe mihi totum tradidit, imò & magis, qui me obſequebundus reſpicit, quem ego ſemper obſequens videbar reſpectura.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. VERS. 11.

Concatenationi meæ veniunt hæc verba incoacta: erant ſponſi currum iam iam aſcenſuri,

vt dixi,festiua interim turba,dum canit, dum laudat,dum ludit : si minus illudere,at certè retardare videbatur sponsæ vota, quæ vnicè præseus, vt dicitur, spousale, id est, matrimonium inire peroptabat : huc ergo tendit hæc illius ad dilectum compellatio, vt iam conscenso curru, è domo & vico exeant, agrum properent, in villa commorentur : vt enim fusè suprà probaui, in rusticana villa nuptiæ apud Hebræos celebrabantur. in Hebræo pro *commoremur*, est *pernoctemus*, eodem sensu : quasi velit diutiùs in illo loco immorari, vbi primùm summa sibi felicitas obuenit, qua vxor tanti mariti diceretur : sic enim solet euenire, vt ab illo loco, vbi optatis feliciter fruiti sumus, nunquam discedere vellemus, illum præcipuè colamus, & absentes frequenter dulci eius memoria titillemur : exempla passim obuia incurres.

PARAPHRASIS.

Sed quid hîc tamdiu detinemur? agedum dilecte Salomon, currum conscendamus : egrediamur in villam illam tuam, desiderij nostri scopum priscum : ibi quidem post nuptias, spero pagn diutiùs commoremur; quomodo enim possimus à tam felici luco, tanti nos voti compotes faciente, separari?

VERS. 12. **Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi vbera mea.**

Subdit non se desidiosam delitiis totam semper incubituram : sed industriam se promittit vxorem, cui vineæ, cui pomaria, curæ futura. ergo τὸ *manè* non capio de crastino die, post aduentum ad villam, cùm hoc temporis in mea chronographia non iam florerent vineæ, imò racemos breui dulcorandos exhiberent : sed capio de matutinis futuri veris horis, quibus id præstaret, tandiu enim in felici illo loco sibi commorandum fore augurabatur. meritò autem & vernum tempus, & matutinam elegit stationem, tum quia id amœnius odore florum, cantu auium : tum quia, vt ex *cap.* 2. constat, in Iudæa vulpes vespere florentibus vineis insidiantur. Adde matutinas horas verni

484. *Herba rorida pecori gratior.*

temporis agricolis feliciori labori obseruatas : imò & pastoribus, qui etiam tunc greges ducunt roscidis herbis fruituros. vide quæ multa in hanc rem Cerda, ad illud *Ecl.* 8.

Frigida vix cælo noctis decesserat vmbra,
Cùm ros in tenera pecori gratissimus herba est.

485. *Vbera pro amoribus.*

Vbera mea. Nihil inhonestum diceret, si ipsa vbera intelligeret, iam marito iure debita : quòd si vbera pro sinu & amplexibus capias (vt *cap.* 1. dixi) adhuc modestiùs amatorios affectus exhiberet. ego autem, vt notas, in hoc Cantico nihil non solùm immodestum, sed etiam sine summo decore dictum admitto : vbera ergo hîc capio pro amoribus. nescit nemo vocem Hebræam דדים quæ propriè *vbera* significat, translatè pro *amoribus* vsurpari. hoc probare, putidum, & rancidum : ait ergo ibi se iam vxorem, ardentius mariti affectibus indulturam, quàm olim, viuidioresque amoris scintillas eidem dicaturam : sic

486. *Vxor ardentior amans optatur.*

euenit cùm felix coniugium. Optimè Prop. *lib.* 4. *eleg.* 3.

Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior,
Hanc Venus vt viuat, ventilat ipsa facem.

Hoc est quod omnes Epithalamiorum scriptores coniugibus optant. Statius *ad Violantillam:*

——at tu pulcherrima forma
Italidum, tandem merito possessa marito
Vincla diu quæsita foue.

Pulchrè Claud. *in nuptiis Pallad.* de duobus Cupidinihus.

Prosiliunt, puroque imbutis melle sagittis
Hic nuptam, petit ille virum : sonuere reducta
Cornua : certa natos pariter sulcauit arundo,
Et pariter fixis hæserunt tela medullis.

Hoc est ergo quod puella ait, absque dubio futurum, quòd aliis inter vota optandum venit.

PARAPHRASIS.

Ibi ergo diu immorantes, matutinis verni temporis horis industriè curaturi vineas consurgemus, notabimus an floreant, an in omphacinos botriculos erumpant : an mala punica germinent feliciter, sedulè, sed voluptuosè contemplabimur. ibi amoribus meis scintillantioribus, & ardentioribus penitioris cordis ignibus, iam dominus, iam maritus gratiùs perfrueris.

VERS. 13. **Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris, omnia poma : noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.**

487. *Mandragora somni incitatrix.*

Sensus est, tunc temporis futurum, vt demissis curis, quibus tot annos insomnes, & penè vigiles noctes traduxerat, tandem placidè conquiesceat : vnam tantummodo curam sibi relinquendam, omnes dilecto delitias asseruandi. hoc vt statuam, aduerto, nihil pueris notius, quàm vim mandragorarum soporiferam : vnde qui deposita omni cura in vtramque aurem dormiunt, passim apud Græcos & Latinos, πεπωκότες μανδράγοραν, *bibentes mandragoram*, dicuntur : id firmare, ludere esset operam. illud rarius, & ad rem meam necessarium, non solùm potu, sed etiam odore mandragoræ, profundum, & totius curæ expertem somnum conciliari. Plinius *lib.* 25. *cap.* 13. post multa. *Vis somnifica pro viribus bibentium bibitur & contra serpentes, & ante sectiones punctionesque, ne sentiantur : ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsisse.* Dioscorid. *lib.* 4. *cap.* 61. Mandragorarum pomis tum per *gustum*, tum per *olfactum* eamdem vim tribuit. & quidem, meo iudicio, attentissimè in sacro textu non tam epota, aut gustata mandragora adducitur, quàm respirans, & odorem spargens, quoniam sic profundum, sed suauem, non immixto torpore (vt ex Plinio colligitur) somnum efficit. Nihil ergo puella aptius ad rem præsentem quieti & voluptatis otio post tot labores explicando poterat adducere. τὸ *dederunt*, id est, *dabunt*, ordinario vsu & trito Scripturæ Hebraismo, vbi res certò euentura per præteritum solet significari.

488. *Seruare poma dilecto.*

In portis nostris, omnia poma, &c. Inter alias amatorias pastorum delitias, inter ardentis desiderij signa clariora, illud vnum erat, si poma dilectis suis asseruarent. Congero pluscula testimonia, quia video nullum vtriusque eruditionis, siue diuinæ, siue profanæ, cultorem, quem legerim, hunc morem illustrasse. ergo Virgil. *Ecl.* 1.

Virgil. explicatus.

Mirabar quid mœsta Deos Amarylli vocares,
Cui pendere sua patereris ab arbore poma.
Tityrus hinc aberat.

Id est, mirabar etiam cui seruarentur poma in arbore,

bore, neque legerentur, nunc noui amanti Tityro custodiri. hinc fax Tibullo *lib.* 1. *eleg.* 5.

& Tibullus,

Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.

nimirum illi seruata. Polyphemus ad Galatheam apud Ouid. 13. *Metam.*

& Ouidius,

——sunt poma grauantia ramos,
Sunt auro similes longis in vitibus vua,
Sunt & purpureæ, tibi has seruamus & illas.

item Propertius,

Acutior fortasse lux Propert. *lib.* 1. *eleg.* 20. de secluso nemore.

Hic erat Arganti Phlegræ sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nulli pendebant debita curæ
Roscida desertis, poma sub arboribus.

Licèt enim fatear, poma hîc *nulli curæ debita*, posse explicari de pomis sponte nascentibus, nulla agricolæ industria culta: at nemo non obesæ naris, ex genio Propertij non fatebitur, *curam* hîc pro amore posse sumi, quasi miretur tam pulchra poma desertis in arboribus nulli amanti, vt par erat, destinari. ex Græcis fauere videtur Aristoph. *in Pace:* vbi de vxore dicitur ad maritum Cinesiam.

& Aristophanes.

Ἀεὶ γὰρ ἡ γυνή σε ἔχει διὰ στόμα
Κἂν ᾠὸν, ἢ μῆλον λάβῃ: Κινησίᾳ
Τουτὶ γένοιτο φησί.
Semper enim vxor te habet in ore:
Quæ si vel ouum, vel pomum sumpsit, Cinesiæ
Hoc assernetur, inquit.

Hoc ergo videtur asserere puella, id sibi curæ futurum, vt quidquid harum fuerit deliciarum, id totum dilecto asseruet. quod autem dixit, *in portis nostris*, sonat diligentiam, qua ferè semper redeunti marito pastore, ab opere diurno, ad portas ipsas, hæc laboris subsidia, & nescias an magis amoris indicia, quàm operis leuamina erant exhibenda. est enim sedulæ vxoris agricolæ, vel pastoris (qui

489.
Vxor sedula mariti delitijs curandis

olim licèt ditissimi, tamen suis laboribus insudabant, vt dixi) maritum parata mensa expectare. graphicè Stat. *lib.* 5. *syl.* 1. de Priscilla,

——velut Appula coniux
Agricola parci, vel sole infecta Sabino
Quæ videt emeriti iam prospectantibus astris
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, expectátque sonum redeuntis aratri.

Sedulior adhuc hîc sponsa, quæ non solùm mensas ad cœnam intus, sed ad portas, aduenienti refectiunculam etiam apparabat. tandem quod additur, *& vetera*, alludit ordinario vsui, quo semper alieni temporis aut flores, aut poma pluris fiunt. Capitolinus de Vero Imperat. ait texuisse coronas *lemniscis aureis interpositis*, *& alieni temporis floribus.* Mamertinus *in paneg.* ponderat delitiosis pluris fieri, *alieni temporis poma, æstiuas niues, hybernas rosas.* notum illud Lyrici,

490.
Flores & poma alieni temporis gratiores.

Persicos odi puer apparatus,
Displicent nexæ philyca corona,
Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.

Hæc satis ad cap. 7. propero ad 8. diligentiùs explicandum.

PARAPHRASIS.

Hæc feliciter cùm euenerint, aduenisse laboris mei finem gratulabor: nam quæ hucusque curis saucia insomnes duco noctes, suauissimè conquiescam, & quasi percepto mandragorarum odore, sedata sollicitudine, in vtramque aurem dormiam iucundissimè. Vna solummodo cura, sed & ista dulcissima perdurabit, qua tibi quidquid pomorum & sui, & alieni temporis fuerit, asseruabo: suaui hoc leuamine quotiescunque ex rusticis laboribus domum redieris, à sedula vxore ad portam excipiendus.

CAPVT OCTAVVM.

VERS. 1.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?

MONVI suprà sæpiùs, prædictas duas vltimi huius actus scenas repræsentatas esse in ædibus puellæ, dum post eius simulatum raptum (qui intus factus supponebatur) cum sponso stipantibus festiuis & canentibus choris, currum genialem ascensura properaret. hæc ergo scena, quoad primam eius partem, conscenso iam curru celebrata fingitur: proloquitur ergo sponsa, & solito æstuantis pectoris more, quàm cupiat ad villam, vbi celebrandum matrimonium, peruenire, declarat: quæ tamen verba, summissiori voce, sponso cuius lateri acclinabatur, tantum familiarioribus chori audientibus, dicta credo. videamus singula.

Quis mihi det. Semper sponsis bulliunt vota venturi diei nuptiarum, nusquam tamen ardentius, quàm sub eadem die vt hora veniat, qua datis dexteris inuicem tradantur: hinc illud Claud. *in nupt. Honor.*

491.
Vota nuptiarum ardentia.

——calet obuius ire
Iam princeps, tardúmque cupit discedere solem.

Pintus in Cantica, quia nimirum noctu apud Romanos & Hebræos nuptias celebratas nosti. Virgil. *in Pharmaceutria.*

Mopse nouas incede faces, tibi ducitur vxor,
Sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Œtam.

id est, in tui gratiam venit vesper quem optabas nuptias initurus. Talia erant vota puellæ, vt ex sequentibus patebit.

Te fratrem meum. Si id reducas ad voces amatorias, & ad coniugum vsum, qui se fratres & sorores appellant, dixi multa suprà: potes recurrere ad vsum Hebræorum, apud quos, quia contribules tantùm nuptias inter se inibant, sanguinis titulis se appellitabant. Et fortasse sponsa & Salomon non solùm eiusdem Tribus, sed etiam propinquæ, & coniunctissimæ cognationis erant, vnde hîc absolutè ab illa frater potuit appellari: certè apud Romanos fratrum filij, inuicem fratres solebant appellari, quos vulgò dicimus consobrinos. hoc, quia apud neminem, quem legerim, plenè probatum, memini, dato loco communi illustrabo, vt inde Hebræus mos non ita rarus videatur; loquuntur ergo Poëtæ, quos affero, de Græcis priscis, quibus (notum id eruditis) mores sui æui affingunt. ergo Hermione apud Ouid. *in epist. ad Orestem,*

492.
Fratres, de consobrinis.

Alloquor Hermione nuper fratremque virumque,
Nunc fratrem, nomen coniugis alter habet, &c.

Vir precor vxori frater succurre sorori,
Instant officio nomina bina tuo.

Et tamen consobrinos fuisse notum pueris, illa statim fatetur,

Per patris ossa tui patrui mihi, quæ mihi debent
Quòd se sub tumulo fortiter vlta iacent.

Hypermnestra Lynceo, quorum patres, fratres erant ita apud eumdem.

Et consanguineæ quondam centesima turbæ
Infelix, vno fratre manente, cadam:
At tu si qua est lynceu, tibi cura sororis, &c.

Deucalion apud eumdem, 1. *Metam.* ad vxorem Pyrrham,

O soror & coniux, & fœmina sola superstes,
Quàm commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus iunxit.

erant quippe à Prometheo, & Epimetheo fratribus orti. Aiax *ibidem lib.* 13. post multa, petens arma consobrini sui Vlyssis.

Frater erat, fraterna peto.

Durauit diu hic mos. nam Tzetzes *chil.* 6. de hoc consanguinitatis gradu ita.

Οὕσπερ ἡ συνήθεια νῦν ἐξαδέλφους λέγει.
Hos consuetudo nunc fratres appellat.

Pergamus ad obscuriora.

Sugentem vbera Hic locus variè torsit interpretes, tortus & ipse ab aliquibus: vt quid, mori meo insistens, & datæ fidei consulens, denuo excogitarim, aperiam. Suppono diminutiua vocabula apud amatores, & blandientes putari teneriora: possem colligere innumera, in hæc facilè incidi. Theocrit. *Idyl.* 2. vbi puella ad Satyrum amatorem.

493. *Diminutiua amatoria sunt.*

Τί ῥέζεις Σατυρίσκε.
Quid agis Satyrule?

& apud priscos Bacchus decrepitum Silenum loco patris vocat πατρίδιον, id est, *paterculum.* imò & ipse Silenus apud Euripidem immensum illum Polyphemum, adblandiens *Hericulum* appellat. nota illa Plauti, *meum corculum, meus caseus molliculus* Catullus lib. 1.

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. hæc amem necesse est,
Vt Veranniolum meum, & Fabullum.

Idem *epig.* 46. vbi dicitur,

Acmem Septimius suos amores, &c.

Sic ipsam puellam Acmem ad Septimium facit locutam.

———*mea vita Septimille,*
Huic vni domino vsque seruiamus.

Syrus apud Terent. *in Adelphis, act.* 5. *sc.* 1. sibi de gula plaudens,

Ædepol Syrisce te curasti molliter.

Imperator Adrianus, iamiam moriturus hæc carmina dixisse fertur ab Spartiano in eius vita,

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis.
Quæ nunc abis in loca
Pallidula, rigida nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos?

Hodie sic eadem ratione, diminutiua, & amantium sunt, & blandientium.

494. *Diminutiua apud Hebræos qualia.*

Nota deinde, licèt apud Hebræos non sint propriè diminutiua, tamen certâ formâ componi nomina, quæ pro diminutiuis desetuiunt: vnde illud Isai. 44. num. 2. *Noli timere puer meus Iacob, & rectissimè quem elegi.* in Hebræo pro *rectissimè* est ישרון quo propriè *dilectulus* significatur, vt ibi notat Sanchez. qui & *in Psalm.* 67. quem totum putat nuptialem eadem forma, vbi legimus, *Rex dilecti dilecti*, notat in Hebræo esse ידדון id est, *dilectulum*, eodem amatorio blandimento. Sciendum tamen vtplurimum Hebræos diminutiua sua per periphrasim & circumloquium explicare: vt apud Isaiam *puer paruus*, id est, puerulus, & suprà cap. 2. *vulpes paruulæ*, sunt vulpeculæ, & passim alibi.

Puto igitur in hoc loco, amatorio hypocorismate *fratrem sugentem vbera* pro fraterculo appellari: nec mirum iuuenis de amore, lactens appelletur ab sponsa Hebræa, cuius proprio idiomate viri puerorum vocabulo dicebantur, cùm Romani passim, adolescentes infantium, id est, lactentium vocabulo blandè appellitarint. Adsis huc Doctorum alpha Hieronyme, hic *quæst. Hebr.* super Genesim de Ismaële, qui iuuenis, puer appellatur ibi, ita scribit. *Verum est igitur, illud Hebræorum linguæ idioma, quòd omnis filius ad comparationem parentum, infans vocetur, & paruulus: nec miremur barbaram linguam habere proprietates suas, cùm hodieque Romæ omnes filij vocentur infantes.*

495. *Indulgenter habiti mamantes dicebantur.*

Adhuc tamen in hoc ipso hypocorismate, & amatorio blandimento latet aliud, quo sponsus & delicatus, & tenerrimè indulgentissiméque habitus à matre declaretur. ac si dicat puella: ac si dicat sponsa: Quis mihi det te fraterculum meum, meum puppum, sic molliter à matre adhuc habitum, vt etiam nunc lactere videaris, vt inueniam, &c. moueor, quia sui ipsius tenerrimè indulti à matre delitias. Penè eadem phrasi explicauit Salomon Prou. 4. num. 3. *Nam & ego filius fui patris mei, & tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* quod autem hìc additur de suctis vberibus, explico ex Isaia *cap.* 6. (& ipse hinc Isaias explicatur) qui locutus de Ierusalem latissimè sub metaphora sponsæ adulteræ & expulsæ, & iterum Christi meritis restituendæ, indulgenterque habendæ, festiuè concludit, num. 16. *& suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Sub qua metaphora, omnia pretiosa & delitiosa fercula illi apponenda omnes explicarunt. Sed cur sub mamillæ metaphora in quam ego? nisi vt iterum tamquam in nouis nuptiis virguncula & tenella intelligatur, sic indulgenter habita, ac si adhuc à matre lactaretur. & reuera nullâ aptius metaphorâ materna indulgentia, quàm per lactationem explicatur: bene Plutarchus *lib. de amore parentum erga prolem*, in rem meam ita scripsit: *Hac de causa cùm vbera mamillasque sub ventrem natura brutis dimisit, solis mulieribus in sublimiori corporis parte, nimirum in pectore illa collocata sunt, quo expeditius & osculari, & amplecti filios possint, quasi hac ratione indicare, & ostendere voluerit, pariendi educandique finem, non vllam vtilitatem, sed solum amorem existere*, &c. è contra autem, nulla etiam ratione alicuius delitiæ viuidius explicantur, quàm si iam grandis adhuc lactere dicatur. Facit huc historiola quam refert Athen. *dipn.* 12. *cap.* 33. vbi ita. *Clitarchus lib.* 5. *vitarum Sagarim Mariandinum scribit ad senectutem vsque ob delitias nutricis vberibus fuisse educatum, ne cibum mandendo defatigaretur: nec vnquam etiam manus inferiùs vmbilico tulit.* Vnde eleganter D. Antonius de Padua *serm. in Septuag.* de anima conuersa: *quasi à mamilla diaboli, mundi fugit voluptatem.* quia non poterant voluptates mundi indulgénter alicui affluentes melius, quàm per lactantem mamillam explicari.

Isaias 6 n.16. explicatus.

Matres lactantes amorem manifestant.

D. Antonius de Padua explicatus.

496. *Socrus nuribus dilectæ.*

Matris meæ. Socrum intelligit, quam iam connubij iure, quo maritum fratrem dixerat, matrem vocat. latet autem hìc etiam puellæ prudentia, tacitè exhibentis, se non communi vsu erga socrum fore

fore dutiùs aulmandam, imò hanc ſibi loco matris perpetuò habendam. eleganter Plutarchus de præceptis connubial. num. 38. *Perurbanum eſt ſi vxor magis ad parentes mariti honorandos inclinare conſpiciatur, quàm ad ſuos: ac ſi quid doleat, ad ipſos referat, & lateat ſuos: facis enim vt cùm fidem habeat, fidem & ipſa vendicet, & cùm diligit, diligatur.* Nec pigebit tranſcribere in hanc rem quæ paulo antè idem Plutarchus ſcripſerat num. 37. *In Lepta Libya ciuitate ritus patrius eſt, vt ſponſa poſtridie, quàm celebratæ nuptiæ ſunt, ad ſponſi matrem petitum ollam mittat: at iſta nec dat, nec ſe habere dicit, vt videlicet in principio cognitis in ſocru nouercalibus moribus, ſi quid grauius poſtea contingat, iniquo animo non ferat, neque ſuccenſeat. quo fit vt vxor id intelligens, occaſiones ipſas leniat ac mitiget: eſt enim naturalis æmulatio quædam inter ipſas, beneuolentia cuius affectus vnica curandi ratio eſt, vt ſenſim ſibi beneuolentiam vxor conciliet viri, ſed matris non conuellat & imminuat.* ideo prudentiſſima fœminarum, vt & pulcherrima Aſpaſia apud Ælianum *lib. 12. cap. 1.* cùm illi maritus Cyrus Perſarum Rex monile pretioſiſſimum offerret, quod iactabat dignum, ἢ θυγατρὸς βασιλέως, ἢ μητρός: *aut filia Regis, aut matris*. reſpondiſſe fertur: καὶ πῶς τολμήσω Παρυσάτιδος δῶρον ἄξιον τῆς τεκούσης σε, ἀποδύσασθαι αὐτὴν: ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀπόπεμψον ἐκείνῃ, Κῦρε: *& quomodo audeam Paryſatidis matris tuæ dignum donum, mihi retinere? ergo illud matri tuæ mitte in Cyre*, &c. quo mirè vtriuſque ſibi amorem conciliauit. hoc ergo eſt quod puella optimè morata iam nunc captat, dum coniugis matrem iam nunc ſuam vocat: videri nimirum ſocrus amantiſſima.

497. *Currus ad pompam nuptialem.*

Vt inueniam te foris. In Hebræo בחוץ LXX. in Regiis etiam propriè ἔξω, alij, ἐν ἀγρῷ. non ergo cæteros. explico, vt te iam *videam foris*, id eſt, extra hunc currum in agro, & villa, quò tendimus, vbi vltimæ nuptiarum ceremoniæ complendæ, & optata mihi vota perficienda. Sed quoniam ſæpiùs & ſuppoſui, & inculcaui currum hunc nuptialem, quo puella in domum mariti abducebatur, præter ea quæ Sanchez variis locis huius Cantici attigit, dabo pauca, vt de aliarum gentium vſu, Hebræus mos, quem cogito, illuſtretur, fuerunt enim, vt ſæpe monui, nuptiales ritus plures Hebræis gentibuſque communes. Euripides de Helenæ nuptiis.

Νῦν ἀνανεοῦμαι τὸν σὸν ὑμέναιον πάλιν,
Λαμπάδων μεμνημένη ἃς τετραόροις
Ἵπποις τροχάζων παρέφερον: σὺ δ᾽ ἐν δίφροις
Σὺν τῷδε, νύμφη δῶμα λείπεις ὄλβιον.
Nunc igitur renouo tuas nuptias iterum,
Et faces memini, quas quadriiugis
Equis vehens, præferebam: tu verò in curru
Cum marito noua nupta relinquebas domum patris beata.

Ariſtophanes in auibus facit Cupidinem aurigam currus, vbi noua nupta ferebatur.

Ὁ δ᾽ ἀμφιθαλὴς ἔρως
Χρυσόπτερος ἡνίας
Εὔθυνε παλιντόνους
Ζηνὸς πάροχος γάμων
Τῆς τ᾽ εὐδαίμονος Ἥρας.
Tu circum floridus Amor
Aureas alas geſtans, habenas
Dirige retro extenſas,
Iouis pronubus nuptiarum
Huius felicis Iunonis.

Plutarchus de claris mulieribus cap. 3. *Cùm è prima Chiorum nobilitate adoleſcens acceptam vxorem, domum, vt moris erat, curru traduceret: Hippoclus Rex ſumma familiaritate ſponſo coniunctus vnà cum cæteris adoleſcentibus, pompa celebritatique interuenerat: qui cùm vino ac iocis incaluiſſet, in currum quo ſponſa vehebatur, inſiluit, nullam ſanè vim allaturus, ſed ludendi tamquam licentia immoderatiùs abuteus: tum qui aderant ſponſi familiares, atque affines, ne quo virgini afferretur contumelia metuentes, facto impetu Regem obtruncant.* Hæc de Græcis. De Romanis Claud. *in nupt. Honor.*

Ante fores iam pompa ſonat, Pilentaque ſacra
Prædiues ducturo nurum: collatobuius ire
Iam Princeps.

Sacra propter Auguſtorum maieſtatem, quam etiam ſacram dicimus, appellauit.

Et deoſculer te. Huc vota tendebant: alludit verò ad ſolemnia oſcula, quibus nuptiæ ſanciebantur: habes hæc illuſtrata initio capitis primi ad illud, *oſculetur me*, inde repete.

498. *Procos & ſponſos mordet vicinia.*

Et iam me nemo deſpiciat. Vertit Aquila: μὴ ἐξουδενώσουσί με: *non amplius me ſubſannent, vel naſo ſuſpendant.* & erit vſque tunc ſubſannata, vſque tunc deſpecta? ſolet vicinia, & maximè virgines ſponſæ æmulæ iuueneſque ſponſi corriuales, dum inter amantes feruent deſideria, dum nuptiæ ambiuntur, omnia ſubnotare, illorum omnia quæ viderint irridere: tum murmuratio puellæ ſi comitior, ſi ſe præbet conſpiciendam, auidiorem quàm par eſt, mariti vocant: denique tunc miſera virguncula æmulis fabula eſt, & vnicus irriſionis & detractionis ſcopus, quaſi nunquam conſecutura, & de leuitate infamis relinquenda: non ne timenda hæc ſubſannatio, hic deſpectus? at peracto matrimonio omnia ceſſant, quia & illa voti campos, & æmulæ vlterioris ſpei impotes: illa fruitur hilaris, confuſæ iſtæ conticeſcunt. pulchrè Statius de nuptiis Violantillæ ſolenni oſculo peractis,

Statius explicatus.

Fama tace, ſubiit leges, & frena momordit,
Ille ſolutus Amor, conſumpta eſt fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oſcula ciues.

Quaſi inter ambiendum fabula forent miſeri amantes, vulgique irriſio, quæ omnia datis oſculis publicis, id eſt, celebrato matrimonio perierunt. talia ſunt quæ hîc ſponſa profert, ni fallor: eóque minus duram hanc noſtram coniecturam videndam ſpero, quo aptior ſenſui myſtico *in lib. 2.* iudicanda.

PARAPHRASIS.

Proh! quàm longa hæc via, quàm tardus curſus. O ſi iam, dulciſſime fraterculè, qui matri tuæ ſic habitus in deliciis, quaſi adhuc lactens inter illius vbera requieſcas: ó ſi iam, inquam, foris, extra hunc currum te haberem, & ſolenni illo nuptialique oſculo te mihi necterem? tunc tot præteritorum amorum meorum murmura, tot fabulæ, tot irriſiones, quibus deſpecta ſubſannabar, peractis matrimonij ritibus, conſummentur.

VERS. 2.

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

499. *Vxor patres obliuiſcitur ob maritum.*

Pergit colloquens puella, leuans pariter itineris faſtidium, & fallens perueniendi deſiderium: ait in primis, quid ſibi faciundum vbi peruenerit, nimirum ipſam quæ ducitur, quodammodo maritum ſuaui violentia in domum illam felicem inducturam,

ducturam, nc tam adduci, quàm adducere videatur. quo mirè explicat, quàm lubenter ibi sit habitatura, quàm è penitissimo corde, lu mariti familiam transferatur, quàm denique propriorum parentum memoriam tradat obliuioni. est hoc illud Psalm.44.0.11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* hoc enim est quod maximè in nouia nuptis experendum: vnde & prisci tam Græci, qoàm Romani, rem nuptialibus cæremoniis testabantur. Hinc Catull. *in nupt. Iulia*, ad puellam.

En tibi domus vt potent
Et beata viri tui,
Quæ tibi sine fure erit.

Apud Romanos quidem noua nupta obducto iam capiti flammeo, cùm è paternis ædibus pedem efferret, *vertebatur in gyrum:* atque ita ducebatur in domum sponsi, ne scilicet agnosceret viam redeundi in domum patris. lege Tiraquel. 1. *lege con. glossa* 1. *parte* 1. Apud Græcos Bœotios axis currus, quo sponsa in mariti domum vehebatur, flammis exurebatur: causam assignat Plutarchus probl. Rom. cap. 28. *vt id signum esset, iam ibi perpetnò permansuram.* Longè verius in hoc Cantico nostro longè flammantius sponsa amatorios mores & lubentem sui addictionem, ex apprehensione matrei significauit.

500.
Cui vxori secreta committenda.

Ibi me docebis. Non passim vxoribus secreta committenda, certo certius: esse tamen nonnullas, quibus sacrilego furto ista à maritis denegantur, certissimum: hæ sunt quæ castis amoris flammis, aliàs prudentioris indicij, maritos colunt. Talem se hic reputat sponsa, & talem decebat esse quæ sponsæ diuinæ typum gerebat, huic enim Christus abdita reuelat, de quo *lib.* 2. Sed non solum secreta hîc intellecta voluit sponsa, sed & cætera, quibus per inditam disciplinam, & prudentia & optima œconomia comparatur: sunt grauissima verba Plutarchi *lib. de præceptis connubialib. n.* 49. vbi ita ad maritum. *Coniugi verò quæcunque via adhibeas quæ vtilia sunt: & more apum, quæ tu in te ipso collocaueris, ei conferas & communices: familiaréque effice & consuetas eas sermonum rationes, quæ esse quàm optima videantur: pater enim illi es, venerandaque mater, & frater: non minus autem est venerabile vxorem audire dicentem: Tu mihi vir, magisterque es, ac Philosophus, rerum honestissimarum ac diuinarum præceptor. Huiusmodi enim disciplina primum à rebus absurdis vxores abducunt: erubescet enim vxor saltationibus operam dare, si studio litterarum delectabitur.* Quod ergo monet hîc Plutarchus mariti faciant, id virum suum facturum, iam nunc sponsa sibi pollicetur.

501.
Et, pro quia in Sacris.

Et dabo tibi poculum. Aduerte, mi lector, particulam *&*, in Sacris sæpissimè pro *quoniam*, & similibus causalibus vsurpari, exempla passim obuia offendes: do tantùm bina ex vtroque Testamento. Psalm. 89. n. 3. *Ne auertas hominem in humilitatem, & dixisti: Conuertimini filij hominum.* id est, *quia dixisti*, Ioan. 12. num. 35. *Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* hoc est, *quia qui ambulat*, &c. puto ergo in hoc loco reddere sponsam causam, cur tam certa speraret, omnia sibi à marito reuelanda. q.d.

502.
Vinum secreti prodigum.

Docebis me, quia tibi dabo poculum. Nihil innatius vino, & cæteris potionibus inebriantibus, quàm secretorum profusio. bene Horat. *lib.* 1. *oda* 18. de effectibus ebrietatis.

——*quæ subsequitur cæcus amor sui*
Et tollens vacuum plus nimio verticem,
Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

Hoc ergo credit puella ebrium maritum facturum poculo vini sui: absit tamen, vt credas, ad hunc sensum naturalis vini fieri hîc mentionem. Explico ergo locum de poculo amoris, qui vino vehementiùs solet inebriare, & secreta profundere: itaque quod suprà dixerat cap. 7. n. 12. *Vbi dabo tibi vbera mea*, id est, amores: id modò ad rem suam venustiùs per inebrians poculum explicauit. De amore inebriante vide quàm multa, nec rancida, dedi ad cap. 2. num. 3. & 4. suprà. adde Plautum *in Trucul.*

503.
Amor inebrians.

Amoris intra pectus sese penetrauit potio.

& quæ multa affert Cerda ad illud *Æneid.* 1.

Necnon & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longúmque bibebat amorem.

Et quidem quæ dabat vbera, siue amores, nil mirum præsumeret inebriandum maritum: sic *Prouerb.* 5. *n.* 19. de vxore dicitur ad maritum: *Vbera eius inebrient te in omni tempore, & in amore eius delectare iugiter.* & iterum cap. 7. n. 18. *Veni, inebriemur vberibus.* ne absona videantur hæc nostra ad istum locum coniectura, cùm phrasis sit familiarissima Salomoni, vt Prouerbiorum, sic etiam huius Cantici scriptori.

504.

Ex vino condito. Sumitur metaphora, non ex quouis vino, sed ex condito & aromatico, quia quanto istud largiùs bibitur, & suauiùs inebriat, tanto fortiùs amoribus suis indulturum sponsum sperabat. Ælianus *lib.* 12. *cap.* 31 de Græcis: *Vinum vnguento mixtum bibebant, & supra quàm satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione vtebantur.* Sic & LXX. ad hunc locum, *vinum vnguentatum* adduxere.

505.
Mali punici potio.

Et mustum malorum granatorum meorum. Certè si de epulo, aut poculo nuptiali sermo foret, cùm vtrumque in domo mariti exhibendum, non video cur puella mustum istud suum & ex suis malis expressum assereret: nisi nimius diuinator contendas è domo sponsæ in domum mariti partem epuli, & poculum nuptiale adductum, quod non probabis. In mea explicatione, res plana: quid enim magis suum puellæ, quàm amoris scintillas, quas cordi & visceribus iuuenis emittebat? Vt ergo metaphoram plenè explicem, aduerte ex Plinio, qui de variis siceræ generibus ita. *Fiunt è palmis, ficis, siliquis, syriacis, pyris, omniúmque malorum generibus.* & quæ multa sequuntur ibi *lib.* 4. *cap.* 16. D. Hier. ad Nepotian. *Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare potest, siue illa, quæ frumento conficitur, siue pomorum succo.* Ergo vt hodie syrupum malogranatorum seruatur in officinis pharmacopolarum; sic olim apud Hebræos (apud quos hæc poma vsitatissima & pretiosa, quod ex hoc Cantico, & mille aliis locis constat) siceram ex malogranatis fieri hinc colligitur, & illam cæteris pretiosiorem: igitur, vt alibi sacer textus prohibens ebrietatem, pariter vinum & siceram denegat, vt habetur *Iud.* 14 *n.* 4. aut magis genericè, vt *Leuit.* 10. *n.* 8. sic econtra, sponsa in hoc loco metaphoricam ebrietatem inductura, non solùm vinum, sed & pretiosius genus siceræ vsurpauit.

506.
In nuptijs poculum, aut edulium solemne gustatum.

Hucusque meam aperui sententiam; sed quia probabilissimum iudico quod noster Sanchez hîc excogitauit de poculo, quod nuptiali ritu vterque sponsus degustabat: in quam ego mentem inciderам, longè antequam illius scripta ederentur. his quæ ille (quæ certè etiam mihi præoccupata) adde optimum locum Alexand. Neap. vbi varios ritus

gentium

gentium colligit, quæ etiam non nisi certis cibis, aut potus ceremoniis nuptias inibant. ergo ille Genial. 2. cap. 5. *Epulis instructis vt porcum mactarent sponsalium die deducto ex Hetruria more: vtque sponso bulbi cum nucleis pinneis eruca succo, & pipere, in nuptiali cœna dentur obsonia, seruatum est: plerique papaueris succum lacte & melle delutum exhibuere. apud Persas, nisi adeso malo, aut cameli medulla, ingredi ad nouam nuptam non licebat: neque alio vesci cibo illa die fas erat. Babylonii vir & vxor, non miscentur, nisi thymiamate prægustato. Solon verò nisi malo cydonio epulis adhibito, viri thalamum sponsam ingredi vetuit.* Vbi plura, quæ omnia cumprobatissimis auctoribus illustrat ibi Tiraq.

2. Reg. 12. num. 3. declaratur.

Hinc explicarem locum illum 2. Reg. 12. n. 3. *Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius, simul de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia.* Graphicè enim, licèt tacitè, Nathan, vt postea clariùs in oue, vxor intelligeretur, omnes penè nuptiales ritus hoc congessit. nam vxor per arrhas emebatur, loco filiæ veniebat, etsi Sanchez nostro credimus in hoc Cantico, somnum in sinu mariti simulabat. Denique eumdem calicem prægustabat.

PARAPHRASIS.

Vbi ad felices illas fores peruenerimus, ipsa quæ ducor suaui violentia te inducam in cubiculum tenerrimè te diligentis matris tuæ, in cuius adducta familiam, matrem iam meam meritò compello: satis hoc facto exprimens, quàm lubens priscæ meæ familiæ oblita, tibi veniam. ibi quidem me tamquam animæ tuæ dimidium nihil rerum tuarum, siue arcani, siue doctrinæ sit, celabis: sed docebis cuncta. nec puteris nunc cor istud meum, secretorum tuorum thesaurum constituere: quandoquidem amore meo te inebrians vehementiùs, tamquam ab homine vnguentati vini, & siceræ puniceorum pretiosioris vi saucio, omnia suauissimè extorquebo.

VERS. 3. **Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.**

507. Vere in mariti amplexu dormiens.

Recurrunt hîc vt plurimum interpretes ad somnum quòd puella tunc cepit in sinu sponsi verè languida, & dormituriens: alij ad somnum quem sperabat, & suspirabat, inuento fraterculo, & in domum genitricis introducto. tandem Sanchez ad simulatum suum somnum confugere videtur: ego mihi priuato meo filo verba sic insero, vt illa ab sponsa sodalibus currum stipantibus dicta credam, & aliâ sententiâ, sed eodem sensu sibi augurari, quod suprà *cap. 7. num. 13.* dixerat sibi tunc sub mandragora dormiendum: inde tenere. modum loquendi expressit Catullus *in nupt. Iulia.*

Mitte brachiolum teres
Prætextata puellula.
Iam cubile adeas viri.

Clariùs Propert. *lib. 1. eleg. 16.*

Nunc iacet alterius felici nixa lacerto:
Et mea nocturno verba cadunt Zephyro.

& apposita paraphrasi, res adhuc magis clarebit: de phrasi iam suprà.

PARAPHRASIS.

Tunc, ô sodales amicæ, eueniet mihi requies hucusque denegata, & suauibus dilecti mel innexa amplexibus imperturbatum somnum carpam iucundissimè.

Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. VERS. 4.

508. In nuptiis consopitorium & excitatorium canticum quale.

Adiurantur, inquit Sanchez, sodales ab sponso, ne Epithalamium canant excitatorium: sed certè cùm ipse hic recurrat ad ea, quæ de simulato & cæremoniali somno sponsæ in mariti sinu dixerat *cap. 2.* non video quî huc excitatorium veniat Epithalamium. Sciendum enim à priscis consopitorium carmen cantari solitum, quando sponsi cubitum ibant, vt nemo nescit: at verò excitatorium transacta nuptiali nocte manè canebatur: testur Theocritum *Idyl. 18.* de nuptiis Helenæ, vbi virgines postquam consopitorium carmen cecinerunt, addunt:

Dormite, mutuam in pectus amorem spirantes,
Et desiderium: surgite autem ad auroram, neque obliuiscimini.
Redibimus & nos manè cùm primus cantor
Ex suo cubili canet, erigens pulchrè pennatam ceruicem,
Hymen, ô Hymenæe nuptiis his gaudeas.

Verba igitur adiurationis planius & simpliciùs explico de cura, qua sponsus puellæ suæ quietem custoditurus, iam nunc monens amicas, ne id temporis sponsam interpellent, sed ad satietatem vsque sinant requiescere. quasi sic illa aptiùs postea curandis opibus familiaribus, quod suprà ipsa promiserat, suffectura. Cautè autem tam in Hebræo, quàm in Vulgato nostro desunt hinc illa verba, *per ceruos capreasque camporum*, quæ similibus adiurationibus suprà addebantur: quoniam ibi *cap. 2.* de amatorio deliquio, & *cap. 3.* de amatorio somnio verba fecerant, vnde multo mysterio & emphasi illa addita, vt ibi explicaui. hîc cùm de mera naturalis somni quiete sermo fiat, importuna veniebant. illustrarut hæc sponsi cura carminibus Nonni *lib. 47.* vbi Bacchus sopitam cernens Ariadnam, choris suis præcipit, sinant *ἰαύειν dormire*, & paulo pòst ait eundem, *μὴ σοβήσῃς ἠῷον ὕπνον: ne suscites matutinum eius somnum.* parco cæteris, do tantùm vulgarem loci versionem.

509. Amantes vel amata somnos custodiunt.

Iam enim dormientem in littoribus relinquens
Virginem à patria exulem crudelis nauigauerat Theseus,
Pastaque ventis dederat. dormientem verò
Aspiciens Bacchus relictam Ariadnem
Admiratione immiscuit amorem: choro verò complicatis Bacchis,
Lingua admirante summissam dedit vocem,
Bassarides ne pulsatilia instrumenta quatite, sonitum amouete
Aut pedis, aut fistulæ, sinite Venerem dormire.

Et iterum paulo pòst.

——expectate Bacchæ:
Consiste Maron, ne hic saltetis: desine cantare
Pan amica, ne discutias matutinum somnum Mineruæ.

Electra apud Euripidem custodiens insanientis fratris somnum, ita ad sodalium chorum.

Ὦ φίλταται γυναῖκες ἡσύχῳ ποδὶ
Χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε, μὴ 'στω κτύπος.
O charissimæ fœminæ, tacito pede
Accedite, ne strepite, neque sit fragor.

Hæc satis pro versiculo claro.

PARA

PARAPHRASIS.

Id ergo cùm aduenerit, obtestor vos sodales virgines, ne sponsam, aut puellarium ludorum, aut rustici exercitij prætexto suscitetis: liceat, liceat quoad voluerit post tot curarum æstus suaui quadam incuria conquiêscere: vacet aliquando illarum pondere, vt aptiùs postea rei familiari curandæ vacare possit.

VERS. 5. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitiis affluens, innixa supra dilectum suum.

Tribuo hæc verba festiuæ pompæ, & obuiæ turbæ, quæ è villæ ædibus ad fores confluxit, peruenientem iam currum, & hilares sponsos exceptura: atque hæc est, quam semichori titulo in Prolegomenis appellaui; tunc enim semichorus in dramatis constituitur, cùm aliquid canendum, quod ordinario choro minus aptè assignari potest. Cùm igitur sponsa, tot ardentibus, vt vidimus, pectoris sui desideriis propalatis tota colliquesceret, visa dilecti propinqui sinui recubuisse, licentia iam penè maritali, debitum maritatæ locum vsurpans, & delicatè in sinu languorem indicans pariter, & eleuans: ad cuius aspectum hilariter exclamat semichorus excipiens, *quæ est ista*, &c.

510. *Villa in edito constituta.*

Quæ ascendit. Colligo hinc villam in editiori colle, eminentiorique situ fuisse collocatam, vnde venientibus à planiori agro, ascensus erat necessariò ineundus: & certè delitiosis villis vt plurimum situs editus captabatur. Tacitus *Annal.* 14. villam celebrat editissimam, & subiectos colles prospectantem. & Stat. *in Herc. furent.*

Quamuis innumera gaudentia rura supernè
Insedere domus, & multo culmine diues
Mons nitet.

Seneca epist. 51. *Extruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium: videbatur hoc magis militare ex edito speculari longè latéque subiecta.* Sic passim alij.

511. *Sinus dilectorum locus.*

Innixa super dilectum. id est, acclinata ad sinum, & pectus noui mariti: est autem hic locus totus delitiarum. Propert. *lib.* 1.

Non tamen illa meos fugit auara sinus.

& *lib.* 4.

Exorata meis illam Cytherêa Camœnis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.

& *ibidem* iterum *eleg.* 3. econtra viro sinum dat amicæ.

Inque sinu chara nixus spectare puella.

Catullus *epigr.* 46.

Acmen Septimius suos amores
Tenens in gremio.

Expediui me breuiter ab his clarioribus, vt in reconditis quæ sequuntur, diutiùs immoremur.

PARAPHRASIS.

Io Io: en adsunt noui coniuges. Ecquæ est ista, quàm pulchra, & quàm decora, quæ ad sinum dilecti mariti reclinata, amore languida, diffluens delitiis, à subiecto agro, in editam nostram villam nuptiali vecta curru gratissima conscendit?

VERS. 6. Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

Vix ad villam vbi celebrandæ nuptiæ pompa veniens peruenit, vix turba alia excipiens mixto admirationi gaudio pulcherrimam hospitem collaudauit, cùm in ipso penè ædium ingressu sponsus nouæ nuptæ fidem exacturus repetit quid paulo antè euenerit, ex quo fides in perpetuum sibi seruanda debita, & suo iure exigenda cognoscatur. Hoc vt statuas, repete, mi lector, quæ multa *cap.* 1. *num.* 4. dixi firmandæ coniecturæ meæ, qua suspicor simulatum sponsæ raptum apud Hebræos in vsu nuptiarum fuisse solemnem. quemque *cap.* 6. *num.* 3. intus extra scenam factum fingi suppositum à sacro scriptore, dixi. Addendum nunc, colligi apertè ex hoc loco non solùm simulatum raptum, sed & illius circuostantiam præcipuam, Hebræis Ethnicísque videri communem, scilicet vt puella è sinu matris raperetur. De Romanis Catull. *in nupt. Iulia*, ad Hymenæum.

512. *Simulata rapina in nuptijs à gremio matris.*

Tu fero iuueni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio sua
Dedis.

Idem in Epithalamio,

Hespere qui cælo fertur crudelior ignis,
Qui natam possis complexu auellere matris.

Plura Virgilij interpretes ad illud *Æneid.* 10.

Quid soceros lege, & gremiys abducere pactas.

Fingitur ergo in hoc loco, in interiori ædium horto fuisse matrem, sponsámque illius gremio assedisse, indeque raptam: eligitur sessioni malus, bono amoris omine; malum enim amoribus dicatam vel infantes garriunt. ait ergo sponsus quandoquidem te rapui, & mea es iure belli, iam mihi fidem debes, mihi militatura: *pone ergo me vt signaculum*, &c. quod infrà clariùs patebit, hic enim priùs amouendi obices, quos cautus lector offendes necessariò.

Dices enim primò suscitandi verbum blandum videri, & molle simulatæque violentiæ exprimendæ ineptum: apage hanc mentem. Vide quid hostes Iudæ dixerint Isai. 7. n. 6. *Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel.* Certè *suscitare* hîc vim & impetum importat: sed hic locus alias suauiùs patitur interpretationes: quis tamen neget suscitatam iram, furorem suscitatum, suscitatum aduersarium (quæ millies in sacro textu leguntur) aliquid violentiæ denotare. Esto tamen hæc etiam aliter interpreteris, verbum certè suscitandi apud Latinissimos auctores duriorem vim importat & violentiam: ideo Martialis de iis, qui contra ius ad spectacula in quatuordecim, id est, Romanorum Equitum loco assidebant, dum vi expulsi inde detraherentur, *suscitari* dixit *lib.* 5. *epigr.* 37. loquitur de quodam inaniter superbiente:

513. *Suscito verbum coactionis.*

Et suscitanti lectio, reluctatur.

Clariùs *lib.* 14.

Bis excitatus terque transtulit castra,
Et inter ipsas penè tertius sellas
Post caiúmque, luciúmque concedit,
Et hinc miser deiectus in viam transit.

Vbi vides in re simili eundem modò excitatum, modò deiectum appellari. Sueton. in Aug. cap. 14. *Cum spectaculo ludorum, gregarium militem in quatuordecim sedentem excitari iussisset.* id est, expelli. nec obstat Hebræum verbum עור quod hîc habetur: nam ita *suscitare* significat, vt violentiam excludere non videatur, sonat enim etiam *conterere, destruere*, inde & עיר tumultum. L X X. habent ἐξήγειρα: sed certè ἐγείρω non solùm *excitare* significat, sed etiam *vrgere*. quod si cum aliis dixeris nō esse hoc præteritum à verbo ἐγείρω, sed ab ἀγείρω,

congrego,

coagrego, colligo, clatebit vndique ſeoſus meus. q. d. à familia domoque, & quaſi paternis caſtris te mihi amoris mei militiæ eacongregaui.

514. *Fictio ſeu vitio: vt facta in Scriptura narratur.*

Dices ſecundò, nullo ſenſu poſſe tunc diei materem eorruptam, & violatam. pende, amabo, mi homo, in ſacris litteris ſæpiùs rem factam narrari, quæ tantùm fuit fictione eahibita: ſie princeps huius litteraturæ Maldonatus ad illa verba *Ioannis 7. num. 6.* de Chriſto: *inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* non tam vult veras litteras efformaſſe, quàm ſimulaſſe efformatas, & tamen à Ioanne ſcripſiſſe dicitur, hac regulâ, & *ſtellæ cadentes de cælo*, ab Euangeliſtis dicuntur, quia its videtur, non quòd ita ſit. Mater ergo puellæ dum fingit ſe vim & violentiam pati, in demittendo pignore, & violata & euerſa appellatur. nam in hac ceremonia, vbi iuuenis *ferus* dicitur à Catullo, & ictum *renitens puella*, vbi denique addit,

Quid faciunt hoſtes captâ crudelius vrbe.

Neceſſariò eredendum, matres ſimulaſſe pariter voces & querelas, quaſi dolerent ab hoſte euelli ſibi natas.

Dices tertiò, ab hoc ſimulato incurſu hoſtili, ab hac ficta vi, non bene latinè dici matrem corruptam & violatam. laborabo vt hæc latiniſſimè dicta videantur, quia, vt verum fatear, nullo vnquam palato potui deglutire, vt in caſtiſſimo Cantico defloratæ olim virginis, nunc matris, idque ſub dio & malo, mentio afferretur. Verbum ergo

Corrumpo, pro deſtruo.

corrumpendi in ſacris pro euertere, expugnare, & deuaſtare ſumitur, Dan. 7. num. 14. *& dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: omnes populi Tribus, & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* id eſt, non vaſtabitur, non expugnabitur. Sic ſæpe in titulis Pſalmorum hoc verbum ſumitur, & Pſalm. 74. num. 1. *in finem ne corrumpas*, multi cum Hieronymo legunt, *ne perdas.* quod propriè deſtruere eſt, vt dicimus, perdere vrbes. apud profanos certè quando Plautus dixit in Amphit. act. 1. ſc. 3. *corrupit conſilia fatum.* corrumpere dixit, pro perdere, deſtruere. Certè apud Græcos διαφθείρω, quod propriè eſt *corrumpo*, etiam eſt perdere & vaſtare. Optimè ergo (ſuppoſitâ ſimulatâ reſiſtentiâ) mater corrupta dicitur, id eſt, expugnata & euerſa, è cuius brachiis & amplexu tanquam ab vrbe euerſa pignus chariſſimum eripitur.

515. *Violo de ſacris.*

Emphaticoteron adhuc eſt, quòd eadem ibidem dicatur *violata.* cùm enim nihil puellæ ſacratius obueniat, quàm materna cuſtodia, nullum templum illius pudori tuendo auguſtius, quàm maternus ſinus, qui inde illam violenter eripit, materni ſacrique iuris violator exiſtimandus, & parens (ſacrum nimirum virginis præſidium) meritò violata appellatur. In veteri Tragœdia ſic olim puella querebatur:

Me quondam iuuentam, per vim violat.

cui ſtatim quidam reſpondet:

Iupiter bone! violat?

quo, quid intelligatur, aperit Scaliger, in coniectan. ad lib. 5. var. de ling. Lat. *Illa, inquam, quæ hoc dicit, acceperat, pro cogere, & adigere: quod & Græcè quoque βιάζεσθαι. at is qui reſpondet, vel ſciens, vel imprudens, aliorſum interpretatus eſt, & pro fœdo verbo accepit. quare quacunque illa eſt, in ancipiti verbo, κακέμφατον commiſit.* Sic in re noſtrâ, vocem ancipitem & ambiguam, Salomon de mera vi cogente intellexit: interpretes ad fœditatem tranſtulerunt.

Tandem dices, ad minus diſſonare hanc explicationem ab vtroque fonte Hebræo & Græco, ex quibus legitur, *ibi peperit te mater tua.* etiam hoc nego. in Hebræo eſt חבל quod verbum non tam *parere* ſignificat; quàm *parturire*, id eſt, dolores partus ſuſtinere: vnde Pſalm. 7. verſ. 15. *Ecce parturit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Disertè in priori loco eſt noſtrum חבל: in ſecundo autem ילד quod propriè *parere* eſt: in Græco vbi eſt ὤδινε, res notior, neque enim illo actus pariendi, ſed percepti dolores, & affligens parturitio ſignificatur. Senſus ergo eſt doluiſſe matrem intenſiſſimè (fingendo ſcilicet) eius raptum, non ſecus ac ſi iterum dolores partus præſentiret: in natorum enim periculis & incommodis dicuntur vulgo matres iterum, aut parere, aut parturire, & Apoſtolus faſcinatos ſuos Galatas dolens, iterum illos dicitur parturire.

PARAPHRASIS.

Ad ingreſſum noui hoſpitij, ô dilecta, nonnulla nobis conuenientia tibi vellem ſubmonita. Meminiſti, qualis nuper dum domi eſſes in interiori pomario, ſub amatoria malo, & matris gremio, ſolemni ceremonia te rapuerim, ab illiuſque amplexibus quaſi ſacra violata arce, quaſi perruptis muris te euellerim.

VERS. 6.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum.

Addit ſponſus, quid ſponſæ faciendum, quandoquidem rapta & paternis quodammodo relictis caſtris, iam maritalibus caſtris erat militatura: poſtulat ergo ab illa, vt inſtar militis præſtito iuramento non ampliùs militiam dimiſſuri, ducis ſui characterem brachio imprimat, & quoniam militia amoris eſt, intimo cordi prius idem ſignum geſtet impreſſum, idque non reapſe, ſed quaſi dicat, vt talem ſe gerat ac ſi characterizato corde & manu illi militaret: deinde ſubdit nouas eiuſdem rei rationes, de quibus ſuo loco dicam, quæ hic eogito ne abſurda videantur, nonnulla nobis latiùs confirmanda.

516. *Amor militia eſt.*

Aduerte ergo primò Amoris negotia, militiæ & bellis paſſim comparata. ideo Propert. *lib. 1. eleg. 6.*

Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata ſubire volunt.

id eſt, amoris. & *lib 4. eleg. 1.*

Militiam Veneris blandis patiere ſub annis,
Et Veneris pueris vtilis hoſtis eris.

& lib. 2. eleg. 9. *militat omnis amans.* Helena apud Ouid. ad Paridem.

Hectora quem laudas pro te pugnare iubeto,
Militia eſt operis altera digna tui.

Hac etiam vſos metaphorâ Hebræos, vidiſti iam ſuprà ad *cap. 2. num. 4.* Cùm ergo nullibi amor vehementior, quàm apud felices coniuges, nuſquam hæc militia feruentior, & fidelior reperietur.

517. *Maritus vxoris dux. Ieremias 4. num. 3 explicatus.*

Aduerte ſecundò hinc factum videri, vt maritus dux vxoris apud Hebræos appelletur, quaſi vxor illi militatura intelligatur. Facit, & capit hinc bonam lucem Ieremias *cap. 4. num. 3.* vbi Deus ad Synagogam adulteram iterum ſibi deſponſandam:

dam : *saltem amodo voca me : pater meus , dux virginitatis meæ tu es.* quasi eodem ritu vxor loco filiæ (de quo fusè suprà) & militis marito adueniret. Faciunt mihi huc verba Lyrani, qui ita. *recognoscendo beneficium eductionis sua de Ægypto.* Vt quod sæpiùs monui, hinc etiam constituitur, solere ad nuptias Hebræas deduci cæremonias, ex modo, quo Deus Synagogam sibi desponsauit, & quoniam ille per desertum Dux Synagogæ fuit, vt habetur *Psalm.* 79. *num.* 10. *Deuter.* 32. 12. ideo mariti, duces etiam vxorum appellabantur. Alludet etiam hinc locus Prou. 2. num. 16. *vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea qua mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis sua.* ne autem putes *ducem* hîc non esse militariter capiendum, scias expressissimè LXX. vertisse χιλίαρχον, id est, *Dux super mille.* & meritò, sic enim in Hebræo est אלוף à radice אלף quæ mille sonat.

Caremonia nuptiales apud Hebraos à nupta Synagoga.

Prou. 2. n. 16. explicatur.

518. *Militare stigma.*

Aduerte tertiò, solere milites in brachiis, aut manibus antequam iuramentum inirent, stigmatizari, aut nomine, aut signo Imperatoris. *l. penult. de aquaduct. Cod. lib.* 11. *tit.* 42. vbi Imperator. *Vniuersos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophilacas nominant, qui omnium aquaductuum huius regia vrbis custodes deputati sunt, singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostra impresso, signari decernimus, vt huiusmodi annotatione manifesti sint omnibus, nec à procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad vsus alios auellantur.* Deinde paulo pòst, *vt militia quodammodo sociati excubiis aqua custodienda incessanter inhæreant, nec muneribus aliis occupentur.* quasi de stigmate impresso aliquid militare sortiri viderentur. Vnde glossa ibi, *manibus, id est, vtrique manui, vel cuiuslibet singula manui ; & idem est in militia* Sed clariùs iterum Imperator de Fabricensibus l. 3. lib. 11. Cod. tit. 9. *Stigmata, hoc est, nota publica fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci : iis qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabrica vindicandis, & qui surreptione quadam declinandi operis, ad publica cuiuslibet sacramenta militia transierunt.* Vnde colligis nouellos milites, siue tyrones, non solùm in manibus, sed etiam in brachiis signari solitos. ideo fortasse Vegetius *lib.* 2. *cap.* 5. nec manus, nec brachia expressit. *Victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti iurare solent.* Vide alia eiusdem apud Turneb. *aduers.* 24 *cap.* 12. plura Lipsius *Dial.* 9. *de mil. Rom. lib.* 1.

519. Aduerte quartò, non esse hunc vsum signandi milites Hebræis alienum. sic Anselmus explicat illud Pauli ad Galat. vlt. num. vlt. *Ego stigmata Domini mei*, &c. Posses tamen dicere, locutum Apostolum de vsu sui æui apud gentes, quibus conuersabatur, vigente. est ergo pulcher locus & altiùs ad rem meam explicandus ille Isaiæ *cap.* 44. *num.* 5. de dominatu Christi. *Iste dicet, Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua, Domino.* id est, scribet in manu sua (suppressâ, vt sæpe solet, præpositione) characterem Domino, hoc est, in obsequium Domini. Clariùs in Hebræo ידו *manum suam*, id est, manum ipsam notis stigmatizabit profitendo Domino. Clarissimè LXX. ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ Θεοῦ εἰμί. *inscribet manui sua, Dei sum.* quod explicans *ibi* D. Hieronym. ita habet. *Scribet manu sua Domino : siue, vt LXX. transtulerunt, scribet in manu sua, Dei sum, vt nouo tyrocinio seruitutis, Christi se militem glorietur.* Fauent cætera verba quæ ibi adducuntur : *iste dicet, Domini ego sum*, vox planè militaris : sic Cæsaris & Pompeij milites, appellamus. *& ille vocabit in nomine Iacob.* est etiam, vt ex fontibus constat, *clamabit.* quid clarius si ad thesseram militarem rem deducas ? quasi Iacob, hoc est, figuratiuè Christus per castra celebrandus : *vocatu*, id est, summissa voce in thessera secreta, de qua dicimus, *dar el nombre : clamore* vociferante inter præliandum thessera publica, quæ fausta Hispanis *Santiago.* Vnde concluditur, *& hic scribet manu sua Domino.* id est, instar addicti iam militis, nomen, aut charagma ducis in manu impressum geret. & fortasse ideo statim *num.* 3. additur. *Hæc dicit Dominus Rex Israel, & redemptor eius, Dominus exercituum.* quasi signatè post comparatos tam egregios milites, meritò exercituum Dominus appelletur.

Isaias 44. n. 5. explicatur.

520. *Stigma militare brachio, aut manui inscriptum.*

Aduerte quintò, non videndum mirum, si cùm hîc ponatur manus signata, in Cantico nostro brachium postuletur : si enim hic mos Hebræis erat & gentibus communis, cur non credamus etiam locum stigmatis communem fuisse ? suprà verò, apud Romanos etiam brachia notata iam monstraui ? imò & Procopius locum Isaiæ explicans, brachium etiam ibi denotari satis innuit, ita scribens : διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων· ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. *fortè quia multi stigmatizant manus, aut brachia : idque vel crucis signo, vel Christi nomine.* Vnde obiter pietatem illius æui recognoscis.

521. *Amoris stigma.*

Aduerte vltimò, putari amantium vulgo illorum cordibus aliquid stigmatis, & signaculi ab Amore impressum, testor Anacreontem in amatorum odario.

> Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
> Πυρὸς χάραγμ᾽ ἔχουσι·
> Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας
> Ἐγνώρισε τιάραις.
> Ἐγὼ δὲ τοὺς ἐρῶντας
> Ἰδὼν, ἐπίσταμ᾽ εὐθύς·
> Ἔχουσι γάρ τι λεπτὸν
> Ψυχῆς ἔσω χάραγμα.
> *In coxis quidem equi*
> *Ignis signaculum habent :*
> *Et Parthos quisquis viros*
> *Agnoscat de Tiaris.*
> *Ego verò Amatores*
> *Videns, agnosco illico,*
> *Habent enim quoddam subtile*
> *Intus in anima signaculum.*

Alius quidam *florileg.* 7.

> ——ἀλλὰ ὑπὸ φίλτρων
> Ἤδη τῇ καρδίῃ γνωστὸς ἔνεστι τύπος.
> ——*sed ab amoribus*
> *Iam cordi notum inest signaculum.*

Apud Latinos, non tam expressum aliquid in re simili legisse memini.

His positis, claret iam prior versiculi pars : cor enim ab illa, quæ in amore soluto, huius militiæ signiferam *cap.* 2. se iactarat : nunc in coniugali iam amore, ordinaria militis cæremonia non petetur ? aut vnde potuit congruentior metaphora vsurpari in hac amoris militia significando iuri fidei perpetuo, quo vxor marito obligatur, & significandis legibus, quibus verus & castus matrimonij amor semel admissus mentibus solet imperare : quam à militum charactere, vnde nosci- tati castris adhærent, indidem si fugiant noscitandi, iterumque militiæ laboribus compellendi. Denique quàm aptè à sacratiori amoris militia priùs signatum cor postulat, deinde à profana signandum etiam brachium, vt nihil prætermittere videatur, vnde suam sibi arctiùs possit constringere.

gere: quod autem dixit, *pone me*, id eſt, amorem maritalem, ſollicitam mei curam, perpetuam memoriam, quidquid denique mihi debetur vt marito: non leuiter & volubiliter, ſed firmiter, & ſtrictè mihi des, dices, addices.

Quia fortis eſt vt mors dilectio. Reddit cauſam, cur ab illa poſtularit, vt ita maritalibus legibus & coniugali amori addicatur, ac ſi inſtar militis profani, qui de impreſſo cordi & brachio charactere, dilectioni militaret; quia nimirum dilectio vera coniugis id habet commune cum morte, vt quemadmodum nullus, qui ſemel mortalem hanc vitam ingreditur, mortem euitauit: ita nullus, qui connubialis militiæ iuri ſe ſubdidit qua debet honeſtate, ab illius nexibus potuit liberari, q. d. nil mirandum, ſi inſtar militis ſignandam te dixerim, cum adhuc ſtrictius ius ſit amoris maritalis: à militia enim profana tandem ſucceſſu temporis ſignati etiam milites, obtenta miſſione emerentur: aſt matrimonij militia, mortis æmula, nunquam ſuos milites reddit emeritos, nullam honeſtam nouit miſſionem. Albinouanus ad Liuiam.

522. *Mortis iura non fracta.*

Sed rigidum ius eſt, & inexorabile mortis,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Sic durum, ſed maximè ſuauitati permixtum ius connubij, dum vigeat dilectio; prudentiſſimè enim hæc iura tam matrimonio, quàm matrimoniali dilectioni tribuuntur. Cùm enim apud Hebræos aut conceſſum, aut permiſſum eſſet repudium (de quo noſter Maldonatus *ad cap.* 19. *Matth.*) quod nuſquam ſine aliquo odio, neceſſariò perpetuitas huius iuris in dilectione fundabatur, qua data iam illud inuiolabile perdurabat.

523. *Æmulatio pro cura.*

Dura ſicut infernus æmulatio. Hoc ponit prædictæ cauſæ exemplum alterum, vt quemadmodum ab inferno nulla redemptio, ſic à matrimonio dilectione fundato, &, quod idem eſt, à matrimoniali amore nulla euaſio. Sumo ergo hic æmulationem (ſic iam alij ad rem aliam) in bonam partem pro affectu illo amoris, quo coniuges inuicem ſua æmulantur, diligenter curant, inuicem ſtudent. neque durum videndum, ſi tam bona æmulatio *dura* dicatur, ſumitur enim in ſacris *durities* pro fortitudine & potentia. Vnde illud Iob 30. n. 21. *in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* L X X. legunt: χειρὶ κραταιᾷ με ἐμαστίγωσας. id eſt, *manu forti me verberaſti.* Sic durum bellatorem dicimus pro pertinaci, perſeuerante, inſtante, & forti.

Durum pro forti.

524. *Zelotypia mala.*

Cur autem hic non diglutiam zelotypam æmulationem, illud in cauſa, quòd minus prudenter videretur maritus in ipſo ſtatim limine, nulla præbita occaſione de zelotypiæ affectibus diſſerturus, ne & ipſe de proprio animo, hoc morbo laborare videretur. Sunt pulchra verba Quintiliani decl. 18. *Matronalis pudor tutelam non ex ſua tantùm innocentia: infirmitas huius ſexus non poteſt totam improbitatis exiſtimationem debere tantùm moribus ſuis: omnis in fœminas venit maritorum prædicatione, reuerentia: omnes ſermones originem de veſtris pectoribus accipiunt. Triſtior vultus, querela, faſtidium, fatum eſt coniugij: de pudore pronunciat, mittit in ora populi, mittit in fabulas: hæc proxima miniſteria narrant, hoc exteri putant: nemo peiore exemplo temerè de vxore credet, quàm cui omnes credituri ſunt.* ideo Propertius ſe ſtultum de zelotypia appellauit *lib.* 2. *eleg.* 34. loquitur ad amicum.

Ipſe meas ſolus, quod nil eſt, æmulor vmbras
Stultus, quòd ſtulto ſæpe timore tremo.

Vmbrarum timidus certè in hoc loco ſponſus, ſi iam zelotypus legiſlator proderetur.

Pinius in Cantica.

525. *Aliud eſt amare, aliud bene velle.*

Pulchrè verò in hoc loco pulchra hæc æmulatio, qua bonum alicui cupitur, reique amatæ vtilitas ambitur diligenter, à dilectione diſtinguitur: & vtramque reperiri in matrimonio vult ſponſus: neſcio enim quomodo aliquando fit, vt amor feruentior ſine hac beneuolentiæ æmulatione detur: neque mirum neſciam, cùm & ipſi amatores id teſtentur. Catullus *epigr.* 73. ad puellam.

Dicebas quondam ſolum te noſſe Catullum
Lesbia, nec præ me velle tenere Iouem.
Dilexi tunc te non tantùm vt vulgus amicam,
Sed pater vt natos diligit, ac generos.
Nunc te cognoui, quare etſi impenſior vror,
Multo mi tamen es vilior, & leuior.
Qui potis es, inquis? quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, ſed bene velle minus?

Quomodo autem hoc fiat fatetur ſe neſcire ad eandem *epigr.* 86.

Odi & amo, quare id faciam fortaſſe requiris?
Neſcio. ſed fieri ſentio, & excrucior.

Diſcrimen etiam inter *amare*, & *bene velle*, habet iterum *epigr.* 76. lege ſi lubet.

526. *Inferni iura infracta.*

Tandem de inferni tenacitate etiam apud Ethnicos plenas paſſim paginas legis: parco tritis. Porrò vt hic ad amorem connubialem, ſic ad rem aliam Plautus *in Trucul.* inferni exemplum tranſtulit: *nam itidem vt eſt Acherunti, hic accepti ratio ſcribitur: intro accipimus, quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.* Dices videri nihilominus aliquid indecori in hac comparatione, qua ad delitias & voluptatem amoris coniugalis infernus adducitur, cuius vel ſola commemoratio feſtiuum canticum, & hilarem pompam nuptialem videtur funeſtare. non moueor: neque enim in hoc loco inferni horror, & tormentorum genera memorantur, ſed ſola tenacitas in non dimittendis quos ſemel apprehenderit. Et fortaſſe mitigando etiam horrori, ſi fortè ex voce prolata pullularet, aliam ſuauiſſimam caſti huius amoris apponit conditionem, dicens:

527. *Amoris turpis & caſti diſcrimen.*

Lampades eius lampades ignis atque flammarum. q. d. cùm in te amoris infernum audis, nihil ab inferno, amori huic puriſſimo illitum putes caliginis & tenebrarum: amor hic non ſolùm vrit affectum, ſed & mentem illuminat: longè alius eſt à cupidine illo profano, qui dum accendit affectum, rationem illaqueat & obſcurat, de tenebris inferno meritò comparandus: ideo amoris noſtri faces non ſolùm incendio vigent, ſed & flammis lucent: non ſolùm vſtulantur accenduntur, ſed etiam candent illuminaturæ. & quidem duplex hic amor etiam Ethnicis notus. Do plura verba Luciani in encomio Demoſthenis, vbi ait: δισσὰς ἐν ἀνθρώποις ἐρώτων ἀγωγάς· τὴν μὲν θαλαττίου τινὸς ἔρωτος ἐοικυῖάν τι, καὶ ἀγρίαν, καὶ κυμαίνουσαν ἐν ψυχῇ, ἀφροδίτης πανδήμου κλύδωνα φλεγμαίνουσιν νέων ὁρμαῖς, αὐτόχρημα θαλάττιον· τὴν δ' οὐρανίου, χρυσῆς τινος σειρᾶς ὁλκήν, οὐ πυρὶ καὶ τόξοις ἐπιφέρουσαν δυσίατα τραύματα· ἀλλ' ἐπὶ τὴν αὐτοῦ τοῦ κάλλους ἄχραντόν τε, καὶ καθαρὰν ἰδέαν ἐξορμῶσαν, μανίᾳ σώφρονι τὴν ψυχήν. *Binas amorum immiſſiones hominibus aſſignari, alteram marini cuiuſdam amoris variam, ferocem, & in anima fluctuantem, ſcortantis cuiuſdam Veneris procellam, ardentibus iuuenum furoribus concitatam, opus planè marinum, & vt decet tumultuoſum. Alteram verò cœleſtis amoris, aureâ quaſi catenâ attrahentem: non igne, non ſagittis lethalia vulnera impingentem, ſed ad ſui ipſius pulchritudinis immaculatum & purum exemplar incitantem, idque ſana quadam inſania animorum.* Longè tamen prudentius Salomon, quando reuera

castì etiam amoris suus ignis tribuendus, per flammas illuminantes, menti lucem præbentes, dum affectus vritur: eiusdem sanam insaniam, & sobriam ebrietatem declarauit, & fortasse ideo in Hebræo legitur, *flamma Dei*, vt hic amor à diuino ortus intelligatur.

Addidit etiam Salomon expresse fulgidas has flammas, ne quis tyrannicum sacri huius amoris connubialis imperium suspicaretur: cùm enim tanta de perpetuo eius dominio dixisset, dempta omni honestæ missionis spe, meritò mentis & rationis expressit splendores; nihil enim inuitè trahitur ab amore illo, qui prudentis mentis nutu, & illuminatæ rationis ductu trahitur. longè aliter amor profanus, qui sic vrit, vt pariter excæcet tyrannus, ne visa eius turpitudine deseratur: ideo Phædra cupiens sibi amantem Hippolytum, Dianam orans ait apud Senecam:

——mitiga pectus ferum,
Innecte mentem.

Quasi non posset iuuenis modestus turpiter amare, nisi cæca, perturbata, & tyrannicè mente colligata. Pulchrè D. Prosp. Aquit. *lib. de promiss. Dei p.1. cap.* 36. explicans decem plagas Ægypti, per ordinem ad decem Decalogi præcepta violata, optimè amoris huius scortantis genium declarauit. *Nona plaga Ægyptiorum est tenebra densissima plena imaginibus, terroribusque feralibus: & nonum mandatum legis est, Non concupisces vxorem proximi tui. quid deterius est concupiscentiâ malâ, quæ ita totam excæcat mentem, vt non tantum timorem Dei, quantum etiam ipsas pœnas legum infamemque mortem obliuioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis, quod non totum occupent ferales tenebræ. quos verò ex his gratia liberat, admonet & per Apostolum, dicens, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Virgil. explicatus.

An Virgil. quando de Didone dixit, *& cæco carpitur igne*, ignem sine flammis intellexit? fortasse. Est pulcherrimus locus ad rem, in qua sumus, & ad temporis articulum, in quo sponsus loquitur, ille Quintil. declam. 15. *Amoris, si sapientiæ sequamur auctores antiquissimum numen, & cui se natura debet æternitas: sed ille mitis & serius honestis cupiditatibus, & viribus sacra charitatis exultans, vt qui cuncta prisca noctis operta caligine, deduxerit prius, deinde miscuerit. Hic verò quo perditis visceribus adhæremus inquieti, lasciuientis adhuc ætatis instinctu tumultuosus, ac petulans, telis funereis facibusque armatus. præstat ille mortalibus liberos hac vsitata coniugij pietate: hic incesta, libidines, adulteria, meretrices.* Claudat hanc paginam D. Zeno Veron. *serm. de fide, spe, & char.* vbi postquam multa de vera charitate, sic de profano amore. *Sed necessariè vnicuique synceri amoris est noscenda proprietas, ne sub sono nominis omittatur regula veritatis: est enim & alius amor sanè saluti nostræ contrarius, cui rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis ac fragilis esse cognoscatur: ideo lineamento puerili depingitur, quia eius lascinia lubricitas, nec annis senilibus temperatur: ideo nudus, quia voluntas eius est turpitudo: ideo pennatus, quia in quacumque conceperit velociter ruit: ideo telis fascibusque constructus, quia illicitis ardoribus semper iunctus est gladius: ideo autem cæcus, quia cùm exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum saltem sanæ pietatis affectum.* Congessi latiùs hæc in vtriusque amoris differentiam, tum quia necessaria, tum quia illibata.

528. *Sagittæ amoris ignitæ & volatiles.*

Aduerte, L X X. in hoc loco pro *lampadibus*, legisse περίπτερα *volatilia*; vel quia ipsæ flammæ dum tremunt, & euibrantur, volare videntur: vnde Lucret. lib. 1. *volucres flammas* appellauit; vel quia loco flammarum, sagittas ignitas ignitis cuspidibus (alterum amoris insigne) maluerunt, quibus plumas addimus ad celeritatem, meritóque volatilia ignis possunt appellari. quidam apud Nonnum *Dionys.* 15. de amoris sagittis.

Ἄλλαι ἐμὲ κλονέουσι πυριγλώχινες ὀϊστοί.
Alia me agitans sagitta, igneos cuspides habentes.

529. *Fulmen alatum.*

Potest etiam lectio L X X. per *alas* explicari: sic multi ex Græcis & Latinis: ego has ignis alas de fulmine explicarem, quasi amor iste castus etiam fulmina pro lampadibus contorqueret. Certè amorem suum fulmine armauit Alcibiades apud Athen. lib. 12. cap. 16. *Scutum habebat ex auro eboreque confectum, cuius insigne erat amor, qui fulmen flexerat.* iam verò *alas ignitas* de fulmine dictas apud Græcos Latinosque lego. Aristophanes in auibus, de fulmine,

Πάλλων κεραυνὸν πτερόφορον, Διὸς βέλος.
Mouens fulmen alatum, Iouis telum.

Claudian. *lib. 2. de rapt.*

——ni Iuppiter æthere summo
Pacificas rubri torsisset luminis alas.

Alius leget clariùs *fulminis alas*; sed perinde est.

PARAPHRASIS.

Iam ergo priscæ tuæ familiæ castra quodammodo transfugiens, sub amoris maritalis vexillo (quod olim tu soluto adhuc amore confessa es) mihi militas: igitur me, debitam mihi curam, & sollicitudinem, nomenque mariti sic cogitationibus tuis infige, ac si in hac amoris militia, cor tuum impresso charagmate meo, ac si in hac amoris militia, aduereretur: sic operibus impone, ac si militis instar profani, inustum in brachio ducis tui typum circumferres. Nec nimis tibi videar postulare: si enim propterea milites characterizantur, ne vnquam transfugæ deserant vexilla, sed quouis fugiant de impresso signaculo noscitentur, iterum ad præstitum Sacramentum compellendi: tu nunc illam te militiam noueris subituram, vnde nulla honesta missio vnquam datur: nam sicut quantumuis quis fugiat mortem, de impresso innatæ corruptibilitatis signo tandem morti traditur, quæ mortali naturæ militantes emeritos numquam emisit. & sicut qui inferni claustra semel introiuit, nulla aliquando redemptione regreditur; sic à maritali amore vincula matrimonij colligante, & ab eius ingenita æmulatione, recessus non conceditur. Iam verò cùm infernum audis, nihil hìc propterea existimes horribile & tenebricosum: sola tenacitas adducitur in exemplum, neque illa tamen tyrannici imperij, aut duri seruitij, quale sub amore impi, cæco illo & commilitones suos excæcante, tantummodo vrente, non illuminante violenter toleratur: amor enim noster totus è rationis ductu proueniens, sic vrit, vt illuminet: sic accendit, vt fulgeat, lux conuictæ menti, & ardor affectui inflammato: ideo faces illius non solùm ardentes igne, sed etiam flammis illuminantes proferuntur.

VERS. 7.

Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Pergitur

Pergitur ſub eadem militiæ metaphorâ. Bella aut vi, aut pecunia conficiuntur, alterâ pertrumpuntur hoſtiles vrbes, alterâ corrumpuntur. Senſum ergo huius verſiculi communem, etiam ab aliis optimè explicatum, longè clariùs cöncatenationi meæ ſic accommodo. Auditis cõiugalis amoris conditionibus, poterat ſponſa timere, ne quantumuis ipſa fidelitati, & noui ducis ſui honori ſedula ſtuderet, tamen infortunio aliquo, & inopinato euentu pectoris ſui arcem proditam videret: amouet hunc obicem ſponſus, & tacito timori mittit ſecuritatem, aſſerens amorem coniugalem dummodo pectori imperitet, arcem ſuam ſic reddere inexpugnabilem, vt nullo modo queat labefactari: cùm enim tantummodo aut victus vi, aut pecunia corruptus defenſor arcem prodat, hunc amorem talis eſſe genij oſtendit, vt nec violentia ſuperari, nec violari muneribus vnquam poſſit: ſicque illam bono & pacato animo eſſe iubet. Videamus nunc ſingula.

Aqua multæ, &c. Cùm amor ipſe paulò antè ignis dicatur, nullâ metaphorâ congruentiori potuit violentiam, qua oppugnatur, declarare, nec vllo maiori encomio eius potentiam conteſtari: cùm enim vulgaris ignis, aquæ vrgente pondere non oppugnetur ſolùm, ſed etiam expugnetur, mirandum planè eſt amoris ignem nullo iniecto laborum pondere, tanquam obruentibus aquis poſſe opprimi. Porrò modum de amoris igne aquis non extinguendo, à Salomone credo vſurpauit omnis antiquitas: congeramus pluſcula. Seneca *in Hippol.*

530. *Amoris ignis in aquis viuidior.*

Hac regna tenet puer immitis,
Spicula cuius ſentit in imis
Cæruleus vndis grex Nereidum,
Flammámque nequit releuare mari.

Cupido apud Stat. *lib.* 1. *ſyl.* 2. de Leandro,

———*calor quo ſæpe tepebant*
Æquora.

Nonnus *lib.* 6. *Dionyſ.* ab illis verbis ὦ μέγα θαῦμα: vbi de incenſo orbe vniuerſo, & Iouis imbribus conſopito, concludit:

———*ô magnum miraculum*
Iouis pluuia ardentem totam terram & flammam amoris
Et fluuios purgauit: ab Alpheo vero ſolo
Veneris non extinxit ardentem ignem.

Idem *lib.* 42. de Baccho amore ſaucio, & aquam hauriente.

Et ipſum intuens amoris cogitatum furore,
Fontana profundum ſinum habens dicebat Naïs:
Frigidam aquam Bacche fruſtrà bibiſti, non poteſt enim
Extinguere ſitim amoris totus fluctus Oceani.
Interrogatum patrem, quî tot fluctus tranſiens
Sponſus Europæ non extinxit amatorium ignem,
Sed adhuc magis laborauit in aquis: humigradi vero
Teſtem famulum amoris habet Alphæum vagum,
Qui tot ſuperatis fluctibus per aquas aquam trahens
Non effugit calidum amorem, etſi humidus ſit maritus.

Eſt in hanc rem etiam veteris Poëtæ epigramma apud A. Gellium *lib.* 19. *cap.* 9.

Aulus Gellius correctus.

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam nam potis eſt vix ſæua extinguere venti,
Aut imber cælo candidu' præcipitans:
At contra hunc ignem Veneris, ſi non Venus ipſa,
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere.

Pintus in Cantica.

Correxi tertium verſum, qui vulgo malè legitur, *iſtam non potis eſt.*

Si dederit homo. Hæc eſt ſecunda machina, & illa potentior, qua bella conficiuntur: notum illud,

531. *Pecuniâ expugnata vrbes.*

Argenteis iaculis confligito, & omnia vinces.

Plutarchus *in Apophthegm. Imperat.* de Philippo Macedone. *Munitum verò quoddam caſtellum cum capere vellet, exploratoreſque renunciaſſent, vndique aditu eſſe difficile, neque capi poſſe: interrogauit an ita difficile accenſu foret, vt ne aſinus quidem auro onuſtus adire poſſet.* aſcendente quippe auro, abſque dubio ſperabat. idem in Laconicis de Ageſilao. *Cùm magnam Aſiæ partem ſubiugaſſet, aduersùs Regem ipſum Perſarum properare decreuit, quo illum ab otio, & corrumpendis Græcorum populorum Principibus deterreret, ſed ab Ephoris reuocatus propter Græcorum bellum, quo Sparta obſidebatur, ob pecunias à Perſa miſſas, dicens bonum Imperatorem oportere legibus parere, ex Aſia ſoluit, multo ſui deſiderio Græcis Aſiaticis relicto. Ac cùm nummus Perſicus ſagittarij nota ſignatus eſſet, recedens dictitabat, ſe triginta millibus ſagittariorum à Rege ex Aſia pelli. tot enim Daricis aureis Athenas, Thebaſque à Timocrate illatis, & populorum Principibus, diſtributis: populi ipſi ac bellum contra Spartiatas incitati ſunt.* Alludit huic hiſtoriolæ alia æui noſtri, & gentis meæ. iactabat quidam Luſitanus nullum eſſe bellum ita difficile quod mille Luſitani non conficerent. Credo, inquit alius, ſi tamen Luſitani prædicti aurei ſint. Eſt enim apud nos aureus nummus & grandis ferè 20. aureorum, quem proprio vocabulo *Luſitanum* appellamus. Sub hac ergo belli metaphora, imperantis amoris conſtantiam declarat ſponſus, quem nulla vis auri à ſollicitante adultero oblata poterit corrumpere.

Omnem ſubſtantiam. Mirè exprimit laſciui affectus ingenium: cætera vitia pecunias expendunt, at luxuria prodigit. vnde bene à Poëta *Charybdis opum, & diuitiarum Scylla* meretrix appellatur, cui non tam pars, quàm omnis patrimonij ſubſtantia impenditur. ideo Lucret. *lib.* 4.

532. *Amor turpis prodigus.*

Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat.

quia & Venus, & alea nullam metam ponunt. Propert. *lib.* 3. *eleg.* 13.

Quæritis vnde auidis nox ſit pretioſa puellis,
Et Venere exhauſta, damna querantur opes, &c.

Sed de hac re paſſim multa incurres.

Quaſi nihil deſpiciet eam. Amor iſte integer pro nihilo totum diuitiarum pondus ſibi oblatum reputabit. LXX. vertunt: ἐξουδενώσει ἐξουδενώσουσιν αὐτόν: *deſpectu deſpicient illum.* id eſt, hominem offerentem. ferè eodem ſenſu. eſt hoc proprium amoris fidelis, qualem in puella laudabat Propert. *lib.* 1. *eleg.* 8.

533. *Amor caſtus pecunia non corrumpitur.*

Illa vel anguſto mecum requieſcere lecto,
Et quocumque modo maluit eſſe mea:
Quam tibi dotatæ regnum vetus Hippodamia,
Et quas Elis opes antè pararat equis:
Quamuis magna dares, quamuis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit auara ſinus.

de hoc ſatis.

PARAPHRASIS.

Atqui timeas fortè, ne (quantumuis fidelis) ab amore hoc excidas, non tam de tuo libito, quàm de aliquo eius infortunio: pone metum, ſecuram te eſſe iubeo. nulla vis, nullum aquarum pondus, nulli fluminum vortices, ignem iſtum aliquando extinguere potuerunt: oppugnetur quantumuis

cruciatibus, & laboribus amor iste, sed non expugnabitur. quia verò in re bellica, dum vrbes, aut castra obsidentur, deficientibus viribus, aliò recurritur, & quod ferrum non poterat, aurum superat: tam in contaminati spiritus amorem hunc nouetis, vt nullis possit muneribus corrumpi: imò hæc pro nihilo, ab hoste adultero prodigè oblata solet reputare.

Vers. 8. Soror nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.

Audierant adstantes virgines nullum à donis, aut à vi castu amori periculum imminere: cumque (vt erant prudentes) viderent verbis (quandoque fallacibus, duces & exercitus superari, quos neque hostilis impetus, neque auri potentia perrumpere poterat: quærunt sub eadem metaphora ab sponso, quid faciendum puellæ candidæ & innocenti, quippe quæ, vt maritalis amoris, sic etiam adultioris ætatis ponebat tyrocinium) si fortè verbis corriualium fucatis, omni vi, omni dono potentioribus tentaretur. & quidem iustus timor, cùm videamus in vtraque tam maritali, quàm amatoria militia verbis peragi, quod cæteris machinis fuerat imperium. bene Virgil. *lib. 2.* de Sinonis verbis:

534. *Verborum potentia.*

Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res: captique dolis, lachrymisque coacti,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Aurium custodia. Plutarchus *lib. de audiend.* &c. *Xenocrates pueris potius, quàm athletis addi iubebat amphotidas, quòd illorum aures ictibus, sermonibus horum aures prauertamur.* Sunt verò hîc amphotides (ἀμφωτίδες) arma & munimenta aurium, quibus athletæ cæstuum ictus arcebant ab ipsis auribus, quæ maximè in eo certamine impetebantur: quasi puerorum mores non tam vi & donis, quàm verborum lenocinio corrumpendi timerentur. pulchrè Lucianus *Orat. de non temere credendo*, post multa de aurium custodia: ... *Ridiculum quippe est domibus ianitores constituere, aures verò & mentem patentes & incustoditas relinquere.* Sed pulchriùs ad rem meam D. Chrysost. ad esp. 2. Iob in cat. *accidit vt quem rerum natura euertere non potuit, cum oratio, & exitiosa adhortatio frangat.* Vtinam huius rei exempla passim non plor rentur.

Soror variè dicitur. Vocant autem sodales sponsam sororem, vel de Hebræorum vsu, vel de familiaritate, vel do communis vitæ rusticantis consuetudine. quòd autem hæc dicatur vbera non habere, cùm toties suprà eius vbera commendentur, suppleta comparationis nota declaratur. q.d. Vbera viridia, tumentia, nuper erumpentia, ita paruula, ac si nulla essent: quibus incipiens pubertatis ætas, & adultorum annorum initia exprimuntur. de verbo *alloqui*, quod hic pro *sollicitare* ponitur, nil mirandum: cùm etiam apud Latinos verbum *appello* pro eodem ponatur. Quintil. *declam.* 3. de iuuene pudico: *ibit ad pœnam pleno gradu, tam paratus mori pro pudicitia, quàm occidere: laudemque perpetuam fortissimi pudoris secum feret, omnis licèt dolorum vis ingruat, nunquam tamen effici poterit, vt miles tuus magis doleat quòd accusatus, quàm quòd appellatus est.* vbi idem sæpe de eodem. & de eius matre: *prædura priscis moribus mater, frigoribus ac solibus perusta, & in plerisque rurís operibus marito particeps, affirmo, quem nemo appellasset impunè.* Tertul. *de cultu fæm. cap. 1 s.* de Iuda Thamar sollicitante: *compellauit, & pallus est.*

535. *Appello amatorium verbum.*

Aduerte autem obiter, commendari vbera, ex eo quòd *nulla*, id est, paruula dicantur, quasi etiam dum protuberarent, non solùm fœdam mammositatem non protenderent tunc, verùm nec in posterum protenderent: estque illud veteris Poëtæ,

536. *Vbera parua ad pulchritudinem.*

Vrebant animum dura stantesque papilla,
Et quas adstringens clauderet vna manus.

Idemque voluit Mart. *lib.* 14.

Fascia, crescentes domina compesce papillas,
Vt sit quod capiat nostra tegatque manus.

Vt non solùm ab ætate paruæ, vt par erat, sed in ipsa paruitate insignes commendarentur.

PARAPHRASIS.

Sulamitis nostra, dilecta nobis sodalis, ô Salomon, vt nouæ huius tuæ militiæ, sic etiam ætatis suæ ponit iuuencula tyrocinium, quod ex eius vberibus immaturis, paruulis, & penè nullis apertè coniectatur: quid ergo, si quæ nec violentiæ cedat, neque muneribus corrumpatur, fucatis corriualium verbis omni vi, omni auro potentioribus pertentetur. Vnde nam eius innocentiam, & candidam simplicitatem obarmabimus.

Vers. 9. Si murus est, ædificemus super eum tabernacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Quo longior, eo etiam pulchrior procedit metaphora belli, quam à *num.* 5. deduco, vt ex hoc, & sequentibus versiculis constabit. respondet ergo sponsus virginum choro, asserens muniendas sponsæ aures, ne prauis colloquiis, (à quibus *sup. num.* timebatur) admouere possit auditum. hæc pro connexione. Videamus singula.

Si murus est. Solet in Scripturis tale aliquid appellari, quale est illud, quod secum gerit: sic Apostoli dicuntur *sal terræ*, quia salem auertendis peccatorum putoribus de doctrinæ salino spargebant: sic suprà *cap.* 5. iuxta aliquos de gestato aureo diademate, caput sponsi aurum appellatur; sic *cap.* 7. *num.* 8. firmaui hanc regulam: in hoc ergo loco murus dicitur, quia vt surdesceret prauis colloquiis, & procacium verborum violentiam, tamquam tormenta bellica euitaret, adamantino quodammodo muro aures sepiebat: voluit id penè eadem ratione metaphoræ Ecclesiasticus cap. 28. num. 28. *sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* nisi quòd hîc à septo & vallo hosti sumitur similitudo, in nostro verò Cantico mutus de continuata belli allegoria vsurpatur.

537. *In Scriptura tale quid appellatur, quale gerit.*

Propugnacula argentea. q.d. Licèt auertendis verborum iaculis murum gerat quodammodo, non tamen adhuc satis munita, periculosissimum hac via bellum initur, maiora & maiora propugnationis robora addantur: ac si quis muro aliàs fortissimo argentea propugnacula adhiberet: argentea verò posuit pro splendentibus, credo è marmore aliquo candidissimo constructis: sic apud Psalmistam, *argentea columba*, pro candida ponitur: sic Ouidius de fonte splendente,

538. *Argenteus de splendido.*

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis.

Propert. de candore liliorum.

Sæpe tulis blandis argentea lilia Nymphis.

Virgil. da albo ausere.

Atque

Atque hic auratis volitans argenteus Anser
Porticibus.

539. *Argentum in sacris de eloquio diuino.* Plana ista & suauis ad drama explicatio: si tamen contendas profundiori adhuc allegoria per argentea propugnacula intellexisse Salomonem casta & doctrinalia monita, quibus adulteri voces auertruncarentur, non pugnabo: sic Psalm. 11. num. 7. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Vt tamen dixi, longè planiùs res explicatur, sumpta tantùm similitudine è propugnaculis marmoreis, quæ muro adduntur: vt inde sponsa discat noua semper auribus munimenta comparare, vndecumque aut à monitu, aut à iudicio, aut ab experientia proueniant, aut à marito.

540. *Porta aurium.* *Si ostium.* Clarior hîc similitudo. q. d. sponsus: si verò puella, vtpote inexperta, nesciat adhuc sibi à verborum periculu timere: vnde patentes amoto pessulo aures colloquiis adhibeat, & quasi apertum illarum ostium quandoque gerat: tunc compingamus, &c. sub hac metaphora Tzetzes *chil.* 1. *hist.* 11.

Ἐργάσεται θύρας τὰς ἀκοὰς τῶν λόγων ἄκουέ μου.

Bene foratas ponens tuas aures, sermones audi meos.

Clariùs Athen. dipnos. 4. cap. 1. *Si quid habetis, dicite: portas enim aurium patentes habeo.* Lucianus paulo antè locum superiori versiculo citatum. *Quid faciet vir prudens in re ambigua? Sanè, opinor, quod Homerus in Syrenum fabula docet, perniciosas talium sermonum delitias nauigio prætereat, obturet aures, nec passim aperias affectui alicui obnoxius: sed ianitore sedulo, ac fido adhibito, ratione videlicet ac iudicio animi: recta dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas obdito pessulo arceat: ridiculum enim,* &c. adde quæ ibi dedi.

541. *Rima quæsita colloquiis amatoriis.* *Compingamus illud tabulis cedrinis.* Sumi potest in hoc loco ostium non de bisoribus ipsis, & portis, quæ circumuoluuntur, clauduntur, & reserantur, sed de cauitate ipsa, quà fit ingressus, cuique bifores apponuntur: quæ etiam latinissimè, vt bene vidit Ghislerius, ostium & porta appellatur. ait ergo huic bifores apponendas, sed illas cedrinas: ecquid ita? quia cedrus corruptionem vitat & cariem, nec rimis aliquando fatiscit, quibus verbum aliquod posset commeare. nimirum prænouerat illud Propert. *lib.* 4.

Nec mille excubiæ, nec te signata iuuabunt
Limina: persuasa fallere rima sat est.

542. *Aurium porta.* Potest etiam locus optimè explicari de ipso ostio vt bifores significat, (sicque capiendum puto) idque maiori cum decoro puellæ. q. d. sponsus: quamuis ipsa iam auribus suis ostium admouerit prauis colloquiis amouendis; nouerit tamen hostilibus petulantiæ incursibus maiora munimenta adhibenda: ne ostium à riualibus violari & aperiri, imò perrumpi quandoque possit: ergo ostium & bifores quas posuerat, additis cedrinis assulis roboremus. Faciunt huc verba Themistij *orat.* 5. (hanc vertit Cerda *lib.* 2. *Tertul. num.* 130.) contra eos, qui iusta audire nolunt. *Hoc erat naturam hominis arguere, quòd apertas, & patulas aures dedisset: nec quemadmodum palpebras atque os, sic etiam aures claudere, ac deducere, in potestate nostra esse voluisset. Cum ferè hic vnus sensus potestatem nostram atque libertatem effugiat, ac quidquid in eum incurrit, velut ædibus apertis, & ianua carentibus, ita necessariò sint illi omnia suscipienda.* Sensum ergo ita naturâ suâ, contra lasciua turpis colloquij tela exarmatum, non satis ducebat sponsus si ab inexperta puella, simplici ostio, quod facilè aut ab illa aperiri, aut ab hoste perrumpi posset, muniretur: sed illud tabulis cedrinis, id est, noua diligentia, nouo cedrinæ incorruptibilitatis munimine defensandum exoptat: sicque inermis sensus periculo subueniendum, quo tempore hostes ingruere præsumuntur, durâque illum verborum obsidione circumcingere.

Pintus in Cantica.

543. *Porta vrbis in bello impetita tabulis munita.* Belli vsum, vnde metaphoram deduco, colligo ex Homero *Iliad.* 12. vbi ita de Hectore saxo hostiles portas perrumpente,

Ὣς Ἕκτωρ ἰθὺς σανίδων φέρε λᾶαν ἀείρας,
Αἵ ῥα πύλας εἴρυντο πύκα στιβαρῶς ἀραρυίας,
Δικλίδας, ὑψηλάς: δοιοὶ δ' ἔντοσθεν ὀχῆες
Εἶχον ἐπημοιβοί.
Sic Hector recta ad tabulas portabat lapidem, tollens,
Quæ portas tuebantur valde fortiter coniunctas,
Bifores, excelsas, duo verò intus vectes
Habebant sibi respondentes.

Vbi clarè tabulæ tuentes distinguuntur à biforibus iunctis, & excelsis: deinde latè describit suo ordine, vectes, cardines, portas, tabulas disruptas. planus locus: ex quo fortasse intelligendus alius eiusdem libri de Hyrtacide, de quo dicitur, *non inuenisse in portis tabulas acclinatas, nec longum vectem.*

——οὐδὲ πύλῃσιν
Εὗρ' ἐπικεκλιμένας σανίδας, καὶ μακρὸν ὀχῆα.

Sed hîc etiam non tam de adiunctis tabulis, quàm de ipsis biforibus capi potest, quas statim *ἀναπεπταμένας apertas* vocat.

Hæc sunt quæ mihi denuo pro connexione & mente huius versiculi visa sunt aptiora: quia tamen satis probabiliter alij putant, vocari in hoc loco sponsam *murum* de fidelitate & morum constantia, strenuè coniugales leges defensura: *ostium* verò si facilis adulteros pectori & toro admitteret, in illorum gratiam vtrumque illustrabo.

544. *Murus de viro forti dicitur.* Igitur milites strenuos & fortes muros appellari, probat illud Agesilai; qui obiicienti cuidam Spartam muros non habere, ostendens milites suos dixit: *ταῦτ' ἐστὶ Λακεδαιμονίων τείχη. hi sunt Lacedæmonum muri.* ideo Claud. *in paneg. Mal. Theod.* de Lycurgo,

Ciuibus & vetitis ignauo credere muro
Tutius obiecit nudum Lacedæmona bellis.

Ouid. *Metam.* 13.

——quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo Graium murus Achilles
Procubuit.

Inde factum, vt Olympici victores disrupto muro triumphantes admitterentur. Plutarchus quæst. conuiu. lib. 2. cap. 5. *Quòd victoribus cùm in vrbem veniunt, ius est murorum partem diruere & deiicere, hoc denotat, non magnum operæ pretium esse muros vrbi, quæ viros dimicandi & vincendi scientes habeat.* quasi ipsi fortiores, & animati muri. Sueton. in Nerone cap. 25. *Reuersus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artem postularat, albis equis introiit, disiecta parte muri, vt mos Hieronicarum est.*

545. *Murus fœminæ, non viris erigitur.* Quod autem additur de addendis propugnaculis, quasi fœmina vix sola muri custodia sit secura: iam ex Theopompo apud Plutarchum alij ostenderunt. adde eumdem Plutarchum in Laconicis de Agesilao: *Cùm quidam illi murum vrbis bene munitum, & laboriosè admodum exædificatum ostentans rogaret, an pulcher sibi videretur? per Iouem, inquit, pulcher, non vt viri, sed vt fœminæ inhabitent.* quasi nec viri fortes muro egerent, nec fœminæ nisi satis munito muro possent custodiri: sic Valer. Max. lib. 3. cap. 7. *eiusdem vir vrbis atque animi,*

animi, hospiti suo, patria muros excelsos latosque ostendenti, dixit: Si mulieribus istos comparastis, rectè: si viris, turpiter. loquitur de priuato quodam Lacedæmone, qui visus Agesilai sui gnomem vsurpasse.

546. *Porta in bellis impetita.* Ostium semper, & Silaminis ferreisque clauis munitum, muro fragilius: ideo crebriùs ab hostibus impetitum. Virgil. *Æn.*

——labat ariete crebro
Ianua.

& *lib.* 11.iterum,

Arietat portas, & duros obice postes.

Sic Ezechiel 21. num. 22. *vt ponat arietes contra portas.* imò & ipsæ portæ vtplurimum proditionis instrumenta. Virgil. 2. *Æn.*

Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios.

Propert. *lib.* 4. *eleg.* 4.

Prodiderat portaque fidem, patriamque iacentem.

& *lib.* 3. in te amoris,

Nisi, tuas portas fraude reclusit Amor.

547. *Porta emblematis celata.* Aduertendum tamen in vtraque explicatione dicta, sic verbum *compingamus* vsurpari, vt sit compositum *à pango.* quid si sumamus vt componitur à verbo *pingo*? clarè ad hanc mentem LXX. διαγράψωμεν, *describamus*, vel *picturemus*: ecquæ, inquis, hæc pictura ex tabulis cedrinis? metaphoricam intelligo, id est, tabulas cælatas variis emblematis & multis figuris insculptas illi apponamus. Alluditur verò ad vsum insculpendi portas, de quo Virgil. 3. Georg.

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto.

Dat multa Cerda ad illud *lib.* 6.

In foribus lethum Androgeo.

Signatè ibi ad rem meam Cyrillus, qui hunc morem Hebræis tribuit, explicans enim illud Aggæi 1. num. 4. *vt habitetis in domibus laqueatis.* Græcè κοιλοσταθμοις: sic habet, *domos autem cauas nominat, quarum antepagmenta, siue postes portarum ferro sculpti, opificum solertiâ circum circa emblematis mira varietate & artificio elaboratis exornantur.* qui omnes tamen loquuntur de valuis templorum, aut delitiosarum domuum: de portis tamen vrbis, & illis bellicis, numquam aliquid simile legisse memini. Dicandum ergo videtur, ideo Salomonem bellicis portis non solùm robur cedrinum, sed & illud insculptum addidisse; quia cùm de re amoris & metaphorico bello ageret, decoro seruatu optimo, non tam rigidus, quàm floridus processit: vnde paulo antè non solùm propugnacula, sed & illa venusta & argentea muro addenda putauit.

PARAPHRASIS.

Si ea est dilecta (vt credo) quæ firmo iam proposito procacibus procorum verbis decreuerit obsurdescere, & quasi adamantino obiecto muro aures cinctas, & impenetrabiles gerat: non tamen adhuc contra tam violentam machinam se reputat securam, sed noua ac noua semper prædicto muro munimina superaddamus. quòd si fidelis & cauta, minus tamen, (quod non puto) de ætate prudens, ostium sibi satis existimauit, cùm hoc facilè aperiri, & ab hostibus valeat perrumpi: tunc cedrina incorruptibilitate, omnem tineam & cariem euitante, cedrino munimine illud tobotemus, ne vel minimum verbum possit commeare, & omnis in illud impetus collabescat.

Ego murus, & vbera mea sicut turris: ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. VERS. 10.

Respondet puella sodalibus, idque audiente sponso, illas bono animo esse iubens, illum de sua fide reddens securissimum: tacitè innuens, nihil in illa esse ostij, nihil facilitatis corrupialium sermonibus audiendis, dum asseuerantet se murum, id est, inexpugnabili muro ad aures cinctam se protestatur, dum vbera erumpentia, id est, adultæ ætatis initia, quibus timebant, ea cautiotis consilij fide, iis prudentiæ munimentis asserit custodita, vt non indigendis nouis turrium propugnaculis ipsa quodammodo in turres efformari videantur: vnde & illud euenisse concludit, vt licèt sponso militet, & semper militando parata veniat, nihilominus pacis quiete iucundissima perfruatur. quod qua ratione sit intelligendum iam aperio.

548. *Nobilior victoria non pugnando.* Excellentius quidem semper habitum apud Imperatores & strenuos milites, non prouocari ab hostibus, quàm quòd prouocati vincant: illud enim timentes tantam virtutem hostes arguit, vt neque pugnando accedere præsumant: hoc saltem eorumdem etectos indicat spiritus in mixto alienæ strenuitatis despectu: neque enim aggrederentur, nisi etiam se victores sperarent. est ergo pax illa, qua formidolosa hostibus redditur vitius, omni bello pugnacior, omni victoria gloriosior. hoc ergo est quod asserit, ni fallor, in hoc luco sponsa, ita se munitam & septam esse, ita cottiualibus hostibus formidolosam, vt victoriam desperantes præsentare, prælium non audeant, verborum machinas non admoueant: vnde factum, vt gloriosiorem omni victoria pacem ipsa compararet. illustrat pulchram hanc, si rectè iudico, mentem Plinius iunior *in Paneg. Traiani*, vbi ad illum ita. *Vt ipsi nolis pugnare, moderatio: fortitudo tua præstat, vt neque hostes tui velint. accipies ergo aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsa simulacbra victoriæ: sed Imperatore veram ac solidam gloriam reportante, tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia, vt vincendus nemo fuerit, pulchrius hoc omnibus triumphis, neque enim vnquam nisi ex contemptu imperij nostri factum est vt vinceremus.* gnome grauissima: si enim prouocans vincis, hostis qui te non fugit, vincendum sperauit, & prouocantem spreuit: quòd si prouocatus vincas, iam aliena prouocatio in ipso ausu despectus tui titulos erexit. est ergo pax & tranquillitas prædicta confessis hostium obsequiis, omni quidem victoria speciosior, omni bello pugnacior. Voluit id Claud. 1. *de laud. Stilicon.* *Plin. Iunior explicatus.*

Miramur rapidis hostes succumbere bellis,
Cùm solo terrore ruunt? non classica Francis
Intulimus, iacuere tamen: non Marte Sueuos
Contudimus, quis iura damus. quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania seruit.

Meritò itaque sponsa, quæ se dum magis maritali amori militabat, cinctis in penetrabili muro auribus, vberibus, id est, adultæ ætatis primordiis in turres efformatis, præsnoscebat: meritò, inquam, quasi in pace & tranquillitate constitutam se enuntiat, vtpote quàm iam hostes, metu pudoris trepidi, & ideo speciosiùs triumphati aggredi, & verborum lenociniis tentare pertimerent. & bene turres additas muro inculcat, vt desiderata sup. vers. sponso propugnacula, iam structa exhiberet, quia, vt monet litteraturæ princeps Eustathius, *Murus de forti, sic turris, & clypeus.*

thios, ſemper olim *πύργοι καὶ ἕρκος*, id eſt, *turris & murus*, de ſtrenuis dicebatur. Variauit Claud. *lib. in Ruf.*

———hic ſola pericli
Turris erat, clypeuſque trucem porrectus in hoſtem.

loquitur de Stilicone. Sed declaremus adhuc nonnulla verba.

549.
E turri ignauus quiſque fortem occidit.

Sicut turris. Enallage numeri, vt paſſim in Vulgatis noſtris: in Hebræis & Græcis, clarè *turres*. latet verò emphaſis, ni fallor, in eo quòd mollicula vbera turribus comparentur; è turribus enim ignauus quiſque, & quandoque muliercula, obſidentem ſtrenuiſſimum ducem ſolet occidere iacto lapide (vt ex *lib. Iud. cap. 9. num. 53.* ſatis conſtat) aut vili tegula: bene Plutarchus in apophth. Lacon. de Lycurgo: *interrogante quodam, cur turres oppugnare vetuiſſet? ne vel à muliere, inquit, vel à puero, vel ab alio ſimili homunculo fortiores interimantur.* hoc voluiſſe videtur ſponſa, ideo tenera ætatis primordia turribus muniiſſe, vt inde ſtrenuos quoſuis hoſtes debellaret.

Ex quo. Capio, vt video, tamquam illatiuam particulam, non tamquam deſignationem temporis. Siciam alij hîc ad rem ſuam.

Quaſi pacem, &c. Non pacem, ſed quaſi pacem: adhuc enim in præſidio erat, adhuc hærebat caſtris: imò tunc maximè per matrimonium militiæ maritalis ſacramento erat adſtringenda.

PARAPHRASIS.

Capite animos, ô virgines ſodales, mihi cariſſimæ, ne quid molle in ætatis meæ teneritudine pertimeſcite. nam & aures impenetrabili muro cinctas gero: & vbera, ſiue ætatis primordia, quibus à ſimplicitate timuiſtis in propugnacula dilecto Salomoni deſiderata, & fortiſſimas turres quodammodo efformo: vnde factum, vt ſic terribilis cortinalium appaream procacitati, vt deſperata victoriâ faceſſant, nec vllo modo caſtas has aures verborum lenociniis audeant pertentare: ac proinde ego, licèt maritalis fidei caſtris alligata, & militari conſtricta iuramento deinceps iam habenda: quaſi in tranquilla pacis quiete, nobilioris generis triumpho comparato apud Salomonem meum commorer, commorabor.

VERS. 11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus: vir affert pro fructu eius mille argenteos.

VERS. 12. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.

550.
Militës agris donati.

Vt implicatum locum explicemus, & primo aſpectu diſſitum, ſuperioribus facilè connectamus, propoſitæque tandem belli metaphoræ finem adſcribamus, aduertendum apud omnes ferè olim nationes, milites eo animo, ea ſpe caſtris adhæſiſſe, duci obtemperaſſe, vt tandem aliquando prædiis ditarentur, & vineis. De Romanis res notiſſima. Lucianus *lib. 1.*

Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur
Quæ noſter veteranus aret?

Vide Virgilium *Ecl. 1. & 9.* vbi plura Cerda. Græcorum more, quem minus eruditi aduertunt, illuſtro ex Homero *Iliad. 20.* vbi Achilles ad Æneam.

Ἦ νύ τοι Τρῶες τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων
Καλὸν φυταλιῆς, καὶ ἀρούρης, ὄφρα νέμοιο
Αἴκεν ἐμὲ κτείνῃς.

An aliquod tibi Troiani agrum diuident præſtantiorem aliis
Pulchrum plantatione, & gleba, quo fruaris,
Si me occideris?

quaſi id eſſet militiæ rectæ geſtæ præmium vſitatum. de Hebræis ſatis illud *1. Reg. 22. num. 7.* vbi Saul, *Audite me nunc filij Iemini, numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones?*

Hoc ergo eſt, ad quod in præſenti loco alludit noua nupta, cui adſcripta verba tribuo, q. d. non putandum ſe tam libenter caſtris & vexillo Salomonis ſui adhærere, quod inſtar vulgarium militum vineas & dona, ob fidem rectè ſeruatam, & militiam ſtrenuè geſtam ſperaret. nam licèt virginitatis ſuæ dux, prædiorum eſſet ditiſſimus: ſe tamen non tam prædiis, quàm eo ſolo contentam eſſe ait. patebit res clariùs ſi voces obſcuriores ſigillatim percurramus.

Vinea fuit. Explico locum non de ſingulari vinea, ſed de omni genere prædiorum ex vſu ſacræ Scripturæ, vbi vinea pro omnibus latifundiis vſurpatur: ideo cùm vnica vineæ, ſingulari cuſtodi ſoleat adhiberi, & pluribus iunctis, vnus ſufficiat: hæc vinea, id eſt, diues agrorum ſubſtantia, multis cuſtodibus dicitur commendata, quaſi vix omnes immenſo curando tractui ſufficerent.

Pacifico. Id eſt, Salomoni, amat enim interpres noſter nomina propria per eorum interpretationem explicare. Sic ſtatim Solymitanoi agri plagam quæ in Hebræo & Græco Baalamon appellatur, per habentem populos explicauit. Vide interpretes.

Tradidit eam cuſtodibus. Non capio de iis, quibus locata vinea, ſed de ſponſi famulis, quibus illius cura commiſſa, qui ideo plures dicuntur, vt dixi, vt latifundia ampliſſima intelligerentur.

Vir affert. Neſcio cur interpretes velint de facto, vt aiunt, locatam vineam à Salomone, cùm vtpote paſtor & agricola, per ſe conductoſque operarios diligentiùs & fœnerantiùs illam curare poſſet: ergo aliter ego, ſentio non tam dictum locata prædia, quàm expreſſum pretium à quouis auido vicino offerendum Salomoni, ſi ea elocare vellet. nec obſtat verbum præſens *affert*, ponitur enim pro *afferret*: ſic vulgo dicimus de re nondum locata, ſed locabili, *dan por ella tanto*; ideo Hebræa ſignatè *vir adduceret*: nec repugnant LXX. *οἴσει*, *afferet*, quod dicimus, *daran por ella ſi ſe la dan*, &c. quod autem dicit, *mille argenteos*, innumerabilem penè ſummam intelligo: phraſi notiſſima in ſacro textu.

551.
Maritus diuitiarum loco vxori cedit.

Vinea mea coram me. Vnus Sanchez ad rem ſuam hunc locum de marito intellexit, ſic ego neceſſariò ad rem meam. q. d. puella: ſit quantumuis diues vir meus, ſint quantumuis vberrima prædia: ego illa floccipendo. ipſe ipſe qui præſens adeſt, mihi vinea, & mihi prædium. illuſtro hoc mihi, quod etiam opinioni Sanchez de nuptiali coëmptione, de qua locum hunc explicat, apprimè conducet. igitur maritum bonorum omnium loco vxori venire fatetur quædam, apud Sophoclem *in Aiace*, ita ad virum ſuum dicens:

Τίς δῆτ' ἐμοὶ γένοιτ' ἂν, ἀντὶ σοῦ πατρίς;
Τίς πλοῦτος; ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σῴζομαι.
Quæ poſthac mihi erit pro te patria?
Quæ diuitiæ? in te enim omnia mihi ſalua erant.

Oreſti (apud Euripid. *in electra*) tradenti ſororem nuptui, quærentique ita:

O ſoror longo poſt tempore cùm te viderim

Protinus consuetudine tua priuor;
Teque deseram à te desertus.

Respondet quidsm,

Πόσις ἐς', αὐτὸς ἢ δόμος.
Maritus ipse, illi domus est, &c.

Festiuiota duo loca Nooni, alterum *Dionys.4.* vbi dissimulata Venus persuadet puellæ Cadmi nuptias:

——si verò volueris,
Seruos meos habe omnes innumeros, & loco dotis
Aurum meum, & argentum in manus tibi tradam,
Et Tyrij prabebo regalia pepla maris,
Et domum, si volueris, paternam, (si fas dicere)
Accipe patrem, & matrem: accipe omnes
Ancillas, & solum mihi prabe hunc sponsum.

Græcis parco: do raotùm illa signata, ἢ μόνον ἐμοὶ πόρε τοῦτον ἀκοίτην. Alterum *lib. 42.* vbi amaror instituirur captandæ puellæ.

Munera verò amoris tui, pretiosa tua Nympha
Non gemmas Indicas, non margaritas attuleris,
Vt mulierum amore insanientes solent: ad Ventrem enim
Obtines formam sufficientem: decentis mollitudinis enim
Amant pulchritudinem, & non aurum mulieres.
Testimonio alio non egeo: molliculo enim
Qualia ab Endymione accepit munera Luna?
Veneri quale Adonis demonstrauit munus amorum?
Argentum Arion non prabuit Aurora:
Nec Cephalus prabuit diuitias pretiosas: sed sanè solus
Claudus existens Vulcanus non oblectantem ob formam
Prabuit varia munera, & non persuasit Mineruam.

Meritò igitor io hoc loco spoosa spretis aliis prædiorum & vinearom stipendiis, solo pulcherrimo Saiomone conteota erat. Aduarte interim etiam vxoribus, & amicabus similia dici blandiments. parco quærendis, quia ooo huius loei. subdo tantùm verba Plutarchi, quæ hoc aptissima. habetor in Probl. Rom. num 7. *Quid est quòd vir ab vxore, vxor à viro, dono aliquid accipere prohibetur? an quòd vilissimum beneuolentia signum donatio fit: dant enim & alieni, & qui non amant: idcirco hoc dandi lenocininm ex matrimonio sustulerunt, vt non mercenarium, sed gratuitum, & spontaneum fit totum hoc amare, & redamari? an quod ab aliis accipiendo, corrupta alienos admittant: decorum visum est gratis suos diligere.*

552. *Vxor non auara.*

Mille tui pacifici. Genitiui casus hæc suot: vbi *pacifici* per appositionem pouitur ad *tui*. Sic Poëta,

Tantum inter densas vmbrosa cacumina phages
Assiduè veniebat,

& similia passim. Sensus est: mille argenteos, quos vinea potest teddere tibi serua, & ducentos alios, quos curaodæ impendis, operatiis conductis retine soluendos: ego enim, vt dixi, te vno satis diues sum. Satis hinc constat quod suprà dixi, custodes hîc non esse eos, quibus vinea locata, sed qoi vineam colunt; his eoim soluitur labor: illi, redditus soluunt. rem verò adhuc vno verbo illustro ex Æliano *lib. 12. cap. 1.* da Aspasia, cui maritus Cyrus dona mittebat, qui ita: ἢ χρήματα ἦσαν αὐτῇ μετὰ δώρων πέμπτα: ἀπέπεμψε κύρῳ εἰποῦσα: πολλοὺς ἀνθρώπους τρέφοντι σοι, ἔσονται αἱ τοιαῦτα λυσιτελῆ: ἐμοὶ δὲ σὺ ἀρκεῖς φιλούμενος, ἢ κόσμος εἶ. *Pecunias illi plurimas cum muneribus aliis misit: quæ omnia remisit Cyro Aspasia, subdens: Tibi quidem hac vsui esse possunt, qui tantam hominum alis multitudinem, non mihi, qua te vnum, sicut ad amorem, sic etiam ad ornatum habeo, & satis habeo.*

PARAPHRASIS.

Illud in Salomonis mei gratiam addiderim, ô sodales, vt in amoris huius militia, stipendiotum illi amoueam sollicitodinem. Solent milites vulgares prædiis donari, ditari vioeis, vbi post labores fessi, requiescant: hac spe castris hærent, hac esca illos dux io fide retinet. Vineas, & prædia habet dux meos. in vberrimo agro Baalamon, quæ famulorum curæ committit, quæque si vellet elocare, facilè mille argenteos à conductore qnolibet reportaret. his fortasse alia stipendiis inescata militaret: ast non ego, qoæ stipendij mercede his castris non adscribor: satis sum Salomone meo pulcherrimo contenta: illo vno, pro vineis, pro domo, pro diuitiis dego beatissima. quare tu mibi, & tibi sint opes tuæ, dulcissime Salomon, dux virginitatis meæ amabilissimus, & mille illi argentei, quos recipis quotannis, tibi opponantur: ducentique alij, quos & colendæ vineæ & custodiendæ soles impendere, conductis operariis reseruentur.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. VERS. 13.

Quæ iucunda nobis, & cum voluptate audimus, illa licèt longa, breuissima tamen reputantur, & grati sermonis finis, qossi eiusdem initium percipitur, prolixior semper optatur, & vt iternm atqoe iterum teperatur exigitor. legendus de hac re Lucianos *in Nigrino*, paulo ante finem. Igitor attonita penè hilaritare sponsus, auditis puellæ verbis prudentiæ, & amoris plenissimis, orat ne cesset, multa de hac re addat & quasi pauca audisset, sermoois filum productius desiderat, & dolcissimæ vocis contiouationem suspirat. Vocem verò pro verbis vsurpari, notaui suprà *cap. 5. num. 9.* ad illud, *vox dilecti mei.*

In hortis. Facilis mihi (non ita aliis) horum hortorum ex dictis, explicatio, incolcaui sæpiùs, & fusè in Prolegomenis probaui, apud Hebræos nuptias in villa & hortis, extra vrbem & vicos celebrari. huc ergo iam peruentum erat, vt ex deducto filo nostro constat, ideo puella in hortis habitans, id est, iam ad villam & subiectos hortos perueniens appellatur; latet verò, puto, inter preces, tacita obtestatio. q. d. sponsus, ô quæ tandiu concupiisti (patet id ex fine cap. præcedentis, & huius initio) ad hunc locum peruenire, hoc iam frueris: igitur per voluptatem hîc perceptam obtestor, vt diutiùs me audire facias, &c.

Amici auscultant. Vtrumque chorum tam adolescentom, quàm virginum, & semichorum excipientem intelligo. Gaudebat enim iuuenis, & sperabat inde ab omnibos felix tam prudenti & constanti vxore, & beatissimus his noptiis celebrari. ergo *auscultant*, id est, attendunt admirabundi ab ætate incipieote, perfectas vxoris dotes apparere.

PARAPHRASIS.

Papæ! qualia verba, quàm mihi molcent aures! obtestor sponsa dilectissima, ne cesses: perge, perge similia enuntians, aut dicta repetens: quæ voti compos, optatis villæ nostræ iam hortis frueris,

quid

quid me mea defraudas voluptate? O quid taces? en amica turba ab ore tuo pendet, prudentiam & conſtantiam tantùm admirata, méque maritorum feliciſſimum hinc prædicatura.

VERS. 14. .Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.

553. *Fugio, pro velociter curro.*

In Hebræo eſt ברח, quod verbum ita *fugere* ſignificat, vt propriè ſit etiam *feſtinare, properare*: vnde omnes meritò, licèt diuerſimodè locum explicent, in eo conueniunt, vt hîc τὸ *fuge* capiant pro *accelera, feſtina.* & quidem hanc ſignificationem ſubeſſe verbo *fugio* apud Latinos, multis oſtendit iam Sanchez. adde quæ Cerda ad illud Virgil. *lib. 3. Georg.* vbi de Aquilone,

Ille volat ſimul arua fugâ, ſimul æquora verrens.

Additque φεύγειν, id eſt, *fugere*, paſſim apud Homerum in eadem ſignificatione inueniri. his adnecto Nonnum *Dionyſ.* 40. vbi Bacchus hoſtem velociter inſequens & premens, quod ex contextu colligo, φεύγων *fugiens* appellatur. ex quibus lux LXX. legentibus etiam φεῦγε, *fuge*.

Reſpondet ergo ſponſa Salomoni ſuo, iam ſatis in veſtibulo verborum actum, ſatiùs fore, vt penetralia adeantur, rogat vt properet & feſtinet ingredi vltimis nuptiarum cæremoniis complen*dis*: puta ſolenne oſculum, innexas dextras, poculi communis libationem. quæ omnia ſupponenda potius in dramate, quàm repræſentata arbitror, ideo voluiſſe diuinum Spiritum; quia, vt ſupremi gradus diuinæ vnionis, ſiue ſpiritualis connubij mortalis linguæ metas excedit, ſic illorum figuram velatam admiraremur potius, quàm vel leuiter repræſentatam cerneremus. nam reuera de cæteris, quæ in hoc Cantico adumbrantur, vtcunque, licèt hæſitanter, & barbarè loqui poſſumus: at de vltimis illis præuiis diſpoſitionibus, quibus ſpiritus Chriſti quodammodo cum anima copulatur, elinguis omnis ſermo; muta omnis lingua, quamuis aliàs eloquens & grandiloqua, cogitur ad tacendum. quid de hypoſtatica vnione?

554. *In nuptiis Hebrais ſponſa cerua. ſponſus hinnulus appellatur.*

Caprea, hinnulo. Puto non ſolùm celeritatem hîc notari, ſed etiam aliquid amatorium immiſceri. Certum eſt ex Hebræo rituali ſponſam vocari ceruam, vide Sanchez *Prolog.* 3. Suſpicor igitur, & ſponſum hinnulum appellari: neque obſtat quòd etiam *caprea* dicatur, ſiue, vt in Hebræo צבי, id eſt, *capreolus*; quoniam hanc vocem etiam ſponſalem, vel ſaltem amatoriam eſſe colligo ex loco *Prou.* 5. *num.* 19. vbi de vxore. *Cerua gratiſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter.* ex Hebræo multi vertunt, *hirca ſilueſtris*, & Pagnin. *caprea gratioſa.* hoc ergo viſum voluiſſe ſponſam, vt iuuenis celeritatem horum imitaretur, quorum tunc ſolenni ritu nomina ſortiebatur. coniectandum verò quod de ceruis amorum ſymbolis ignorat nemo his ſylueſtribus capreolis amatorium aliquid ineſſe, quandoquidem ſimul cum ceruis exprimendo ſponſorum amori vſurpantur.

Super montes aromatum. Explicatio eſt vocis *Bethor*, de qua ſuprà. Aduocantur verò ſignatè non à rupibus duris, aut paſcuis ſenticoſis, ſed ab amœnitate florum, & aromatum ſuauitate: vt expreſſiùs delitias ſponſi ſignificaret, qui nuptiarum tempore vndique floribus cinctus, vnguentis delibutus.

PARAPHRASIS.

Imò, ô dilecte, non ideo ego tantopere aduentum in hanc villam exoptaui, vt ad eius veſtibulum tandiu verbis immorarer, ſed vt intus ſolennitate ſolita, datis ritè dextris, completis nuptiarum cæremoniis, te pleno ore iam meum appellarem. Quare agedum feſtina, propera, ingredere; ô ne tardes, & qui hodie legitimè capreolus & hinnulus ceruorum appellaris, illorum celeritatem æmulare, tot inter odores gaudens, vt illi in aromatum montibus exultant.

LIBER

LIBER SECVNDVS LITTERALLEGORICVS.

TRIPLICITER *diuina profundi huiusce ænigmatis sigilla sacri Ædipodes soluenda existimarunt, & vel nuptam Christo Ecclesiam, vel piam quamuis animam eidem coniunctam, vel tandem Deiparam Virginem speciali dilectam priuilegio elucidarunt in Cantico expressam, fausto calamo, ingenio felici: quidni, si adspirante gratia? post tot, post tales ego nihil ausus: si quid scriberem præ illis, frigidum: frigidius, si quid transcriberem ex illis. Decreui diu nihil mysticum dare, mancum opus visum: cogitaui postea, tantùm quæ prædictis addideram, exponere; sed illa pauca, timidaque, fateor, ne me proderent anserem inter olores obstrepentem. Quid ergo? nouam aggredior semitam, non tamen veteri præsidio destitutam. In Dramate nullius insistens vestigijs, non erubesco, deerant Patres: in litterallegoriâ, cui Patres desudarunt, si solus pergerem, confunderer temerarius. Veneror tres prædictos sensus: non tamen quartum (vt in Prolegomenis dixi) de nuptijs Verbi, & humanæ naturæ, spero contemnendum. Noua semita, quia nullus ex professo, totum Canticum ita explicauit: sed veteri munita præsidio, quia in pluscu-lis Cantici locis, vt nosti, ad Incarnationem alludi, voluere Patres, quos interim, prout expedierit, citabo. Jam ergo veniam dedere, immo viam prætentâ face signarunt, vt cætera non temere huc reducerem. Imò & Salmeron noster* tom. 1. Prol. 10. quinq. 2. can. 34. *hunc sensum, tanquam præcipuum, & toti Cantico germanum, ante prædictos tres alios, collocauit. Omnia Prophetarum Cantica magnâ ex parte Incarnationi conlimant, tanquam in diuinorum operum præcellentius: Canticum verò Canticorum princeps, eidem totum meritò destinatur: poëma summum, summo argumento. Curabo vt ferè nullum superbæ Bestiæ, immanis Hæreseos caput contra Incarnationem erectum non detruncetur obiter: penè quidquid veneni in Christum despumarunt serpentes sibilantes, exsibilabitur. Breuissimus incedo, quia secundum hunc librum doctioribus tantùm destino, quibus insinuasse, satis: frustrà, dilatasse: semper tamen ob oculos tenendum Drama, cui alludo perpetuus: aliàs, legentibus tenebræ, nullo alio conatu dispellendæ. Adspirate votis Superi, Auster diuine persla, ne breuibus hæream: ne scopulis impingam: ne vorticibus sorbear. Dirige mentem, manum, quas tibi dico, consecro: viuum me porta tua suspendo, nondum emissâ naue: ne fortè fractâ, pictum me ex humero portem. Audi Numen: abi metus.*

ARGV

ARGVMENTVM.

POST triumphatum à ſerpente humani generis Principem, audit ſuperbiens hoſtis ſibi tandem ab humano ſemine caput conculcandum, & opima, quibus exultabat, ſpolia detrahenda, *Geneſ. 3. n. 15.* hinc ſpem natura concipit ingentem afferendi remedij: & poſt conceptum tantum, accelerandi parat vota, ſuſpiria parit: amat ardentiùs quem, occultiori licèt reuelatione, vt nouerat Creatorem, iam credebat Redemptorem. Pergunt tempora, & de illuſtri conatu Abrahamicæ fidei in filio iugulando, expreſſiſſimam mittendi Verbi accipit iam natura promiſſionem, idque ſub iuramento, *Geneſ. 22. n. 18.* viſóque Saluatoris die (vt Chriſtus ipſe dicit) exultat Patriarcha. Venit tandem plenitudo temporis, & fruitur natura feliciſſimo promiſſionis fauſtæ complemento, & Verbum caro factum eſt, *Ioann. 1. n. 14.* Habes ergo eodem dramatis concinente, & concinnato tenore dulciſſimos amores, & ardentia naturæ deſideria de ſuſpiratâ Incarnatione: ſponſalia ſacra, de Incarnatione iuramento promiſsâ, & de Incarnatione peractâ connubium diuinum: quid aptius pro litteræ, & ſpiritus concentu? Sponſi partes agit Verbum: natura humana refert ſponſam: Chorus ſponſi comitum, Angelos ſignat Incarnationis adminiſtros: ſodalium ſponſæ chorus, Angelos hominum cuſtodes: ſemichorus promixtus, ex reliquis conſtat cœleſtibus ſpiritibus. Totum ergo opus in tres prædictas partes breuiſſimas ſubdiuiſum, quod felix fauſtúmque ſit Eccleſiæ Matri, fidelium ædificationi, iam aggredior.

INCARNATIO ARDENTER SVSPIRATA.

CAPVT PRIMVM.

VERS. 2. Oſculetur me oſculo, &c.

NVLLVS ferè Patrum (quos propterea non cito) ſiue ex profeſſo, ſiue obiter Canticum explicaret, hunc locum ad Incarnationis vota non traduxit. hinc mihi anſa, vnde cætera huiuſce libri, in idem etiam putarem reducenda: vt cui ſcopo ex communi ſententia primum carmen intenditur, eidem ſciremus reliqua reuocanda: tem ergo, ad ſeriem & metaphoram Dramatis ſemper attendens, ſic declaro. Natura fidelis diuinis inſtituta monitis, ſacrificia aut de victimis, aut de fructibus Deo offerens, illi, vt infrà dicam, tanquam conuiuia exhibebat, & epulas: vt tamen nouerat vmbratilia illa eſſe, & ſolùm de redemptore futuro capere virtutem, ad illum potius, quàm ad iſta reſpiciebat: & oblati muneris aſpectu excitata memoria Deo anhelat, ſuſpirat Incarnationem. Ecquo autem hanc melius, quàm oſculi voce ſignificaret? nam ſi ad terminum Incarnationis reſpicis, oſculum Patris verbum eſt, Sapientia nimirum æterna, quæ ex ore Altiſſimi prodiuit: ſi ad vnionem hypoſtaticam, ſicut per oſculum, vt in dramate dixi, ſponſi copulabantur, animas inuicem tranſmiſſuri; ſic per hanc Deus, & homo vniuntur, idiomata ſaltem communicantes. Addit, *meliora vbera*; quia nihil in ſacrificiis epularibus reſplendebat, quod cum diuinæ charitatis vberibus poſſet comparari, tot *vnguentis*, id eſt, tot perfectionibus, quæ incarnandum Verbum cumulant, reſpiraturis.

VERS. 3. Oleum effuſum, &c.

Explicat quæ dixerat de his perfectionibus, quaſi non eſſent de foris Verbo inſerendæ, quod ex propriâ naturâ perfectiſſimum, & antonomaſticè perfectio appellatur. Omnia à Patre filius accepit, nihil tamen debet, quia neceſſariò accepit: nec minus per exigentiam Deus eſſe ſecundæ perſonæ, quàm primæ, atque tertiæ debebatur: vnguentis, inquit, fragras, & perfectionibus, ſed tamen non alienis; quia tu ipſum vnguentum, tu ipſiſſima perfectio es, & appellaris. Abſit ergo ſcarabæus Arrius, cui oleum iſtud, vnguentum pretioſum non reſpirauit: quid ſtercorum conuiuæ, balſamum redoleret? & bene *effuſum* iam dicitur; quia è ſinu paterno, in parthenicum Matris gremium effundendum. quod de effuſione dico, diſco ex Philone Carpathio, qui mecum de Incarnatione conſentit: lege. ſic etiam alij Patres nonnulli.

Trahe me, &c. VERS. 4.

Paulus de Incarnatione locutus dixit: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, Hebr. 2. n. 16. de quo Chryſoſt. apud gloſſam: *apprehendit*, inquit, *non aſſumpſit*, *quaſi longè fugientem conſequens.* quia nimirum à Deo, natura humana per culpam quodammodo deuiabat, & fugiebat. Exprimit ergo in hoc loco natura votum rogans, vt ſe etiam de fragilitate affectus rebellem attrahat, & compellat, lubenter deinde Domino ſeruituram, & poſt illum curſuram. Et quid aptius non ſolùm eſſe, ſed etiam fingi poterat, ad apprehenſionem iſtam cogentem, & aſſumptionem tractam ſignificandam, quàm ſimulata illa nuptæ rapina, de qua fuſiùs in dramate diſputaui? Concorda mi lector omnia, quæ in illo primo libro ad litteram dixi, cum iis, quæ ad ſpiritum diſſero in hoc ſecundo: fortè non vana ibi fuiſſe tot denuo cogitata ſuſpicaberis. Reliqua huius verſiculi, ex dictis ſuprà de vnguentis, ſiue perfectionibus, clara: in quorum cellaria, per fidem viuam

nam admissa iam natura. Vt autem verba Chrysostomi adducta clariùs capias, lege omnino infrà *lib.3.num.*1488.

VERS.5. Nigra sum, &c.

Conuertit sermonem ad Angelos custodes, illius cœlestis incolas Ierusalem, humiliter se excusans quòd tantum audeat, donum tantum tam vehementer desideret; quia nimirum, quamuis nigra sit de terrena corporis propagine: tamen formosa degat de spiritualis animæ conditione, & proinde non indigna hypostaticæ vnionis, quasi si sola terra esset, indigna foret; quia vt melior, meo iudicio, habet Theologia, natura merè corporalis, vel belluina de morali indecentiâ vnioni hypostaticæ repugnat. Tegit ergo caro terrena spiritualem animæ pulchritudinem: sicut picturatæ, & pulchræ pelles Salomonis, operimento pulueris flatu resperso tegebantur forinsecus. Quid autem aptius sodalium naturæ nomine intelligerem, quàm Angelos, qui illam in omnibus viis suis comites custodiebant? patebit ampliùs ex dicendis.

VERS.6. Nolite me considerare, &c.

Excusat iam præter terreni corporis conditionem, fuscedinem quam ex aliquibus defectulis contraxerat, idque sub metaphorâ puellæ, quæ ex vinearum curâ, & Solis ardore decoloratur; quia nimirum negotiis licèt necessariis, licèt piis adhibita, aliquid tamen inde (vt euenire solet in iis, qui proximos tractamus) minus comptum comparabat: excusat, inquam, se quòd negotia illa vltro non subiret, (quando etiam suis, quibus posset fuscari, renuntiaret) sed in ipsa à fratribus pugnantibus impelleretur: vt autem hos pugnatores fratres capias, aduerte. Postquam Cain à Deo vagus, & profugus separatur, familiam protendit, vrbem condit: ferè eius posteritas praui progenitoris moribus assuescens, in omnia vitiorum genera cœlestis ab Adamo originis degener prorupit: sic & alij à Seth orti, qui auitæ sanctitatis spretores, in corruptissimos Cainitarum mores deuiarunt: cumque Deo per fidem, & strictiores cæremonias adhærentes, filij Dei vocarentur: filiabus sese hominum, vt loquitur Scriptura, id est, à Caino genitis, per nuptias, vel scortationes adhæserunt: nisi mauelis cum Boldue statim citando, filios Dei vocari, quia illorum progenitor Seth vulgo Deus vocabatur. Hi ergo deperditi homines, contra iustos, qui à Seth permanserant, depugnabant: at isti charitate compulsi priuata spernentes, monito, prædicatione, exemplo impiorum salutem & conuersionem huc ac illuc discurrentes sedulò procurabant. Composuit nuper auream librum de statu Ecclesiæ ante legem, vbi hanc rem optime confirmat Iacobus Boldue è Capucinorum familia, scriptor sanè genij, & ingenij longè felicioris, & reconditioris longè disciplinæ. lege, & mirare nouas abstrusæ sapientiæ auri fodinas apertas. Hos igitur Cainitas aut moribus, aut sanguine vocat, credo, in hoc loco natura fidelis, siue piorum congregatio, filios matris suæ: quia eiusdem stirpis ab Adamo, qui pugnantes dicuntur naturam in sanctis illæsam posuisse custodem in vineis suis; quia impugnationibus ipsis charitatem piorum prouocabant, vt qua ratione possent, medelam tot animabus perditis afferrent. Aptissimè verò, cùm de Incarnatione agit, huius rei meminit; quia cùm Seth aut ab Adamo patre, aut immediatè à Deo reuelationem Incarnationis accepit, eámque columnis inscriptam traderet posteritati, de quo citatur Doctor *lib.1.cap.3.* putarem fideles Sethi doctrinæ & virtutis hæredes, ex hac præcipuè reuelatione motos, tam impensè infidelium saluti studuisse, ne sceleribus suis tanti muneris implementum retardarent, quòd congruis virtutum meritis accelerandum laborare debuissent.

Indica mihi quem, &c. VERS.7.

Cùm visibilibus signis præsentiæ suæ testimonium, apud veteres iustos Deus quandoque exhiberet, nunquam id frequentius puto factum, quàm inter, aut immediatè post sacrificandum. colligo ex Abelis sacrificio, quod in Hebræo dicitur Deus inflammasse, id est, misso cœlitus igne, præsenti sibi acceptum insinuasse: ex victimis Abraham quas lampas index fœderis pertransit media: ex holocausto Noë, cui adstat sponsor pacis, & sub versicoloris iridis monumento, noui diluuij dominus auerruncator: ex hostiis Salomonis, post quas nebulæ Deo grauidæ, caliginosa gloria, vmbrosa, non vmbratilis maiestas aduentarunt: ex Eliæ sacro de aquis superfusis accenso, de humoris scaturigine incinerato. Sub hoc ergo dramatico epulo, vt suprà dixi *vers.*5. & infrà magis probabo, sacrificium intelligitur, cuius fide, & spiritu, non carnibus taurorum, neque hircorum sanguine Deus pascebatur. Supponitur ergo in hoc versiculo, visibili aliqua figurâ oblato sacrificio se exhibuisse præsentem: ad quem proinde natura conuerso sermone rogat, vt mitigandis desideriis locum designet, vbi instar pastoris meridiantis, sæpe & familiariter adeatur, ne inscia post creaturas vagaretur: vtque tempus totum agendo potius impenderet, quàm quærendo. In *meridie* explicando non immoror, quia in similitudine assumptâ tantùm designatur tempus, quando pastor non errat, sed perstat quieturus: quo locus diuinæ assistentiæ frequens, expetitus votis declaratur.

Si ignoras te, &c. VERS.8.

Vide qualis in dramate nō tam obiectam ignorantiam, quàm communem in re simili assumptam loquendi formulam explicarim: idem huc accommoda. Monet ergo Dominus tanquam rem notam, vt dum meliùs, & penitiùs non potest, per creaturas ascendat ad Creatorem: nullam ita vilem, in quâ aliquis Creatoris typus non resplendeat, quæ ad illum tanquam beneficum auctorem non manuducat. Deinde ad Doctores naturam fidelem deducit, qui in Ecclesiâ Pastorum vicem gerunt. Creaturas hoc modo, sub hoc fine tractatas, indicat non nocere, sed proficere: immo nec magistros, si quis proteruus errans conetur impellere in errorem, fidei naturæ sanctæ nociturum. quàm huic rei apta explicatio prioris libri, ibidem legeris.

Equitatui meo, &c. VERS.9.

Addit causam cur securus sit de fide naturæ sanctæ, quia illam sic donis gratiæ præmuniuerat, vt pulchritudine fortis, fortitudine pulchra redderetur: sicut equa alligata currui vtrumque præstat, vt latissime in littera comprobaui. quod additur de Pharaone, ornatus est dramaticæ parabolæ,

bolæ, ſicut ſimilia multa in diuinis aliis parabolis, ideo prætermitto: in his enim ſi omnia ad amuſſim volueris exprimere, non lac, ſed ſanguinem emulgeas. Facile erat excogitare acumina, ſed leuia: ſolidiori cum doctioribus ſtudeo veritati.

Vers. 10. Pulchræ ſunt, &c.

Nullus vel leuiter tinctus myſticorum notitiâ ignorat, nullum clarius, certius nullum boni ſpiritus ſignum in ſecretis viſitationibus inueniri, quàm exercita interim humilitas, & ſuauis humiliationis confuſio feruidè excitata: ſuprema illa maieſtas etiam cùm facilis adblanditur, cum blanda commendat, ſub encomiorum & gratiarum radiis emiſſis animæ, neſcio quomodo propriæ ſuæ vilitatis memorem magis reddit: ſic lux infunditur, vt ſub hac vmbrâ gratius amœnetur: ſic doni extollitur ſublimitas, vt magis dantis dignatio, quàm accipientis dignitas innoteſcat: ſic laudes audit anima, vt has ſibi non audeat arrogare. Audiuit ergo anima commendatam ſe à Domino de fidei, de conſtantiæ pulchritudine, & in ſe ipsâ humillimè, ſed ſuauiſſimè confunditur: aliunde iam ſatis humilis & confuſa, quòd diuino conſpectui vocata admitteretur. hunc ergo illius verecundum pudorem, denuo ſub ruboris genarum ſimilitudine Dominus commendat: ſicut puella in ſponſi conſpectum adducta, perceptiſque ab eo laudibus erubeſcens in dramate de pudibundo colore commendatur. in laudato collo, laudatam intelligo obedientiam. ſic aliqui Patres ad rem ſuam: cauſſam proportionis ibi legeris.

Vers. 11. Murænulas aureas, &c.

Dona ab ipſo accepta, & exercita rectè, donis nouis ſolet Dominus cumulare, & quæ fuit in obſequio accepta gratia, meritum ſit maiori accipiendæ. ſic in hoc loco: fide, conſtantiâ, humilitate, obedientiâ à Deo acceptis rectè vtens natura, ecce nouis muneribus adornatur. Dixi in dramate puellam turturem, ſiue columbam ob pudorem vocatam, murænato torque è turturibus aureis adamantino ſplendore variegatis, (quæſitâ doni, & accipientis gratâ ſimilitudine) donandam celebrari: aptiſſimè ad ſpiritum; quia dona gratiæ à Domino ſuauiter omnia diſponente, quandoque innato accipientis genio accommodantur, vt ita fortiùs finis pertingatur. Scatet in hanc rem Scriptura exemplis nemini non obuiis: do tantùm par gratum è noſtro ſæculo. Ignatius is fuit innata indole, vt vnus pro Rege catholico decertans, propugnandæ Pampiloni hoſtiles impetus retardaret, obſtinatus pulchrè prius animam fundere, quàm fidem frangere: donec fracto crure penè exanimis animoſus adhuc, viribus, non ſpiritibus defecit. Audiui iactare ſolitum tamdiu à ducenda vxore abſtenturum, donec egregiis facinoribus, aliàs illuſtriſſimæ originis ſanguine nihil degener, regiam filiam promereretur: atqui, Regum opima ſpolia deattâ comparaturus, tranſlatus inde in cæleſtem militiam, tyro profundit tartara, & tartaris horribiliorem hæreſim expedita ſocietatis ſuæ acie profligat adhuc: ſpolia in dies diuino ſuſpenſa Phetetrio decantat orbis, qua parte minus inuidus & maleuolus: quidni Imperatricis Eccleſiæ non ignobili filiæ, Religionis tantæ dux, Pater, & ſponſus adueniret? ſic Chriſtus Eccleſiam regit Imperator, quam produxit genitor, quam ſponſus duxit. talis nimirum futurus, qui in Antilutherum formabatur: eodem tempore de vulnere ſanandus, quo Lutherus de hæreſi inſaniturus. Sanxit id myſterij firmo ſacræ apotheoſeos diplomate Vrbanus Antiſtetum Antiſtes, apex Orthodoxorum, fidei lumen, columen ſanctitatis.

Venio ad exemplum alterum: eſto fœmineum, ne ſexus alter gloria defraudetur: Ignatiani ſpiritus generosè æmulam, gloriosè diſcipulam (fatetur ipſa, impudens qui negauerit) appello. Huc adſis ô Tereſia dulcis pectoris mei zelus, & Hiſpaniæ tuæ dulcis ocellus alter: recens Eccleſiæ decus, ſed æternum: monſtrum, ſed vitio carens, admirabile. Cogitabat natura virum, dum hanc formabat: nihil in illa molle, delicatum nihil: ad ſtuporem prodiuit in fœminam: celebris vir futura, ſed virago celebrior. rara auis in ſexu maſculo cor hirſutum, quod tamen, ſi quando, fortioris induſtriæ ſymbolum apertiſſimum: fœmineo, quantum hiſtoriæ memorant, Tereſiam ſi excipis, hoc laudis interdictum. Iam gratia tantam indolem de ignauo ſexu, penè tranſire iubet in virilem: reſtituitur virorum religio, Dux fœmina facti, ſed illa vltra viros præſtantiſſima. iactent ſe Carmelitæ (poſſunt) de origine penè Phœnice, felici penitus: vulgare eſt Religioſis cæteris Patres atteſtari: matrem his non degenerem, vna Carmeli familia proteſtatur: ſummum decus communem laudem ſtemmate nobiliſſimo ſequeſtrare: impius auſus, ſacrilegus conatus, mendacium horribile, ſi quis illis Patrem obtruderet, de matre inſignioribus: cur commiſceas ordinariæ turbæ, numeroſæ farraginis, quos fecit ſors auguſtior ſingulares? maneat, quæſo, rarum iſtud, ratum pariter. parce digreſſiunculæ lector. ad rem redeo: dummodo vt in Ignatio Antilutherum, ſic in Tereſia diuinam Antibolenam venereris. lege auctorem vitæ eius.

Vers. 12. Dum eſſet Rex, &c.

Congratulatur ſibi natura, quod, auſpice gratiâ, in ſacrificali epulo, vbi dominus diſcubuerat, id priùs Deo offerret, quod illius genio conueniret: quod non tam putaret placandum meris victimis, quàm interiori ſpiritu, quem, vt dixi, in illum erigebat: Spiritus enim eſt Deus, & coli vult in ſpiritu, & veritate: id ſibi vult metaphora de odorata nardo, odorato vnguento, id eſt, domino, vt dixi *verſ.* 3. conſecrata. licèt longè aliter ad rem ſuam, tamen hunc accubitum, de Incarnatione explicarunt Beda, & Caſſiodorus.

Vers. 13. Faſciculus myrrhæ, &c.

Vers. 14. Botrus cypri, &c.

Explicantur his odorum ſimilitudinibus diuinæ, vt ſæpe dixi, perfectiones, quas natura fidelis ſummopere diligebat, vt quo iure odore nardi exceptus ſit, intelligatur, id eſt, quo iure ſpiritui perfectiſſimo Deo, ſpiritum perfectum, vt poterat, adhiberet. omnia ex dramate plana. Porrò, quemadmodum ibi dixi ex ipſomet paſtore odorato, nardo puellari nouum & meliorem odorem communicatum: ſic in litterallegoriâ, vbi tot odorata Dei deſcribuntur encomia, nouos ſpiritus ſplendores ſpirituali naturæ intellige communicatos.

Vers. 15. Ecce tu pulchra es, &c.

Gaudet Deus, vt dixi, ita coli; ideo denuo naturam, quod sic fecerat, commendat: laudansque acta probat. quia verò, vt nosti, nihil in interioribus commerciis Deo gratius, quàm quod accipiens dona, non in sui ostentationem, sed in Dei obsequium refundat illa: iterum de columbæ rapinam abhorrentis similitudine laudat naturam fidelem, quia non tam ad dona miluinis oculis, quàm columbinis ad dantem, cui eisdem seruitura, respiciebat.

Vers. 16. Ecce tu pulcher, &c.
Vers. 17. Tigna domorum, &c.

Necessariò hic tibi ad drama recurrendum. Commendata natura, tamquam in gratiarum actionem, denuo Deum collaudat, & commendat, quòd in se, si aspicitur, pulcherrimus instar florum, quibus lectulus amœnatur; quòd etiam latens, decorus ab operibus præsumatur, instar laquearium, quorum lautities de effusis ab occultâ fistulâ, & irroratis vnguentis deprehenditur. Deo autem Verbo ista commodissima, vt dum indistincta illi diuinitatis opera tribuuntur, obturet garrientium ora, quæ filium creaturam, & opus Patris blasphemarunt. Sic primus Cantici Dialogus terminatur.

CAPVT SECVNDVM.

Vers. 1. Ego flos campi, &c.

EXTRA septa illa, & quodammodo templa, in quibus olim fideles adorabant, & sacrificia offerebant, de quibus optimè Bolduc *libro sæpe citato*, agrum quandoque & solitudinem orationi, & precibus diuinis eligebant. patet ex Abraham foris sacrificante, ex Isaac in agro meditationibus intento, ex Iacob, qui montem ingressus non solùm dormiturus, sed etiam orationi, vt interpretes volunt, vacaturus: quorum tenore Christus etiam ad exemplum, in solitudinem & hortum paterno commercio secedebat. ibi ergo diuinas etiam visitationes accipiebant, vt ex prædicto Iacob, ex Helia in Oreb, & aliis locis sacris satis patet. Huc, credo, alluditur in hoc loco. naturæ impensè cupienti commercia diuina, vt superiori capite vidisti, apparet Dominus in agro, & in horto: ideo se florem campi, & lilium conuallium appellans, quia non vt in locis sacrificio publico designatis apparebat, sed etiam in solitudine cerneretur. & bene flos, id est, rosa, silentij nota, huc adducitur, (de quo ad drama) quia præterquam quòd secretissima erant hæc commercia, occultè adhuc Incarnationis mysterium inculcabatur: nec Deus obsequia naturæ sic commendabat, donec Abrahamo factâ expressa promissione, illius obsequium tanquam congruum meritum tanti accelerandi doni collaudauit: vide quàm aptè sub inuolucro dramatis hæc insinuentur. bene etiam lilium, spei symbolum appellatur, quia crebris naturæ sanctæ desideriis, & obsequiis spes crescebat in dies, vt Incarnatio celerior promitteretur. Denique in flore, & lilio non domestico, sed campestri, occultè insinuabatur fore, vt diuinum illud Numen cælestibus quodammodo claustris septum, & occultum; patens, & publicum in campo terræ nostræ appareret: relictoque cæli cacumine, aliquando in conuallibus terrenis splenderet. Fauent dictis Ambrosius, Beda, Cassiodorus, Origenes, Aponius, Cyrillus Alex. Bernardus, qui licèt in serie sua longè aliâ, hæc tamen verba ad Incarnationis mysterium deducunt: compilauit horum mentem Ghislerius *in appendice*. lege quæ optima ad hanc rem habet Alanus *in catenâ Delrij*.

Vers. 2. Sicut lilium, &c.

Consolatur naturam quòd interim Angelis custodibus circumsepta, sicut flos spineo ad defensaculum serto redimitus muniatur: recurre ad drama. quod autem *ibidem* dixi de maiori excellentiâ custoditæ ad custodes, optimè innuit, naturam humanam conditione tunc Angelis viliorem, de Incarnationis gratiâ, & peracto mysterio longè futuram Angelis ipsis excellentiorem. id, ni fallor, expressiùs adhuc voluit significare, dum qui se lilium dixerat, statim naturam lilium appellauit: futurum enim, vt per communicationem idiomatum homo etiam verè Deus diceretur, vocabulaque diuina humanis conuenirent: sic exsufflatur flatus hæreticorum, qui in virginem Theotocon insaniuit. aptè tandem absoluto filiationis vocabulo Angeli exprimuntur, qui apud Iobum filij vocantur.

Vers. 3. Sicut malus, &c.

Optimè præponitur verbum Angelis, qui iterum filiorum vocabulo designantur, idque infinitâ distantiâ vberrimæ vbertatis: quod nostro intelligendi modo, per cultam, & frugiferam malum, perque steriles syluas significatur. quòd autem Angeli omnes hîc filij appellentur, cùm paulo antè custodes dicerentur filiæ, nihil refert: satis res tuta sub filiationis vocabulo; vocabuli verò varietas decori dramatis deseruiuit; sic in Euangelicâ parabolâ, fœmina post inuentum drachmam quod amiserat, conuocat sibi amicas congratulaturas, id est, Christus Angelos suos: minus decorum enim, si aut Salomonicæ puellæ filios sodales, aut Euangelicæ fœminæ amicos adgratulantes tribueret Scriptura. pergo. Gaudet deinde natura sub tantæ arboris vmbrâ, id est, sub tanti Domini gratiâ foueri: licèt enim multi faciat Angelorum custodiam, immensum magis gaudet, quòd sub protectione Altissimi commoretur: nec id sine grata spei allusione ad Altissimi vmbram tempore Incarnationis virgini immissam, sub qua natura assumpta propriè requieuit, & diuinitatis fructum & influxum in ipsa arbore, & fonte degustauit: vsum Scripturæ, loquendi de futuris tamquam de præteritis, norunt pueri. Angelos etiam de filiis intelligit ibi Origenes, licèt non tam de puro verbo, quàm de Christo etiam homine loquatur. aliquid etiam de Incarnatione hîc admittit Nyssenus. Psellius item apud Theodoretum.

Vers. 4. Introduxit me, &c.

In diuinis & mysticis colloquiis, pro vt crescit influxus gratiæ, crescunt animæ effectus: donec per ecstasim, & mentis eleuationem amissâ omni imagine, & fortasse omni intellectus actu, ad vnionem perfectissimam, & sapidissimum amo-

rem

rem deuenit voluntas : ibique inebriata ſobriè elangueſcit. id in hac viſitatione ſibi eueniſſe natura inſinuat : inde amoris ſe ſigniferam proteſtatur, & ſub charitatis vexillo, multos in amorem diuinum poſt ſe tracturam, nunquamque ſic felici muneri defuturam. Vide dramaticam huius loci explicationem. Huc faciunt optimè miſſiones iuſtorum illius æui, impiis ad ſalutem attrahendis, de quibus feliciter Bolduc. cætera quæ in dramate dixi, ſuo ſale huc optimè transferuntur.

Vers. 5. Fulcite me, &c.

Inter myſticos vnionis intimæ affectus, & effectus ſolet euenire, vt de ſpiritus conatu intenſiſſimo, ſic fragilis noſtra conditio deficiat, & penè exanimetur, vt mortis inſtare periculum videatur : interim verò (licèt anima liberè de ſolutione gaudeat corporeâ) neſcio quomodo ipſa naturalis & humana conditio periculum videtur exhorrere, & quodammodo ſibi tacitè opem poſtulare: habes de hoc euentu ſcripta multa apud Euangelicam Sibyllam, myſtarum antiſtitem Tereſiam: lege. Simile aliquid in hac viſitatione naturæ fideli, id eſt, aliquibus priſci æui iuſtioribus eueniſſe puto, auxilium ſub metaphorâ florum & pomorum ab Angelis poſtulantis. Cape & aliam obiter explicationem magnæ Tereſiæ, quam ipſiuſmet verbia refert Epiſcopus Yepes in eius vita *lib.* 3. *cap.* 14 quæ fideliter latinitati donata ſic habeot. *Quorſum, ô ſponſa, ſubſidia poſtulas ad viuendum? ecquam mortem feliciorem optabis, quàm ab amore inflictam? amas, & dum de amore moreris, vitam cupis? Cupio, inquit, & ſeruatam volo vitam, vt impenſius ſeruiam dilecto, vt duriora patiar pro illo.* pergo in primâ explicatione.

Vers. 6. Læua eius, &c.

Interim dum hoc euenit, libertate Iudicij ſe corrigit anima, Deo vocanti, imò trahenti confidit, à quo vnicè ſibi neceſſaria omnia, & vtilia credit & ſperat apparanda. Sic in hoc loco natura fidelis, & maximè ſpe futuri per Incarnationem complexus, animatur : vnde ſibi pleniſſimum ad res omnes auguratur ſubſidium. Origenes in hoc loco ad rem meam ait, fulciri Eccleſiam læuâ, id eſt, fide futuræ Incarnationis : dextera verò foueri, id eſt, notitiâ operum diuinitatis. Simile aliquid Bernardus.

Vers. 7. Adiuro vos, &c.

Explicatur optimè in hoc loco ratio illa, qua Angeli cuſtodes in hominibus gubernandis (nihil refert modò examinare, an id immediatè fiat, an mediatè) à Deo illuminantur : quibus illorum votis annuant, quæ ſint denegaturi : mouentur itaque in hoc loco, vt naturam ſinant languere, & ſuaui deſiderio contabeſcere : *quoad vſque velit*, id eſt, ſuaui fruitione amoris ſatiata & ſaociata amet iterum ad proximorum ſalutate commercium condeſcendere. aptiſſimè verò ſub parabolâ venationis, de qua in dramate, res declaratur: quid enim eſt Angelorum cuſtodia, niſi pia venatio? in hac animæ ab illis inſpirationum iaculis feriuntur, & ad ſacras diuinæ legis adiguntur indagines. & teneerrimè de hoc, tamquam de aliquo ſibi vtili adiurantur, tanta quippe Angelorum beatorum charitas, vt commoda noſtra propria exiſtiment, quibus tamquam re maximopere optabili conſtringuntur. horum omnium, & ſequentium verſiculorum ordinatiſſima ſeries, è primo tibi libro mutuanda.

Pintus in Cantica.

Vers. 8. Vox dilecti mei, &c.
Vers. 9. Similis eſt, &c.

Paſſim te moneo mi lector, vt ad drama recurras. recurſus in hoc loco omnino neceſſarius : ſin minus, hæc aliàs obſcura, fient obſcuriſſima. Quandoque ſolet Deus inter aliquid denuo reuelandum, præteritæ alterius reuelationis memoriam excitare: ſic ad Abrahamum Geneſ. 21. dicitur, *benedicentur in ſemine tuo omnes generationes.* vbi expreſſiùs agitur de Iſaac per originis propagationem futuro Chriſti genitore, cum alluſione tamen ad *cap.* 12. in quo obſcuriùs dictum, *in te benedicentur*, &c. & ad vtrumque locum alludit Deus *cap.* 28. Iacob. dicens : *benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.* imò & ad hanc reuelationem, & ad omnia, quæ ibi euenerunt, excitans illorum memoriam alludit iterum eidem Iacob locutus Dominus *cap.* 31. *num.* 13. exempla alia paſſim inuenies. In præſenti ergo viſitatione, alterius præteritæ viſitationis memoria excitatur: cùm enim ſub nomine caprearum ceruorumque, animæ fugientes, & quodammodo ſilueſcentes, commemorarentur : refert natura fidelis, Deum hinnuli quodammodo, & capreæ celeritate illam inquiſiſſe, quaſi non tam celeres, & ſoliciti homines in fugiendo, quàm in ſequendo, Deus ſolicitus & celer intelligatur : ideo abſolutè capreæ & cerui ſuprà proferuntur, hîc ſaliens in montibus, & colles tranſiliens exprimitur. Quòd autem pro ſerie dramatis, ſermonem puella conuertit ad ſodales, non multum curandum in litterali allegoriâ, vt conuerſio ad Angelos intelligatur. nam præterita (quæ tunc mente euoluebat) quaſi concatenationis filo enarrantur, & narrationis ſeriei ſubnectuntur. Dicitur Deus reſpexiſſe per feneſtras, proſpexiſſe per cancellos, quia non ita clarus & apertus, vt interim oſtendebatur, ſed profundioribus ænigmatibus & figuris, quaſi audiendus magis, quàm videndus ederetur. Certè Incarnationis reuelationes magis ac magis temporis proceſſu iuſtis inclareſcebant, donec Abrahamo apertè tantùm donum promitteretur. imò & ipſa huius myſterij promiſſio magis temporis decurſu, illius ſenſum in benedictionibus ſuis paululum orbi aperuit Iacob. vberiùs Dauid enucleauit, donec alij Prophetæ, maximè Iſaias, Daniel, Aggæus, quaſi ſublato velo patefecerunt. bene Origenes *ibi* ad rem noſtram, *vocem dilecti* refert ad præconia Prophetarum de Chriſti Incarnatione : penè idem Nyſſenus. *Salientem in montibus* penè omnes Patres, vnuſquiſque pro re ſuâ, ad Incarnationem detulerunt. Sic etiam totidem *ſtare poſt parietem*, de eodem myſterio voluerunt explicandum.

Vers. 10. En dilectus meus, &c.

Propoſita enarranda reuelatio, vt dixi, magis erat internæ locutionis, quàm viſionis imaginariæ. Vocabatur nimirum natura fidelis ad hortum, ſiue ad ſolitudinem : id eſt, vt relictis ſæculi tumultibus ſecederet ad orationem ad loca ſolitaria, quod in vſu fuiſſe, monui ſuprà *verſ.* 1. huius cap. vbi diuino commercio magis, ac magis de

Incarnationis mysterio informaretur: & quia ab oratione, & solitudine tantum erat bonum comparatura, sub veris, & amœni campi metaphorâ, delitiæ ibi illi communicandæ obteguntur: delitiæ, inquam, quæ ad Incarnationis notitiam altiùs ebibendam, exhibendorumque tunc effectuum cognitionem contendebant, vt iam expono. Nota verò futura de stilo in Sacris ordinario, tamquam præsentia enunciari.

VERS. 11. Iam hyems transiit, &c.

VERS. 12. Flores apparuerunt, &c.

Quia tempore Incarnationis frigus idololatriæ, rigor & stupor scelerum, imbres, seu fluxus lasciuientium affectuum amouendi: virtutum flores pulcherrimi apparituri: felici putatione, (vide drama) & nouâ inserti gentium surculi insitione fidei Abrahamicæ, & surculus, & truncus ipse feliciùs vernaturi. quæ explicatio quàm sit apta, quàm spiritus plena & litteræ concinens, lector doctus iudicabit ex Paulo *Rom.* 11. *num.* 17. vbi de Oleastro oliuæ inserto disputatur. Tandem diuinus turtur, Spiritus sanctus emittendus, qui gemitibus inenarrabilibus pro nobis postularet. multa in hoc loco apud Patres ad mentem meam, tu lege is.

VERS. 13. Ficus protulit, &c.

In ficu ferè omnes Patres explicant Synagogam: in grossis quos tempore Incarnationis protulit vsque tunc sterilis, Apostolos intelligo cum Philone, Carp. & Aponio: caussam meam subiungo, quia, vt in dramate dixi, grossi sic flores sunt, vt pariter fructus sapidissimi ficûs intelligantur: Apostoli verò à Synagogâ orti, sic fructus fuerunt, vt pariter flores essent, è quibus floribus tamquam fructus, fideles omnes Ecclesiæ erupere. In vineis florentibus, quæ nondum plenos fructus, sed odorem saltem quem habent, emittunt, capio vtramque vineam, Iudaicam, & Gentilem, quarum altera ad primum incarnati Verbi ingressum Pastores misit, altera Magos: (quod de Magis dico, & iam sentit catena trium Patrum.) nam primitiæ erant fructuum, odorati isti flores ex vtroque populo: res digna, quæ in Incarnationis Cantico exponeretur. Quemadmodum autem ex his omnibus dramaticus iuuenis amoris argumenta eliciebat puellæ ad nuptias attrahendæ, vt in primo libro, non infaustè puto, ostendi: sic videtur Deus his promissis naturam fidelem prouocare, vt de diuino commercio augeret virtutes, quibus congruè accelerate Incarnationem mereretur.

VERS. 14. Columba mea, &c.

Allectio iam est aperta, quâ natura prouocatur, vt depositâ ignauiâ, & torpore, per intimum commercium, & virtutes exercitas Deo arctiùs vniatur. his decora, illo dulcis; nulla enim vox gratior sonat Deo, quàm gemitus in oratione ab intimo corde suspiratus: nulla pulchritudo cernitur iucundior, quàm sanctitatis decus, & ornamentum, & sub metaphora iuuenis, cui absque dilectâ puellâ omnes vernæ delitiæ displicebant; prouocat iterum naturam, vt se disponens vnioni hypostaticæ acceleretur, vnde tot delitias, gloriam tantam sibi Deus spectabat.

VERS. 15. Capite nobis vulpes, &c.

Sub hâc similitudine amotas diuinâ prouidentiâ prædicat occasiones, quæ poterant disponendam naturam retardare: excubat enim (vt in tropologico sensu latiùs differam) Deus noster occasionibus culpæ, quantum est ex se, homini tollendis, immittens scilicet lucem, vt lupum sub agno absconditum, Satanam sub angelico fulgore transfiguratum nouerit, & euitet: pulchrè has fallacias sub versipellis vulpis titulo adumbrans.

VERS. 16. Dilectus meus mihi, &c.

Gratum Epiphonema, quo natura recordata quàm indulgenter à Domino haberetur, quàm foueretur suauiter, quasi totus sibi addictus videatur, se totam illi promittit addicendam: idque non sine dulci, & latente suspirio Incarnationis, qua sibi intimè Verbum vniendum, se vniendam iam Verbo, ardenter meditabatur. deinde rogat, vt interim dum illa non disponitur, ipse patienter se gerat, quasi spem fouens: vt enim infrà dicam, sic Verbum incarnari exoptabat, vt dilato tempore, nostro dicendi modo, & desiderio cruciaretur, & spei solamine fotum videretur. huc tendunt quæ in dramate dixi de iuuene, qui spe liliata fouente contentus esse iubebatur.

VERS. 17. Donec adspiret dies, &c.

Pulchrè, aptè. Sub metaphorâ cautæ puellæ, quæ amatoria colloquia celata cupit, & furtiuos sermones non iactatos, denotatur secretum quo iusti illius æui Incarnationis mysteria occultabant, nec vulgaribus turbis illud nisi ænigmaticè, & ingenti vrgentis caussæ pondere profetebant. ideo enim, vt Patres habent, mysterium Trinitatis illis expresè non traditum, ne gens idololatriæ impensè dedita, tres sibi Deos poneret adorandos. ob eamdem caussam Angelorum creatio subticetur: imò ideo ab eiectione Adami vsque ad Abrahamum, nullum cum hominibus legitur cælestium spirituum commercium, quia, vt habet Iobius Monachus apud Photium *Cod.* 222. tenera fides in illorum adorationem laberetur, donec clariùs promissi Christi fulgore, irradiata fides roboraretur: multo ergo magis cauendum, ne gens iam hominem coleret, quem (non ita, vt tempore Abrahami illuminata) postea futurum Deum audiret: in tantis scientiæ tenebris, debitum cultus tenorem, & modum iustum habere nescitura. has, credo, tenebras per vespertinum tempus, & noctescentem diem parabolica littera explicauit.

Habes amores, ardentiaque Dei & naturæ desideria, quibus ab Adamo vsque ad Abrahamum Incarnatio ardenter fuit suspirata. Sequuntur iam promissionis gaudia, quibus iusti ab Abrahamo ad tempus vsque Christi exultabant, quæ dramatis sponsalibus respondent: ab hinc enim propriè desponsatum naturæ Verbum intelligitur.

INCAR

INCARNATIO FELICITER PROMISSA.

CAPVT TERTIVM.

VERS. 1. In lectulo meo, &c.

CVM, vt ſuprà dixi, & paulo antè iterum inculcaui, iuſtis Incarnationis myſteria occultè, & ænigmaticè ſatis inculcarentur, vulgo autem rarò, idque leuiſſimè tangerentur: videbatur natura fidelis quodammodo per ſomnia rem percipere, & ſomniatæ gloriæ adſpirare: vbi autem expreſſam, & claram in Abrahamo promiſſionem accepit, & incarnandi Verbi ſponſionem quaſi vigil, & inaperta luce perciperet, exultat, & vera ſibi ſomnia facta, veras vmbras, ænigmata vera fuiſſe adgratulatur; ſic paſſim loqui ſolemus, cùm de ſpe aliquâ dubiâ, & occulta, in apertam promiſſionem, & pene poſſeſſionem tranſimus, *videor iam è ſomno emerſiſſe.* Sic de Iacob, qui dubias, & tenuiſſimas ſpes viuentis Ioſephi ſui fouebat, cùm reuera viuere audiuit, certámque videndi eum ſpem concepit, ait Scriptura: *quo audito Iacob quaſi de graui ſomno euigilans, tamen non credebat eis,* Geneſ. 45. num. 26. quamuis hic locus aliter etiam veniat interpretandus. Iam lector iudicet, quæ aptior in hanc rem ſimilitudo afferri poterat, quàm puellæ quæ optatam ſponſalium ſolennitatem adepta, ſomnium refert, quo id ſibi ænigmaticè fuerat repræſentatum. Singula ergo ſolitâ breuitate percurramus. *In lectulo*, inquit, *per noctes*, id eſt, quaſi noctu ſopita, inter vmbras, & figuras ſomniorum inſtar tenues, Redemptorem quærebam ardenter dilectum, nec quomodo, aut qualis futuros eſſet, clarè inueniebam.

VERS. 2. Surgam, & circuibo, &c.

Circuibat natura quodammodo dormiens, id eſt, tenuiter illuminata, omnes orbis totius terras, ſi forte quem iuſtorum inueniret, qui expreſſiora aliqua ſigna notitiam clariorem dilecti Redemptoris ſortiretur. nuſquam erat: omnes ænigmata obſcura, & ad ſummum, velut facta ſibi ſomnia enarrarent, ſi quid enarrarent.

VERS. 3. Inuenerunt me, &c.

In his cuſtodibus impios miniſtros intelligo, immò & dæmones, qui huius mundi principes tunc erant, à quibus natura vulnerata, & ſpoliata eſt, vt infrà dicitur *cap. 5.* quia erroribus, & prauis opinionibus, dum contra fidem iuſtorum decertabant, non ſolùm notitiam Redemptoris non præbebant, ſed quodammodo illius ſpem extenuabant, quia quidquid erat per traditionem ab Adamo, Seth, Enoch, aliiſque Patriarchis inculcatum, vanum & deridiculum eſſe effutiebant: hoc autem erat iuſtos, quantum eſt ex ſe, vexare, & ſpe optimâ ſpoliare. Sed quomodo, inquis, ab his talibus inquirebat, *numquid*, &c. non tam quærit ſollicitè, vt apud illos inueniat hanc notitiam, quàm vt quærendo, & arguendo, illam eiſdem impertiret: ſic ad rem ſuam longè aliam; verba iſta interrogatoria explicat Giliberrus *ad hunc locum.* lege apud Iacobum Boldoe *libro* ſæpe *citato*, labores, *Pintus in Cantica.* quibus iuſti procurabant, fidem & doctrinam id temporis impiis reſtituere. mentem meam, vous, quem viderim, fouet & patrocinatur D. Iuſtus Orgelitanus: do eius verba, præter morem meum in hoc ſecundo libro, vt clariùs temeritatis notam effugiam: ergo ille ita hunc locum paraphrazat. *Diſputauerunt contra me ſæculi ſapientes, idolorúmque cultores, multa inaniter perſcrutantes, pluresque libros irritis laboribus conficientes. quibus dixi: Cur incaſſum ſuperfluo labore vexamini? num quem diligit anima mea vidiſtis? quandoquidem falsò nomine ſapientia gloriamini: ſtultam fecit Deus ſapientiam veſtram, quia Chriſtum inuenire illic, non valuiſtis.*

Paulùlum cùm pertranſiſſem, &c. VERS. 4.

Pertranſire impios, eſt relinquere illos, & ſpernere, ſpeique diuinæ fomenta, in fidei ductu, tanquam in ſacrâ anchorâ perquirere vlteriùs. Simili ſignificatione hoc verbum ad hunc locum capiunt ſancti Patres. Huc vbi faciebat natura, nouis ac nouis meritis cumulata, clariuſculè inueniebat dilectum, tenebatque firmâ fide, ſpe ſecurâ non dimittendum, donec dictum illud à Deo de fœminâ ad ſerpentem, *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*, Geneſ. 3. n. 15. planiùs intelligeret: quibus ex verbis augurabatur futurum, vt Deus filius mulieris haberetur, non quòd tunc illum eſſet dimiſſura ſimpliciter: ſed quaſi demiſſura cognitum per ænigmata & figuras, vt apertiùs cognitum, arctiùs apprehenderet: nam *τὸ donec* in hoc loco, & paſſim alibi, vt ſæpe notant interpretes, non excluſionem deinceps futuram adſignificat, ſed etiam incluſionem. Porrò in hac Matre, & Genitrice, Deiparam potes intelligere, quæ totius naturæ per gratiam regeneratrix, illius Mater meritò appellatur. quaſi dicat: Sic obſcurè cognitum, & inuentum tenebo arctè, donec clarè audiam, percipiam diſtinctè ipſum in vtero matris meæ incarnatum, mihi vniendum: neque tunc illum, ſed has tenebras dimittam. hoc ergo factum, factâ expreſsâ & iurata promiſſione Abrahamo, de quo exultat natura, quaſi iam ſua illa quodammodo ſomnia, felici exitu videret confirmata: hoc enim colligitur ex ſponſalibus in hoc capite feſtiuè laudatis, quaſi paulo antè inirentur, de quo in dramate fuſus diſputaui.

Adiuro vos, &c. VERS. 5.

Hæc eſt alia Dei illuminatio, Angelos inſtituens, qualiter deinceps naturam ſint illuminaturi: quæ licèt ſomnia quodammodo priſca, id eſt, figuras & ænigmata pertranſiret, iam clarè Verbum futurum hominem intelligens: adhuc tamen profundiora huius myſterij ſacramenta ignorabat, reſpectúque claritatis, qua infundenda ipſo Incarnationis tempore, adhuc in vmbra, ænigmate, & ſomnio degebat. *τὸ donec velit*, id eſt, donec liberè ſe per Sanctorum merita velit diſponere, vt Incarnationis tempus acceleretur, & relictâ illâ vmbrâ, qua placebat, vigil claritatem perciperet ampliùs placitura. Seriem ex dramate addiſces.

VERS. 6. Quæ eſt iſta, &c.

Incipit ſponſale carmen, id eſt, feſtiuæ Angelorum acclamationes, quibus commendatæ ſibi naturæ adgratulantes extollunt felicitatem: comparant eius virtutes odorato germini vndique radios iaculanti, & emittenti odores, quia Abrahamicæ fidei lumine, Iſaac obedientiæ fulgore, Iacobi tolerantiæ ſuauitate, Ioſephi caſtitatis floribus, & aliorum Sanctorum, vſque ad Chriſtum meritis coronata refulgebat, & ſuauiſſimos ſpargens odores confragrabat.

VERS. 7. En lectulum, &c.
VERS. 8. Omnes tenentes, &c.

Alternis reſpondent Angeli alij Incarnationis myſterij adminiſtri: huius chori Gabriel choroſtates, qui *fortitudo Dei* ipſo titulo decoratur: quidni alij ſimiliter fortiſſimi eligerentur? hi ergo ſub metaphora ſponſi in curru amicorum armatorum cateruâ ſtipato venientis, celebrant immenſum charitatis affectum, quo impulſus, & quodammodo vectus Deus naturæ fideli ſe promiſit, paratis Angelis fortiſſimis ex *Iſraël*, id eſt, non ſolùm Deum videntibus, ſed magis apud ipſum fortiſſimis, (id ſonat *Iſraël*) qui impedimenta in mundo, ſuaui diſpoſitione amouerent. ex horum numero, credo, erant illi, qui Iacob in terram ſuam introduxerunt, vt ibi quietè, & deuotè Deo ſeruiret, filios piè inſtitueret, vnde genus ſanctum propagandum, ex quo Chriſtus oriturus: ideo de illis Iacob tamquam de armatis, & fortiſſimis ait: *Caſtra Dei ſunt hæc*, Geneſ. 32. num. 2. tales & alij, qui paſſim in Scripturâ leguntur armati pro populo fideli decertaſſe. tales & illi, qui cum Angelo (Gabriel putatur) Paſtoribus luciflua virginei partus nocte viſo, conuenerunt: ideo ſignatè in Euangelio multitudo cæleſtis militiæ appellantur. Rupertus *in hoc loco*, etiam ad Incarnationem viſus declinare, dum lectulum iſtum de beata Virgine vult explicandum.

VERS. 9. Ferculum fecit, &c.
VERS. 10. Columnas eius, &c.

Sequor, non ad illius mentem, ſed vt inde Incarnationis meæ myſteria enucleem, explicationem paraphraſis Chaldaicæ, quæ ad hunc locum ita, *Templum Sanctuarij ædificauit ſibi Rex Salomon, de lignis cedrinis, & arceuthinis & pinis quæ adducuntur de Libano, & operuit illud auro puriſſimo, & poſtquam conſummauit illud, poſuit in medio eius arcam teſtimonij, quæ erat columna ſæculi, & in medio eius erant duæ tabulæ lapideæ, quas repoſuit ibi Moyſes in Oreb, quæ erant pretioſiores argento purgato, & pulchriores auro optimo, & extendit, & obumbrauit ſuper eam velum hyacinthinum, & purpureum.* Salomonis Templum, vbi Deus id temporis inhabitabat, figuram fuiſſe humanitatis aſſumendæ, in qua Verbum corporaliter per vnionem hypoſtaticam habitauit, ignorat nemo: huc enim ipſe Chriſtus alluſit, cùm de ſolutione ſui corporis, ſub metaphora templi triduo reædificandi diſſerebat. huc ergo in hoc verſiculo alludunt Angeli cuſtodes (ſic enim promiſſa Incarnatio celebratur, vt tempora omnia, quod ſuprà monui, & inſignia quæuis interim edita, in vnum congerantur) ex auguſtâ ferculi, ſiue templi maieſtate, & arcæ ac propitiatorij collocatione, auguſtam humanæ naturæ dignitatem de vnito & inhabitante Verbo celebrantes.

Egredimini, & videte, &c. VERS. 11.

Notæ ex Scripturâ apud Pſalmiſtam, & apud Danielem piæ Angelorum altercationes, & colloquia: malunt ergo Angeli Incarnationis adminiſtri, vt à figurâ in figuratum aſcendatur, & verus Salomon mne promiſſus, & deſponſatus, auguſtius longè humanitatis templum ſibi deſtinans, contemplationis oculis adeatur: idque ſub ſimilitudine iuuenis deſponſati, coronati, & læti; quia noſtro dicendi modo hilareſcit Deus, dum maiora in homines irrogat beneficia, & bene *lætitia cordis* dicitur, quia filius promiſſus, (cuius maior quodammodo exultatio) cor patris eſt, certè in corde & ſinu eius reſidet. qualiter autem ad rem meam, diadema hoc ad naturam humanam, quâ induendum, & coronandum erat Verbum, referant ſancti Patres, ignorat nemo. pluſculos in appendice citat Ghiſletius.

CAPVT QVARTVM.

Quàm pulchra es, &c. VERS. 1.

SVa parabolâ iuuenis deſponſatæ ſibi virginis encomia lucubratiſſimo carmine proſequentis, commendat Deus naturæ iuſtæ dotes, cum attentione præcipuè ad humanitatem Verbo vniendam, in qua excellentiſſimo modo virtutum omnium genera ſplenduerunt. Laudatur ergo in oculis ſimplicitas & puritas intentionis, nihil rapaciter ſibi intendentis, ſed dirigentis omnia ad Dei gloriam. in crinibus, multiplicitas curarum & cogitationum, quæ quamuis variæ, & diſperſæ, dum tamen prælaudatæ intentioni ſubduntur, in vnum & rectum ſcopum collimaſſe intelligendæ, Superis anhelantes. in his, & quæ ſequuntur huius capitis, ſanctorum Patrum veſtigiis adhæſi multus.

Dentes tui, &c. VERS. 2.

In dentibus ordinatis, candidis, minutis, ſanctarum meditationum capio exercitia, ſub debito ordine, exactâ puritate, humilitate eximiâ procedentia: his enim quodammodo myſteria diuina ruminantur, & in cibum animæ ſolidum diſponuntur.

Sicut vitta coccinea, &c. VERS. 3.

In labiis rubentibus, & accenſis accipio affectus cordis ignitos: in eloquio dulci, verba inde aut internè, aut externè ſuauiter ſuſpirata: in genis, exteriorem modeſtiam latentis intus virginalis indicem pudoris.

Sicut turris, &c. VERS. 4.

In collo, obedientiam explico humillimè Dei iugo ſubiectam, & ſanctâ quâdam ſuperbiâ contra immiſſos obices erectam: contra dæmones eiuſque miniſtros armatam, & ſæuientem, à quibus trophæa glorioſiſſima reportat. vide drama.

Duo vbera, &c. VERS. 5.
Donec aſpiret, &c. VERS. 6.

Vbera

Vbera capio de exemplo, doctrina, & ſimilibus charitatis miniſteriis, quibus iuſti perfectiores cunctant proximos, & Deo nutriunt: quæ tamen vbera, virginea & ſtantia in dramate dicuntur, quia nihil interim e commercio peccatorum quos tractant, quibuſque ad maiorem Dei gloriam impenduntur, participant flaccidi, nihil mollis, ſed dum læſis conſulunt, illæſa perſeuerant, idque vſque ad veſperam, id eſt, vſque ad mortem. his ergo curis proximorum ſaluti intentis, vnde maximam Deus percipit voluptatem; omnes odores, & victorum ſuauitates Deus pro præmio promittit, & apparat, maximè, mortificationis perfectæ myrrham, attentæ orationis thus: quæ duo præcipuè animarum curatoribus neceſſaria, concinit drama optimè.

Vers. 7. Tota pulchra es, &c.

Hic verſiculus, licèt ſuo ſale perfectiori, cuiuis animæ valeat accommodari: reſpicit tamen præcipuè indiuiduam naturæ noſtræ partem, quæ immaculata in virgine Deiparâ reſplenduit, vnde & Chriſti immaculatiſſima humanitas dimanauit. Sola quippe Maria inter humanas purè creaturas totius expers maculæ, quæ originalis immunis culpæ, quam Eua innocentiam amiſerat, inuenit felix, imò phœnix: nam quaſi ab odorato Spiritus ſancti incendio inſtar Arabicæ auis natura noſtra in virgine, ipſa, & non ipſa reſurrexit: ipſa, quia ab Adami origine: non ipſa, quia abſque Adami vetuſtate noua remeauit.

Vers. 8. Veni de Libano, &c.

Factâ in Deiparæ ſpeciali elogio mentione humanitatis aſſumendæ, rapitur noſtro loquendi more Deus in ardorem, vt tempus iam iam accedat Incarnationis, quando natura quodammodo de loco, & conditione ſuâ exiturа, vt diuinitatis ſerto coronetur, quæ diuinitas corona eſt, & deſiderium collium æternorum, Libanique cæleſtis, leonibus iam & pardis ſuperatis. In quo, ſi me mea non fallit opinatio, alluditur ad bellum illud, quod Michaël & Angeli confœderati piè indixerunt Draconi & Angelis eius, quoſque tandem fauſtiſſimè debellarunt. Certè impij Angeli, apoſtatæ ſpiritus qui Chriſtum ſibi initio creationis reuelatum adorare noluerunt, ex ſe quodammodo diuinitatis coronam humanitati ponendam prohibebant: ab horum ergo prauis opinionibus, tamquam è ferarum vnguibus eripitur, & paratus humanitati corona, dum Incarnationis decretum fixum perſeuerat, & in ſerpentibus ſiue dæmonibus ſuperatis, ſerpentina hæreticorum omnium venena ſuperantur. res digniſſima, quæ in Incarnationis Cantico innueretur, & aptiſſimè, meo iudicio, inculcata, ſub iuuenis metaphorâ, qui de ſpeluis leonum & pardorum dilectæ ſponſæ coronam comparat preciofiorem, de quo fusè primo libro.

Vers. 9. Vulneraſti cor, &c.

Signatè *cor*, id eſt, Verbum, vt ſuprà dixi, quia Verbum & filius in corde Patris, & noſtro dicendi modo, vtpote ſolus incarnandus, ardentius amabat. repetuntur deinde ferè eædem laudes, quas antea dixerat, quia in humanitate Chriſti, iſtæ longè perfectiores, quàm in omnibus aliis iuſtis ſplenduerunt: vnitas & intentio (in oculis declarata) qua humanitas Deo attendebat, illam quodammodo amore transfigebat: cogitatio & cura (in crinibus intellecta) qua illi ſeruiebat, ipſum tenerrimo affectu concatenabat.

Vers. 10. Quàm pulchræ, &c.

Iam ſollicitudo, & cura animarum, doctrinaque diuina, quibus Chriſtus homines inſtituit, & penè diuino quodam, & lacteo charitatis vino inebriauit, non tam mammarum lacti, quàm mammis vinum generoſiſſimum effluentibus comparatur. Sic odor virtutum eius, omnibus virtutum odoribus antecellit, longo diſcrimine Angelicis præcellentior.

Vers. 11. Fauus diſtillans, &c.

Quæ verò faui dulcedo, quæ mellis lacte mixti ſuauitas, eum illius verbis, & promiſſionibus comparabitur, quibus Deum beatarum animarum pacificum iam fecit poſſeſſorem? modeſtia, & exteriores eius gratiæ, veſtimentorum nomine explicantur, ni fallor.

Vers. 12. Hortus concluſus, &c.

In horto concluſo nullis aut hominum, aut beſtiarum prætereuntium pedibus penetrabili: in fonte ſignato leuiſſimum etiam puluerem arcente, à quouis tactu immuni: impenetrabilitatem ad culpam & iam leuiſſimam naturæ illius impeccabilis declaro: repugnat enim Chriſto culpa, quem aduerſarij non ſolùm non conuincere, ſed nec etiam arguere meritò poterant de peccato.

Vers. 13. Emiſſiones tuæ, &c.

Vers. 14. Nardus & crocus, &c.

In his emiſſionibus miracula, & opera cælitus prodigioſa capio, quibus Chriſtus latentem intus diuinitatem propalabat, vt meritò inexcuſabiles redderentur (vt ſæpe ipſe dixit,) qui ab operibus ipſum non cognoſcerent, quandoquidem illa fecit quæ nemo alius, de quo paſſim in Euangelio. illorum quæ dico guſtum non percipies, niſi dramaticæ expoſitionis memoriam reuocaueris. Vide *verſ. ſeq.*

Vers. 15. Fons hortorum, &c.

Quod de horti emiſſionibus, idem de aquis è fonte ſcaturientibus dicendum: imò & recurre ad famam & rumores gratos, quos piæ turbæ de vita & doctrina Chriſti ſpargebant. Poſſes & in eſca emiſſâ ab horto, & in poto è fonte deriuato, operum opus, & miraculorum miraculum intelligere, Euchariſtiam ſcilicet ſub vtraque ſpecie, cibi & potus, inſtitutam: qua maximè Chriſti diuinitas & amor fidelibus ſaltem innoteſcit.

Vers. 16. Surge Aquilo, &c.

Vide omnino drama. In Aquilone vento laſciuo, turpitudinem flante à Chriſti humanitate penitus amoto, capio ſingulare priuilegium, quo à virgine matre editus, nutritus, conceptus, vt ita vndique illibatos virginitatis penè incogniræ erigeret primus publicum vexillum, & cæleſtem virtutem terris immiſſam, parthenicâ prædicatione

inculcaret. ab hoc horto virginitatis lilium integrum, candidum, odoratum communicatur hominibus, ab illo immarcescibilis flos vernat, olim passim per ignorantiam conculcatus: hinc iam non vermescit carn', sed spiritus integritate perennans amœnatur, gestum dignissimum vt ad Incarnationis gloriam vocaretur. In Austro diuinum Spiritum flantem intelligo, qui Conceptionem Christi obumbrauit, in quo pleniſſimè moratus, vt tot dotium odores mundo spargeret, funderet aromata. Fauent dictis pro parte nonnulli Patres. magis ad palatum nostrum Honorius in catena Delrij, licèt non tam humanitatem, quàm Mariam intelligat: *Auster, id est, Spiritus S. hortum meum possideat, & fluant aromata illius: per te meus incarnetur vnigenitus.*

CAPVT QVINTVM.

Vers. 1. Veniat dilectus meus, &c.

Va similitudine puellæ ad dictas sibi laudes, de inoato pudore erubescentis, alióque laudantem impellentis, de quo in dramate, describitur humilitas naturæ fidelis, & maxime humanitatis Christi, qui se, apud Prophetam, vermiculum reputabat. De eo autem visa præcipuè confundi natura humiliter, quod conditione corporea deterior, per gratiam, & maximè per vnionem hypostaticam Angelis præponeretur, vt suprà dixi. quasi ex se digniores Angeli, qui apprehenderentur: vnde illis noua beneficia exoptabat, vt in horto, id est, inter delitias nouasque accidentales glorias, hilariùs haberentur: huic ergo voto iam respondet Deus, sub metaphorâ sponsi amicos inuitantis, & opiparè in horto illos conuiuio excipientis, quia de reuelatione Incarnationis hominibus facta, déque eius promiſſione faustè stabilitâ, mille accidentales gloriæ Angelis accreuerunt. Aduentum Verbi in hortum explicant de carne aſſumptâ per Incarnationem Aponius, Rupertus, item Cæsarius, & Athanasius apud Ghislet.

Vers. 2. Ego dormio, &c.

Stimulata natura fidelis laudibus sibi à Domino decantatis, vt illi pro viribus totidem referret, reuocat in memoriam somnium, id est, statum illum primum desideriorum, (de quo præstrictiùs egit *cap.* 3.) vt ex mundo quo tunc se gerebat erga Deum, & quo erga illam se gerebat Deus, eius laudes & encomia aucuperur: quàm verò aptum natum huc veniat drama, ex primo libro discis. ergo tunc quasi inter tenebras, & ænigmata dormiens, vigili tamen curâ & affectu suspirabat: ad quam interim, vt dixi, vox diuina pulsans, & sollicitans, vt se ad Incarnationem accelerandam virtutibus disponeret, tamque benignum hospitem exciperet: quasi ipse (idque pulchrè sub metaphorâ iuuenis noctu ad ostium dilectæ laborantis) interioris amoris pondere arctaretur, & immenso desiderio cruciaretur. nam de charitatis ardore, dum differebatur Incarnatio, quodammodo ipsum Verbum affligebatur: vnde illud Psalm. *Distulisti Christum tuum*, 88. num. 39. vertunt LXX. *Iratus es contra Christum tuum*, de quo meus Meodoça in suo viridario *Peruigil.* 5. *Natiuit.* its habet: *Quoties enim æternus parens filium suum in cælo detinebat, toties illum cruciabat desiderium.* do pulchrè scribentem, quem pulchriùs recitantem hoc ipsum peruigilium olim discipulus audiui. Rupertus hic, & Bernardus *homil.* 4. super *Missus est*, hanc apertionem de suscipiendo Verbo per Incarnationem explicatur: vide alios in catena Delr.

Expoliaui me, &c. Vers. 3.

Sub parabolâ frigidè se excusantis puellæ, humiliter fatetur natura fidelis, quàm essent friuola, futilia, & nugatoria, quæ ipsam à se disponendo, vt dilectum exciperet, retardabant. in his & similibus suprà, nihil opus puto singula verba premere, cùm dicta pleno mysterio sufficiantor declarando, & in parabolis ennda semper premere, fortasse sit magis acuminis humani, quàm diuini Spiritus.

Dilectus meus, &c. Vers. 4.

Notantur tacitè & occultè inspirationes quibus natura sollicitabatur, quibusque illa tandem commoto corde respondebat. de his inspirationibus ad hunc locum grauiter & planè theologicè Gilibertus, penéque eum Societate nostrâ, auxilij efficaciam de temporis congruentiâ, & aliis circumstantiis expendens, & expediens. Manus hîc immissa de Verbo incarnando explicatur *in catena Delr.* lege. & meritò, sæpe enim in diuinis litteris filius *dextra Patris* appellatur.

Surrexi vt, &c. Vers. 5.

Vide seriem nostram libro primo: ait ergo se his inspirationibus commotam, quæ lenia priùs formidabat, grauiora intrepidè aggressam durissimis pro Domino subeundis se disposuisse: quod ex iis, quæ de dramatica puella dixi, satis allucebit.

Pessulum ostij, &c. Vers. 6.

Solet Deus quandoque (augendo de probatione merito) intensioribus quæ eotium affectibus quodammodo se subtrahere, & occultare: priscis desectibus tunc luendis, quando eisdem acriùs dolentibus, & pœnitudine desletis, maior videbatur Domini sollicitati teneritudo: vnde qui etiam in medio desectulorum vocans suauiter, mollitet eliquescere videbatur, in eorum pœnitentiâ vocatus anxiè quodammodo obdurescit. nemo vel leuiter spiritualibus deditus, hoc quod dixi, in semetipso non fuerit expertus. hoc ergo sibi euenisse natura narrat. Cur autem Deum, & non naturam liquescentem hîc explicem, ex dramate clarebit, inde necessariò repete.

Inuenerunt me, &c. Vers. 7.

Hoc temporis permisit etiam (sic solet euenire) vt acriores hostium insurgerent tentationes & persecutiones, quæ sub vulneribus & spoliatione puellæ declarantur. de his custodibus dixi iam suprà *ad cap.* 3. vbi idem euentus breuiùs describitur.

Adiuro vos, &c. Vers. 8.

Enarrat natura fidelis, quid tunc faceret: scilicet conuertebat se, vt solemus, ad cælestis Ierusalem

salem accolas, id est, sanctos Angelos, vt preces, & affectus suos Domino repræsentarent. res clara.

VERS. 9. **Qualis est dilectus, &c.**

Cupiunt Angeli, non quod ignorent, sed vt nos recolendo arctius afficiamur, vt identidem quæ de Deo sentimus, recolamus. eò tendit huius loci interrogatio. & aptissimè Verbum, siue filius, qui Deus de Deo, lumen de lumine, appellatur dilectus ex dilecto.

VERS. 10. **Dilectus meus, &c.**

Incipit iam exornatiuam laudationem, cuius caussâ hæc omnia enarrarat: series, vt semper, ex dramate patebit. Verbum meum ante Incarnationem descriptum volo: quo iure, lector prudens ad rem meam iudicauerit. dicitur Verbum, siue Dei filius *candidus*, quia candor est lucis æternæ, speculum sine macula bonitatis & substantiæ paternæ, vt Sapiens loquitur: *rubicundus* de ardore dilectionis erga Patrem, cum quo Spiritum sanctum, amorem æternum comproducit: potest etiam rubicundus intelligi de charitatis incendio erga creaturas, & maximè de Incarnationis flammato desiderio, vt sæpe dixi: *electus ex millibus*, quia præ illo omnia creata se ambientia natura spernebat.

VERS. 11. **Caput eius aurum, &c.**

Caput, id est, principium filij, Pater est: *aurum*, quia indiuisæ, sed communicatæ diuinitatis aureæ fons emanans, perennis origo: quod enim in quouis genere principium est, caput appellatur, & bene in sacris diuinitas aurum appellatur de excellentiâ rerum omnium, plusquam aurum cæteris metallis anteponitur. *Comas* semper, vt supià, explico de cogitationibus: in hoc ergo loco cognitionem illam Patris capio, ex qua procedit Filius. hæc cognitio, quia altissima, & profundissima, palmæ comparatur, & quia non vestigabilis nobis, & obscurissima, nigredini coruinæ assimilatur: si enim Deus, quia secundùm quæuis sua inscrutabilis, in nebulâ & in tenebris dicitur apud Scripturam habitare: quam nobis tenebriensa, & obscura, ac proinde nigra cognitio illa quodammodo, quâ Pater se creaturisque cognitis filium produeit?

VERS. 12. **Oculi eius, &c.**

Dixi in dramate vocari oculos Iuuenis columbas, quia ibi puellam, siue columbam suam semper gerebat, cuiusque isti imaginem, induentes quodammodo columbescebant: nihil aptius explicandis Verbi amoribus, & pio charitatis respectui: quod sic visum curare naturam, vt illam in oculis gerere videretur: vnde illud Zachar. 2. n. 8. *qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* huc allusit Moyses de Deo populum protegente locutus. *& custodiuit quasi pupillam oculi sui*, Deuter. 32. num. 10. Dauid item, Psalm. 16. num. 8. *Custodi me vt pupillam oculi.* Bene ergo natura, quæ columbæ nomine appellatur, in oculis gestata, & illis quodammodo imaginem suam imprimens diuinos oculos quodammodo in columbas efformabat.

VERS. 13. **Genæ, &c. Labia, &c.**

In genis barba inumbratis virilitatem & fortitudinem homo ostendit. hoc ænigmate ergo robusta Verbi potentia declaratur, sed illa mitis, & ad bonum procliuis, ideo, vt in dramate probaui, vnguentorum suauitate dicitur delibuta. in labiis & verbis, capio suauissimas & medicantes inspirationes, quas è corde piissimo nobis fundit, omni myrrhâ salubriores.

VERS. 14. **Manus, venter, &c.**

In manibus aureis, & tornatilibus opera intelligo diuina affabrè facta, quæ indiuiduus filius cum Patre & Spiritu S. operatur, facessat Arrius, & impij sequaces, qui Verbum à quo facta sunt omnia, factum blasphemauit. in ventre, siue pectore eburneo Sapphiris cælestis coloris adornato: viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos, oriens ex alto cælo denotantur.

VERS. 15. **Crura, species, &c.**

Crura stantia sicut columnæ super bases, illius denotant constantiam, & firmitatem: esse nimirum quoddam stabile & immutabile, quia solus Deus est, qui est. *species vt Libani*, id est, ædificij in saltu Libani, de quo in dramate, quia instar perfectissimi palatij absolutum: imò & palatium, in quo nunc habitamos per gratiam, & postea per gloriam inhabitabimus.

VERS. 16. **Guttur illius, &c.**

In gutture suauissimo sponsi dramatici explicaui vocem eius dulcem, claram, sonoram, dum loqueretur, vnde à quouis clarè noscitabatur: quasi non solùm verba à labiis myrrhatis, & liliatis funderet, sed & hæc sub vocis dulcedine gratiosiora. Sub quo videtur innui ad mysticum sensum, non solùm internas inspirationes, à diuino Verbo nobis immissas, & verba suauissima, quæ paulo antè in labiis explicaui, gratissima, & salubria esse: sed etiam modum, & tenorem quo nobis imprimuntur, suauissimum esse, & vnde optimè auctor cognoscatur. re enim verâ, intimus ille illapsus, loquentis Dei, si expertis credimus, longè differt à quibusuis aliis mali spiritùs loquendi rationibus, quidquid illas conetur assimilare. nescio quomodo se iste prodit, & etiam sub optima apparenter inspiratione, modestissimisque verbis, animam conturbat: quod longè aliter euenit in diuinis. Cur autem filio potius, quàm Patri, aut Spiritui sancto, interna locutio ad iustos in hoc Cantico tribuatur, illa videtur, quia iste in diuinis, æternus sermo, æterna Sapientia, & qui ferè ab omnibus sanctis Patribus, Ecclesiæque Doctoribus, expressior olim cum Patriarchis egisse, & illis apparuisse celebratur. in hanc rem, & similes adducere Patrum, siue Doctorum verba, (quidquid amici moneant, quidquid mordeant æmuli) iam nullius operæ pretium existimaui, vt mallem non legi vlli, quàm alicui politiori fastidire.

VERS. 17. **Quò abiit, &c.**

Vt instigent diutiùs cogitando de Deo, id quærunt Angeli. Sed aptè subiicitur responsio: quid enim diceret natura, cùm de Deo, siue de interno Spiritu loquente, nesciat homo, vt habet Euangelium, vnde veniat, aut quò vadat. concinit dictis drama. Habes de promissa Incarnatione, siue de sacris sponsalibus, quæ docto sufficiant: huic tantùm litterallegoricum hunc librum destinaui.

INCAR

INCARNATIO SALVBRITER PERACTA.

CAPVT SEXTVM.

VERS. 1. **Dilectus meus, &c.**

HÆc eſt iam vltima pars Cantici, & illa duabus præteritis longè dignior, & excellentior, vbi peractæ iam Incarnationis (poſtquam feliciſſimo connubio natura Verbo aſſumpta in vnitate perſonæ, eidem copulatur) celebrantur myſteria: hæ ſunt nuptiæ, quas fecit diuinus Rex *Matth.* 22. *num.* 2. filio ſuo. quamuis autem omnia in inſtanti Incarnationis ſimul peracta fuerint; cùm tamen ſub humanarum nuptiarum parabolâ, vbi ſucceſſiuè procedunt cæremoniæ, res eſſent declarandæ; ideo ſingillatim,& ſeriatim myſteria deſcribuntur,quæ ſimul, vt dixi, factâ vnione hypoſtaticâ euenerunt. Cur autem ab hoc capite nuptias inceperim,ex libro primo patebit. Aſſumpta ergo iam naturâ humanâ,deſcribitur actus ille heroïcus,quo mixtâ gratiarum actione, ex prærogatiuarum ſuarum cognitione, ſe ſuaque omnia Deo humiliter tradit Humanitas: ſicut puella ſub horti metaphorâ. ſe ſuaque omnia ſponſo conſecrabat. D. Iuſtus Orgelit. & Pſellius apud Theodoret. etiam de Incarnatione ad rem ſuam, hunc locum explicarunt.

VERS. 2. **Ego dilecto meo, &c.**

Recognoſcit humanitas humiliter exultans, & intimè penetrans, quàm arctè ipſa Verbo, & ſibi inuicem Verbum vniatur, vt nihil magis Dei ſit, quàm quæ illi in vnitate perſonæ, nihil magis ſuum, quàm ipſe, qui eidem ſimiliter adhæreſcit. Lilia in hoc loco puritatem illius naturæ manifeſtant.

VERS. 3. **Pulchra es, &c.**

Complacet ſibi Deus in dotibus,quibus humanitatem ſanctiſſimam exornauerat: oh quam generis noſtri in illa pacificus poſſeſſor, nullo vnquam euentu ab illo ſpoliandus. Vt autem capias quæ in mediâ hac pace de terribilitate acierum immiſceantur, attende diligenter. In primo illo inſtanti reuelauit Deus humanitati, quàm ingrata & rebellis fuerit illa natura (cuius ipſa indiuiduum erat) quæ tunc Deo copulabatur, quàm fugeret, & quàm ex ſe beneficium tantum repelleret faſtidioſa: hoc eſt, eſt quod vocatur terribilit, non in ſe, vt indiuidua eſt humanitas, ſic enim mitiſſima & perfectiſſima eſt: ſed in ſpecie ſua. hoc modo ex mente Chryſoſtomi dixit Paulus de Deo incarnante, *ſemen Abrahæ apprehendit*, non aſſumpſit, ſed apprehendit, quaſi fugiens, quaſi deuians: vide omnino quæ dixi in hoc libro *cap.* 1. *verſ.* 4. ex Chryſoſtomo: neque enim vult S. Doctor ex Paulo indiuiduam humanitatem repugnantem & rebellem in ſe ipsâ, ſed in ſpecie. refer huc ſimulatam rapinam, & rebellem ſponſam in die nuptiarum, de qua ad vtrumque locum fuſus in dramate diſputaui. altiſſimè itaque beneficium Incarnationis, & pietatis diuinæ miſericordia, humanitati tunc cognita exhibetur.

Auerte oculos, &c. VERS. 4.

Vide quid ſibi velit ſponſus dramaticus in hoc affectu,& ſuo ſale transfer in Deum,qui ſe intimè affectum oculis, id eſt, primo illo humili reſpectu humanitatis deuotæ & oblatæ proteſtatur. Vide etiam,quæ Patres hîc ad rem ſuam, de affectu Dei erga Eccleſiam, animam, vel Mariam philoſophantur, & meliori iure tribue dicta humanitati ſacratiſſimæ.

Capilli tui, &c. VERS. 5.

Excellentiori modo nunc iſta dicuntur humanitati,quàm ſuprà *cap.* 4. toti naturæ: inde repete.

Sicut cortex, &c. VERS. 6.

Ibidem etiam hoc inuenies explicatum.

Sexaginta ſunt, &c. VERS. 7.
Vna eſt columba, &c. VERS. 8.

Deſcribitur ſingulariſſimum illius humanitatis priuilegium, quæ inter tot alia humanæ conditionis indiuidua, quæ aſſumi poterant, & id quodammodo tacitè exoptabant,in tantam dignitatem electa fuit. Dixi *tacitè exoptabant*; quia in profunda illa Dei cognitione,qua innumeros cognouit, quot aſſumere poſſet, ſi vellet, quodammodo tacita totius ſpeciei vota immiſceri videbantur. quod in dramate dixi de nupta marito filiæ loco veniente, qui eidem loco patris (& teneriori vocabulo loco matris) veniebat, aptiſſimè huc facit: ille enim homo hypoſtaticè aſſumptus per vnionem nuptialem verè Dei filius etiam factus eſt: quod in ſequenti capite clariùs exhibetur. Reginæ & concubinæ laudantes, ſunt omnes iuſti ſecundùm diuerſos gradus perfectionis ſuæ, qui humanitati non inuident, imò humiliter, & hilariter gratulantur.

Quæ eſt iſta, &c. VERS. 9.

Voces ſunt & Epinicia Angelorum humani generis cuſtodum,qui id temporis excellentiam humanitatis admirati, illam venerabundi commendant: ſub Planetarum pulcherrimorum nomine, illam cæleſtium donorum omnium theſaurum prædicantes. Vide drama. in caſtris,robur laudant.

Deſcendi in hortum, &c. VERS. 10.
Neſciui, &c. VERS. 11.

In dramate puella humiliter laudes excuſat, & adductâ hiſtoriolâ fragilitatem ſuam enuntiat: mentem ergo parabolæ, vt in ſimilibus ſoleo,non ſingula verba, reuoco ad Spiritum: profundiſſimus itaque humanitatis humiliantis ſe actus declaratur, quæ cùm per gratiam vnionis omnibus Angelis longiſſimè præpoſitam ſe noſceret: nouerat tamen ſibi ex genere ſuo relictam, labilem eſſe, & luteam, & quouis caſu facilè turbabilem, merâ nimirum humanæ naturæ conditione ſpectatâ. Vide quàm optimè humilitas illa, quam Chriſtus mirabiliter per totam vitam exercuit, quamque nobis maximè propoſuit imitandam:

calbi

exhibitam in primo Incarnationis inſtanti, diuinum nobis Canticum proponat. Cætera dramatis fruſtrà examinaueris.

VERS. 12. Reuertere, &c.

Sub choro adoleſcentum Angeli Incarnationis miniſtri vota exprimunt, quibus innuunt, quàm copiant humanitatis faciem, & perfectiones proſpicere, non quòd non proſpicerent, ſed quòd hoc loquendi modo ardentiores hilaris proſpectus affectus exprimantur. qua ratione dixit Petrus de Spiritu S. *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, epiſt. 1. cap. 1. num. 12. quia autem ſponſa die nuptiarum à mariti nomine nomen comparabat, & ideo à Salomone ſuo hîc dicitur Sulamitis, vt in dramate probaui: mariti enim, qui loco paeria veniebat, in familiam eum nomine ſponſa tranſibat: iam optimè hinc explicatur, naturam aſſumptam ab ſponſo Deo, Deum appellari, & ab ſponſo quodammodo Patre, paternæ dignitatis familiarem titulum ſortiri. Errant igitur impiè, qui hominem vnitum, non eſſe dicendum Deum contenderunt.

CAPVT SEPTIMVM.

VERS. 1. Quid videbis in Sulamite, &c.

Apoſtolus de Incarnatione Chriſti locutus, ita habet, *& cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*, Hebr. 1. num. 6. vbi plures notant, peractâ Incarnatione omnes Angelos profundè venerabundos adoraſſe Chriſtum, & hominem illum Caput & dominum ſuum agnouiſſe. hoc ergo eſt quod in his tribus capitibus Angelos legimus humanitatem ſub ſponſæ titulo diuinâ ambitione, ambitioſo ſacri affectus conatu collaudantes: illi maximè, qui aut myſterio ſeruierunt, aut hominum, quorum illa humanitas decus exiſtebat, fuerant & erant cuſtodes: alternis ergo, vt moris eſt Angelorum apud Iſaiam, canentes introducuntur. Vocant *Sulamitidem*, id eſt, diuini nominis participem, ſicut ſponſa Sulamitis à Salomone ſponſo appellatur. Vocant *filiam Principis*, quia ſicut nupta mariti ſui filia dicebatur, ſic ille homo exinde deſponſati, & vniti Dei filius perſiſtebat. nam & Deus identicè ſponſabatur in Verbo, & per Verbum ille homo in Dei filium aſſumebatur: quemque Verbum tamquam regnum inter creata pretioſiùs ſibi comparabat. In *choris caſtrorum*, id eſt, victoriæ epinicio, dotes ſuas à Chriſto ſuperſtas gaudent Angeli: *in pulchris greſſibus*, pedes illi euangelizaturi pacem propheticam pulcherrimè iam prædicantur. *in femoribus* gemmarum comptu inductis, & fibulatis, iterum virginitatis vexillum Angelis familiare, quod Chriſtus apud homines erat erecturus, celebratur, quia fœmora diſſoluta, & defibulata, impudicitiam denotant in Sacris. Vide quæ Sanchez hîc ad rem ſuam.

VERS. 2. Vmbilicus tuus, &c.

Vide omnino drama. Vmbilicata veſtis, & lunam plenam in pectore referens, explicat conditionem humanitatis Chriſti, quæ tamquam luna Solis diuinitatis radios combibit ſic affluentes, vt numquam imminui iam poſſit. Fauent his quæ noſter Alcazar fuſiſſimè, vt ſolet, habet *Apocal.* 12. *num.* 1. vbi lunam ſuſtentantem Eccleſiæ ædificium, de humanitate Chriſti explicauit. ænigmaticè ergo dicitur in hoc loco humanitas lucem induta, quia de lucis perceptæ influxu, lunæ conditionem ſortiebatur. Veſtis pars quæ ventrem regit minotis & aureis tritici granis inſignita, horreum pietatis in viſceribus Chriſti ſuauiſſimis nobis innuit collocatum: aut ſe ipſum panem viuum & Euchariſticum ſub hac triticeæ veſtis figura exhibebat; lilia verò pendentia, quæ veſtem dicuntur fimbriare, (cùm lilium, vt ſæpe dixi, ſymbolum ſit ſpei) ſpes omnes noſtras ab vno Mediatore pendentes indicant apertè.

VERS. 3. Duo vbera, &c.

Quod ſtatim additur de vberibus, ſiue de doctrina, qua nos nutrit, explicaui ſuprà *cap.* 4.

VERS. 4. Collum oculi. Naſus, &c.

De collo iam ſuprà. In oculis ſerenis & ſpecularium nobis inſtar fontium, benignos fauoris reſpectus, quo nos amator piiſſimus reſpicit, declaratur. In odore naſi, id eſt, oris, vt fusè in dramate explicaui, ſuauitas & benignitas explicatur, qua inſufflans, Apoſtolis & nobis in illis dedit Spiritum ſanctum: quo omnes Damaſci, ſiue mundi deliciæ exſufflantur. Vide drama.

VERS. 5. Caput tuum, &c.

Caput purpurâ & roſis coronatum, & comæ cincinnatæ purpurâ item infectæ, iam Redemptoris noſtri caput ſpinis lacerum, ſanguine madens, & anguſtam eius cæſariem ſanguineis guttis reſperſam commendabant.

VERS. 6. Quàm pulchra, &c.

Sub parabola puellæ, quæ luſtum ſexus tenorem ſeruabat, nec molliter diffluens, nec viriliter ferociens, modeſtia ſumma ſanctiſſimæ humanitatis decantatur, omnia intra debitos terminos coërcentis.

VERS. 7. Statura tua, &c.

Statura aſſimilatur palmæ, quia dignitatis proceritas in ſacratiſſimâ illa humanitate, excedit vniuerſa, creaturarum omnium victoriam glorioſiſſimè reportans: cuius vbera, id eſt, affectus in tanta dignitate ſuauiſſimi, fructibus omnibus dulciſſimis dulciores.

VERS. 8. Dixi: Aſcendam, &c.

Sub hoc cortice, quo iuuenes dramatici ruſticatutæ puellæ flores & fructus ſuauiſſimos promittunt decerpendos, ſpondent obſequia ſua Angeli Incarnationis adminiſtri, & deinde incarnati Verbi non tutelæ, ſed obſequio deſtinati: in Eccleſiæ ſcilicet victricis (ideo palma dicitur ad inſtar Chriſti) ſalute & incrementis procurandis: cuius virtutes, & geſta glorioſa Chriſto tamquam flores redolent, tamquam cibi dulciſſimi appetuntur. plena Scriptura, pleni Patres ſimilis locutionis, vbi virtutes, flores & cibi Chriſti reputantur: ego in omnibus, vt videa, tem potius doctia innuo, quàm dilato indoctis.

Guttur

VERS. 9. Guttur tuum, &c.

Adauget & explicat chorus Angelorum custodum dicta alterius chori, quia humanitas Christi licèt piissimè delectetur Ecclesiæ suæ virtutibus, non tamen his egeat vt beata sit, cùm è se suauissimè sic virtutum omnium respiret odoramenta, vt ipse Deus (apud quem omnis sanctitas ad suam comparata sordet omnino) humanitatis illius sanctitate tamquam excellentissimæ cuiusdam conditionis impensè delectetur. nisi ad drama recurras, non me capies.

VERS. 10. Ego dilecto meo, &c.

Recognoscit sub profundissimâ humilitate humanitas quanto differentius ; quanto intimius Deo vniatur, quàm Angeli: ac proinde longè affectuosius Iesu nostro, quàm illi olim Iesu Naue eiusdem typo Deus quodammodo obedit, id est, sanctam illius gerit voluntatem: quod per conuersionem sponsi ad sponsam, id est, Dei ad humanitatem, explicatur. Omnia ex dramate dependent.

VERS. 11. Veni dilecte mi, &c.

Sub his verbis dramatica puella, vt dixi, nuptialium rituum exoptat complementum, quia cæremoniæ successiuè perficiebantur: in Incarnatione verò omnia iam in instanti peracta fuerant. Optimè tamen in exitu ad agrum, & in iis, quæ ibi peracto matrimonio dicit facienda: deteguntur vota humanitatis ardenter iam exoptantis ab vteri virginei thalamo in agrum huius mundi prodire, ibi commorari, redemptionem nostram perficere, quæ quodammodo nuptiarum diuinarum erat complementum. Ad Incarnationem Verbi pro re sua hunc locum deducunt Gregor. Ambros. Beda, Cassiodorus *ibi* apud Ghisler.

VERS. 12. Manè surgamus, &c.

Innuitur optimè quid facturus Christus in mundo diligens Paterfamilias, qui consurrecturus manè conducere operarios in vineam suam, & parturientes vineæ suæ flores, id est, animarum germinantes virtutes reuisurus, fructusque perfectiores. & fortè in his floribus innocentes pueros designat, è quibus fructus alij germinarunt, id est, celebrior in orbem nati Christi notitia, vt ex historiis constat propagata. inter hæc exercitia amoribus humanitatis Deus fruitur dulciùs, quia illius meritis & virtute tot sibi collectos fructus gaudet. Martyres in malis punicis capiunt Patres.

VERS. 13. Mandragoræ, &c.

Christi requies, vt sæpe legimus, salus nostra: interim dum hæc non concluditur, vigil, & quodammodo anxiùs sollicitatur Dominus. hanc ergo requiem de culta & florescente segete animarum, venustè per metaphoram somni sub Mandragorâ declaratur. Cùm autem Christus, vt sæpe testatur ipse in Euangelio, omnia ad Dei gloriam operaretur, aptè sub metaphorâ pomorum omnium dilecto adseruatorum, rem declarat. & bene noua, & vetera dicuntur poma, quia ex veteri Synagoga, & ex noua vocata Ecclesia fructus dulcissimi Deo sacrandi declarantur.

CAPVT OCTAVVM.

Quis mihi det te, &c. VERS. 1.

FRATRIS sugentis nomine, delitias & amatoria vocabula inculcata, in dramate quàm sedulè potui declaraui: transfer id suo decoris sale humanitati, quæ Deum sponsum nostro dicendi modo blandissimè adloquebatur: optimè autem Verbum quod semper à Patre producitur, semper in eius sinu inter diuinas delitias requiescit: per filium delitiosum, & quodammodo in matris gremio adhuc immorantem declaratur. In osculo quod puella dramatica suspirat, complementum vltimum exoptat nuptiarum, quæ, vt sæpe monui, successiuo erant ordine complendæ, & proinde sub narrationis serie processuræ: in nuptiis autem diuinis, omnia iam primo instanti peracta: aptè tamen *foris*, id est, extra vterum matris virginis, Verbum dicitur osculandum, &, vt ita loquar, vniendum, quia per opera sua tunc exercenda, humanitas diuinitatem vnitam propalabat. Impia lingua non dum operantem Christum fortè poterat despicere, sed post tot exhibita prodigia necessariò venerationem sibi conciliabat. hunc locum ad Incarnationem deducunt Athanas. Ambros. Gregor. Beda, Cassiodor. & alij apud Ghisler.

Apprehendam te, &c. VERS. 2.

Quemadmodum suprà *cap. 6. vers. 8.* Deus humanitatis Pater, teneriore vocabulo se matrem dixit, (vbi necessariò drama reuisendum) simili teneritudine æternus diuini Verbi Pater, in hoc loco eiusdem Humanitatis etiam mater appellatur, vt primo huius capitis versiculo monui: neque enim suauius posse explicari videbatur affectus ille, quo Deus homines diligit, quàm si non solùm illorum Pater, sed etiam delicatiùs mater tenerrima diceretur: quod optimè notauit Diuus Hieronymus *ad Isaiam cap. 6. num. 3.* vbi in vtero sacro portandi, & à diuinâ gestandi vuluâ, per felicissima blanditiarum incrementa homines prædicantur. Multo ergo excellentiori modo, homo ille, per vnionem Deus, tenerrima hæc vocabula promeretur, tamquam per antonomasiam dilectus, & in quo sibi bene complacens Pater prædicatur: imò & ratione cuius, tanquam à caussâ promerente, in cæteros omnes dulcissima hæc blandimenta promanarunt faustissimè. Difficultas tota superest, cur inter opera & exercitia Christi, dicatur humanitas Verbum in domum matris, id est, Patris æterni introductura. Ego crederem, quemadmodum ex prædicto loco Psalmi Patres citati *homousioi* probant, etiam ex hoc loco hæreticos veritatem istam impugnantes confutari, sicut & olim Iudæi confutabantur. Docebat sæpe Christus operibus suis illum apertè Dei filium comprobari, verbisque eius non credentes, necessariò exhibitis operibus conuinci. hoc ergo est quod nunc ad Verbum ait humanitas, ac si dicat: Talia signa dabo, vt te mihi vnitum Dei esse filium clarissimè manifestem, & hoc erit te vterinum, & domesticum paterni pectoris penetralibus ostendere; eoque quodammodo introducere, dum acceptâ per fidem notitiâ homines crediderint introductum: quia tu, quòd æterna es Sapientia, me illa agere docebis,

bis, talia prædicare: vl totum, quorum ſcis, licèt non totaliter, nec tali perfectione, me ſcire cognoſcatur; amore enim meo ſuauiſſimè abſorptum, & quodammodo diuina ſobrietate inebriatum thesauros omnes arcanorum tuorum mihi transfundes. loquitur in ſerie dramatis tamquam de ſcientia infundenda, quæ in ipſo Incarnationis inſtanti iam fuerat infuſa: aut, ſi mauis, loquitur de actibus à ſcientiâ iam infuſa poſtea eliciendis, quos noſtro loquendi modo, tunc quaſi denuo indicat docendos. Iidem Patres qui ſuperiorem verſiculum ad Incarnationem detulerunt, hunc etiam pro re ſua eodem putant referendum.

VERS. 3. Læua eius, &c.

Poſt illuminaias prædicatione, & cæleſtium reuelatione animas, quæ vnica Chriſti cura, tunc ſe ſuauiſſimè in Verbo quieturam, ait humanitas, non quòd in inſtanti Incarnationis non quieſceret, ſed quòd noſtro loquendi modo, vt ſuprà dixi, & ſæpe teſtatur Euangelium, quies Chriſti viſa de remedio noſtro amoris diuini modulo comparari.

VERS. 4. Adiuro vos, &c.

In dramate hîc adiurantur ſodales ne tali requie & ſomno fruentem ſponſam velint excitare: in ſpiritu verò adiurantur, id eſt, illuminantur à Deo Angeli ſob metaphora non excitandi, vt ſibi in requie & voluptate ſancta ſacratiſſimæ complaceant humanitatis, & fauſtis acclamationibus dominum iam pacificè victorem proſequantur.

VERS. 5. Quæ eſt iſta, &c.

Hunc dramaticum ſemichorum tribuo reliquis omnibus cæleſtibus ſpiritibus, qui incarnatum Verbum, & Deum hominem, vt dixi, tunc adorarunt. nihil aptius, quàm eius verba Incarnationis myſterio ſignificando. Dicitur humanitas aſcendens *de deſerto*, id eſt, de mundo: (ſic ad rem ſuam, iam alij deſertum explicarunt) refutandis hæreticis, qui illam non de mundo aſcendere, ſed de cælo deſcendere garrierunt, ſideream Chriſto carnem tribuentes. Dicitur *delitiis affluens*; quia omnibus diuinitatis diuitiis cumulata. Dicitur *innixa ſuper dilectum*; quia cùm Perſona, hypoſtaſis, ſiue ſubſiſtentia, nihil ſit aliud, quàm naturæ fulcimentum, & ſuſtentaculum: humanitas propriâ ſubſiſtentiâ ſpoliata, & perſonâ diuinâ fulcita, optimè Verbo innixa declaratur. Quid clariùs proferri poterat contra illam hæreticorum perfidiam proteruam, qui aut duplicem Chriſto perſonam aſſignarunt, aut naturarum confuſionem induxerunt.

Ibid. Sub arbore, &c.

Ab his verbis in dramate præcepta connubialia exorſus ſum, quibus ſponſa inſtituitur, vt maritò deinceps militaret: optima ſanè parabola ſpiritus myſteriis declarandis. In inſtanti Incarnationis præceptum humanitas accepit de militia diuina ſubeundâ, id eſt, de morte pro hominibus toleranda: ideo à Paulo dicitur Chriſtus factus obediens vſque ad mortem. Vt ergo hoc præceptum imponat Deus, primùm proponit humanitati gratiam & beneficium Incarnationis ſibi factam ſub ſimilitudine ſponſæ raptæ ab ſponſo, quam ſatis declaraui ſuprà *cap. 1. verſ. 3. & cap. 6.*

Pintus in Cantica.

verſ. item 3. inde repete neceſſariò ad drama recurſurus. Matrem verò, ſpeciem humanam intelligo, è cuius amplexibus quodammodo repugnantibus, & ſuperatis tandem humanitas deſponſanda, & vnienda erepta fuit: ponitur verò mater ſub arbore *malo*; qui quodammodo ſub arbore ſcientiæ boni & mali viſa adhuc per culpam tota humana ſpecies conſidère.

VERS. 6. Pone me vt ſignaculum, &c.

Attendat lector, verba illa Dauidis, *holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tum dixi, Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & lex tua in medio cordis mei*, Pſalm. 39. num. 8. verba eſſe Chriſti acceptantis præceptum mortis, ſeque Patri in ſacrificium expiatorium pro hominibus offerentis: conſtans eſt ferè omnium ſanctorum Patrum, omnium ferè Catholicorum interpretum expoſitio: quam diuino diplomate firmat Paulus *Hebr.* 10. *num.* 1. docens ita eſſe locum capiendum, &, ni fallor, vt hanc oblationem initio Incarnationis factam, quaſi tunc præceptum imponeretur, indicaret, ait: *ideo mundum ingrediens ait, Hoſtiam, & oblationem noluiſti*, &c. primus enim Chriſti ingreſſus, inſtans eſt Incarnationis Nunc mihi pende duo ibi Chriſtum aſſerere: facturum ſe, id eſt, operibus executurum Patris voluntatem, & legem eius lubenti affectu in medio cordis ſui repoſiturum: ſed quid eſt hoc aliud, quàm reſpondere præcepto, quod in hoc verſiculo expreſsè poſitum puto, vbi Deus in corde, per affectum, & in brachio per opera præcipitur geſtandus humanitati? quid vſquam clarius legiſti, & explicationi meæ congruentius? Similitudines dramatis, quas fusè, nec ſine labore vtili, vt ſpero, hîc expoſui, optimè etiam huc faciunt; ſicut enim ſponſa, inſtar militis, characterem ſponſi, ſeu mariti gerit: ſic humanitas defixam ſibi obedientiam præcepti, & curam placendi Deo geſtabat indelebilem. & ſicut mortalibus mors ineuitabilis, & inferni regreſſus irremeabilis, quo perpetua obedituræ amaturæque vxoris obligatio declaratur, de matrimonij nimirum vinculo indiſſolubili: ſic humanitas arctiori longè vinculo vnita Verbo, implendi obligationem præcepti ſuſtinebat, quæ nulla vnquam ratione poterat violari. Hinc nobilis quæſtio apud Theologos de merito & libertate Chriſti, cum ſanctâ eiuſdem ad frangendum præceptum impoſſibilitate: cuius tamen diſcuſſio huc non pertinet, niſi quòd ly *pone me*, aliquid mihi non triuiale videtur indicare: non enim dixit Deus, pono ego me vt ſignaculum, ſed, pone tu me, id eſt, tumet conſenti præcepto imponendo: vbi viſum aliquid libertatis humanitati concedi circa præceptum ſaltem exercendum: quod poſſes explicare de libertate Chriſti ad petendam, ſi vellet, præcepti diſpenſationem: de quo doctiſſimus meus Ioannes de Lugo Societatis noſtræ decus nouellum, ſic agit *in 3. par.* grauiter, vt hæc opinio ab illo primo innceota cum priſcis de probabilitate contendat, & illis, ni fallit affectus, de facilitate concordandi libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate præponatur.

VERS. 7. Aquæ multæ, &c.

Vt ferè ad rem ſuam volunt interpretes aliqui, ſub his verbis proponuntur Chriſti tormenta: ego vlteriùs reuelata tunc credo humanitati, tribula-

tionum pondera,& paſſionis cruciatus,quos ſubitura erat:quibus omnibus ſuperatis illæſa & conſtans in diuina permanebit voluntate : *ſi dederit. homo.* Inimicus homo in Euangelio dæmon appellatur : alluditur ſignatè ad Dæmonis tentationem, qua omnem mundi gloriam Chriſto erat, ſed fruſtrà contra Dei amorem oblaturus : denique ad omnes alios dæmonis conatus, quibus miniſtrâ Synagogâ,& Pilati militibus, quaſi impenſis potentiæ ſuæ opibus Chriſtum infringere pertentauit in caſſum : qui omnia huius ſæculi ſiue bona,ſiue mala,pro nihilo reputauit.

VERS.8. Soror noſtra , &c.

Incarnati Verbi paſſionem ,& eius præcipuas circunſtantias adorantibus Angelis reuelatas fuiſſe ſatis probabile : has inter ſecretiſſimam & ſacratiſſimam illam diſpenſationem , ni fallor , cognouerunt , qua Chriſtus permiſſurus erat nocte paſſionis inferiori ſuæ portioni, vt quodammodo rebellaret in agoniâ,ſiue luctâ contra ſuperiorem, vt dolores deprecaretur , vtque tandem acerbiſſimam mortem perhorreſceret : vterque enim inferior appetitus , & phantaſia acribus ſtimulis, moleſtis cogitationibus carnem comprimebant, & paſſioni faſtidiendæ per triſtitiam ſummam adducebant. quod erat noſtro modo dicendi colloqui & ſolicitare contra præceptum. ni ergo fallor , in obſcuriſſimo hoc verſiculo , ſub parabola ſodalium amicæ conſulentium ab aliis ſolicitatæ: quærunt Angeli quid carni tunc fragili & paruæ, ſibique quodammodo in naturalibus relictæ eſſent dicturi , quæ monita allaturi : tuncque,puto, didicit illorum quidam,quibus poſtea humanitatem in portione inferiori fragilem confortauit, vt in Euangelio legitur : de quo ſtatim ſubdit Deus,

VERS 9. Si murus eſt , &c.

Nimirum : licèt ſic fragilis inferior illa portio id temporis eſſet,tamen aliunde de gratiâ vnionis ſic corroboratam eſſe,vt tamquam murus perſiſteret fortiſſimus : ideo ſolum eloquiis diuinis(eloquia enim Domini argentum purum , vt ait Propheta) fore muniendam , quibus ab Angelo fuit confortata. quod additur de oſtio , idem eſt ac ſi dicat : quamuis fragilior fieri permitteretur, profundiorique,quàm paſſa, tædio affligeretur:adhuc adhibitis incorruptibilibus diuinitatis fulcimentis(ideo incorruptibilis cedrus huc vocatur)ſtaret conſtantiſſima. quomodo autem hæc euangelica confortatio intelligenda eſſet , diſco ex ore ipſius humanitatis reſpondentis:

VERS.10. Ego murus , &c.

Iam fuit libertatis Chriſti velle triſtari,& mortem perhorreſcere pro nobis, quàm velle ab Angelo ſeruo confortari:qui enim permiſit inferiori portioni vt tædio afficeretur, permiſit etiam vt verbis Angeli recrearetur. nihil hic Theologus incommodi inueniet, & ſi mecum conſentis, difficilem planè Euangelij locum de Angelo confortante hinc explicabis. Hoc ergo eſt quod innuit humanitas in hoc verſiculo , nimirum , cùm fragilitas libera eſſet, ſe interim tamquam murum turritum & fortiſſimum perſiſtere : ideoque in media agoniâ , & in medio bello potentiarum inferiorum & ſuperiorum , tamquam in ſumma pace immobilis & conſtans , ac de vnione Verbi *quaſi pacem* reperiens permanebat. quàm aptum hue,ſicut & reliquis dictis atque dicendis, veniat drama, lector animaduertas.

Vinea fuit Pacifico , &c. VERS.11.
Vinea mea coram , &c. VERS.12.

Sub metaphora ſponſæ quæ de conſtantia in præliando præmia ſibi & munera ab ſponſo parari intelligens,munera reſpuit,vno ſe, & ſolo tanto coniuge contentam iudicans,declarat humanitas omnes ſuos labores , non de præmio, & vtilitate propria,id eſt, non gloriâ ſui corporis , quam militando erat promeritura , ſed de datâ Deo Patri gloriâ, ſatis eſſe cumulatos. hanc vnam intendere,cætera obiter aduentura.

Quæ habitas in hortis , &c. VERS.13.

Encomium eſt Dei laudantis generoſam Chriſti ſponſionem , in qua ſic ſibi complacet , vt in conſpectu amicorum Angelorum quodammodo illam vlterìus audire exoptare videatur. hortos hîc examinare non curo , qui tamen rei dramatis omnino ſeruierunt,vt ibi videris.

Fuge dilecte mi , &c. VERS.14.

In dramate verba ſunt ſponſæ optantis iam domum ingredi,vbi oſculum, id eſt , vltima ceremonia peragenda : in ſpiritu, vt ſæpe dixi , id iam in primo inſtanti peractum intelligitur. Oculatiſſimè verò in dramate oſculum,id eſt,nexus nuptialis occultè peragendum inſinuatur : vt inde diſceremus, licèt nonnulla de Incarnatione fari poſſimus , tamen quid ſit oſculum illud , & intimum in vna perſona vtriuſque naturæ commercium,nobis omnino eſſe ineffabile,& auribus humanis imperceptibile.

Hæc ſunt quæ mihi de obſcuriſſimo Cantico viſa denuo , quæ omnia ſanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ ſubiicio cenſuranti : ſi quid fortè ab illâ diſſonum ſcripſi,ignorantiæ fuerit,non contumaciæ. abſi proteruia.

Aduertas LECTOR, quod ſæpe ſuprà inculcaui, dum de defectibus ſponſæ loquor , & nomine ſponſæ intelligo humanitatem Chriſti , nihil dictum volo de ſingulari , & indiuidua Chriſti humanitate , cui eiuſmodi defectus nequaquam competunt , ſed ſolùm dictum volo de natura & humanitate vt ſic, cui vt ad nos contractæ conueniunt omnes illi ſe defectus. Quòd ſi adhuc contenderet aliquis,non id ſatis explicari,malo fateri in prædictis verſiculis perpetuum explicationis meæ filum interrumpi , eoſque ad communem ſenſum nuptiarum Chriſti , & Eccleſiæ deriuandos,quàm vel per ſomnium , in indiuidua Chriſti humanitate , aliquid imperfectionis immixtum exiſtimari.

LIBER

LIBER TERTIVS TROPOLOGICVS.

IN hoc tertio libro, mi lector, utilius putaui non continuâ serie Canticum tibi moraliter exponere, ne si in omnibus pariter immorarer, in immensum cresceret opus: néve, si minus moribus apta etiam explicarentur, locus tempúsque aptioribus eriperetur. Curaui ergo selectiora examinare, & ibi inhærere totus, vnde virtutum amor, & vitiorum horror commentarijs dulcior veniret: horum verò materiam illustrandam, non solùm ex dramatico, & mystico nostro sensu, sed etiam ex aliorum Doctorum, & Patrum maximè explicatione, mihi ministraui, ita vt quidquid Parænesi, & Ethologiæ, apud illorum in hoc Canticum lucubrationes aptius reperitur, id fusis deinde notationibus exponerem diligenter. Quamuis autem versus singuli priuatis titulis non elucidentur, laboraui vt penè omnes obiter sub alijs darem enarratos, vt iam nihil tropologicæ huius Cantici expositioni aut morosus fastidias, aut desideres curiosus.

CANTICVM CANTICORVM.

§. I.

Spiritus sanctus Cantor suauissimus: prouocatus, castis piæ musicæ accentibus blandè admodulatur.

555. IPsæ titulos ad iucundam Musicæ suauitatem, non sine fausto tutios operis omine, nos inuitat: cantat hîc Spiritus diuinos, & fideles animas spiritualem dulcissimus docet cantilenam, cuius deinde modulis terrestrium oblitæ, aspirantes cœlestibus, inter gratas delitias quodammodo incantantur. Neque mirum: cantor semper, choraules, imò & incantator fuit Spiritus sanctus. Procul hoc, procul este profani. Fauete linguis pij, arrigite aures cordatas, coe syocerum. Sacri Apollinis accentibus, faustus venit enthusiasmus, cœlestis philomelæ melodiâ, grata sulotio: diuinæ Sirenis numeris, beneficum veneficiom fremant hæretici, spiritualibus Ecclesiæ choris insultent blasphemantes, aspides surdæ oesciæ incantari: mutescentia bruta, prouocare diuioum nun valentia canturem: iubilet Ecclesia Deo salutari nostro, prooocet hymnis, canticis cumpellet; sic ad modulaotem spiritum promerebitor. vide *num.* 569.

556. Igniti patris hæres, iusti zeli scintillas spirans in Ioram, ad insanos domesticæ idololatriæ prophetas detrudebat: fidelis tandem Iosaphat, motus pietate, arcana cœli muturus Elisæus, accensi iustè furoris fumosas, si fortè, nebulas amoturus: *nunc autem*, inquit, *adducite mihi psaltem*, 4. Reg. 3. n. 15. Proh fidei nouitatem! nunquid fidibus dulcisonis cor serenandum, Deo consuleodo? cur non potiùs orando aperit os, & attrahit spiritum? perambulastin' aliquando nemoris irriguam amœnitatem, philomelæ ibi de liberâ frondescentis virgulti caueolâ, suauiter resonantis, captans modulos? nóone sules, reticentem vt excites, subrusticâ sis licet voce, ingrato accentu, vocem tamen edere, sonos emittere: quibus perceptis vix se cootinens, festiuissimè in cantus soluitur auicula prouocata? sic Elisæus diuinum capturus spiritom, piam & humanam musicam (subrustica ista, insuaois, & insulsa diuinæ cumparata) præmittit: præscius cœlestem philomelam, diuinom cantorem, Dei spiritum affecto innato musicum, necessariò suauitati inuitanti, scilicet *ab reclamo* responsurum. Eleganter D. Ambr. in Psal. 118 ser. 7. *Propheta quoque*, inquit, *vt prophetarent, psallendi peritum iubebant psallere: quo suaui inuitata dulcedine, spiritualis infunderetur gratia.* Bene: inuitatur enim gratia, id est, Spiritus iofundendus castâ pij Psalmi dolcedine: ideo additur ibidem, *cúmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* quasi necessariò esset prouocanti musico solitâ pietate respuusurus, qui musicos suauissimè modulatur.

557. Mittuntur in caminum ignis, Dei assertores Hebræi pueri, illi autem, inquit textus, *ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino*, Daniel. 3. n. 24. pergunt canentes, & additur

deinde: *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, ibidem n. 49. ventus iste leniter irrorans, flans suauiter, symbolum erat Spiritus sancti, vt docet inter alios litteris aureis citandus noster Ludouicus de Ponte *tom. 2. meditat.* tu lege sanctissimum, & doctissimum Magistrum. nunc mecum pondera, si ventus iste sub rore delitebat, cur perflans ponitur, cùm rori pacata quædam serenitas naturaliter requiratur? cur sibilat dum irrorat, si roratus iniecto silentij freno aurarum solet murmura compescere, solúmque sub arcano aëris silentio instillare? quia nimirum diuinus Spiritus, qui extinguendis ardoribus stillas suauissimas irrorabat, crepitantium lignorum fragorem dissonum repressurus, musicè personabat: allectus, credo, pio puerorum concentu, quo illum sibi concentorem inuitabant. Theodorus Prodromus in explicat. Canonis sacræ Crucis *oda* 4. post alia de rore refrigerante, *Quando*, inquit, *ignis terrificum illum, & plenum formidine sonitum edebat, tunc ventus è contrario sonum gratum, animóque iucundum emittebat: cuiusmodi sonum dat pastoritia fistula, suaue quoddam, & demulcere aptum canens, gregémque dulcedine concentus quolibet agens.* canebant pueri, concinebat Spiritus sanctus, gregémque suum piissimum suauissimâ melodiâ permulcebat.

558. Et quidni in laboribus canentes pueros, & voluptatum illecebram spernentes, diuinus cantor non recrearet? quomodo musicis suis accentibus, à Sirenarum cantu, id est, à tyranni Regis promissis, & blandimentis eos non reuocaret? sic argonautæ (fingunt veteres) Sirenarum fallacem musicam, Orphei conuauigantis cantu securi prætericrunt: pulchrè Apollonius.

Fundere & his dulcem vocem cœpere: rudentes
E puppi fuerant iacturi ad littora: clarus
Filius OEagri nisi mox & Thracius Orpheus
Bistoniam manibus citharam sumpsisset, & aures
Sublimi cantu, cantu reuocasset ab illo,
Virgineámque chelym voce exsuperasset acuta.

Sic Elias Iesabelis, id est, carnis verba elusurus, diuino cantu exceptus reuera liberatur. Sed pende historiam. Auditurus vocem Domini, *operuit*, inquit textus, *vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ.* Sed quid ita, inquis, an ne auditus minueret attentionem, nisi vultum & oculos velaret? credo. Operuit se quidem, sicut solet dulces, sed tacitos musicorum concentus aliquis percepturus, caput summittere, & se totum arrigere in aures: neque enim in spiritu vehementi cantabat Dominus, sed in tenuissima aurâ, tacitè musicos musicè silentes Eliæ dabat sonos: *& post ignem sibilus auræ tenuis*, ibidem num. 12. vbi, vt nemo nescit, Chaldæus Paraphrastes, *vox canentium in silentio.* quasi diuinus Spiritus, æterna aura, totus in musicos accentus, sed illos tenuissimos, *falsetillos* appellamus, recreando afflicto Prophetæ formaretur.

559. *Inuentor Musicæ.* Quàm anxiè Dauid toto Psalmo 41. absentiam Domini suspirat, spirat dolorem! resumit tamen consolationem n. 9. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & in nocte canticum eius: apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Susceptor meus es, quare oblitus es mei.* In Sixtianis ex Eusebio, non tam Canticum Dei intelligitur, quàm Canticum ipsius Dauid: ᾠδὴ αὐτῶ παρ' ἐμοί: *Canticum eius apud me*, id est, *canto canticum Deo.* Ad rem tamen nostram vtrumque egregiè conciliatur: quia ex eo ipso, quòd Dauid in tribulatione Deo canat, iam Deum consolatorem habet, id est, Spiritum paraclitum sibi accinentem. Amoris inuentum dicitur musicis versibus per nocturna silentia rem amatam recreare. Ouid. *Fast.* 4.

Primus amans carmen vigilatum nocte negatâ
Dicitur ad clausas concinuisse fores.

Quidni ergo diuinus Spiritus, Amor æternus, in nocte tribulationum ab anima inuitatus carmina canat? orat Dauid noctu canens, & Spiritus diuinus consolans modulatur. Gilibert. serm. 2. *Multæ noctes, & altæ tenebræ: sed ab altitudine noctis non timent, nec turbantur qui sperant in Domino: non timent à noctibus qui in eiusmodi spei lectulo quiescunt. nam & ipse nouit dare carmina in nocte tribulationis, & in nocte canticum eius.* Sic piissima quadam violentia trahitur Paraclitus à musica, sic canenti concinit, sic afflictos recreat modulamine.

560. Fortasse autem ideo titulus huiusce Psalmi, qui habet: *In finem, intellectus filijs Chore*; apud Vatabl. legitur: *Præfecto cantorum erudiens carmen filiorum Chore.* quasi Spiritui sancto, cuius musica captabatur, tanquam chorauli & cantorum præfecto Psalmus consecraretur, de quo infrà. Eleganter ergo D. Ambros. in præfatione Psalmorum: *Quid igitur est Psalmus, nisi virtutum organum, quod sancti Spiritus plectro pangens Propheta venerabilis, cælestis sonitus in terris fecit dulcedinem resultare.* Sonus itaque cœlestis terras ferit, vt cœlum terreno, sed dulcissimo sono inuicem feriatur. Abundat plectris Spiritus diuinus; quia sicut rustica domus aratris, falcibus, ligonibus scatet, gladiis, scutis, loricis, aula ducis: sic officina musica spiritus cantoris, dulcisonis his instrumentis referta vndique: ab spiritu carmina nostra erudiuntur. hæc nos iam deducunt, ad quod *num.* 1. dicebamus, non solum musicum, sed etiam choraulem, chorostatem, choriphæum, chorididascalum, phonascum esse Spiritum diuinum: id ergo etiam plusculis videamus.

§. II.

Spiritus sanctus Præfectus cantorum: Musicam docet: voces examinat.

561. Psalmorum plusculi apud vulgatum nostrum interpretem, titulum huiusmodi prætendunt: *In finem.* vbi semper ex Hebræo legitur apud Vatabl. *Præfecto cantorum.* & licèt omnes hi haud difficile Spiritui sancto possent accommodari: sunt tamen aliqui, qui id ita euidenter præferunt, vt furti meritò arguendus, qui illos eidem spiritui dicatos denegarit. quemadmodum igitur Poëtæ prisci carmina, quæ sacro quodam furore ab Apolline sibi credebant inspirata, ipsi maximè Apollini, tanquam Musicorum & Poëtarum præfecto, canebant, ipsi dicabant: ideo Romani Poëtæ ad Palatinum Apollinum cantatricis poëseos choraulem conuenientes, illi cantus poëticos afferebant, ad quod allusisse creditur Pers. *prol. satyr.*

——ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Sic etiam sanctus Propheta diuiniori plenus numine diuinas suas cantilenas Spiritui sancto cantorum piorum omnium præfecto affert, & offert.

562. Talis est ille Psalmi quinti titulus, *In finem: pro ea quæ hæreditatem consequitur.* Vbi, ex sententia August. & aliorum, Ecclesia hæreditatem Christi ingressa

gressa significatur. Vatabl. legit, *carmen lyricum præfectorum*. quasi meritò Spiritui sancto diceretur carmen illud, vbi hæreditatis dignitas celebratur, qui huius hæreditatis pignus est certissimum, dicente Paulo: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, Ephes. 1. n. 14. qui ideo meritò tunc præfectus cantorum dicitur, quia, vt infrà dicam, Ecclesiam gentium, prophetica symphonià conduxit, vt ab eodem iustificationis gratiam consecuta intelligatur, à quo fuerat musicis vocantis gratiæ concentibus allecta.

563. Prodeunt cœli tubæ, Christi præcones, gratiæ antesignani, nouam charitatis legem Apostoli prolaturi: quos è longè contemplatus Psaltes sceptriger, integrum illis Psalmum octauum concinit hilariter: sed pende titulum, *In finem pro torcularibus*. Papæ! exclamet aliquis, Sanctissime Propheta, dele lemma, epigraphem commuta, ne videaris impiorum concilium adiuuare: blasphemant hi cœlesti Apostolorum doctrinâ perceptâ, *quia musto pleni sunt isti*, Act. 2. n. 13. quid ergo torcularia vocas, quasi illis ptetis consentire? tunc cat dubium, & integrat mysterium Augustinus ibi. *Psallitur*, inquit, *pro torcularibus, pro Ecclesiæ constitutione, cùm Dominus noster postquam resurrexit, ascendit in cœlos: tunc enim immisit Spiritum sanctum, quo impleti discipuli, cum fiducia prædicauerunt verbum Dei*. Igitur musto pleni, sed diuino, vinoque Spiritus sancti sacra exundant torcularia: bene itaque apud Vatabl. τὸ *in finem* vertitur, *Præfecto cantorum*. vt enim habetur in Prouerbiis, nihil in conuiuio vini, musicâ gratius: sic Spiritus sanctus qui Apostolos nectareis poculis inebriauit sobriè, pariter, vt infrà dicam, musicam edidit incundissimam: meritò interim Præfectus cantorum vocandus & inuocandus. Attende.

564. *Vinum diuinum ætnis loquum.* Instituens Apostolus Ephesios suos: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus: canentes, & psallentes in cordibus vestris Domino*, cap. 5. n. 18. Illatio videbatur legitima, nolite inebriari vino, in quo est luxuria: ergo inebriamini spiritu, in quo est castitas: & tamen nihil interim de castitate Apostolus, totus affectibus musicis indulget, quia licet spiritûs comes castitas, id tamen tanquam aliquid notius voluit præteritum, ignotius aliquid allaturus, imò illaturus: ac si diceret. Longè præclarior hæc ebrietas cœlesti musto, quo pleni videbantur Coapostoli mei, quàm illa alia terreni vini: in hâc luxuria est carnis, in illa diuinæ musicæ suauitas. quasi non magis sit insitum vino libidinem, quàm diuino Spiritui hymnos & cantica escitare; & sicut terrena ebrietas linguam tardat, verba truncat: sic cœlestis acuat, atque in cantus expediat suauissimos. Sed præstat audire Chrysostomum ibidem: *Vis lætari, vis diem consumere? ego tibi potum dabo spiritalem: ebrietas enim etiam claram lingua nostra vocem excidit, & balbutire facit, oculosque, & omnia simpliciter prauertit: psallere disce, & videbis rei iucunditatem, implentur enim Spiritu sancto qui psallunt: quemadmodum spiritu immundo, qui satanicas cantiones modulantur*. Sed hæc satis de titulo huius Psalmi, *Pro torcularibus*. vbi Spiritus sanctus tanquam cantorum præfectus feruentes sacri nectaris musto animas excitat modulamini. Similes alios titulos, si attendas, hinc facilè interpretaberis. Pergo ad alia.

565. Equidem ipse Dauid in seipso rem expertus, *Pintus in Cantica.*

prædicta præfecturâ Spiritum sanctum visus affecisse. Peccat Saul, & ab Spiritu deseritur diuino, sanctius pectus, sedem iucundiorem in ipsomet Dauide, habituro: vngitur ergo iste à Samuele, adstipulante textu, *& directus est spiritus Domini de illâ in Dauid, & deinceps*, &c. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, 1. Reg. 16. n. 13. En tibi apertissimum signum recedentis Spiritus sancti à Saule, quòd misertimè à Dæmone vexaretur. Age dum: eiusdem in Dauide insidentis ecquod stemma? spetes mita mille: mille dona, & illa de raritate pretiosissima: talia consecutus adolescens, fateor: sed illud vt illustre, sic manifestum, de quo D. Hieron. *in quæst. Hebr.* ad hunc locum: *Ideo*, inquit, *directus in eum spiritus Domini dicitur, eo quòd tunc Psalmos canere cœperit*. quasi chotididascalus diuinus gnauus discipulum, hunc statim factum musicam edoceret.

566. *Musica inter dona diuini Spiritus maximum.* Quid? inter dona primitiua quæ diuinus Spiritus Ecclesiæ immittebat, Musica sanè inter maxima ponebatur. Paulus 1. Corinth. 14. n. 15. *Psallam spiritu, psallam & mente*. vbi Lyranus, *Psallere est orare cum melodia*. quis eo ipso quòd spiritum choraulem acceperat, dum orat mente, dum orat spiritu, canere bonus discipulus agnoscitur. ipse Apostolus se explicuit ibidem n. 26. *Quid ergo est fratres cùm conuenitis, vnusquisque vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet*. de quo ibi Chrysostomus, *Equidem psallere quondam sic donum fuit diuini, quemadmodum docere*. Sic etiam cùm quidam prophetico Apocalypseon spiritu implerentur, alij bonâ se gratiâ beatos existimabant, si Psalmisticâ meludiâ personarent. Hui! nonne rides Lutherum, Caluinum, Bezam, & Zuinglium, qui prophanis cantilenis dæmoni indulgentes, Ecclesiasticos hymnos paulo longè doctiores exsibilarunt? ride, ride, tuto irrisus spiritus choraules arridebit.

567. Vidit Isaias Seraphinos stantes in throno Dei, & postquam illorum habitum descripsit, addit: *& clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, cap. 6. n. 3. Nollem incompositos intelligeres clamores, voces inconditas, sed consonas, sed musicas, & suaues. huc enim allusit D. Ambros. in præfat. Psalm. *Laudant*, inquit, *Dominum Angeli, psallunt & potestates cœlorum, & ante ipsum initium mundi Cherubim & Seraphim cum suauitate canora vocis sua dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. innumera Angelorum millia Apocal. 4. assistunt, seniores & turba magna, sicut voces aquarum multarum concinunt alleluia*. Sed quinam choraules Seraphinos edocuit, vt quem millies Sanctum possent vocitare, ter solummodo Sanctum intonarent? Certè Spiritus sanctus: ideò Nicetas ad Gregor. orat. de Pentecoste. *In spiritnali*, inquit, *Angelorum ordine, diuina vita sine spiritu permanere non potest: nihilo verò magis, quàm exercitus ordo, & disciplina nisi ordinum præfectus adsit: aut chori concentus, nisi chori magister cantorum voces componat, atque concinnet: quonam rursus modo dicere possent Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, nisi ab spiritu didicerint quoties eiusmodi laus, piè repetatur? ita fit, vt spiritualis ille concentus nisi spiritus magisterio & disciplinâ retineri nequeat*. vt tota consonantia hymnicæ huius laudis, qua Trinitas de sanctitate extollitur, Spiritui sancto choraulì tribuatur.

568. *Heretici Musicam Ecclesiasticam damnantes irridentur.* Et certè, quia diuini huius chotididascali ductu, & dirigenti manu gubernari Lucifer recusauit, ab Angelorum choro musico deturbatus, lamentabili

mentabili planctui destinatur. Audi quê canat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, Isai. 14. n. 13. de quo D. Antonius de Padua Dom. 4. Quadrag. *In choro*, inquit, *concordia non ab inferiori, sed à superiori incepit cantare Antiphonam superbia: Ascendam in cœlum, id est, ad æqualitatem Patris: ero similis Altissimo, id est, filio: & dum sic altè cantaret, & cordis vena intumescerent, irreparabiliter cecidit.* quasi in statu viatorum diuinas cantilenas, & illarum numeros Angelis auctor concordiæ, id est, Spiritus sanctus mandaret examinandis, & quos aptos inuenit de vocis, de numeri suauitate, admitteret, dissonos deturbaret. Ludebat eleganter Claudianus de auiculis vireto Veneris fruituris, in poëmatio illo *de nupt. Honorij.*

Intus prata virent manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent Zephyro contenta colono,
Vmbrosúmque nemus, quo non admittitur ales
Ni probet ipsa suos Diuâ sub iudice cantus:
Quæ placuit, fruitur ramis, quæ victa recedit.

Sic sub Deo vero amoris, imò sub Deo essentialiter Amore, Angeli probabantur, vt pro suauitate cantus alij admitterentur, alij demitterentur pro dissonantia. habes in Lucifero (cuius culpa putatur esse, putasse naturæ viribus gloriam consequendam) putum putum exemplar hæreticorum; quidni ergo Ecclesiasticis Spiritus S. cantibus non assuescant?

§. III.

Spiritus sanctus, benefico incantantis cantus veneficio, homines allicit: dæmones alligat: leges stabilit.

569. *Diuina suauitatis incantatio activa.*

VEnio ad aliam partem, vbi de cantu Spiritum sanctum dixi incantatorem, & benefico veneficio animas attrahentem. Plenus gratia & diuino Spiritu Stephanus faciebat signa & prodigia apud Iudæos, vnde dicitur, *& non poterant resistere spiritui, & sapientia quæ loquebatur*, Act. 6. n. 10. ille tamen instabat acriùs, vigebat vehementiùs, & Christum ad dexteram Dei Patris sedentem sonorè decantabat: tunc Iudæi *clamantes voce magna continuerunt aures suas*, cap. 7. n. 56. id est, aures suas clauserunt, obturarunt. nimirum loquebatur, imò canebat in Stephano Spiritus sanctus: tunc Iudæi, qui omnibus erant aspidibus duriores, ne fortè tanta dulcedine instar aspidum feliciter incantarentur, aures obturant, implentes illud propheticum, *furor illis secundùm similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*, Psalm. 57. n. 5. vbi grauiter D. Augustinus, *Clauserunt*, inquit, *aures suas: quod autem postea fecerint, passio Stephani narrat, atque declarat: non erant surdi, sed fecerunt se surdos, quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat. clauserunt & aures corporis, & ierunt ad lapides: ecce aspides surdæ, duriores lapidibus, quibus incantatorem suum lapidauerunt, non audierunt vocem incantantis.* vt meritò hic Psalmus inscribatur etiam, *In finem*, & in Hebræo, *Præfecto cantorum*; quia cantus diuini Spiritus, etiam est incantatio, hominibus ni surdescere velint alliciendis.

570. Quàm iustè post tot scelera, in populum peccatis immersum, è pietatis diu sperante abysso, diuina emergit ira! desæuit iam vindicta, & præcipuæ minæ sic intenduntur: *ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iuda, &c. prudentem eloquij mystici, &c. Isai. 3. n. 3.* Tantum ne, inquis, damni, tantum dispendij, priuatus eloquio mystico populus patiebatur? tantum. Audi quid vertat, imò explicet Theodotion: *auferet prudentem incantatorem.* quia Doctorum ab Spiritu sancto voces, non cantant solùm, sed & incantant: neque horribilior aliqua pœna poterat misero populo irrogari, quàm si sic benefico veneficio priuaretur, & vitis Spiritu sancto plenis, à quibus veneno deponendo excantaretur, miserè spoliatus, spoliandus dæmonibus persisteret.

571. Vt homines hac musicâ incantati ad salutem alliciuntur: sic contrà alligantur incantati dæmones ne noceant: *cantando rumpitur anguis*, dixit ille alius, excantatus scilicet mysticis carminibus: & Spiritus sancti sono musico tartareus serpens rumpitur, alligatur, ne potionatos veneno homines detineat. tritum illud Dauidis, quem suprà vidimus spiritus musici discipulum: *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur, & leuiùs habebat*, 1. Reg. 16. n. 23. quod vulgo ad præ prærogatiuam musicæ afferri solet. Quæro tamen vnde pia musicâ detentus Dæmon ne noceret, qui musicæ dulcedine non poterat delectari? equidem non detinebatur allectus, sed tenebatur a ligatus. qui incantantur, priscarum actionum impunes redduntur: incantabatur autem hac musica Spiritus diuini, nequam spiritus, desæuiendi vltrà erepta sibi potentiùs libertate. D. Gregor. Nazianz citatus suprà: *Hic spiritus*, inquit, *vtpote sapientissimus, atque hominum amantissimus, si pastorem gnatus fuerit citharœdum facit, peruersos spiritus excantantem.* & bene citharœdum dixit, id est, odam musicam citharæ accommodantem, non merè citharistam: non enim tantùm pulsabat Dauid citharam, sed canebat pariter: ideo in Hebræo legitur, *psallebat*; de quo Vatablus in notis: *id est, ad citharam carmina quadam canebat.* Carmina, inquam, mystica, & à cœlesti magistro incantatoria.

Dæmon musicâ sacrâ fugatur.

572. Sed nota obiter Dauidem imperio destinatum, electum diademati, qui aptioribus ad politiam, & ad bellum donis præoccupandus à Deo videbatur, musicâ in primis instrui: quasi non minus celebris, quin imò illustrior victoria in cithara incantante, quàm in feriente gladio cerneretur: illustriórque triumphus percussâ illâ, quàm hoc percutiente, reportandus: hoc enim homines, illa incantati dæmones prosternebantur. idem Gregor. orat. 20. *Dauid*, inquit, *inter Reges clarus, & celebris, cuius tùm multa de hostibus victoria, ac triumphi proditi sint, tum præcipuum decus est & ornamentum mansuetudo, & ante regiam maiestatem, vis cithara malignum spiritum incantantis.* Sic etiam ad politiam fouebat sceptrum plectro, vt prælata diuinæ musicæ mansuetudine leges sub blandimento dulciores, rebellibus si fortè subditis efficaciùs irrogaret. Sed hæc ad aliam tituli præpositi partem manuducunt.

Leges suauitate imposita imperant efficaciùs.

573. Planè ita est: leges suas sub musica dulcedine irrogat Spiritus, vt nunquam derogandæ stabiles perseuerent. In accipienda lege Moysis, qui fragores, qui strepitus non audiuntur? quantum in singulis portentorum metus erat, quantum formidinis? sunt elegantissima verba Saluiani lib. 1. de prouidentia. *Adde huc tonitrua, adde fulgura, nebulas Deo plenas, loquentem cum Moyse Dominum,* legem

Rex vt leges validas & stabiles condat, immixtâ illas condiat suauitate.

legem diuino ore resonantem: iacis, at Dei digito litteras, rupices paginas, saxeum volumen: discentem populum, & docentem Deum: ac mixtis penè hominibus atque Angelis, vnam cœli, ac terræ scholam. Audis apparatum? nec tamen tot prodigia potuerunt pietatem à duro populo extorquere: crediderim, quia solito Spiritus sancti modo, imò modulo lex non promulgabatur. Ideo ergo Deus Cantici *carmen*, Deut. 31. num. 30. postea inspirat Moysi: ideo Moyses canens legis obseruantiam populo commendat, quia sciebat Deus ita se reconciliandum populo: & discebat Moyses afflatus diuino musicóque spiritu, verba legis percipiendæ, longè dulciùs proferre. *Locutus est ergo Moyses audiente vniuerso cœtu Israël verba carminis huius, & ad finem vsque compleuit: audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*, loco citato, & *cap.* 32. *num.* 1. de quo audiendus Ambros. in præf. Psalm. *Ipse*, inquit, *Moyses tùm legem Domini legisset, quo eius memoriam pectoribus affigeret audientium, percanit, cùm locutus est, dicens, Audi cælum, &c. delectatur igitur Deus cantico non solùm laudari, sed etiam reconciliari. Inde Moyses tunc maximè cantico vsus est, quando cælum testificabatur, & terram: vt salutem suam cœlestis sono gratia concinentem auidus mundus audiret, & sacra suauitate dulcedine, in æternum legis obseruantia mentibus insideret humanis.* Incantatum dixeris populum sacrá Musica, vt priscam duritiem obliuiscens, legi suscipiendæ iam mitesceret. quo sciant Principes prælato pietatis blandimento, paterno potius affectu, quàm tyrannico imperio leges promulgatas, sint licèt seueræ, longè suaniùs acceptari.

574. Et quàm id scitè verbis sequentibus prodit Moyses! *concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum*, num. 2. Nouerat imbrem, nouerat rorem contra rupices mores, saxea viscera, scrupea corda prodesse nihil: & tamen adhuc quasi in blandam terram, nonnisi sub imbris & roris velo doctrinam populo vult immissam: ecquid ita, si lapidibus rorida pluuia influit inutiliter? quia præmissa, immo commixtâ incantantis musicæ suauitate populum nouerat molliendum, depositáque duritie leges beneuolè subiturum. Maius aliquid idem Ambros. citatus, ibidem: *Denique legis tabulæ priusquam cantico firmarentur, per indignationem Moysi fracta, & comminuta sunt: vbi verò tali signaculo consecrata sunt, humana locum ira non habet, quia sanctificatio eam sacra suauitatis exclusit. Canticum itaque Domini sicut ros mollior descendit è cælo, & fidem hominum sicut gramen, imbre quodam gratiæ spiritualis infudit.* quasi Princeps, qui leges dorè, & imperiosè imponit, cogatur irasci millies, & instar Moysis, rebelles peccantis populi mores deplorare, & nouas conditas leges iam iam promulgandas, tanquam non obseruandas lacerare: qui si has musicâ, id est, pietate blanda intimet, iam populum, qui priùs lapidis instar durus, graminis more tenerum, id est, docilem irrorabit. aliter explicare Ambrosium vix noui.

575. Venio ad legem gratiæ *Factus est*, inquit, *repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis*, Act. 2. n. 2. vehementi spiritui comparatur Spiritus sanctus Apostolos perflaturus, vnde strepitus, aut fragor dicendus videbatur: & tamen *sonus* dicitur: nimirum, ni fallor, visus permixtum aliquid musicum assonare, vt lex gratiæ suauissimè cordibus infunderetur humanis. dicebat Ausonius *epist.* 15. *ad Paulinum*,

Est & arundineis modulatio musica ripis:
Cúmque suis loquitur tremulum coma pinea ventis,
Incubuit folijs quotiès leuis Eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.

Homerus item *in hymno Apollinis*, ventos suauiter vndis marinis adstrepentes vocat λιγυπνείοντας ἀνέμους, quasi musicè spirantes. Aduentum igitur diuini venti interpretor musicum & sonorum: firmo coniecturâ, quia statim hic sonus, *vox* appellatur: *facta autem hac voce*, u. 6. quo quasi dearticulatum aliquid exprimitur.

576. Redit ab agro frater senior, audit domum choris festiuis perstrepentem, musicis concentibus resonantem, nec tamen intrat: nimirum præsagiens expulsionem, deforis inuidus persistens corrodebatur, Iudaici sic populi typum gerens. Sed vnde, inquis, spem amiserat, vnde notitiam minoris fratris, id est, populi Gentilici, quem intrasse audiuit, conceperat indubitabilem, fore vt non vlteriùs dimitteretur? crederem sic præsumpsisse, quia videbat gentes per Musicam vocatas, sicque sacra incantatione cantos diuini fore amoribus inhæsuras, vt iam vltrà non essent recessuræ. & reuera Spiritus diuinus quasi suauissimis modulis, & musicâ quadam melodiá Prophetas complens, ibi sonoros numeros captiuandis gentium affectibus expresserat. Alluceri aliquid Chrysologus *serm.* 5. in vtroque fratre, populum vtrumque dictum intelligens, ad illud de fratre seniore, id est, Iudaico populo, *audiuit symphoniam, & chorum*, Luc. 15. n. 25. sic scribens: *Audit Daviditam citharam personare, audit ex concentu prophetico symphoniam: ex populorum vario concentu choros audit, & intrare non vult, stans foris per inuidiam.* quasi Dauidica illa cithara & Prophetarum symphonia traheret populos gentium, & ad similes concentus permoueret.

577. Vnde obiter poteris explicare illud Sap. 1. n. 7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quid enim est id quod continet omnia nisi homo? & meritò, *est* enim cum lapidibus & aliis insensibilibus: *viuit* cum plantis, cum brutis *sentit*, *intelligit* cum Angelis. Bene ergo ex eo quòd Spiritus sanctus orbem repleat, homo habere vocis scientiam dicitur, id est, Musicam intelligere. D. Anton. de Padua serm. 2. Pentecost. *Homo*, inquit, *animal rationale, quod continet omnia quatuor elementa, ex quibus omnia constant: habet scientiam vocis, quia intelligit quando sibi Spiritus S. loquatur.* qui enim olim per culpam surdus brutescebat, feliciter mutatus iam vocis scienti chorauli admodulatur, musicâ suauissimâ attractus. huc tandem venit ille titulus Ps. 69. *In finem pro ijs qui mutabuntur.* vbi D. August. de his commutatis: *qui enim, nisi qui à vetere vita in nouam transeunt? &c. quando ergo nos mutaret Christus, nisi fecisset quod dixit, Ignem veni mittere in terram vtique salubriter, atque vtiliter.* Igne cœlesti, Spiritu sancto misso immutauit nos Christus, vt veteris peccati exuuiis relictis, noui splendoris radiis fulgeremus. Sed quomodo immutauit spiritus, vt legis gratiæ iugo indomita colla subderemus? Musicâ puto, & incantanti cantu: fauet Hebræa versio huius tituli, quæ habet, *Præfecto cantorum, super rosa testimonij.* quasi qui canens immutauerit, meritò interim (de quo multa suprà) cantorum præfectus appelletur. Sed iam satis de morali explicatione tituli præsentis libri: opus nunc iam Musicâ recreari suauius aggrediamur.

CAPVT PRIMVM.

VERS. 2. Quia meliora, &c.

§. I.

Cur non adſpiret terreno, qui cœleſti ſolamini ſuſpirat.

578. SVt immemor, affecti impotens, dilecti deſiderio defixa, collapſa penitus, penè exanimata, diuini oſculi, cœleſtis viſitationis gratiam implorans ſuſpirabat ſponſa: ſublenando deliquio fomenta blanda, aromatica vina ſodales applicabant, reſpuuntur illi tamen omnia tanquam vilia, melioribus ſponſi amoribus tota inhians, neſciens terreni ſolaminis hætere blandimentis, dum cœleſte adblandiri morabatur. Eſt hoc ſanctitatis putæ putum ingenium, ſicut affectus praui inolita conditio, creatoris defectum, creaturarum ſolari ſupplemento. Reprobatur Cain ab impietate victus, conuictus fratricidij: fatetur ſe veniâ indignum: *Maior eſt*, inquit, *iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, Geneſ. 4. num. 13. Quis non putaret fore, vt ipſo dolote tanto coutabeſceret, futurúmque nihil reliquum, quo tot gratiarum iacturam, diuinæ amicitiæ receſſum ſupplendum eſiſtimaret? audi tamen quid dicat: *omnis qui inuenerit me, occidet me*, n. 18. quaſi dicat: hoc ſaltem amoue: fac ne offendar ad mortem, infenſus omnibus. quod & illi conceſſum *num.* 15. Sed heus tu mortalium miſerrime, creaturarum beneuolentiâ, odium creatoris compenſabis? compenſat certè D. Bernard. in declam. ad finem: *Occidendum ſeſe cauſabatur infelix, tanquam pro magno beneficio, ſi prohiberetur occidi: quod factum eſt. conſolationem miſeram obtinuit, quam quærebat, & oblitus eſt conſolationis maximæ, pro qua multo ſtudioſius ſupplicare, & remedium quærere oportebat.* & ita oblitus, vt addat textus, *habitauit ad Orientalem plagam Eden*, n. 17. quaſi Eden, ſiue paradiſi lucem quâ ſpoliatus diſcedebat, terreni Orientis radiis ſuppleturus. Bene Chryſologus *ibi*, apud Godefridum: *Eden*, inquit, *locus eſt voluptatis: reprobi igitur de loco veræ voluptatis eiecti, in Orientali parte ſe conſtituunt, dum tranſitoriâ proſperitate decepti, quid perdiderint non aduertunt, ſed quaſi in luce magna felicitatis attendunt.*

579. Verumtamen, non ſolùm terrenum ſolamen, dum cœleſti ſuſpirat, reſpuit ſponſa, ne eum impiis conuenire videatur. Sed etiam, ni fallor, quia ipſa pro Deo deſolatio, omni terreno ſolamine putat dulciorem. mira res! deſiderat, tabeſcit, plorat, ſuſpirat indiga ſolaminis: & tamen ſanctas etiam pij ſodalitij renuit conſolationes, nedum profanas. Flores ſuos vix è calyculo erumpentes infeſto Auſtro rabidos innocentes pueros acerbo merſos funeri, quibus non lacrymis proſequitur Eccleſia? viſa etiam feſtiua Chriſti ſponſi natalitia, atro altarium colore funeſtare. Ecquis pius ſolandæ matri orbe non accederet? audi tamen interprete Matthæo *cap.* 2. quid de illa protulerit Ieremias: *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt*, cap. 31. n. 15. plorat, nec ſolamen ambit, nolens magis, quàm non potens conſolari: vtpote cui ipſum doloris gaudium, dum excelſo amanti ſuſpirat, omni erat humano ſolatio delectabilius. D. Eucherius Lugdun. ſerm. de natiuit. Innocent. *Sancta*, inquit, *mater Eccleſia, quamuis multum de filiorum ſuorum nece diriſque cruciatibus lugeat, conſolationem tamen non recipit, quia non ſunt in tali euentu danda, nec ſuſcipienda conſolationes: vbi enim lætitia vincit lachrymas, gaudium mœrorem, & gloria paſſionem, ibi conſolatio neceſſaria non eſt.* ipſa quippe lætitia patiendi dolorem abſorbere viſa, inſtarque ſacrilegij humanam conſolationem reformidat.

580. Habent huic rei emphaſim non vulgarem, illa Dauidis, *in die tribulationis meæ Deum exquiſiui: manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus: renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum*, Pſalm. 76. n. 3. & 4. equidem non inuenerat, tam anxiè quærens, vt diem tribulantis abſentiæ, noctem diceret, eámque ſic obſcuram, vt palpantibus manibus indigeret: non inuenerat, inquam, qui ſe tantum delectatum memoriâ profitetur: vnde ergo ſe non deceptum vocat, ſi ſpe ſemper deceptus dicitur is, cui deſipiunt omnia, niſi quæſitum inueniat? crediderim ideo ſe non deceptum credidiſſe, quod interim humanis conſolatiunculis non ſeduceretur: has renuebat, vt dilecti memoriâ, quæ abſentes diſcruciat, ſolaretur: aliquid tale cogitabat Bernard. *tract. de dilig. Deo*, vbi ita. *Quamdiu ſtare præſens cernitur ſæculum, in quo generatio aduenerit, generatio præterit, non deerit electis conſolatio de memoriâ, quibus nondum de præſentiâ, plena refectio indulgetur*, &c. *ſed intereſt quæ generatio ex Dei capiat recordatione ſolamen; non generatio praua, & exaſperans, cui dicitur, Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtram: ſed quæ dicere veraciter poteſt, Renuit cōſolari anima mea, huic planè credimus ſi ſecutâ adiecerit, memor fui Dei, & delectatus ſum.* Reſpuit ergo fomenta conſolatoria ſponſa, ne ſolamine memoriæ etiam de abſentiâ torquentis fraudaretur.

581. *Amor Dei hilaris patiendo.* Neque mirum: habent enim iuſti in hac re, vt ferè in aliis etiam, exemplar Chriſtum, qui voluptate patiendi pro nobis, in doloribus ſuis renuit conſolari. inuitabat Salomon fideles, vt in humana carne aſpicerent patientem nunc lachrymis præſepij paleas, nunc ſanguine crucis lignum irrigantem: *egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis, & in die lætitiæ cordis eius*, Cant. 3. n. 11. qui cùm omni cōſolatione cernatur ſpoliatus, ne humanam conſolationem appetere credatur, lætitiâ, ſed illam cordis manifeſtat, ne quæ exteriùs deerat, interiùs deſiderari videretur: quæ enim eſt cordis lætitia, niſi quæ animam ſic ſaginat, vt interim carnem deſolationibus ſubmerſam, relinquat ieiunantem? acutè planè Gilibert. ſerm. 20. in Cant. *Non leuem*, inquit, *dedit intelligi lætitiæ motum, quam eſſe cordis expreſſit. lætitiam dico? deliciæ ſunt: deliciæ, inquit, meæ eſſe cum filijs hominum. quàm carè, Ieſu bone, tibi conſtant illæ deliciæ! non gratis eas poſſides, quas carnis paſſione comparas: ideo cordis tantùm hanc dicit lætitiam.* Reſpuit ergo exteriores conſolationes ſponſa, quæ inter patiendum, imò quòd patiatur reconditâ quadam lætitiâ redundat, donec ſibi plena cœleſtis ſolaminis refectio concedatur.

§. II.

Sic curre diuinum ſolamen aſſecuturus, vt, quamuis non occurrat, proponas terreno tibi neutiquam recurrendum.

582. *Deus peccatores audit ad vindictam.* SEd quid ſi tardat, ô ſponſa, quid ſi plenum hoc ſolamen non conceditur, quid ſi auidè curren-ti,

ti, non occurrit? dissimula saltem, non sic apertè humani epuli, siue solatij opem vili facias, & diuino postponas, vt illi recurras, si hoc tibi inuenire non contingat. Absit, inquit sponsa: noui ego dilecti mei ingenium: discedet longiùs, si me ancipiti affectu viderit inquirentem: in hoc negotio certus index aberrandi scopi, dubia collineatio: si in prosecutione diuini solaminis, non sciam, imò iurem, ita mihi humano renuntiandum, vt nullum in hoc paratum reseruem effugium, licèt illud sortiri non concedatur: operam ludam, arabo littus, Æthiopem dealbabo. *Sentite*, inquit, *Salomon de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*, Sap. 1. n. 1. quasi maliguè sentiat de Domino, qui hunc duplici corde putat inquirendum: nec enim inuenitur ab eo, qui velut biuium destinat, vt si hàc Creatorem non offendat, illàc creaturis iuuehatur: &, ni appareat diuinum, ipse humano pateat solamini. pulchrè Galfridus *ibi* apud Tilm. *Nec frustrà*, inquit, *quæritur, sed inuenitur ab eis, qui toto corde inquirunt, & qui non tentant illum, sicut qui tentans vadum paratus est pedem retrahere: non tentat qui non sibi aliam conseruat consolationem, si contigerit non inuenire diuinam.* Quàm sacrilegus iste pes, quàm impia inquisitio, ita diuina aggredi, vt ni detur ingressus, regressus ad humana proponatur: æmulus quidem Caini, de quo suprà, ipsâmet sicut Cain humana consolatiunculâ castigandus. Bene de hoc Ambros. lib. 2. cap. 9. *Angusta*, inquit, *mentis homo, præsentem mortem veretur, perpetuam negligit: & diuinum iudicium non reformidat, interitum solum corporis deprecatur.* tunc sic statim *cap.* 10. de Deo id Caino concedente: *nec tamen magna concedit, sed in eo ipso in prudentiam insipientis vlciscitur: qui cùm esset perpetuis supplicijs obnoxius, non remitti sibi pœnam poposcit, sed vitam huius corporis obseruandam putauit, in qua plus ærumna est, quàm voluptatis.* Pergo.

583. Via dum in tuto prædâ collocatâ, recentem adhuc ab inobedientiæ crimine compellat Saulem Samuel, cui condemnationis irrogat sententiam, & miserum spoliandum regno à diuina beneuolentia seiungit. reclamat Rea, fatetur confusus culpam, pœnam deprecatur, veniam orat, & exorando Deo opem implorat, à rigido iustitiæ merito subiratæ, misericordiæ piè mouendæ appellans tribunal mitius: eripit tamen spem omnem Propheta, subdens: *Pænitudine non flectetur, neque enim homo est, qui agat pænitentiam.* 1. Reg. 15. n. 29. quàm noua visu, & quàm auditu mira propositio! millies docet Scriptura mutare Deum sententiam, si tamen vitæ tenorem mutet peccator: comminatorios tantùm esse, quos absolutos putares verborum sensus: vnde absque diuinæ constantiæ dispendio, tunc magis firmi ad mentem, cùm minus stabiles ad sonum. Bene est, inquit Samuel, quis hæc negauerit? veruntamen in præsenti causâ negotium definitâ lite conclusum est: exhibetur irreuocabile decretum, non minæ reuocabiles adhibentur. Sed vnde noscis sanctissime Propheta? lege, ac si diceret, Saulis mentem & affectum, duplici intentione quærit, paratus humanis, si diuina negentur. audi quid subdat tandem Saul num. 30. *Peccaui, sed nunc honora me, coram senioribus populi mei.* vbi grauiter Galfridus: *Væ*, inquit, *misero, quia non persistit pro indulgentia supplicans, & morans, quòd consolationem aliam qualemcumque non repulit: vicisset enim, audeo dicere, & diuinam flexisset iram, & sententia retractationem obtinuisset, si verè pænituisset, si in fletibus perstitisset. Sed quàm citò miserum inuenit in sua reprobatione solatium, vt honorem retineret humanum.* Fugam pœnæ non inuenit, diuinum, non assecutus solamen, qui humani solatij refugium infaustus reseruarat.

584. Benedixerat Isaac Iacobo suo *in rore cæli, & in pinguedine terræ*, Genes. 27. num. 28. accedit turbatus Esau, & callido fratris cognito stratagemate præreptam sibi dolet eam benedictionem, quæ priùs cœlestium gratiarum rorem, deinde terrenorum bonorum abundantiam concedebat: fremit, rugit identidem, exclamans ad patrem, *benedic etiam mihi.* Quî potero, inquit senex, nam frater tuus iunior vocem mentitus, & maximè pellitas manus exhibens, his tanquam adulterinis clauibus à pectore, ab ore nostro tibi benedictionis surripuit felicitatem. Heu quàm bene, ait iste, fallacis supplantatoris nomine insignitur Iacob, bis me decepit miserum, olim maioratu spolians, nunc benedictione: sed esto pater ille benedicatur, cur ego etiam pater non benedicar? rumpe moras, exprome vocem, *benedic etiam mihi.* nihil ne dulcissime pater, sanctæ illius benedictionis tibi relictum? cur id primogenito tuo denegabis? nihil relictum illius, inquit pater, integram & totam frater detulit. Ea, inquam, ego Esau, persiste: pater est, quem oras, & pater beniuolus, intus ab ipso tenerrimo affectu exorandus: impetrabit tibi à Deo si vrges humilis, cœlestium illarum gratiarum multiplicationem: quid cessas? angusti cordis homo, ingenij vilis intentione duplici postulabat, vt si fortè benedictionem diuinam ferre non posset, quamcumque terrenam aliam extorqueret. Pende quid subdat: *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* num. 38. quasi dicat: quæcumque illa fuerit, hanc mihi tribue, illâ contentus degam. Sic illam accepit quæ mutatis terminis *in pinguedine terræ, & in rore cæli*, cœlestem humanis bonis gratiam postponebat. *num.* 39. de quo grauiter D. Bernardus citatâ declamat. *Pretiosa*, inquit, *diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. infelix tu Esau qui dixisti: Num vnam tantùm benedictionem habes pater? quantò meliùs erat dicere cum Propheta*, Psalm. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram: indignus enim cœlesti consolatione conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud sibi refugium parans, si fortè eam non obtinere contingat.* Infelix planè, qui dum humanam appellat, diuinam benedictionem repellat, necesse est: dumque hanc dubio quærit affectu, effectu certo amissam querulus intempestè deplorabit.

585. Caueat autem iustus ne dum quærit diu, nec desideratam gratiam valet inuenire: vllo vel mentis motu, vel corporis gestu leuissimo laboris fastidium, inquisitionis tædium manifestet: scrutatur hos motus dæmon, & tunc debilem vrget instantiùs, obiectaque terrenâ consolatiunculâ allicit, téque deceptum miserè deperdit. cessit naturæ Christus ad mysterium, & dum longo ieiunio Patri mundum reconciliat, concedit pallori marcido vultum obumbrat, purpureum candorem offuscaturus: tunc sic Matthæus: *& cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt: & accedens tentator dixit ei, Si filius Dei est, dic vt lapides isti panes fiant*, cap. 4. num. 2. nimirum quem hominem suspicabatur, aut Deum: inscius tentandi Dei, instar hominis tentabat; victoriæ vt sperabat certus, marcoris pignore, obiectâ tempestiuè consolatione confirmatus: huc iterum adductus Galfridus ibi. *Torpentem*, inquit, *spiritum à desiderio, & meditatione cœlestium, tanquam à pane Angelorum,*

Dæmon naturales hominis motus scrutatur ad tentandum.

Angelorum, ad lapidem frigidum, durum, & siccum inuitat, id est, amorem & delectationem terrenorum: vt si illam consolationem perdidit, ab istâ recipiatur. Et quàm bene lapidi duro terrena consolatio comparatur? cæli fructus, Deo concors producebat Israël in deserto, quidni cæli fructu, manna cœlesti pascebatur: sed tandem præuaricator terræ fructus concupiscit, & carnalis suspirat carnes: fit ad debitam pœnam voti compos, *& dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.* Psalm. 105. num. 15. Vatablus legit, *ac dedit quod poposcerunt: sed simul immisit macilentiam eorum animæ.* Saturitatem miseri putabant, sed macilentia erat, & lapis durus, quem panem suauissimum existimabant.

VERS. 4. Recti diligunt te.

§ I.

Inuidia sibi carnifex: inferno dirior: cælo cedit, ne id concedat aliis: suis nocens, ne prosit alienis.

586. RECTI, id est, non inuidi, vt in dramate explicaui, pastorem illum optimis præditum moribus diligebant: ergo inuidos alios patiebatur, à quibus tamen (cùm potentissimus dicatur, & fortè Rex) pœnas nullas exegisse dicitur: neque mirum, satis pœnarum in ipsa dabant culpæ professione, & dum Salomonem hunc tot cumulatum felicitatibus videbant, & inuidebant, tortis inde visceribus corrodebantur. scilicet inuido aliena felicitas summi supplicij loco adhibetur, vt dum videt & inuidet, alieno carnifice non indigeat. Eleganter D. Zeno Veron. serm. de inuidiâ. *Sed illud*, inquit, *in caussa huius languoris, vel admirari iam quis poterit, vel laudare, quod quanto amplius creuerit, tanto fit perniciosior ei, cui crescit: sicut enim omne iaculum quod vehementiùs fuerit intortum, si fortè aliquod solidum, & durum corpus illiserit, in eum continuò, qui iecerat, repercussum iaculum torquetur, ac resilit: ita etiam inuidentis motus, & animorum telum, cùm nihil nocuerit ei, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur.* & sciñè quidem, hoc laudandum maximè in vitio isto, ait S. Doctor: cætera enim licèt quandoque non lædant eos, in quos intenduntur: at ex intentione damni, apud imperfectos odium, & iram solent commouere; inuidia verò illud habet laudabile, quod à vindictæ culpa inuisos possit præseruare; paululum enim, non dicam charitatis, sed humanæ cuiusdam prudentiæ satis est, vt ab inuido vindictam nolis, quem vides in se ipsum carnificem desæuire: cætera ergo inuidia detestabilis, hinc laudabilis non poterit non haberi.

587. Dedicauit hanc pœnam Dæmon, quæ certè illo digna, ideo qui sponte olim maluit cælum per inuidentiam amittere, quàm Christum sibi propositum recolere: miserrimè contra homines desæuit inuidus, licèt inde nouis iaculis feriatur. Lyranus *ad cap. 3. Genes. num. 17.* de Adamo castigato. *Considerandum*, inquit, *quòd sicut per salutem hominum, augetur gloria sanctorum Angelorum, per quos incitantur homines ad bonum: ita è contrario per damnationem hominum malorum, augetur pœna Dæmonum eos tentantium. Verumtamen propter nimiam inuidiam, qua dæmones torquentur, &c. non dimittunt homines tentare, licèt sciant ex damnatione hominum suam pœnam in futuro crescere. Sicut de inuido narratur, qui petiuit sibi vnum oculum erui, vt proximo suo cui inuidebat, duo oculi eruerentur.* Ecquod enim carnificij genus sæuius poterat existimari, quàm eo vitio laborare, quo quis non solùm consumitur intestinè, sed ad quale quale eiusdem solatium, alios denuo excarnificantes dolores cogitur sustinere? O dolor inuidi, inferni ignibus, si fas est dicere, præponendus.

588. Infernis addictus flammis infaustus diues, erexit maiori suo damno oculos infelices. vidit in sinu Abrahæ quiescentem, quem ad fores suas iacentem despexerat Lazarum: tunc exclamat, *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, Luc. 16. num. 24. Sed heus tu vafra pestis, si credis posse illinc vbi gloriosè degit, mitti Lazarum isthuc vbi iaces miser: faciliùs imbrem credes, ne dum roris stillulam demitti posse: id pete, & rictus aperi si aquam captas. nunquid ista si à Lazaro portetur, veniet refrigerantior? at, si fortè non è sinu Abrahæ aquam oras, sed ex illa, quæ apud te erat, præsentiâ ipsâ suâ te excrucians, quam tamen colligatus attingere non vales: cur stillam petis, & non plenam potus potiùs refrigerationem? nouit & arguit diuitis vafritiem Chrysol. serm. 122. *Adhuc tu*, inquit, *in Lazarum crudelis? Lazarum mitte: quò? ad infernum de gremio: de solio sublimi ad profundissimum chaos: ad tormentorum stridorem, de sancta quiete, de tanto silentio beatorum: vt video, quod agit Diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur, quàm gehenna.* Non itaque tam illi grauis flamma se crucians, quàm quies beans Lazarum: internam inuidiam magis, quàm externa incendia volebat refrigerata: non tam aquæ guttam sorbere, quàm digitum mordere Lazari cupiebat. Videtur autem S. Doctor vocare liuorem antiquum, quasi iam priùs inuideret Lazari sanctitatem, dum iaceret ad ianuam, cui modò in gremio felicitas respondebat. Quidquid sit de hoc, iam illi mitis inferni pœna, carnificis liuoris supplicio comparata.

589. Inde est vt æternum istud tartari supplicium, in supremo die, ab vna inuidia venerit inchoandum: *Ipse est*, inquit Petrus, de Christo, *qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum*, Act. 10. n. 42. vnde ad fidei symbolum articulus deductus. in quibus verbis, iustos qui saluandi, & qui damnandi impij, prolatos, multi voluerunt. Sed quónam, inquis, tendit diuina ratio, quæ simul in extremo iudicio, hos omnes vno actu iudicandos, decretum voluit? Respondet Euseb. Gallicanus homil. 2. de symbolo. *Veniet*, inquit, *iudicare viuos & mortuos: iustos & iniustos. Omnes ergo resurrecturi sunt, boni & mali; iusti vt percipiant, quæ meruerunt, iniusti vt videant quæ perdiderunt: reportaturi secum primam pœnam, alienæ beatitudinis conscientiam.* Vt quemadmodum seuerissimus princeps, qualis tunc erit Christus, non à leuioribus incipit, sed extremam, quam nouit, pœnam irrogat principio: sic Dominus dum illos inuidiæ traditos permittit, & hanc primam vult pœnam, esse etiam præcipuam ex sensibilibus patefecit.

590. Quid? puto semel inuidia correptos, omnes cæli delitias, exceptâ beatificâ visione, si fortè sibi concederentur, abhorrituros: ne ibi inuisos alios viderent felicitari, malentes gehennæ tradi, quàm de aspectu comparticipantium corrodi: indeque fatentes duriorem sibi carnificem inuidiam, quàm gehen

gehennam. Attende. quem non inuitat muſicus concentus, numeroſus chorus, epulum feſtiuum, plaudens familia? & tamen ſenior ille prodigi frater, his omnibus deterretur: *Indignatus*, inquit textus, *noluit introire*, Luc. 15. num. 28. de quo ſolita elegantiâ Chryſol. ſerm. 4. *Inuidum*, inquit, *fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio natura, hunc peruenire zelus non ſinit, liuor non patitur introire*, &c. *Inuidia inteſtinus hoſtis non carnis quatit muros, non elidit ſepta membrorum: ſed in ipſam cordis arietat arcem, & antequam viſcera ſentiant, ipſam dominam corporis animam prædo capit, & adducit incluſam. Si ergo volumus caleſtem mereri gloriam, ſi Paradiſi beatitudinem poſſidere, ſi æterni Patris inhabitare domum, ſi volumus rei caleſtis parricidij non teneri; peruigili fide, late ſpiritus tetras inuidia pellamus, & excludamus inſidias: inuidiam totis caleſtium armorum viribus comprimamus.* obiter corrige, & lege, *ſceleſti parricidij*. Ecquid miſerius, quàm allectamentis fugari, & inde dare te luctui, vnde ad voluptatem incitaris? quid tetrius quàm malis aſſueſcere, ne bonis aliorum compatricipes? ideo enim ſignaſſe dicitur, *noluit introire*. poterat quippe, ſed maluit foris dolens manere, quàm intus viſâ fratris felicitate ſæuiùs contorqueri.

591. Producto (ſicut initio innuebam) in cælis Lucifero, vt fert communis Patrum opinio, venturi Christi facta reuelatio impulit abutentem dotibus in peccatum: credo, quia licèt multis naturalibus cæli delitiis (excepta viſione beata) frueretur, timuit ſemetipſum carnificem ſibi, ſi quando maiorem Christi gloriam intueretur: ideo infamem è cælo præcipitationem minus dolendam putauit, quàm torquentem inuidi aſpectus conditionem. O miſeram huius Angeli in ipſo ſuo liuore cæcitatem! hac enim non viſus præuidiſſe, ſi perſiſteret, Deo eſſentialiter viſo beandum fore, deindeque totius culpæ immunem, erga Christum non poſſe inuido odio, ſed amore ferri tenerrimo. Sic videntur explicandi Patres, qui Luciferum ex inuidia Christi cecidiſſe fatentur: ſic & Chryſol. *ibidem*, licèt de quouis homine cognito vt electo ad gloriam, indeque Dæmoni inuiſo, etiam capi poſſit. *Inuidia*, inquit, *malum vetuſtum, prima labes, antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſſa funeris, hac in principio, ipſum Angelum eiecit, & deiecit è cælo.* & ita eiecit, vt mitius ſe putet in tartaro de flammis, quàm in cælo de inuiſi obiecti aſpectu contorquendum.

592. Facit huc in primis vox illa Christi Domini, ſcribas & Phariſæos, dæmonis ipſius diſcipulos, coarguens: *Væ vobis*, inquit, *legiſperitis: qui tuliſtis clauem ſcientia, ipſi non introiiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*, Luc. 11. num. 52. diuinâ planè, & ad rem, in qua ſumus, nata metaphorâ. Cur enim, inquis, non intrant miſeri accepta claui, aliis, ſi luberet, foris dimiſſis? dicam. Vidiſtin' aliquando clauſum oſtium atrij, vbi celebre ſpectaculum apparatur, eoque immenſam confluentem turbam fores obſtipantem, & quemdam interim adducta claui accedere, intrandi quidem cupidiſſimum, detentum tamen, quia timet, aperto ſibi oſtio, inſtantem turbam impetu admittendam: ſicque foris manet, quia ſolus intrare nequit, nec vult ſociatus? tale hîc ingenium increpatur Phariſæorum, qui ſi cæleſtem doctrinam auido populo aperirent, & quas nouerant virtutis ſemitas edocerent, ſe ſuoſque cæleſti felicitati, fungentes munere ſuo, admouerent: inuidi tamen è cælo è doctrinæ vtilitate excludi maluerunt, quàm hîc doctrinæ virtutiſque ſocios, illic beatitudinis ſortiri cohæredes. hoc iterum Chryſol. ſerm. 172. *Audiſtis*, inquit, *quemadmodum, dum ſecluſit alios, ſe ipſum ianitor inuidioſus excluſit: acceperat claues Phariſæus non vt clauderet, ſed vt intrare deſiderantibus aperiret: ſed ne intraret alter, ipſe permanere foris maluit per liuorem. Omnia quidem vitia ad ſuorum ſemper tendunt & proſiliunt læſionem: ſed ſemper ſuos amplius inuidia conſumit, inuidia ſuorum carnifex ſemper extitit. extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. & quid plura? hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum pœna eſt? vbi cruciatus eſt aliena felicitas? malum multiplex, quot ſunt felicitates hominum, tot tormenta ſunt inuidorum.* & quidem torquetur impius, dum virtutis, dum cæli ianuam ingredi deſperat, & tamen non ingreditur, quia ſæuiorem timet carnificem tunc inuidiam, dum ſalutaris ſcientiæ compatticipes alios imaginatur: inſcius & ſua culpa cæcus, qui neſcit viſo Deo omnem aboleri culpam, omnes inuidiæ ſtimulos retundendos, ſolamque ſerenam & pacatam concordiam ibi regnaturam. Veniamus iam ad alia bonorum genera.

593. In his etiam, quod dicebat ſuprà D. Zeno Veron. laudanda inuidia, quæ vindicaturo ſi quis eſſet, conducendi carnificis expenſas adimit: ipſa ſatis erga ipſummet inuidentem has partes obtinet. D. Baſilius hom. de inuidia. *Vt ærugo*, inquit, *frumenti eſt vaſtatio, ſic inuidia amicitiæ peſtis. Illud autem in hoc malo laudaueris quiſquam, quòd inuidus quanto in proximum vehementius mouetur, tanto ſibimet maius parit incommodum: quemadmodum ſagitta magna vi emiſſa, ſi in durum aliquid ac reſpuens inciderint, in emittentem facilè redeunt; ſic inuidia proximis triſtitiam nequaquam affert, tantum inuidenti efficit: quis enim vnquam in mœrore poſitus, aliquod propterea proximo incommodum intulit? ſe ſolùm vaſtat, atque cruciat.* quem, vt vides, in hoc loco magiſtrum, in ſuo habuit Veronenſis. Videamus ergo hoc totidem exemplis.

594. Quot non beneficiorum genere Ioſeph deuinxerat Ægyptios, quibus non charitatis vinculis populum illum obligarat, vt populo deinde ſuo ſemper ſe beneuolum & gratum exhiberet? & tamen opprimitur decurſu temporis Iſraël, vexatur miſerè. Ardet proinde Deus in vindictam: quam tamen deſcripturus Propheta, inter Ægypti tenebras, tenebricoſus & obſcurus procedere videtur: *Intrauit Iſraël in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham, & auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius: conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius*, Pſalm. 104. num. 23. quomodo enim auctor peccati Deus appellabitur, & mitiſſimos Dominus, Ægyptij cordis dicendus indurator? reſpondet acutiſſimus Theologus D. Proſper Aquitan. ad hunc locum. *Cor Ægyptiorum non Deus deprauauit à recto: ſed cùm ſponte mali eſſent, & tales vt poſſent inuidere felicibus, in odium illos Hebræorum, conuertit beneficentia ſua, qua populum ſuum multiplicabat: benefaciendo autem ſuis, ad eorum inimicitias incitauit, non ipſos malos faciendo, ſed iſtis bona quæ malos vrerent, largiendo.* nullum enim ſæuiorem carnificem, in tot allatis poſtea plagis, aduerſùs miſeros Ægyptios Deus expediuit, quàm dum illos tradi permiſit in ſenſum reprobum, in peſſimum

tuum liuorem, quo de aliena felicitate toti adorecantur.

595. Denegatâ iusto titulo sibi vineâ, sæuissimo mortis generi, rabidæ scilicet inediæ se condemnat Achab, *& proiiciens*, inquit textus, *se in lectulum suum, auertit faciem suam in parietem, & non comedit panem*, 3 Reg. 21. num. 4. in Græco est, *& velauit faciem suam.* & quidem meritò: patefecit itaque morbum: non solâ quippe auaritiâ, & illa quidem superbâ laborabat, certè inuidiæ furore torquebatur. Bene ergo quæsitorus remedium obuelat visum, quia cùm ab *in*, & *videndo* dicatur inuidia, visu ipso conceperat venenum: mitius mali genus, ex morbo, imò et mortem malens, quàm apertis oculis, de prospera aliorum fortuna, de Naboth hæreditate visa, inuidus cruciari. Fauet D. Ambros. lib. de Nab. cap. 3. contra diuites: *Velant*, inquit, *faciem suam, ne quidquid in orbe terrarum alienum videant.* Sic malebat rex pessimus sua relinquere, quàm aliena, inuidus videre: hinc absque dubio diriùs pungebatur.

596. Scilicet bonus hæres cum regno, mores priscos Saulis referebat. Defensabat hunc Dauid, & regnum eius ab hostilibus Philistinorum incursibus propugnabat: hoc exule, hoc fugato, nihil non malorum Saulem opprimebat: quo præsente, pax, fortuna, & gloria, cum imperij rutamine eidem arridebat, & tamen ob canticum puellarum, *non rectis oculis Saül aspiciebat Dauid*, 1. Reg. 18. num. 9. vel vt Vatabl. vertit, *maligno, toruo oculo.* Aspectu scilicet proprio inuidentium, vt multis in dramate probaui. Quid inde? totus affectat occidere Dauidem, malens se suaque periculo exponere, dura tolerare, quàm intestini carnificis, (liuoris scilicet ob Dauidis gloriam) vnguibus laniari. D. Zeno Veron. homil. cit. contra inuidum. *Quid contristaris*, inquit, *ô homo, cùm nihil perpessus sis? quid impugnas eum, qui tibi videtur degere, cùm te in nullo defraudauerit? quid si aliquid etiam tibi præstitit? nihil aliud agere videris, quam tuis metipsis bonis & vtilitatibus inuidere: talis erat Saul, qui beneficia Dauid, ad occasionem persecutionis eius, & impugnationis accepit*, &c. *Si ergo interrogaretur, quæ belli caussa est? nihil aliud respondebit, nisi beneficia viri caussam esse odiorum.* quasi pro nihilo habeat hæc beneficia amittere, irreparabili hostium persecutione vexari: sed malit mala tanta pati, quàm inuidiâ torquente cruciari. Neque mirum, quandoquidem verum est illud D. Cypriani epist. 12. de liuore. *Qualis est*, inquit, *animi tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina, in malum proprium bona aliena conuertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, & quosdam velut pectori suo admouere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maleuolentia vngulis pulsent.* Nihil in re tam dura amœnius dici potuit, nisi quod acriùs adhuc D. Zeno citatus viperinam his conditionem adiunxit.

597. Ergo Zeno ad homil. initium ita habet. *Nihil igitur humana inuidia malo perniciosius accidere potest: quod malum lædit parum quidem etiam eos, in quos intenditur: grauiùs verò & perniciosius eos, à quibus procedit, affligit: sicut enim ærugo ferrum, ita inuidia illam ipsam animam, in qua est, interimit, & consumit. & sicut aiunt, viperas dilacerato, & exeso illo ipso materno vtero, quo concepta sunt, nasci: ita & inuidia natura, illam ipsam ante omnes, quâ concepta est, vel ex qua generatur, animam consumit, ac perdit.* & fortasse hoc volebat Baptista, quando Iudæos inuidiæ liuore correptos, & Christi mortem affectantes taliter denotabat: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Luc. 3. n. 7. vt dum se à pessimo fœtu, liuore scilicet dilaniatos crudeliter experiebantur, deponerent pœnitentes virium, vnde doloris tantum, tam nihil voluptatis percipiebant.

598. *Inuidia morbus immedicabilis.* Non absimilis illa comparatio Ieremiæ, qua inuidia regulo, siue Basilisco comparatur: quemadmodum enim hoc serpentis genus, vt ferunt, perit, vt perimat: sic & inuidus. ergo Propheta ex ore Dei contra peccatores: *Ecce ego*, inquit, *mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus*, cap. 8. num. 17. quasi nulla pœna grauior à Deo immitteretur, quàm si miseri in inuidiam labi permitterentur. Vbi horribilius illud, quod incantator, siue spiritualis medicus, huic veneno visus denegari: quia cætera vitia quasuis radices agant, quandoque extirpantur. hoc si semel ingreditur, tardò, aut nunquam egreditur. Fusè, sed eleganter locum explicat Galfridus hîc, apud Godef. *Sciendum*, inquit, *est inuidiæ morbum, difficilius ad medelam, quàm cætera vitia peruenire: nam eum quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio: ipsa enim est lues, de qua figuratè dicitur per Prophetam: Ecce ego*, &c. *Rectè igitur mortiferu Basilisci veneno morbus inuidiæ comparatur: quia primus ille omnium venenorum auctor & princeps, periit, & perimit: nam ante sui, quàm eius cui inuiderat interemptor, priùs quàm in homines mortis virus infuderat, ipsâ se perdidit: inuidiâ enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte eius: sicut enim ille, qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum vllius curationis admisit: ita & ij, qui eisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem spem Sancti incantatoris excludunt, quia cùm vtique non culpa eorum, quibus inuident, sed prosperitate crucientur: erubescunt ipsam prodere veritatem extrinsecus: quasdam sibi superfluas & ineptas caussas offensionis exquirunt, quarum, quia omnimodo falsæ sunt, vana est curatio*, &c. *Hos autem serpentes Deus mittere dicitur, non quia sit auctor inuidiæ: sed quia tales in reprobum sensum tradi, iusto Dei iudicio promerentur.* Vt non solùm fugienda sit inuidia quâ carnifex, sed etiam quâ perpetuos formidanda, Chrysol. serm. 172. *Cùm aliis vitiis animus poterit confligere Christianus: inuidiam, quisquis antequam sentiat, non fugerit, non euadit*, &c. *Iste velociter fugiendus est morbus, quia quos contigerit, non patitur iam sanari.*

§. II.

Culpa, stultæ cuiusdam amentiæ conciliatrix.

599. Miraris hanc inuidiæ amentiam, quæ mauult sibi lethaliter nocere, dum vel leuiter alij lædantur? pone stuporem: culpa est, & illa grauissima: nulla autem culpa ab hac amentiæ labe liberatur. amentes planè hi, qui cùm viderent Pastorem nostrum, charissimos omnes omnibus deliciis solitum cumulare, (de quo *Cant.* 5.) maluerunt bis priuari, quàm pungentes odij stimulos deponere. expressè Propheta Psalm. 74. num. 5. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere*; vbi Vatabl. propinat ex Hebræo fonte, *dixi stolidis, nolite insanire.*

Sanè

Sanè ita est, insaniunt ioiqui, nec est aliud peccare, quàm stultescere.

600. Adam post culpam audita voce Domini, putat, & curat se abscondere, Genes. 3. num. 8. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Sciebat Deum omniscium, ipsa rupium intima, ipsa marium penitissima penetrantem; & tamen in propatulo, in medio paradisi struthioni similis, quia non videt ipse, putat non videri. Ecquid hoc, nisi quia admissa culpa stultescebat? D. Chrysost. hîc homil. 17. *Nihil peccato peius, dilecte: ipsum enim vt introierit, non solum confusione totos nos replet, sed & insipientes facit eos, qui antea intellectu & sapientia multa praediti, &c. Quanta est hoc insipientia, quod à Deo, qui vbique praesens est, qui ex nihilo res vt essent produxit, qui abscondita scit, qui fingit singillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui scrutatur corda & renes, qui etiam ipsos cordis motus cognoscit, abscondere se tentant?* scilicet eo, quo admittitur culpa, demittitur scientia: illa enim perdit consilium, & conciliat stultitiam.

601. Nec minus stulta Eua in pomo aspiciendo: *Vidit igitur*, inquit textus, *mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum*, Genes. 3. num. 6. Certè iam illud viderat, hîc tamen noua consideratio exprimitur: vnde Alcuinus quaest. 66. *Cur*, inquit, *mulier considerauit lignum post serpentis persuasionem?* ad quod aptè sic respondet: *vt exploraret, si quid in eo mortiferum esset: dum autem nihil in eo tale reperiret, confidentiùs gustauit ex eo.* Peccauerat iam interiori affectandae diuinitatis cupidine: ideo stultescens putat posse latens venenum aspectu exteriori deprehendi: quid insipientius, quàm oculis de occulta credere affectione? quasi quo pomum pulchrius, non etiam suspicioni veniret obaeratius: aut soleret nisi in calice aureo, venenum Babylonicum propinari.

602. Adhaesit stolidis parentum moribus haereditans cum culpa stultitiam Cain, qui fratri Abel exitium moliturus, eum à parentum aspectu amolitur, credens sic tuto sibi iam fore omnia iura diuina demolienda: *Egrediamur*, inquit, *foras, cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum*, Genes. 4. num. 8. de quo Saluianus *lib. 1. de Prouid.* post alia: *Cum igitur*, inquit, *futuro facinori viam sternens fratrem in solitudinem traheret, furtiis patrocinantibus scelus peragit impiissimus pariter, & stultissimus, qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credidit, si aspectus vitaret hominum, fratricidium, Deo teste, facturus.* Summa stultitia illum non cauere testem, qui cuncta videt, etiam futurus Iudex: nisi fortè sic maior Deum ipsum, sine caecum videndo, siue puniendo imbellem existimare.

603. Peccat inobediens Ionas, & subitò conceptam stultitiam manifestat. *Surrexit*, inquit textus, *Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini*, cap. 1. n. 3. de quo D. Chrysost. tomo 5. homil. 1. de Poenit. *Quonam, inquit, fugis homo? nunquid & alium audiuisti Prophetam, dicentem: Quò vadam à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? sed tale est peccatum, quod ad ignorantiam multam, nostram redigit animam. & quemadmodum qui grauitate capitis, ebrietateque tenentur, stultè simpliciterque feruntur, &c. Sic qui corruunt in peccatum, velut praua ebrietate actiani, desiderio detenti, nesciunt quid faciunt.* Quàm dura conditio, gratiam perdere, & stultitiam comparare: grauari simul culpa, & capite: hinc ebrium, inde foedum.

Pintus in Cantica.

604. Hinc poenitentium bona descripturus Dauid, ita habet. *Audiam quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam; & super Sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor*, Psalm. 88. n. 9. Aliter, sed ad rem meam, vertit Vatabl. *Audiam quid Dominus Deus loquatur, quoniam loquetur pacem ad populum suum, & ad beneficos suos, ne recedant ad stultitiam.* Bene enim conuertuntur ad eor, qui cordati virtutibus accedunt, fit minus, ad excordem stultitiam recessuri. Id (quâ lux patebat) amicum edocere cupiebat Seneca: de quo proinde ad Lucil. suum ita scribebat. *Marcellinum nostrum ego nondum despero, &c. Magna in illo vis ingenij est, sed iam tendentis in prauum: nihilominus adibo hoc periculum, & audebo illi sua mala ostendere: faciet quod solet, aduocabit illas facetias, quae risum euocare lugentibus possint, &c. Moueat ille mihi risum, ego illi fortasse lacrymas mouebo: aut si ridere perseuerabit, gaudebo quòd illi genus insania hilare contigerit.* Non conuertebatur ad cor vtiser Marcellinus: vnde, quandoquidem necessariò in stultitia erat permansurus, gaudet Seneca risus potius, quàm fletus subiisse amentiam.

605. Id certè vxori suae sanctus Iob volebat edoctum, cui blasphemias effutienti, *quasi vna*, inquit, *de stultis mulieribus locuta es*, Iob. 2. num. 10. non enim otiebantur impia illa verba à leuitate sexus, & garrula mulieris conditione, sed à peccatrice quadam conscientia: cuius plagam vt ostenderet iostus, occultam stultitiam eius manifestat, quam eodem tenore, quo bona, mala, etiam à Deo sustinenda esse ignorabat. Gregorius magnus ibi. *Bene*, inquit, *praemittit, dicens, Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus; quia enim sensus praua voluntatis mulieribus, non autem sexus in vitio est: nequaquam ait, Locuta es quasi vna ex mulieribus, sed quasi vna ex ineptis mulieribus, vt videlicet ostendatur, quia quod prauum sapit, accidentis stultitia, non conditasit natura.* quasi sapiat in prauo, qui in bono desipit, & est ea miserior stultitia, amentia effrenatior, furor insanior, insania desperatior.

606. Quid? nónne insaniebat reus, qui permulcendum sibi iudicem exasperabat? aut quid potest insipientius reperiri, quàm vnde deberes veniam captare, ibi iram stimules: exagitabat meritò iratus Dominus seruum nequam, rationes ab illo petiturus, ad quem tunc ille: *Domine, scio quia homo durus es: metis, vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti*, Matth. 25. num. 24. Ecquid vltra superbiret, si eas afferret rationes, quibus conuictum Dominum, & multis sibi debitorem titulis exhiberet? & tamen re vera, à Domino totus stabat mi-ser conuincendus: sed peccarat, & ideo necessariò stultescebat; nec qualia gesturus esset rem suam, poterat cognoscere. D. Eucherius *homil. de nat. conf.* de hoc seruo locutus, in quo peccatores intelligit, *& illi quidem*, inquit, *amisso intellectu, quo malè vsi fuerant, dum se excusare poterant, iudicis iram contra se prouocant, dicentes: Scio, quia homo durus es: si enim intellectum habuissent, & sensum non amisissent, nequaquam durum & iniustum vocarent, cuius beneuolentiam captabant.* Admisso quidem plumbi, siue culpae talento, talentum intellectus amittat iam peccator necesse est.

607. Ideo Christus Dominus vt ex ipso veneno faceret medicinam, pro se crucifigentibus oraturus, pro blasphemantibus: *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, Luc. 23. num. 34. vt dum apertissimam peccatorum stultitiam insinuabat, paternae propterea pietati eos insinuaret.

D. Chrysost. *orat. 3. de Cruce*, apud Gretſ. ita de his peccatoribus locutus: *Vidiſti, inquit, ſtultitiæ verba, vidiſti inſaniæ magnitudinem? ſed attendite moneo diligenter, & cum cura, vt Dei immenſam benignitatem cognoſcatis, & quomodo illâ ipsâ eorum inſaniâ & amentiâ, Chriſtus velut occaſione quadam ſit vſus ad veniam. Pater, inquit, ignoſce illis*, &c. Sic etiam vnde Chriſti miſericordiæ anſa aperitur, inde etiam humana ſtultitia elatiſſimè propalatur. Sed de hac re iterum ad maiorem peccatoris confuſionem vberior redibit ſermo.

§. III.

Peccator obcæcato animo infelix traditur.

608. QVæres fortaſſe, cur inuidus cùm ab inuidendo dicatur, tam ſit cæcus, vt tot damna ſibi gratis concilians, eadem non videat? ab eadem communi culpæ ratione, cauſſa deducitur: quiuis peccator obcæcato eſt animo, & miſeri inuidi iſti dum attentiùs bona Salomonis noſtri videbant, quibus inuiderent, dum toruos illos oculos iniiciendos perſpicaciùs acuebant, tenebricoſiùs oculos ſpiritus, ne mala ſua noſcerent, obcæcabant. Fuit quidem apta, illa Moyſis comparatio Num. 33. n. 55. *Si autem nolueritis interficere peccatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis.* vt quas culpas lachrymis ſummergere oculi noluerunt, eiſdem poſtea tenebras & duriſſimam cæcitatem patiantur. Stephanus Cantuar. hic apud Godefr. *Clauus*, inquit, *firmiter infixus excæcat oculos: clauus ergo in oculis eſt peccatum, firmiter inhærens & excæcans animam.* Dura conditio, clauum obcæcantem infixum tolerare, quem poſſes ſuauiſſimè expellere.

609. Ecquos clauos infixos oculis non geſtabant fœminæ illæ, quæ ſepulchri gloriam videntes, & Angelum reſurrectionis teſtem intuentes, *exeuntes fugerunt de monumento, inuaſerat enim eas tremor & pauor, & nemini quidquam dixerunt*, Marc. 16. num. 8. Sic ſolent ad lucis aſpectum cæcutientes noctuæ conniuere, ſic fugere exorto ſole nocturnarum auium caterua. quidni infidelitatis cæcitate grauabantur, & in cuius morte lapides rumpi viderant, aperiri ſepulchra: hunc poſſe lapidem à ſepulchro ſibi amouere, anxiæ dubitabant; vnde dicebant: *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* ibidem num. 3. de quo eleganter Chryſol. ſerm. 82. *Ab oſtio monumenti, an cordis? à ſepulchro, an ab oculis? mulieres, obſeratum eſt pectus, oculi ſunt clauſi, & ideo patefacti ſepulchri gloriam non videtis. Oleum non corpori dominico, ſed lucernæ cordis veſtri, ſi videre deſideratis, infundite: vt luce fidei pateat, quod clauditur incredulitatis obſcuro.* Grauiore quidem pondere corda premebantur, & obſcuriori quodam ſepulchro, illarum mentis oculi condebantur.

610. *Patris vultus irradiat filios.* Non erant ſola anxia amoris vota, quibus reditum amiſſi filij ſuſpirans, quaſi in ſpecula pater conſiſtebat, vt ipſe ſibi primus, concupiti aduentus foret nuntius, ſed expectabat quidem prodigum ſuum, vt quem cæcum ſciebat, luminis ſui radiis illuſtraret, & adhuc longè venientem quaſi cæleſtis pharus ad ſe duceret: enim verò expectaſſe illum quaſi ex ſpecula ſatis conſtat ex illis verbis, *cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius*, Luc. 15. num. 20. Ex prædicta autem cauſſa expectaſſe, luculentis verbis teſtatur idem Chryſol. ſerm. 3. *Peccata, ſenſum, animum, membra confundunt: niſi ergo cæleſtis Pater venientis filij radiaſſet in vultu, & totam confuſionis caliginem reſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet, nunquam diuini vultus vidiſſet iſte filius claritatem.* Sic vbique incurrens, perpetuò palpans aberraret, niſi cæleſtis patris oculi, ab oculis filij cæcitatem exterminarent.

611. Putaſne, viderat patrem Noë, id eſt, cognouerat eſſe patrem (vt quid paternæ reuerentiæ deberetur, animaduerteret) impudentiſſimus Cham, dum ebrium ſenem, fratrum ludibrio exponit? *quod cùm vidiſſet Cham, pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis foras*, Geneſ. 9. num. 22. Certè iacentem viderat patrem, ſiue quid patri deberet, nondum viderat peccator filius: ergo iſte, iſte, verè ebrius, iſte verè cæcus exiſtimandus. D. Ambroſ. lib. de Noë c. 31. *Verè*, inquit, *inebriatus erat, qui ridebat patrem: qui enim neque præteritam generationis gratiam, neque præſentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ conſiderabat, verè ebrius erat, & quod putabat videre ſe, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat: nam ſi vidiſſet patrem, non vtique riſiſſet.* Dormiebat pater, neque oculorum radiis, ſicut prodigi pater, filium illuſtrabat: vterque filius cæcus, ſed prodigus felicior; qui in eadem perſiſteret cæcitate, niſi vigilem patrem ſortiretur: neſcit enim aliter culpæ, neſcitæ cæcitatem, & lumen niſi à gratiâ recuperare.

612. In pœnam ſomniorum, quibus rex fratrum renuntiatur, à fratribus venditur Ioſeph: ecquid vſquam potuit inuidentiùs & cæciùs aberrari? Hæccine, boni viri, lubet enim vobiſcum expoſtulare: ſomnia vobis vera timentur, an tenentur inſomnia? Si primum, quæ potentia prouida tot ante annos rem docuit, quam præuidit: nonne poterit è vinculis puerum eripere, vt perfidorum ceruicibus nectat vincula? nonne poterit Deus, qui illum Regem deſignat, ex ſeruitute, regno conſignare? Si ſecundum, quanto deluſus puer, dignior pietate, quàm ira? ſed quid facerent? cæci erant, nec in vno, nec in altero poterant prouidere, qui non videbant. Eleganter D. Zeno Veron. ſerm. de inuidia. *Admiratione*, inquit, *digna eſt vanitas ipſa commenti? pertimeſcentes enim exitum ſomniorum, fratrem ſubiiciunt ſeruituti, quo ſcilicet ſeruus non poſſet à liberis adorari. Sed ſi quidem vera ſunt ſomnia, quid proderit argumenti genus? ſi impleri neceſſe eſt, quod prædictum eſt, ſuperflua eſt obſiſtentis intentio. Si verò fallitur adoleſcens in ſomniis, fruſtrà inuidetis erranti: non inuidiâ, ſed miſeratione, dignus eſt qui eluditur.* commentantur quidem vana, quia mens cœca vtrobique impingebat, nullibi non offendens.

613. Pœnitet Iudam Chriſti traditi, quid tunc? *Proiectis*, inquit textus, *argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit*, Matth. 27. num. 5. vidiſtin' diuerſiora vnquam, à bona ratione, extrema? miſerrime hominum, malè pereat, quæ te malè cupit perdere pecunia: hanc proiice in profundum maris, hanc, quæ tibi fuit laqueus, laqueo ſuſpende vlteriùs non tractandam, ferrugine abolendam: quò abis? in templo orans, adorans precare veniam, culpam deprecare: quid vices mutas, & templo infames nummos, te infauſtiorem laqueo addicis? cæcus erat, non videbat quò tenderet ipſe, quid pecuniæ intenderet, pulchrè Drogo Oſtienſ. lib. de Paſſ. *Auaritia excæcat oculos ſapientum: ecce infelix, qualiter excæcatus eſt: maluit ſe ipſum perdere, quàm denarios perire: denarios templo ſe ipſum laqueo addixit.*

addixit. quomodo enim loca rebus congrua discernat, qui non cernit? quomodo cæcus culpâ, nisi pœnam præuideat, hanc euitet? aut quomodo euitabit, qui Christum Dominum inuitatorem ad veniam, quoniam in lumen mundo venerat cæco, fugiebat?

614. *Christus lux mundi.*

Et quoniam hoc ventum est, nota hanc quidem caussam esse, cur cæci obstupescant peccatores, scilicet quòd à Christo mundi luce separentur. De quo S. Paulinus epist. 28. *à quo alieni, quia veritas Christus est, in hac necesse est errorum infelici cæcitate permaneant, vt in fragili soliditatem & in solido inanitatem putent: vera pro vanis videant, & pro veris vana mirentur.* Explicabis hinc illud Ecclesiastes 2. n. 14. *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* Ast vbi contrapositionis gratia? aut enim videbatur dicendum sapientem in luce degere, vt tenebricoso opponeretur peccatori, aut hunc oculos in pedibus collocasse, qui iusto, in ipso capite enitescunt. frustrà ergo leporem antithesis requiras, nisi illud caput, de prædestinatorum capite Christo intelligas: quem quia sequuntur iusti, tenebras eliminant, quia peccatores fugiunt, tenebrosi à luce eliminantur. D. Gregor. homil. 2. in Ezechiel. *Tunc in capite oculos habemus, cùm vitam Redemptoris nostri tacita cogitatione inspicimus, cùm omnis nostra intentio, in eius imitationem se erigit.* quasi alioquin stulti caliginosis tenebris condemnemur.

615.

Illud maius in hac peccati cæcitate, quòd non solùm post longum peccandi vsum incurrat tenebricosa, sed in ipso peccati limine, animæ incubet vehementer. penè post annum, vt colligitur ex 2. *Reg.* 12. *num.* 1. sanaturus à peccato Dauidem mittitur à Deo Propheta. vbi quis non miretur hominem secundùm cor Dei formatum, tandiu in lapsu perstitisse. Sed respondet Chrysostom. homil. 5. de Pœnit. *Quare autem protinus peccantem non correxit? quoniam vidit in ipso peccati vigore obcæcatam peccantium animam.* Vide quàm grauiter in ipso peccati ingressu obrepant tenebræ, quæ aliquando non curantur, nisi postquam libido defeRuescit, &c, vt colligitur ex Chrysostomo, fortasse luci congruæ tunc, in omnibus prioris temporis differentiis resisteret Dauid: tanta enim est vis cæcitatis vrgente peccato, vt contra illam Deus ipse ad pietatis technas confugere quodammodo cogatur.

Congrua gratia quod.

Prælatus maximè tenebras fugiat.

Debet ergo vnusquisque fidelium has tenebras summopere euitare; sed maximè qui aliis præsunt, & ad aliorum lucem in candelabro Ecclesiæ constituuntur: contra hos enim sæuior insurgit Dæmon, sagacior obrepit, vt in miseram hanc caliginem detrudatur. cuius rei caussam grauissimè aperit D. Cæsarius Arelat. hom. 35. de Religiosis. *Tales enim animas ad inobedientiam, vel superbiâ præparatas, diabolus omni lumine veritatis, & charitatis excæcat, & quasi venator robustissimus, & auceps callidissimus, velut indices sibi, ad capiendas, si potest, etiam sanctas animas, aptat & præparat: quomodo aucupes facere solent, qui columbas, quas priùs ceperint, excæcant & surdas faciunt, vt dum ad illas reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur. ita etiam hostis antiquus tepidis Clericis & negligentibus Monachis, vel desidiosis virginibus exercere consueuit: vt cum eis oculos patientiæ clauserit, ignemque compunctionis, vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit gloriari, ad aliorum perditionem velut indices eos in exemplum proponit, ac præparat, vt dum illos simplices quique, & minus solliciti imitantur, diuersis laqueis, vel retibus capiantur.* Sic cæcus cæcum ducit, donec vterque in foueam miserrimè prolabatur.

Pintus in Cantica.

§. IV.

Et quo instrumento peccat, eòdem punitur.

616.

TAndem nota inuidiam quæ ab inuidendo (vt sæpe dixi) dicitur, id est, à nimium videndo, meritò proinde excæcari: vt inuidus, qui oculorum instrumento abutitur ad culpam, eisdem iam obcæcatis trahatur ad pœnam, & qui nimium videndo deliquit, comparata cæcitate torqueatur. quo enim instrumento peccas, eodem puniaris necesse est. id ad rem morum fusiùs iam illustro.

617.

Offert dispar illud priorum fratrum par, dispar etiam Deo sacrificium: Abel, ex toto grege, agnum egregium: Cain, munus de terræ messibus peioribus, *Genes.* 4. *à num.* 3. sed certè peccans, in eodem peccato instrumentum vindictæ secum attulit. Acutè D. Chrysol. serm. 109. *Ergo*, inquit, *Abel sequamur ad præmium, non Cain imitemur ad pœnam: Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur: Cain gestans sibi stipulam, fomentum sibi, per quod exureretur, inuenit.* Itaque Abel meliora offerens, carnis affectum mortificans, viuificatur in Deo, dum à fratre occiditur: Cain steriles dum portat spicas, fasces, quibus arsurus præparauit, & vterque de facto suo, aut ad gloriam, aut ad pœnam habuit instrumentum.

618.

Sed adhuc ex his paleis granum colligamus. Affligit Pharao Dei populum, Dæmon scilicet, animas fidelium: iubet dent operam lateribus fingendis, inquirendis paleis, *Exod.* 5. *n.* 6. videlicet, vt luto carnis immisceantur, & sæculi vanitatibus studeant. Sed cur, quæso, vanitates paleis potius, quàm re aliâ voluit intellectas? D. Cæsarius Arelat. *homil.* 4. post multa, visus his verbis respondisse. *Quid aliud erant illa vilia & horrenda, in luto & paleis Pharaonis imperia, nisi fœda atque terrena diabolica voluptatis officia, & victorum* (lego vitiorum) *detestanda contagia? siquidem infructuosa, & inania vitæ huius opera paleæ sunt, paleæ, inquam, nimium flammis amica materia.* vt qui paleis studerent, secum fomentum incendij, quo comburendi erant, reportarent, & inde præberent instrumentum vindictæ, vnde ansam peccato arripuerant.

619.

Præcipiebat Deus vt Sabbatum reuerenter admodum haberetur: delinquit primus, quem filij Israël inuenerunt *colligentem ligna in die Sabbati*, Num. 15. num. 32. & cur miser in tam abiecta materia, præceptum augustissimum duxisti violandum? D. Hieron. *in cap.* 28. *Ezech.* ad illud eiusdem Prophetæ contra peccatorem, *& dabo te in cinerem*, ad rem nostram vtrumque locum explicauit: *Vt omnia*, inquit, *quæ superædificasti, malæ conscientiæ tuæ ignis absumat: qui cùm debueras requiescere in Sabbato, & nequaquam opus facere seruile, ligna in Sabbato collegisti, vt haberet, quod in pectore tuo deuoraret incendium.* vt vnde incendium exarsit cupiditatis, inde pœnarum incendium nutriretur.

620.

Temerè Nadab & Abiu diuinum altare *Leuit.* 10. *num.* 1. profano igne macularunt: quid inde? ab ipso Domino, id est, ab altari, in quo Dominus colebatur, erumpit ignis, qui miseros deuorauit, & altare & ignis, quo peccarunt, diuinæ vindictæ

extitit instrumentum. Chrysol. ferm. 26. *Nadab & Abiu sacerdotes filij Aaron sacerdotis, dum contaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio, vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.* Sic pereunt incendio sacro, qui sacrum illud incendium profanatunt, atque ab altari, vnde alij veniam, isti damnationem sortiuntur.

621. Auaritia laqueus est dæmonis, quo miserum auari spiritum intercludit, nullum illi ad requiem spatium permittens: iam dudum sub hoc supplicio spiritum trahebat Iudas, tandem malè vendit Christum, & venditi peius pœnitet, desperans laqueo se suspendit, vt interiùs culpæ instrumentum, exteriori vindicta manifestetur. Drogo Ostiens. lib. de Pass. *Iam diu quidem quòd à Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit: exterioris pœna qualitas, supplicij modum aperuit, quia per quæ peccauerit homo, per hæc punietur.* Addit D. Petrus de Iuda Act. 1. num. 18. *suspensus crepuit medius*: vt qui in medio viscerum suorum tamquam amorem vnicum fouebat Dæmonem, & in ipso cordis throno, Christo Domino expulso, illum collocarat, diffusis visceribus solueretur, & inde pœnam solueret, vnde culpam contraxerat. Idem Drogo Ibidem: *Plenus erat venter, & ruptus est, vter crepuit medius, vbi sedes erat Satanæ.* Vide quæ ibidem sequuntur acutissima.

Pœna culpæ correspondet.

622. Peccatorem scandalo proximos occidentem, molæ qua in profundum mergatur, condemnat Christus: imò, quod maius est, *vtilius*, inquit, *est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis*, Luc. 17. num. 2. de quo eleganter D. Chrysol. serm. 28. *Quare*, inquit, *non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit, panem piè laborantibus subministrat: bene ergo illi, qui eligit, ministrer scandali magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos, mortis conuertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quàm erat in Christo, quàm erat in scientia salutari.* q. d. Sensibus trahi in ruinam, qui sensus traxit in deformitatem: quemadmodum qui molam, vnde alij viuunt, è pistrino tolleret, & illis abusus, eamdem collo nectetet, aquâ tandem in profundum mergeretur; ideo pulchrè subiungit idem S. Doctor: *Hinc angularem lapidem*, Isai. 24. *hinc adiutorij lapidem*, 1. Reg. 7. *hinc lapidem sine manibus abscissum*, Dan. 2. *quod est Christus, sic pusillorum circuit & traxit ad scandalum, vt non panem vitæ, sed panem lachrymarum conficeret, & doloris.* Vt qui Christi abutentes pietate, delitatunt, eodem non tamquam adiutorij lapide firmentur, sed tamquam graui pondere opprimantur.

623. Fuit Absalon mortalium sui temporis pulcherrimus, nullis non venustatis dotibus cumulatissimus: quæ tamen omnes obumbrari quodammodo pulchriori cæsarie, & ab vndis fluctuantium comarum mergi videbantur: sic istæ perfectionis apicem attingebant, & tamen his ipsis suspenditur, *adhæsit caput eius quercui*, 2. Reg. 18. num. 9. nec sæuius aliud instrumentum misero datur ad pœnas duriores, quàm flaua comarum mollities, nimirum eisdem peccauerat. nam cùm videret à crinium suorum laqueis pulcherrimis fœminarum animas suspensas ad amorem, præsumpsit illos gemmea paterni regni corona vlteriùs comere, vt inde virorum corda suspenderet ad reuerentiam & timorem. D. Chrysost. ad hunc locum. *Coma à comâ tenebatur, & comâ tenebat coma tyrannum: illuc eum contundens, vbi diadema paternum gestare contendebat.* ludit amœnè S. Doctor inter comas arboris frondes, & Absalonis comas, vt etiam Iude iustæ pœnæ proportio compareret.

624. Imperij sui infulis, Pontificatus infulas connexas, temerarius optauit Ozias, & regalis frontis diademati, sacerdotalis mitræ religionem adhærentem, 2. *Paral.* 26. hoc enim erat, velle extra officium suum sacrificare. *Sed ecce statim*, inquit textus, *orta est lepra in fronte eius*, & meritò, quia, vt bene Galfrid. apud Godef. in cap. 6. Isai. *pro præsumptione frontosa, in fronte percussus est à lepra.* vt eâdem parte infamis redderetur ad pœnam, quâ peccatum ad gloriam vsurparat, & externus morbus, morbum superbiæ internum declararet: ibique mulctam solueret, vbi culpam commiserat.

625. Putabant olim Hebræi iisdem lapidibus religionis templum ædificare, quot blasphemum aliquem obruerent: deinde obcæcati inuidia in Christo falluntur, & cælestem doctrinam sibi piissimè instillatam, reputant blasphemism. quid inde? lapidibus duriores, lapides in Dominum parabant, quasi eo ipso zeli turrim viderentur ædificare: *tulerunt lapides, vt mitterent in illum*, Ioan. 10. de quo ad rem nostram D. Petrus Chrysol. serm. 131. *ædificantes*, inquit, *turrim, vt altiùs caderent, ipsi sibi lapides prouiderunt, & isti lapides, non vt Deum occiderent, sed se vnde occiderent, miserabiles attulerunt.* scilicet verum illud Claudiani de impiis ambitiosis,

> *—Tolluntur in altum,*
> *Vt lapsu grauiore ruant.*

Vnde isti lapidibus, quibus turrim religionis & zeli ædificantes videri cupiebant, turrim, vnde pro meritis grauiùs ruerent, erigebant.

626. Nimirum à primis parentibus hæc puniendi ratio dedicata Peccat Eua ventri, cui vetitum illud pomum exoptabat: arripit temeraria istud, illum saginat: at in ipso statim pœnas luit acerbissimas; ideo ad illam Deus: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios*, Genes. 3. num. 16. de quo D. Leontius cod. 272. apud Phot. *Per ventrem*, inquit, *illam instituit, per quem in ruinam venit, vetitum capiens fructum.* Sic quæ ventri indulgendo deficit, dolori inde orto, vix postea sufficit lugendo.

Imò & in Dæmone protoparentes decipiente, Idem apparet: ad quem post terram culpam punitor Dominus ait: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, Genes. 3. n. 14. vt omnibus delitiis priuandus serpens insipida pulueris ariditate alatur, & qui scandalosus prouocarat ad gulam, gula torqueatur. Ast, cùm tot alia insipida misero possent præparari, cur, inquis, vnius terræ ferreo ferculo condemnatur? Respondet grauis pariter, & acutus Leo Imperator Orat. de Cruce. *Terram adhuc comedit grauem illam, quæ ei dolores conciliat, eo quòd conatus sit eum, qui per viscera misericordiæ, ex limo terræ, ad cælestem beatitudinem euectus erat, rursus ad limum terræ detruderet.* Sic scelestissimus, qui cælesti imagini Adamo impressæ, terrenam voluit per culpam obducere figuram, scitè punitur, & quod contorquet telum, eodem torquetur. terrâ pascitur in pœnam, qui terram vsurpatat in culpam, vt sit iam instrumentum supplicij, quod fuerat flagitij instrumentum.

Filij

VERS. 6. Filij matris, &c.

§. I.

Virtutem dura fouent: vitiis blanda fauent.

627. HOc pateris diuinæ ſponſæ, amator tenerrime, vt impij fratres in te iram, & tibi deſponſatam animam ſic deſæuiant, vt illam domo amoenam, tute detineant, præficiant labori: ſodalium dulci commercio, maternæ domus delitiis interim carituram? Patior, inquit Christus, & quidem ſponſæ bono quàm virtute cupio ornatiſſimam: virtus autem non niſi duris fouetur, ſicut vitio blanda quæuis fauentia blandiuntur.

628. Hæc eſt cauſa, cur paſtor optimus oues ſuas ſub crucis tegmine, à patribus dicatur collocare, de quo alibi. ambit omnium ouium ſuarum virtutes conſeruatas: hæ autem aſperitate creſcunt, fouentur afflictione, cruce enutriuntur. deinde vt à tartareo paſtore, hac vnâ notâ maximè diſtinguatur, cuius vna cura eſt afferre blanda, cumulare mollia, adhibere ſuauia, quibus virtutes pereant, vitia ſaginentur. Bene Tertul. lib. ad Martyras cap. 3. *Virtus duritia extruitur, mollitia verò deſtruitur*; nec ſolùm deſtruitur, ſed inde neceſſariò vitia adoleſcunt. Vtrumque mihi hoc loco illuſtrandum.

629. Deplorat Iob hominum miſerias, & inter alia, *Inuoluta*, inquit, *ſunt ſemitæ greſſuum eorum: ambulant in vacuum, & peribunt*, cap. 6. num. 18. vbi D. Gregor. *Omne quod inuoluitur, in ſemetipſum replicatur: conuoluta igitur ſunt ſemitæ greſſuum eorum, quia recta quidem deliberando appetunt, ſed ad conſueta ſemper mala replicantur.* & quæ tanti damni cauſſa? quia ſcilicet virtutes fouere cupiunt, ſed poſtpoſitâ viuendi aſperitate. Idem Gregor. ibidem: *quaſi extra ſe tenſi, ad ſemetipſos per circuitum redeunt: quia bona quidem cupiunt, ſed à malis non recedunt. eſſe quippe humiles, ſed ſine deſpectu: eſſe contenti propriis, ſed ſine vlla indigentiâ: eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis volunt: denique adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt.* incaſſum igitur laborant, oleum & operam perdituri: virtutes quippe nonniſi de ſudore amœniores, nonniſi aſperitate adaugeſcunt.

630. *Damnum pœnam pro beneficio imputat.* Peccat Adam in paradiſo voluptatis, & quidni ſi inter voluptates paradiſi, vbi inſtar inertis ouis patulæ recubans ſub tegmine fagi iucundiſſimæ vitæ otio fruebatur? bene Iobius Monachus apud Phot. *Quod facile*, inquit, *obtinetur, facilè reiicitur: propiuſque eſt vt contemnatur, quàm vt expetatur: propterea Adam, qui ſine certamine ac laboribus diuino alloquio, cæteriſque bonis dignus erat habitus, ea, quibus vtebatur, amiſit.* quid tunc Deus, qui illi, ob ingenitam pietatem hæc otia fecerat, quibus Adam ob fragile ingenium abutebatur? mutat nostro dicendi modo ſacrum conſilium, & languidam pecudem conantem adhuc voluptatibus indulgere: ab amœniſſimarum arborum vmbrâ, ad ſpinarum pungentium, ad rigentium tribulorum vmbram deducit: pro otio, laborem addit, & pro fructibus cæleſti imbre irroratis, ſegetes ſudore proprio tribuit irrigatas: ſic Adam qui ſine peccato inter tot blanda, vix diem permanſit, inter dura, durat multis ſæculis illæſus à culpâ. Idem Iobius: *At poſtquam laboris & doloris expertem vitam præcipitij ſibi cauſſam fecit, tunc ſapientiſſimus medicus Deus, contrariis omnino medicamentis morbum curat,* vt in ſudore vultus non corporalis tantùm cibus ſumeretur, verùm & ij, quibus ſpiritualis amor ſpiritualem menſam ſolet exornare. quaſi diuina illa animaduerſio, non tam coërcens pœna, quàm præſeruans noui morbi medicina eſſet appellanda, vt virtus ſecurior ſub labore foueretur, & guſtaretur dulcior.

Pintus in Cantica.

631. Accedit fœmina in Christi ſepulchro, mortis ſpoliario, vitam recuperatura, quam in amœno perdiderat paradiſo: (fœminæ enim illæ ex Chryſologi mente Euam referebant: vt prior vitam inueniret in Christo, quæ inuenerat prior mortem in peccato.) Sed vix accedit, cùm *ecce terræmotus factus eſt magnus*, Matth. 28. num. 2. Aſt, cur in turbine apparet fauſtus nuntius, & in amœnitate arboris olim ſerpens abſconditur infeſtus: cur terræ motu prodire virtus renaſcens cernitur, quam naſcentem paradiſi ſuauitas potuit perdere: cur hîc in timore erigitur, quæ illic in ſecuritate miſerè proſtratur, niſi quia virtus vt vigeat, aſperitatibus immiſcenda, quæ ſuauitatibus eneruatur? D. Chryſol. ſerm. 74. *Modò, inquit, terræmotus magnus? ô ſi tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deieciſſet! ô ſi nebula fumus, illius mulieris tenebraſſet aſpectum! ô ſi tetra nubes lethalis pomi ſpeciem caligaſſet! ô ſi manus tangens inconcaſſa, tremuiſſet! ô ſi peccati diem tenebraſſet nox iniuſta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam ſic tuliſſet! ſed vitiis ſemper ſeruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis: virtutibus verò auſtera & fortia ſunt amica.* nimirum bonus amator Chriſtus, à ſuauitatis tegmine vbi animas amiſerat, ad aſperitatis vmbram eos reducit, virtute confirmandas.

632. Aptè Seneca *lib. de vita beata cap.* 17. expoſtulans contra illos, qui virtutem voluptati ducebant, coniungendam. *Quid*, inquit, *diſſimilia, imò diuerſa componitis? altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum: cuius ſtatio & domicilium, fornices & popina ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus.* quaſi de puluere virtus comatur, calloſæ dexteræ aptius ſceptrum veniat, colorato vultui purpura reuerberet gratior, & tunc ſedeat firmior, cùm ſtans ſeſe periculis & laboris aſperitatibus exponit. nec immeritò, ſola enim duris aſſueta virtus creditur duratura.

633. Facturus Christus Dominus ex piſcatoribus piſcium, hominum piſcatores, Petrum & Andream primos expiſcatur. at quando? quando rete mittebant in mare: *erant*, inquit textus, *mittentes rete in mare*, Matth. 4. num. 18. quando demiſſâ ignauia laborioſo ſe ponderi ſubmittebant: quia labor humanus tunc ſollicitus, & aſperis deſudans, index erat manifeſtus induſtriæ in rebus diuinis collocandæ. D. Chryſol. ſerm. 28. *De labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus: omnia quæ de vſu veniunt non fatigant, virtus exercitio perſeuerat.* q. d. Aſſuetos oneri, & perpetuò laborem meditantes homines Deus eligit, quia, quandoquidem virtuti neceſſariò deſudandum, quæ nonniſi de aſperis perſeuerat, conueniens erat, vt de vſu, laborem & exercitationem faciliorem inuenirent. *Hinc eſt*, (addit aurea lingua) *quòd Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exerceri voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem, & quia fructus prouenit ex labore, voluit labores non perdere, ſed mutare.* Egregiè. de mutatione

ſtabilitur labor, vt virtus immutabilis perſeueret. nam ſi labor ſtat iugis, conſtat virtus.

654. Hinc illud Dauidis: *Beatus homo quem tu erudieris Domine*, Pſalm.93. num.12. Vatablos vertit, *felix vir quem tu Domine caſtigaueris.* quia ſcilicet virtutis eruditio, nuſquam ſine caſtigationis verbo, & verberis aſperitate inuenitur, & qui eruditur vt *homo*, iam caſtigatus, excellentiori vocabulo *vir* appellatur. neque hoc Senecam latuit lib. de Prouid.cap.4. *Nunquid tu*, inquit, *inuiſos eſſe Lacedemoniis liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? ipſi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac ſemianimes rogant, perſeuerent vulnera prabere vulneribus. quid mirum ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum eſt.* plura alibi.

635. Quæ diximus de virtute duris fota, de vitio blandis foto obiter proceſſere: ſed adhuc hoc ſecundum expreſſiùs confirmandum, vt inde diuini noſtri paſtoris vigilantia clarior, & neceſſarior appareat. Sicut igitur Chriſtus ad laborem animas ſibi deſponſas, gratas ouiculas inducit, duris aſſueſacit: ſic è contra Dæmon ad voluptates adducit animas adulteras, fœtidaſque ſuas capras ponit ſub mollibus, dulcibus addicit: vt poſſit vnaquæque illarum Horatianum illud *lib.* 1. *epiſt.*4. ſibi accommodare.

Dæmon impendis voluptates, vt vitia extorqueat.

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Cùm ridere voles, Epicuri de grege porcum.

& bene porci, hi tales in voluptatis hara, cæleſti voluntate depreſſa ſe volutantes. collimat ſcilicet Chriſtus per dura, virtutibus conſeruandis, & Dæmon per mollia coacervandis vitiis collineat. ideo D.Leo ſerm.7. de ieiun. *Ceſſantibus*, inquit, *publicis impugnationibus impiorum, & cædibus ac ſuppliciis fidelium diabolo continente: ne pertinacia crudelitatum multiplicatio noſtrorum fieret triumphorum, fremit aduerſarius, & cruentas inimicitias ad quietas conuertit inſidias, vt quos vincere fame & gelu, flammis ferroque non poterat, otio tabeſceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrumperet.* vt ita triumphos à martyribus vitæ diſpendio reportatos, voluptatis impendio, quam nouerat vitiorum matrem, oblitteraret.

636. Dixi, *voluptatis impendio*; quia nullis non impendiis ſuis emet Dæmon hominis ſeruitutem: nullis non ſeruiet obſequiis, vt per voluptates, illum vitiis addicat. nuſquam elegantior Chryſol. de Dæmone locutus ſerm. 105. *Ille voluntates hominum ſemper explorat, & bonas quidem voluntates refugit, malis voluntatibus obſecundat: vt ſit miniſter ſcelerum, criminum leno, paraſitus ipſe vitiorum, & quia poteſtate non poteſt, dominatur turpiſſimis mentibus turpiſſima ſeruitute: ſic mendacio decepit Euam, ſic cupiditate laqueauit Iudam, ſic Iudæos cæcauit inuidia, ſic gentes idolorum cæcauit errore.* Sicut enim leno dotibus amantium inuicem ineleſtis miſeros illaqueat, & ſicut paraſitus nihil pertranſit ſcurrilitatis, vt muſcâ importunior cœnas captet, cibos expiat: ſic Dæmon nullum non mouet lapidem, vt animas deducat ad mollia, blandis aſſuefaciat, vnde ſcit, neceſſariò vitia pullulatura. quas enim, (vt de reliquis taceam lenocinis) lenonis ſeduli partes aduersùs Euam in pomi prohibiti dotibus deſcribendis, non ſubiuit? pende paululum in gratiam Chryſologi.

Voluptas culpæ pretium.

637. Aggreditur, *& cur*, inquit, *præcepit vobis Deus*, &c. Geneſ.3. à num.1. quaſi tacitè indignam obiiceret ſeruitutem, & indecorum aſſereret, vt Principes vniuerſi præcepto adſtringerentur: *vt non comederetis de omni ligno paradiſi.* quaſi neſciret, credo, non omnia homini ligna fuiſſe prohibita: ſed quemadmodum leno ſolers, ne inſuetas caſtæ puellæ aures offendat, ſubitò paucula indifferentia præmittit, vt ſaltem mutuæ confabulationis commercium adipiſcatur: ſic ille tandiu miſcet ſermones, donec immiſcendi venena occaſio daretur. tunc voluptatis prurigine titillat, inſtigat ad ſuaue pomum, quod philtricis videbatur comptum venuſtatibus: vnde & Philo in ipſomet ſerpentis habitu quem elegit, voluptatis blandæ ſymbolum recognoſcit lib. *de Opif. mun*, & cauſſam reddit. *Primum*, inquit, *quia pedibus carens, pronus ventre nititur: deinde, quia terræ glebis pro cibo vtitur: tertiò, quia venenum geſtat in dentibus, quo ſoles morſos tollere. quibus omnibus malis obnoxius eſt homo voluptatibus deditus.* quod deinde latè probat. Vnde colligis, etiam ipſo habitu lenonem vitiorum adminiſtris illecebris Dæmonem ſe profeſſum.

638. Dæmonem ipſum indutus ſeptem Machabæos fratres trucidabat Antiochus, ab illis violentiùs trucidatus, dum ſe per illorum ſupplicia luget triumphatum, dum quas luere cogit, dat ipſe pœnas acerbiores. quid tunc? *Cùm adhuc*, inquit textus, *adoleſcentior ſupereſſet, non ſolùm verbis hortabatur, ſed etiam cum iuramento affirmabat, ſe diuitem & beatum facturum*, 2.Machab.7.num.24. nimirum leno Dæmon, & interius Regis conſiliarius, artes ſuas miſerum edocebat, vt puer ad blanda ductus, abductus virtuti, vitiis ſeſe ingurgitaret: blandis quippe machinis trahuntur animæ vehementiùs, & ſuauius vitia contrahuntur, quàm ſi nouacularum machina, cataſtæ durities, acerbitas rotæ, & equulei tortura admoueatur. D. Gaudentius Brixienſ.tract.15. *Cùm non valuiſſet*, inquit, *conſtantiam fidei in ſex fratribus atrocitate ſupplicij ſuperare, callidus perſecutor in ſeptimo, quia eſſet iunior, ad blandimentorum ſeſe tormenta conuertit, diuitiarum præmiis, & honorum promiſſionibus puerum torquens, quem tamen detorquere non potuit.* Pulchrà molles delitiæ, & honores; blanda quædam tormenta dicuntur, quæ animam expugnare ſolent, & vitiorum ſeruituti illaqueare.

Voluptas blandum tormentum.

639. Nouerat certè Dauid, quàm tenaces laquei iſti, & illecebræ carnis quàm potentes: ideo exclamat Pſalm.123. num.7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* quia nimirum Eccleſia iam ſpiritualis poſt Chriſti crucem currens irretita olim, à carnis irritamentis blandis, à voluptatis laqueis ſe liberatam, felix congratulatur. D.Laurent. Nouar.homil. de Pœnit. *In laqueo*, inquit, *hærebat anima: erepta eſt non ſuis viribus, ſed diuino præſidio, & quis eſt iſte laqueus niſi caro, quæ animam in propoſito ſuo benè currentem vexat ſemper, carpit iugiter, capit frequenter.* & ſcitè quidem carnis blanditiæ, mollities voluptatum, venationis dicitur inſtrumentum à Propheta, ſicut enim ad retia, & laqueos, feræ occidendæ à venatore adiguntur: ſic ad blanda quæuis, animæ à Dæmone impelluntur. Fortè Prophetæ verba cogitabat D. Epiphanius *lib.ad Phyſiol.cap.3.* vbi de vro, ſiue de boue ſilueſtri, ita habet. *Paſcitur non longè ab Oceano: continuò verò vt bibit, velut ebrius ludit, cornibuſque tamquam humi terram petit: eſt autem illic arbor dicta Tanus, viti ſimilis, & alba ramis, quos cùm vrus capite attentat, cornu vincitur: accedit itaque venator, & cornu alligatum deprehendit.* hæc ſanctus Doctor ex natura

Venatrix blanda.

myſtis

myſtis refert: quæ ſtatim ad mores, more ſuo ſic explicat. *Oceanus copiam diuitiarum ſignificat, Tanus verò vitæ voluptatem, qua implicitus homo fidem negligit: venator igitur, hoc eſt, diabolus illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum, fidemque negligentem inueniens, in ſuam poteſtatem redigit.* quia, vt per vitia capiatur homo, priùs blandæ voluptatis dulcedine capiendus.

640. Sic ſolent medici amara pocula ægrotantibus pueris, melle oblita propinare: vnde Lucretius ad rem aliam,

Ac veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius ora pocula circum
Abcingunt melle dulci, flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,

vt dæmon vitiorum amaritudini, tetriſque illis fæcibus hauriendis, propinata voluptatis blanda dulcedine inuitat. Claudo hanc paginam verbis Tertulliani lib. de ſpectac. cap. 27. *Nemo*, inquit, *venenum temperat felle, & helleboro: ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit. ita diabolus lethale quo conficit rebus Dei gratiſſimis, & acceptiſſimis imbuit: omnia illic* (ſcil. in ſpectaculis,) *ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuauitatem.* hæc ille. Sed de laqueis & venenis voluptatis vitia fouentibus plenas paginas infrà cumulabo.

§. II.

Impij, in Sanctorum perniciem coniurati.

641. Ex horum fratrum malitia piiſſimus, vt ſolet, Dominus, bona & perfectionem ſponſæ comparauit: illi tamen reuera in ſororis damnum irruebant. Vbi notandum, non vnum tantùm fratrem, ſed omnes in illam coniuraſſe. nam impij, quorum perpetuum ſtemma ſeparatio, quando damnum proximis captandum, depoſitâ ſimultate confluunt, & in Sanctorum perniciem coniurant.

642. *Politia dæmonum contra Sanctos.* Quæſitus Satan à Domino vnde veniret, reſpondit: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, Iob 1. num. 7. in Sixtianis ex Græco legitur, *perambulaui eam quæ ſub cœlo.* aëream ſcilicet regionem, quæ cœlo ſubiacet. At Satan, inquis, qui vt nominis ſui impleat ſignificationem, totus in tentandis hominibus occupatur: quid vltra terram euehitur, quid petit aërem, vbi homines non degunt? non otiatur: in aëre quippe multi habitant Dæmones, quos propterea, aëreas poteſtates Paulus appellauit: hos ergo inuiſurus pergit Satan. Aſt quæ pax, quæ politia inter prauos ſpiritus totius charitatis expertes reperitur? inter ſe nulla certè: ſed tamen damno noſtro adunantur, & deſtruendis animabus promunt coniurati. Didymus ad hunc locum in catena. *Terram*, inquit, *percurrit, vt intelligas de quonam homine petiturus ſit: eam verò, quæ ſub cœlo eſt, ambulat, nequitia ſpiritibus, qui ſibi ad res turpiſſimas præſtò ſunt, gratulans.* vt reddens de præteritis gratias obſequiis, paratiores haberet damno quod iam in beatum Iobum machinabatur. nec enim niſi ad turpia concordant: nec impietatis miniſtri, niſi de illato, aut inferendo iuſtis nocumento gratulaturi concurſant.

643. Hinc poteris concordare illud Pſalm. 2. num. 2. *Adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* vbi Vatabl. legit ex Hebræo, *concurſant Reges terræ.* neque hîc opponuntur adſtare, & concurſare, motus & quies: grex enim tartareus qui prauo adſtat concilio, conſiliis iniquis capiundis, damnando iuſto: idem, ob damnatum illum exultans, quaſi inuicem congratulaturus concurſat.

644. Quid magis inter ſe contrarium, quid diſſimilius, quàm Ioannis doctrina in deſerto, & Phariſæorum dogma in Ieruſalem? & tamen diſcipuli Baptiſtæ ad Chriſtum aliquando: *Quare*, inquiunt, *nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Matth. 9. num. 14. Ecquis tam diſſimilis farinæ homines in vnum, idemque extremum comparandum coniunxit? quis tam diuerſos ſpiritus, in eamdem querelam quaſi vno ore, impulit fundendam? malitia, Chriſti doctrinæ oppugnandæ. Deus quidem vnius moris in domo, *Pſalm.* 67. pro virtute tuenda facit habitare: Dæmon diuerſis moribus ſimilitudinis laruam tunc prætendit, ſolùm quando euertendæ virtùti combinantur. Bene D. Chryſol. ſerm. 31. *& cum diſcipulis*, inquit, *Ioannis, quæ ſocietas Phariſæis? niſi quia coniunxerat inuidia, quos diſiunxerat diſciplina. hîc iam ſua perdit iura Zelus: iungit, diſiungere conſuetus*; mutat quippe ſuam vitium naturam, ius ſuum viſum perdere, iuſtis iniuſtè perdendis: vt, impiorum ſemper diuiſa, ſemper ſchiſmatica conditio, contra naturam ad nocendum ſolummodo vniatur. *Iudæi*, addit S. Doctor, *poſtponi Moyſem Domino non ferebant, diſcipuli Ioannis, Chriſtum Ioanni vllatenus anteferri: ſic in Chriſtum fremebant, vtique liuore communi.* in diuerſam iurant doctrinam ſeparati: ſed in idem damnum coniurant iam vniti, quibus ſola amicitia nocens non abiuratur. O nouam miraculorum rationem! *Miraculum vitiorum falſum.*

645. *Inuidia ſancta quæ.* Hæ fuerant querelæ lamentabiles Prophetæ: *Zelaui*, inquit, *ſuper iniquos pacem peccatorum videns*, Pſalm. 72. num. 2. quaſi piiſſimè inuidus zelaret, ſanctiſſimè inuideret, videns impios ad nocendum concordes, iuſtorum, heu! ſpoliis diteſcere. Concil. Chalcedon. *in epiſt. Epiſcoporum Ponti. ad Leonem Imperatorem*, grauiſſimè. *Quomodo*, inquit, *lapſa ſunt de manibus noſtris charitate defluente, diuitiæ? nos charitate pauperes ſumus, & inimici de malis noſtris locupletantur; ait enim Pſalmiſta: Zelatus ſum ſuper iniquos: non paululum tranſeuntes, quod ſcriptum eſt legamus: zelati ſumus ſuper iniquos pacem peccatorum videntes: illi quidem ſunt concordes alterutris, & ſibimet copulantur, & velut funes ſuâ perplexione roborantur: nos autem nec conſentimus adinuicem, neque noſtris ſententiis concordamus.* Videbat ergo hanc pacem, & inuidebat Propheta, piè zelans ad iuſtorum ſolum perniciem conſpirare, quorum zelus impius aliàs, inuicem odij iacula contorquebat. hæc ſancta eſt ratio inuidendi, & quod maius eſt, inuidebat iniquis pacem, quam inter iuſtos inuentam maluiſſet.

646. Iſta certè erat concordia quam Deus myſticè Iobo formidandam declararat, loquitur de Dæmonis corpore: *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus: vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur*, Iob 41. num. 6. de quo audiendus Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. *Quàm verò*, inquit, *pertinax ſit reproborum vnitas, docet ipſe Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Iob loquitur, dicens: Corpus illius, &c. Talis vnitas, imò verò peruerſitas ſolet eſſe aliquorum fratrum tepidè ac remiſsè conuerſantium, quibus*

bus si quid honestatis, aut insigne cuiusquam bona consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio ac difficultate grauiori resistere, quàm facilè compendio assequi velle, quod rectum esse constiterit, peruersa, & execranda talis vnitas. Scilicet perdendæ religioni, vexandis superioribus coniurant firmissimè, quibus solùm nocendo fit concordia, & ideo, puto, *squamis* signatè comparantur, quæ vniuntur piscis corpori, inter se verò, nullatenus, licèt adhæreant, colligantur: nesciunt enim impij, in spiritu se inuicem adglutinare, licèt perdendis iustis in Dæmone coniuncti, amicitiâ simulatâ videantur.

§. III.

Pestiferum huius coniurationis robur declaratur.

647. ERgo non aliunde auxilium afflicta puella contra perfidos fratres appellaret? quid tunc? & si veniret (nisi è cælo) non iuuaret: insuperabile penè, est robur coniuratæ malitiæ, nulli cedit. Vno vel altero testimonio rem confirmo. Id quidem exprimunt satis illa vltima Dei verba apud Iobum: *vna alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur*, loco suprà citato. tenent enim se inuicem & sustentant, vt sint mutuò fulcimenta, contra quæ nullius tormenti robur, nullius machinæ vis, nisi inueniendo dedecori, valeat obarmari. D. Gregor. ibi. *Qui*, inquit, *diuisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia vniti perdurant, & tanto magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores sunt, quanto à se inuicem nulla increpatione separantur. nam sicut esse noxium solet, si vnitas desit bonis: ita perniciosum est si non desit malis.* Tenent ergo se mutuò, ne vis vlla sic se teneat, quæ valeat eo vsque penetrare: quique separati cuiuis cederent, iam adunati nemini concedunt.

648. Quid, quæso, stuppa simplici fragilius, quid mollius, quid delicatius? ast duplicetur & inuicem conuoluatur: iam tunc in funes formatur, nullo penè robore infirmanda: fortasse autem vt ingenium hoc impiorum exprimerent, apponuntur in Concilio suprà citato, illa verba: *velut funes sua perplexione roborantur.* quia cùm nihil tenerius solutâ stuppâ, nihil eadem retorta constantius, nihil durius, vt iam funiculus triplex non rumpatur. hoc certè sibi voluit Ecclesiasticus, quando dixit: *stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis*, cap. 21. num. 10. quæ enim si collecta, & in se replicata non foret, quouis vento rapi posset: in se eadem collecta sic durescit, vt vix, præterquam gehennali flammæ, potentiæ minori cedere videatur. D. Gregor. suprà citatus, sic visus locum intelligere, *peruersos quippe*, inquit, *vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. de hac vnitate reproborum, per sapientem dicitur, stuppa collecta*, &c. sed maius aliquid dicam.

649. Quid mirum, tantum existimemus hoc robur, cùm ipsimet Deo, quando metum non potest, ast curam & sollicitudinem, nostro loquendi modo, iniicere videatur? hoc sibi voluit vox illa Dei, impensum hominum, in construenda turri, laborem contemplantis: *ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*, Genes. 11. num. 6. scilicet illa vnitas, præsenti, & illo efficacissimo Dei remedio, indigebat: ipsumque numen, ne insania illa sortiretur effectum, sollicitabat. D. Thomas ibi, *Notatur his verbis, vnus populus, caussa rationabilis & condigna perturbandi, conatus & intentiones illorum: erant enim sic affectuosi, & irreuocabiliter intenti ad perficiendum opus inceptum, & ad absoluendum id quod ex ipso finaliter intendebant, quod per fortis manus obstaculum à prædictis reuocari non possint, & quia ex vnitate linguæ, & ex concordia voluntatum ad malum, robur vehemens assumebatur, idcirco dixit Deus: Ecce vnus est populus*, &c. roboris scilicet vehementia, cui nulla manus alia posset opponi, vehementem Deo, vt obstaret principiis, iniecit curam, sollicitudinem incussit.

650. Perdendo, si possent, Christo, & Ecclesiæ, si valerent, obruendæ, coniurarunt Iudæi contra Stephanum, & vnanimiter coniurarunt, *& impetum*, inquit textus, *fecerunt vnanimiter in eum, & eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant*, Act. 7. num. 56. post illius necem, pari impetu, in cæteros discipulos, inescati, ruituri: extremam quippe iram commouit vox illa Leuitæ num. 55. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Sed cur, inquis, stabat Christus, quem Isaias, in figura, tot ante sæculos in throno gloriæ, Seraphicis spiritibus cinctum vidit, *cap.* 5. sollicitus in hoc loco defensabat caussam, vidit concilium Pharisæorum pestiferè congregatum, vidit homines vnanimes, vt res ipsa declarauit Ecclesiæ confundendæ, & sollicitus apud Patrem dilectæ sponsæ caussam agebat, quæ de roborata impiorum concordia, in summo tunc periculo versabatur: id enim est robur coniurantium ad mala, vt ipsi Christo solitudinem iniicere videatur. D. Augustinus lib. 4. de cons. Euang. cap. 88. *Quid est istud*, inquit, *vt hic subiectus videatur, post triumphos*, & illic Isai. 5. *tamquam Dominus antequam vinceret? pro vt caussa erat. fortasse ita & Dominus se ostendit. Propheta enim visus quasi rex corripiens plebem, & hoc se ostendit quod erat, hoc est, sedentem, in pace enim erat caussa diuinitatis eius: Stephano autem vt stans appareret, fecit calumnia Iudæorum: in Stephano autem Saluatoris caussa vim patiebatur, ideo sedente Deo iudice, stans apparuit, quasi qui caussam diceret.* quale ergo robur conciliatæ dixeris malitiæ, qualem non pauetis truculentiam: vbi ipse Christus, defendendi sese in suis init consilium, & asserendæ, ad bonum Ecclesiæ, diuinitatis suæ caussam suscipit?

§. IV.

Omnibus insensibilibus, peccator est ad culpam insensibilior.

651. AT saltem communis familiæ societas, ius fraternitatis, vinculum sanguinis, educationis consuetudo, teterrimi fratres, à persequenda sorore, vos non deterrebit? nullus vos sensus tanget humanitatis? Ast quomodo sentient, qui insensibilibus omnibus, per culpam facti insensibiliores: vt cùm lapides ipsos, imò & ferrum posset puellæ dolor perfringere, ipsi iam duriores persisterent in proposito. Peccat Ozias superbus in sacerdotium inuectus: *percussit autem Dominus Regem, & fuit leprosus, statimque orta est lepra in fronte eius*, 2. Paral. 26. num. 19. Sed quidem latent sacramenta in instrumentis, quibus hæc pœna creditur inflicta: quæ licèt in sacro textu non exprimantur, ex traditione tamen veteri, grauissimis auctoribus approbantur. Hugo igitur Cardinal. *ad* 4.

Reg. 15. *num.*5. vbi eadem hiſtoria enarratur, ſic ſcribit de Ozia. *Ditatus autem valde in feſto propitiationis, induit ſe ſtola pontificali, & intrauit in templum, vt incenſum poneret, Azaria Pontifice cum octoginta ſacerdotibus prohibente, & factus eſt terræmotus, & claritas Solis valde effulſit, & incidit in faciem Regis, & percuſſus eſt lepra.* vt dum terra animatur ad motum, ſol vegetatur ad lucem, creatoris ſui iniuriam ſentientes, ſuperbum illum Regem inſenſibilitatis condemnarent. neque id mirum, aut nouum, vt plurimum enim peccator, inſenſibili, vt dixi, quouis, redditur inſenſibilior, ſubit iſte hilaris peccatum, quod ab illo per ſummam trepidationem perhorretur: igitur terra quatitur, ſol accenditur, quaſi in impio regno, à ſceleris conſortio liberos ſe oſtendant.

652. *Paſſio Christi quàm intimo ſenſu creaturis inſenſibilibus fuerit deplorata.*

Elegantiſſimè de hac re Chryſol. *ſerm.*78. creaturarum affectus in Chriſti paſſione expendens, *Creatoris*, inquit, *iniuriam tota fugerat creatura. necem Domini ſui, mundus euitare contendit, ſciens ad totam domum vindictam portendere, in qua fuerit ſeruorum ſcelere dominator occiſus. hinc eſt, quòd ſuis ſe deſerentibus fundamentis, terra tremuit, ſol ne videret, aufugit, dies ne intereſſet, abſceſſit, petra, quia non valebant diſcedere per naturam, nouum ſcinduntur per vulnus, facinus tantum ſono, quia voce non poterant, accuſantes.* & quando homines penitus inſenſibiles immaniſſimo ſe ſcelere obligabant, accelerantur ſenſus inſenſibilibus, vt trepidatione, fuga, ſonitu, ſe ab innocente ſanguine mundos proteſtarentur: vt inde ſciſſæ quaſi in buccas, concuſſæ quaſi in ſtrepitum dicantur, quo accuſatrices populi durioris haberentur.

653. Neque tamen caſu, obtenebrato cælo, ſole fœdato, ſciſſo velo, petris concuſſis, apertis monumentis, vni tantùm terræ tribuitur commotio, id eſt, ni fallor, meticuloſa trepidatio, *& terra mota eſt*, Matth. 27. num.51. quæ enim coacta eſt ſola, crucem vbi Dominus patiebatur ſuſtinere, quaſi conuincenda conſenſus infamiam ſceleris, & pœnæ magnitudinem trepidabat. Felicem ſolem, cui parata obſcuritas: felices petras, quibus data ſciſſura: felicia vocat monumenta, & felix velum, quibus abeſſe facto, & affectu compaſſionis adeſſe, conceſſum eſt. ſe vnam miſerrimam putat, & lamentatur, cui velit, nolit impietati imponitur miniſtrare. acutè D. Eucherius homil. de beato latrone. *Apertè*, inquit, *rerum natura cernitur commoueri, velut in vindictam ſui auctoris velit armari: terra ipſa concuſſa à fundamentis, quaſi quæ ſuper ſe crucem Domini vix ſuſtineat, tamquam ad ſcelus proprium contremiſcit.* quis non culpæ opinionem falſam, terram contremiſcentem admiratur, quando homines impiiſſimæ mortis illatæ, noxæ applaudebant?

654. Sed nec obiter prætereundum illud eiuſdem capitis num. 51. *& ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum.* Solebant quippe Iudæi inopinato ſummi doloris aduentu ſcindere veſtimenta, de quo latè D. Cyrill. Alexand. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 37. qui tandem ad rem meam graphicè ſic concludit. *Hac*, inquit, *Iudæorum conſuetudine, templum Dei quodammodo vſum cùm Chriſtus expiraſſet, velum quaſi veſtem ſuam illico ſcidit: quod diuinitus ideo dixerim eſſe factum, vt ſanctum Dei templum populi cauſſam lugere videretur.* bene: inſenſibiles damno ſuo, & miſeræ ob tantum ſcelus euerſioni, ſceleri incumbebant Iudæi, quando inſenſibile templum, recepto penè ſenſu, perditam illorum cauſſam deplorabat.

655. Sunt pulchra, nec ſatis ponderata, verba magni Hilarij in cat. ad illud citati capitis, *& petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt.* de quo ita ſanctiſſimus Doctor. *Petræ ſciſſæ ſunt, omnia enim valida & fortia penetrans verbum Dei, & poteſtas æternæ virtutis irruperat, & monumenta aperta ſunt, erant enim mortis clauſtra reſerata, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt; illuminans enim mortis tenebras, & infernorum obſcura colluſtrans, mortis ſpolia detrahebat.* Animabatur petrarum durities ad percipiendam vocem, & verbi efficaciam, quia inanimes hominum mentes obſurduerant. Viuebant mortis clauſtra, quia hominis vitalia languida in ſenſibilitate moriebantur. illuminabantur tenebræ, quia rationis humanæ lumen cæcabatur: ſic petræ, monumenta, infernus, inſenſibilem hominum duritiem participare formidabant.

656. Fiet Soli iniuria, ſi ſolus fidelitatis exhibitæ priuato abſque examine dimittatur. *Obſcuratus*, inquit Lucas, *eſt ſol*, cap.23. de quo D. Ambroſ. hîc lib. 10. cap. de commendat. ſpirit. *Tenebræ igitur offuſæ ſunt oculis perfidorum, vt fidei lumen refulgeret. Sol occidit ſacrilegis, vel refugit, vt funeſtū ſpectaculum ſceleris obumbraret.* præſumebat, & meritò, ſol, aſcenſuros ab vrbe plures Phariſæis adulatores, & defuncto vitæ ſpeculo, admirando ſpectaculo illuſuros: hebetat ergo faciem, facem extinguit, ne ſceleri cooperari videatur: obducit tenebras, vt inde ſplendidius fidelibus lumen adducat, & in obſcuritate miniſtri fideliſſimi, (vnde perfida infidelitas damnabatur) claritatis notitiam aucuparentur.

657. Viſus, etſi in re diuerſa, adhæſiſſe ſoli principi, cliens heſperus: vnde acutius longè, quàm, ſi fas eſt dicere, litteraliùs, Chryſol. expendens illud Matth. 28. num. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*, &c. ſic ſcribit. *Hoc neſcit dies ſæculi, hoc non habet mundi vſus: veſper finis, non inchoat diem: tenebreſcit veſper, non luceſcit: non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat. Veſpera mater noctis, parturit diem: mutat ordinem, dum agnoſcit auctorem: radiat de nouitate myſterium, anhelat creatori ſeruire, non tempori.* quaſi timerent, ni fallor, aſtra veſpertina perfidiæ phariſaicæ reſpergi notâ, niſi ſurgente Chriſto, cùm matutinis manicarent, & illi iubilantes applauderent triumphatori, quem inſenſibilis peccator furti & mortis tumore obſcurabat. Hæc ſatis de Chriſto à gente ſua & fratribus duriſſimis malè habito, ad eius ſponſam à fratribus inſenſibilibus ſimiliter vexatam: nunc etiam aliunde materiam eamdem, & vtilem illuſtremus.

658. Occiſo Abele, in quo primum morti tributum ſoluit natura, dixit Deus ad occiſorem: *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, Geneſ. 4. num. 10. in quo duo mihi ſeſe offerunt conſideranda; primum, quidnam hoc clamore terra poſtularet, ſed de hoc multa infrà: ſecundum, vnde nam ad clamandum incitaretur. vbi quidem exiſtimo, ruborem illum ſanguinis, erubeſcentes colores terræ mouiſſe; quaſi non poſſet fuſo fraterno ſanguine, verecundiâ non ſuffundi. Acutè D. Zeno Veron. ſerm. de Patient. *Miratur*, inquit, *orbis vacuus, ſe duobus anguſtum: mirantur elementa, hominem, qui factus ſit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, poſſe iugulari, & hoc à fratre: erubeſcit rudis terra, pio ſanguine impiata: ſolus Cain exultat infelix, quòd teſte caret, putat ſe carniſſe facinore, quem Deus videt,*

videt, quem conscientia redarguit, quem fratris sanguis accusat. Bene igitur non tam clamat vox sanguinis simpliciter, quàm de terra clamat; quia illa eius rubore conceptio erubescebat culpam: cui meretricia frons illa, & os ferreum effrontis fratricidæ arridebat: magis terra insensibilis de alieno, quàm Cain de proprio scelere confusus.

659. Vnde iam fit probabilius id, quod aliqui eruunt ex Hebraica versione, quæ, vbi nos legimus, *habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*, cap. citato num. 16. habet, & habitauit profugus in terra Nod. ad quem locum Lyranus ex Rabinorum doctrina: *Nod*, inquit, *id est, motionis; quia quocumque ibat, terra subter illum mouebatur, dicebantque creatura: Recedite, hic est, qui fratrem suum occidit.* Sustinebat Cain impœnitens, & insensibilis immensum peccati pondus, cuius aggressorem terra ipsa non poterat sustinere: attrectauit immane scelus impudens peccator, cuius attactum, ne contaminarentur, insensibiles creaturæ formidabant.

660. E terrâ iam nonnullos maris tractus nauigemus. Gloriabantur superbissimè Hebræi de rubro mari sibi exsiccato, de vndis eorum itineri subdiuisis, habebantque semper in ore illud, *& ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris, erat enim aqua, quasi murus à dextra eorum, & læua*, Exodi 14. n. 22. quorum superbiam retundens D. Zeno *serm. 4. ad hunc locum*, sic eorum populum alloquitur: *Per mare ambulas: veloces pedes tuos ad effundendum sanguinem, dextra læuaque in se refugiens vnda testatur.* ac si iam mare è longè subodoraretur duræ ceruicis populi ingenium, occisuri Prophetas, & ipsius Christi sanguinem effusuri: quippe qui paulo antè, post visa tot in Ægypto miracula perpetrata, perfidus fallaciam Deo imputabant, *num.* 11. putaremque ideo lubentissimè mare sese virgæ imperio subiecisse, & vrentis venti flabella, & flagella passum, dummodo sacrilegis communicare pedibus, & crudeli deseruire gressui prohiberetur: doliturum sanè, si solidata superficie sentire insensibilis populi pondus, à Deo (cui id æquè facilè) cogeretur. blanditur ergo Deus amico mari, dum voluit subdiuisum.

661. Sed sæpe alibi mare sensum suum contra insensibiles peccatores ostendit. Conscendit Deum fugiens, (quid potest vnquam fingi insensibilius?) nauim Ionas, *& descendit*, addit textus, *ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui*, cap. 1. num. 5. Sed quònam tendit, dicat aliquis, miser Propheta? quid nauis fœtidiora quærit, & spurciora, qui ad puppim & transtra, cum reliquis vectoribus poterat assidere? Respondet ibi D. Hieron. *Conscius erat fugæ & peccati, quo Domini præcepta neglexerat, & tempestatem ignorantibus cæteris, contra se sæuire cernebat: ideo descendit ad interiora nauis, ne quasi Dei vindices fluctus aduersùs se videret intumescere.* Sentit quidem Ionas, sensu culpæ fluctus ipsos tangendus, & tamen ipse ad deponendam culpam insensibilis penè persistebat. timebat nimirum mare, ne sibi insensibilis conserui faciuns, ni contra illum animaretur, imputandum. Eleganter D. Chrysost. homil. de Iona. *Sicut*, inquit, *fidele mancipium, cùm seruum fugâ lapsum, nonnullis etiam communi Domino pretiosis ablatis, omni animositate contra eius retentores insistit, nec ante derelinquit, nisi cùm præsentauerit Domino suo: sic & mare conseruum agnitum, non alieno patrocinio, nullius postulato subsidio, sed propria virtute commotum, vt sibi redderetur, exposcit.* quasi fugeret mare, recepto sensu, culpam: dum fugientem Ionam & de culpa insensibilem retardabat. hinc putarem bis in textu dici, *mare ibat & intumescebat*, cap. 1. num. 11. & num. 13. cùm aliàs priùs soleat mare intumescere: tuncque per tumorem excrescens, ire quodammodo, & vlteriùs procedere videtur; in hoc autem loco aliter res euenire visa, priùs it mare, deinde intumescit: quasi antea pacatius currat, & occurrat naui, ibique inuento hoste tumidum ebulliat, & albescentibus spumoso fragore labris, Ionam ad vindictam exposcere cognoscatur.

662. Patum est istud. fit ipsum mare cum vento sibi immisso, fugitiuo conseruo isti, condigna compes: nectit ipsa natura vincula peccatori, qui ignaua insensibilitate dormiebat, vt animatus sensu, attendis sibi sceleris vinculis inuigilaret. inde illud ibidem num. 4. *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* de quo graphicoteros solito D. Paulinus *epist. 38. carminea.*

Namque Deum frustrà fugiens, quem cuncta tenentem
Nemo fugit: mouit cæli simul & maris iras.
Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoscens, timuit per se quasi conscia tutum
Ferre reum, & ventis fugitiuum vinxit, & vndis.

Sic vinctus Ionas, & victus insensibili creaturæ concedit, longè ipse per culpam insensibilior.

663. Voluit Christus Dominus aliquando suorum probare fidem, id est, eorum ipsismet expertam facere constantiam. Conscendit ergo diuinus Ionas nauim, & dormit: sed innocentiæ Dominus dormit in puppe. At ecce tibi repentè, *facta est*, inquit Marcus, *procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt compleretur nauis*, cap. 4. num. 37. Sed quid hoc miri? tot fluctus, sæuiens tanti venti debacchatio, non respergerent puppim, non perflaret: vt illinc salso, hinc turbido suscitatus Dominus vigilaret? certè non: sed dum discipulorum tentat fidem procella, dum puppim reueretur: quasi recepto sensu illorum taxat insensibilitatem, qui fidifragi penè, se iam penitus naufragos reputantes, Dominum excitarunt, *ibidem n. 38.* de quo D. Chrysol. serm. 21. *Procella*, inquit, *non est ausa explorare Domini dormientis virtutem: sed discipulorum pulsare fidem, timorem prodere, vt auctori suo, quantum seruitutis deberet, ostenderet.* Itaque insensibilis tempestas sentit maiestatem diuinam tanti domini, quam homines, hominis instar puti, obliuioso sopitam somno præsumebant.

664. Gratius nunc è salo, veniemus ad cælum: quod pariter sensus induit, vt peccatoris condemnet insensibilitatem. nouit id planè perditus adolescens, postquam fausto magis gratiæ fato, Patrem Deum, relictâ porcorum harâ, tamquam misericordiæ aram, compunctus recognoscit. *Pater*, inquit, *peccaui in cælum, & coram te*, Luc. 15. num. 18. Verumtamen, qui potiùs, inquam ego, dicturus videbatur, coram spectatore cælo, in patrem expectatorem anxium peccauisse: cur verba commutat, & cælum de iniuriâ, patrem subnotat de præsentia? respondet acutissimè Chrysol. *serm. 5.* in hoc prodigo, cum omnibus Patribus gentilem populum intelligens. *Peccauit in cælum, dum in cælo solem, lunam, sidera, Deos esse blasphemat, & hæc eadem profanat adorando.* Dolebat creatura intimo quodam sensu penitissimè, in creatoris iniuriam se coli, imò & de honore indebito, iniuriam sibi fieri sentiebat, quando homo iam penè insensibilis, ad idololatriam pronus ferebatur. quo & hodie

Honor ambitiosus dedecus est.

ambitio

ambitioſorum damnatur inſenſibilitas, cùm ipſa inſenſibilia immoderato cultu ſe profanata recognoſcant.

665. Et eſt planè Chryſologicum *τὸ profanat*; quia non poteſt non dolere, ſit licèt inſenſibilis creatura, quòd habeatur ſacrilegi erroris mater, ſenſuſque præuertens humanos: quæ, non profano myſterio, ſed vtili producta fuerat miniſterio. Aureo Chryſologi ſermoni, os aureum Chryſoſtomi pulchrè conſonat *Orat. in ſanct. Paraſc.* apud Gretſerum vbi deſcriptâ creaturarum perfectione, ſic concludit. *Sed cùm hæc omnia pulchra in primis fuerint, præſtantiſſimaque, ſapientia horum omnium effectricis, machinamenta: homo tamen hanc eius pulchritudinem deturpauit, immoderata venerationis abundantiâ, iniuriam iis ipſis, qua coleret, molitus: cùm enim in res conditas admirationem contuliſſet, qua rerum conditarum modum ſuperaret, & excederet: ignominiam iis, qua coleret, offudit: ita creatura nolens, & in vita, mater erroris fuit effecta.* pudeat iam immoderatis honoribus inhiare, quos melioti prædita ſenſu iniurias eſſe, vel etiam inſenſibilia proteſtantur. niſi verò ipſis eſſe ad culpam inſenſibiliores, homines iam non ſuppudet: inſenſibiles ergo hi duri fratres, quos nullus culpæ, nullus violatæ fraternitatis dolor tangebat.

§. V.

Superbia Deum coarguere & corrigere præſumit.

666. NOn ſolùm in ſororculam impij, ſed etiam in ipſum Deum perfidi, iſti fratres extiterunt. quid enim aliud erat puellam temporalibus vinearum ſuarum negotiis implicare, ne illa liberè meliori vineæ ſuæ, id eſt, ſpiritualis pulchritudinis negotio tota vacaret, quàm Deum velle corrigere, quaſi ineptum talentorum diſtributorem, vtpote qui talentum contemplationis illi concederet, quam ipſi aptiorem, temporalibus familiæ rebus tractandis iudicabant? deindeque obedientiam illius, rem imperatam ſedulò miniſtrantis, prauè interpretantes, quaſi rectè habiti conſilij facta, ipſo euentu, demonſtratione, Deum coarguerent. ſcilicet eſt hæc vetus ſuperbiæ præſumptio, cuius abominationem iam illuſtro, ab ipſo rerum primordio incipiens.

667. Poſt omnia Dei opera, etiam quæ erant in genere abiectiſſima, homo imperaturus omnibus tandem creatur, eùm potiùs videretur, vt qui naturæ dignitate, cætera omnia, ſic etiam originis excederet vetuſtate. cauſſam ita ſubdit Procopius, *ne glorietur, & ſe quaſi iactaret cooperatorem Dei.* Solent alicuius rei cooperatores, quò opus prodeat perfectius, ſibi mutuo parere, & imperare: vnde prudenter Statius *lib. 1. ſyl. 4.* de duobus neſcio cui operi incumbentibus:

——ritu ſe cingit vterque
Pæonio, monſtrantque ſimul, parentque volentes.

Adam igitur, ſi prior foret cæteris creandis, leges creationis Deo ferret, & tamquam particeps vellet imperare, vt deinde cooperatorem ſe iactaret. vnde, ni fallor, & fœminam ex illo condidit dormiente: cui, ſi vigilaret, vix placeret vlla, & ſi millies in nouis condendis fœminis induſtria diuina inuigilaret, ſemperque moroſus Adam, ſæpe temerario auſu corrector, nunc iſtud adimi, nunc addi iterum aliud contenderet, ſuperbus legiſlatorem legibus adſtringere conatus.

668. Hinc illa vox æternæ ſapientiæ ſeſe diuinæ potentiæ coopetatricem exhibentis: *cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum*, Prou. 8. n. 30. in Sixtianis ex Græco legitur, *cùm lætaretur orbe perfecto, & lætaretur in filiis hominum.* vt clarè noſceretur, perfecto iam orbe, & ſapientiæ iam gaudio, homines fuiſſe productos: aliter cooperatricis ſapientiæ cooperatores ſe, & ſapientiores exiſtimarent, cui, ſi tunc forent, leges adhiberent. vnde capies, quid ſit illud Geneſ. 2. num. 19. *Formatis igitur Deus de humo cunctis animalibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* noluit credo priùs vocare ea, ne homo temere, iis quibus imperabat, quando naturam non poterat, nomina ſaltem refingeret: noluit ſimul cum illo de nominibus deliberare, præcauens ne fortè liberrimo pluſquam auſu, homo ſententiam ſuam diuinæ concederet præponendam.

669. Ideo poſt peccatum, quod nemo neſcit, quo tandem culpa in Deum refunderetur, Adam in Euam, illa in ſerpentem à Deo creatum, labendi occaſionem deriuauit, *Geneſ. 3. à n. 12.* crederes id timori dandum, quaſi putarent hac ratione pœnas ſubterfugere; ſed nihil minus, pura puta erat ſuperbia: in Deum ſic iactabant querimoniam, aut imprudentiæ illum, aut crudelitatis conantes coarguere. Alcuinus quæſt. 73. *Cur Adam*, inquit, *peccatum in mulierem detorſit? ad cumulum peccati ſui, ſuperbè reſpondit, non humiliter: quaſi querimoniam in Deum dirigeret, cur ei talem dediſſet ſociam, vt ei peccati occaſio eſſet. Similiter & mulier ſua culpa cauſam in creaturem refert, quare ſerpentem, per quem deciperetur, creauerit.* quaſi aut inſcitiam, aut ignauiam eſſet Deus ſubiturus, quòd occaſionem non amoliretur.

670. Iam priùs in re ſimili peccarat Eua, quærenti enim Dæmoni, cur illis vetans pomi præceptum imponeretur: *præcepit*, inquit, *nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur*, Gen. 3. num. 3. vbi Lyranus. *Iſtud*, inquit, *videlicet, addit mulier de ſuo, non enim Deus prohibuerat ligni tactum, ſed tantùm guſtum, & ideo iſtud addidit mulier ex diſplicentia præcepti, quia ille, cui diſplicet præceptum impoſitum, in referendo, illud libenter aggrauat.* non ſolùm vt dum aggrauatur legis durities, violatoris inde mollities excuſaretur: ſed etiam vt Deus legiſlator, vt puto, apud inferiores creaturas, rigidæ cuiuſdam indolis notam contraheret, qui tam dura, illarum imperatoribus, imperaret.

671. Hinc eleganter D. Leontius apud Phot. cod. 271. ad illa verba, *& tulit de fructu illius, & comedit*, ibidem num. 6. ſic ſcribit: *ipſa manu contumaci, defectionis ſcribens legem, acquiſiuit præuaricando ſibi fructum pulchrum, & adoleſcentiâ mortis maturum.* Vltima verba notulis in hunc patrem, alibi explicabo. nunc pende emphaticè ſatis, manum illam, quæ pomum ſibi tulit, dici contra Deum tuliſſe legem præuaricationis; ſicut enim contra duri & tyrannici ſenatus leges, rebellaturus populus Romanus, contra eiſdem duritiem plebiſcita ſcribebat: ſic Eua manu illâ non tam ab arbore pomum gulæ permulcendæ, quàm in illius libro, Deo increpando, & oſtendendo tyranno, plebiſcitum ſuum viſa ſcripſiſſe. quo potuit vltrà ſuperbia promoueri?

672. Suorum aſſuetus moribus Cain, condignam, imò citra condignum, pœnam ob fratricidium

Deo

Deo imponenti, respondet: *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, Genes. 4. num. 13. cui sententiæ, si cum Hebræorum doctioribus, interrogationis notam adbibueris, videbis Deum ipsum à sacrilego homunculo, crudelitatis crimine accusatum. Lyranus ibi. *Doctores*, inquit, *Hebræi exponunt prædictum verbum interrogatiuè, & negatiuè; ac si diceret Cain: Est ne peccatum meum tantum, quòd non possim mereri veniam? ac si diceret, non. per hoc indicans, quòd Deus puniebat eum vltra condignum.* Consonat huic explicationi Vatablus, qui in notis ad hunc locum ex Hebræo vertit, *punitio mea maior est, quàm vt eam ferre possim.* Vtcumque sit, arguitur Deus ab homine, crudelitatis infamatur à superbo, qui dum non præsumit veniam, saltem Deum iniquiorem præsumere contendit: vidistin' vnquam superbiorem reum aduersùs iudicem?

673. Sed en huius discipulum, & fortasse magistro ipso effrontiorem. audit seruus ille nequam, dominum traditi sibi talenti iustas vsuras postulantem, & cùm de ignauià sua deberet trepidare, *scio*, inquit, *quia homo durus es, metis, vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti*, Matth. 25. num. 24. de quo D. Eucher. homil. 1. de nat. confess. *Nusquam est*, inquit, *vbi Dominus non seminauerit, nusquam vbi sua gratia sementem non sparserit; quia propter hoc, quod in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, omnibus hominibus rationem & intellectum, memoriam & ingenium largitus est: constat ergo hunc malum seruum, aduersùs Deum esse mentitum.* mentitur quidem aduersùs Deum, & coram Deo, curans iudicem reuincere, ne reus conuincatur, & qui furti veniebat arguendus, per intolerabilem tumorem, Deum ipsum furti conatur redarguere.

674. Equidem nouerat iam pridem Deus superbam indolem similium seruorum, ideo ad sponsam Ecclesiam, *Veni*, inquit, *in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo*, Cant. 5. num. 1. notas, quàm paucis verbis toties pronomen *meus* repetatur, quasi de nullo differat, quod adhibito possessionis titulo, suum non asserat? cauebat sanè iam tunc effrontem horum superbiam, qui illum furti arguere ausuri erant. Acutè Gilibert. serm. 41. ad hunc locum: *Audite*, inquit, *quia non metit, nisi quod suum est, nisi quod ipse præseminauit: verè seruus ille malus & piger, qui pigritiæ suæ causam, in dominum interpretatione maligna transfudit.* malus, inquam ego, idque vitio superbiæ capitali, quo enim erumperet altius, quàm in cælum, latronis notá Deum affecturus, & illius iudicia reprehensurus?

675. Miratus, credo, aliquando legisti bestiam illam, quæ leænæ ferociam imitata, si vnguium nouaculas cerneres, & dentium acutum lingua immanitatem: aquilæ etiam volatum, alarum magnitudine præsumebat: *quasi leæna*, inquit Daniel, *& alas habebat aquilæ*, cap. 7. num. 4. ecquis non timeat leonis vngues, aquilæ beneficio iam volatiles: aut aquilæ volatum, leonini rictus sæuitie obarmatum? sed pone metum, dicat aliquis, addit enim eodem num. Propheta, *aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius.* imò, inquam ego, nunc maior timor, quia quantum celeritatis adimitur, additur de vulnere percepto, irritationis: quantum est ergo ex hoc capite, quo fit tardior, redditur ferocior. igitur aliunde metus nobis decrescit, sed vnde bestiæ erga Deum, pro demptis alis alia culpa crescat: ideo addit etiam eodem num. Daniel, *& super pedes quasi homo stetit.* quadrupes enim, quæ duobus stat pedibus, vt erecto, instar hominis, vultu degat, cælum intuetur, cælum petit, imò impetit. certè ita est: superbus enim qui leonina ferocià desæuiens, humani fauoris & dominatus alas habens, quibus volitans, omnia inuolabat, atque perdebat, & si his plumis à Deo spoliatus, in humano habitu, homines iam tunc respirantes timore liberet: ast tunc in Dei iusta iudicia inuehitur, cælo infremit. Alluxit pulchræ explicationi venerabilis Richardus Victor. hic apud Godefr. *Quæ est, inquit, ista erectio monstrosa, nisi enormis quædam, & nimis detestanda superbia? contra cælum se erigit, qui diuina iudicia reprehendit.* decrescit igitur potentia, sed superbia crescit, ipsum Deum sacrilegè, & illius iudicia reprehendens.

676. Sunt aptissima ad hanc rem verba illa diuina apud Ieremiam cap. 2. num. 5. *Quid*, inquit Deus, *inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt?* certè enim, ille inuenire dicitur, qui quærit. Populus igitur sacrilegus, & indomitus, eò vsque venerat superbiæ, & arrogantiæ, vt diuino excutiendo iugo mille occasiones quæreret, mille moliretur technas, quibus Deum reuincere, & iniquitatis posset coarguare. D. Chrysost. *tom. 5. homil. 4. de Pænit.* ita. *neque simpliciter dixit, quid habuerunt Patres vestri; sed, quid inuenerunt: quamuis multa quæsierunt, multa circumeuntes meo sub principatu affecti, nullum in me delictum inuenerunt.* quæsierant ergo, vt sic conuictus Deus aut pateretur scelera, aut indignus imperio videretur.

677. Miramur quandoque, & ridemus insaniam fœminarum, nullo comptu comas suas non amœnantium, nullis non fucis caput adulterantium. Sed proh dolor! ploranda potiùs res erat: latet, latet in fucis istis dissimulanda superbia, latet anguis in herbis, & tumor, Euæ spiritum redolens protegitur. grauiter D. Cyprianus epist. 13. ad illud Matth. 5. num. 36. *neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum, album facere, aut nigrum*; sic scribit. *Dominus tuus dicit, non potes facere capillum vnum album, & nigrum, & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem? audaci conatu, & sacrilego comptu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum, capillos iam tibi flammeos auspicaris.* Sic nullus sexus, qua arte potest, Deum aut inuidiæ, aut impotentiæ, aut certè mendacij coarguere non conatur. Institit Cyprianus solito magistro, qui *lib. de cultu fœm. cap. 6.* de hoc multa: ergo Tertull. ibi. *Sed enim Dominus ait: Quis vestrûm potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? quæ reuincunt Deum: ecce, inquiunt, pro atro, vel albo flauum facimus gratia faciliorem. quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnitet ad senectam vsque venisse. Proh temeritatem! erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur: adolescentia, qua deliquimus, suspiratur, occasio prauitatis interpellatur.* Sed in re simili, de superbo fœminarum genio & ingenio, plura alibi cumulabo.

678. Igitur hoc vitium in ipso humanitatis suæ ingressu euersurus Christus Dominus, iussit præconibus suis diuinum illud carmen intonare: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. num. 14. vt ex tanto præconio pacis humilitatem disceret homo, & sublimitatis gloriam Deo relinqueret. Quid tunc ille? fastidit partitionem, & cælum vocibus feriens, terram tumultibus inquietans, Deum ipsum iniquitatis coarguens, quam non potest in hoc mundo accipere, rapit gloriam. D. Bern. *serm. 4. de natiuit.* ita.

Fornicator

Fornicator semetipsum dehonestat, & iniuriosus molestat proximum: elatus, quantum in se est, Deum inhonorat. Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo; & superbus, Ego, inquit, mihi eam, licèt non dederis, vsurpabo: neque enim placet ei angelica distributio dans gloriam Deo, pacem hominibus: non ergo colit Deum, sed aduersùs eum extollitur impius planè, & infidelis. diuinæ iustitiæ distributiuæ iudices se præstant, & Deum iniustum arguunt distributorem?

§. VI.

Peccator, apud Deum & virtutes non ponit seruitium, nisi illud inuicem Deo, & virtutibus imponat.

679. SEd quæso, perditissimi hominum: nonne foret satius puellam sanctissimam domi retinere, vt cumulata virtutibus, vitia vestra cernens, & dolens, ab sponso Deo, vobis veniam, & virtutes impetraret? nonne foret satius, præeunte semper tanto exemplari, fugare vitia, virtutibus anhelare? Neutiquam, inquiunt: neque enim domui, nedum cordi, Deum & virtutes admittimus illis seruituri, nisi mutuo, & Deus & virtutes temporalibus nostris seruiant: seruiat soror terrenis nostris rebus, aliàs sælestæ vitæ genus sibi habeat, nec illud nobis aliter volumus communicatum. nimirum ita est, abhorret peccator Deo & virtutibus seruire, nisi in terrenis, à Deo, & virtutibus seruiatur: nihil cæleste amat, terrestribus non immixtum.

680. Recisis ebrietatis legibus fratrem trucidat Cain, & increpatus à Deo, terræ fructibus, quam fœdauerat sanguine, multatur, *Genes. 4. num.* 12. pietatisque fugator, perpetuò fugæ timori condemnatur. ad quem tunc ille: *Ecce*, inquit, *eiicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar*, ibidem num. 14. Ecquæ ista consequentia, homo infelicissime? imò quia terrenis abdicatis, addici diuinis arctiùs contendere debueras: quid ergo demens falleris? Respondet Philo Iudæus *lib. de eo quod deter.* ad rem nostram. *Quid si verba ista sic intelligantur? si non prabes mihi bona terræ, nec cælestia accipio: si non datur frui voluptatibus, nec virtutem quidem desidero: si non impertiris humana bona, diuina quoque tibi habete.* scilicet homo perfidus nudæ virtuti seruire recusabat, & voluptatibus, terrenisque vtilitatibus anhelans, harum, quas pluris faciebat, sanctimoniam volebat administram. *Apud nos*, addit Philo, *necessaria chara, germana bona sunt hæc: edere, bibere, vestiri, per visum frui colorum varietatibus, per aures oblectari omnigenis sonorum concentibus, per nares exhilarari suauibus vaporum fragrantiis, ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, ad satietatem expleri voluptatibus, aurum argentumque non negligere, honores principatusque, & quidquid ad gloriam facit, conquirere: prudentiam verò, fortitudinem, iustitiam, res tetricas & vitæ molestiam afferentes, missas facimus: quòd si libet eis vti, non vt bonis perfectis vtendum est, sed vt caussis bonorum.* En hominis peruersi, præuersum ordinem: tantummodo virtutibus vtetur, dummodo per illas abuti voluptatibus, terrenisque vtilitatibus licuerit.

681. Cessit quidem Esau primogenituræ suæ iuri, cui auidus successit Iacob: *Quid mihi*, inquit Esau, *proderunt primogenita*, Genes. 25. num. 32. nouerat quidem Iacob primogenitis illis, virtutis primogenita hypothecari, & sanctorum Patriarcharum principem, necessariò omnes conatus, studia omnia virtuti impensurum: vtque erat vel etiam ipso nomine strenuus, addit labores athleta fortis, & primogenita capit humana, vt inde diuinis primogenitis teneatur desudare. quàm alius Esau, deserit virtutis primogenitæ seruitium, quia ipsa tota in fouendis eius voluptatibus non deseruit. D. Ambros. *lib. de Cain cap.* 4. vbi de malitia, quæ licèt senior tempore, infirmitate puerascit. *Habet*, inquit, *illa ætatis stipendium, virtus autem prærogatiuam gloriæ; quia plerumque iusto iniquus iudici cedit, cuius rei testis est fidelis Scriptura, quæ docet, Esau cognomine stultitia virum, cessisse patienter primatum fratri suo Iacob, ita vt diceret: Vt quid mihi primatus? sed quos iste posthabuit, hos vir cognomine exercitationis præditus quæsiuit mereri*, &c. *Vt quid, inquit, mihi primatus? apud ignauos enim nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur. studia enim virtutis quædam instrumenta sunt: itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus* Abhorret ergo primogenita sua Esau, cum quibus laboriosa (vtpote quibus omne debetur seruitium) virtutis primogenita cohærebant: quibus solum seruiret, si ipsa otio, voluptati, & terrenis bonis deseruirent. ideo additur, *abit paruipendens quòd primogenita vendidisset*; nullius enim faciebat illius virtutis iacturam, quæ illi ad terrena non erat laboratura.

Virtus laboribus lubens assuescit.

Piuenas in Cantica.

682. Quærit Iobius sæpe citatus apud Photium, cur tam obscura olim Iudæis Prophetarum sacra ænigmata darentur? cur obscura gentium vocatio, & Synagogæ repulsa innueretur? & post multa, ad rem præsentem sic respondet. *Iudæorum insuper improbitas, & in rebus, quæ minimè attingenda erant, audacia, obscuritatis in veteri Testamento repertæ, non nihil caussa fuit: ne enim quæ manifesta essent de Christo, atque aperta Scripturarum testimonia circumciderent, aut delerent, ideo adumbratè eadem promuntur. Tertiò, ne diuinorum contemptrix præceptorum, Iudæorum natio, si clarè intellexisset, aliquam de legem vniuersam præter fluxuram, & quæ ipsi in pretio habebant, & honore, in aliam rempublicam transitura, magis ad contemptum illorum præceptorum, ex clara cognitione traherentur.* Seruiebant itaque Deo, præcepta colebant, dum monarchiæ & vtilitati suæ Deum & præcepta seruitura perpetuò existimabant, quasi non satis esset, proportionaliter temporale obsequium, limitatis etiam præmiis adhibere, nisi Deus perpetuam stabilitatem reipublicæ illius, pro singulorum seruitio caduco, repromitteret, aliàs statim recessuri à virtute & præceptis, si terrena vtilitas aliquando, (etsi post longum tempus) recessura timeretur.

Auaritia sub pietatis velo sibi, non Deo seruit.

683. Explicantur hinc illa Matthæi de Christo nato, & Magorum præconio exultabundo: *Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo*, cap. 2. num. 3. de quo Chrysol. serm. 158. *Esto quòd Herodes amore regni, successoris timore, coactus sit talia moliri, quare Ierosolyma, quare principes, quare scribæ?* Descripserat aureus Doctor lætè funera innocentum, Christum infantem ab ipsis Iudæis perfidè inquisitum: tunc sic respondet, quia, inquit, *nasci non vult profanus Deum, seruus dominum, iudicem reus, rebellis principem, perfidus cognitorem. Ierosolyma variâ se contaminatione perfuderat, Sacerdotes profanauerant sancta, & peccata vendentes, in quæstum, veniam pietatemque conuerterant: Scribæ doctrinam cælestem, scientiam salutarem, vitale magisterium, in suum sensum, in perfidia lapsum, in lethale vaniloquium commutarant. hinc est quòd Chri-*

stum nolunt nasci, viuere timent, quia nouerant se mox ignominia dandos, trahendos opprobrijs, eyciendos templo, priuandos sacerdotio, oblationum munere vacuandos: quasi tantummodo Messiæ futuro seruirent saltem de sortis, quia futurus erat, quia sub hac spe, speciem captandis honoribus & muneribus habebant: at vbi adest præsens sceleribus & voluptatibus intercessurus, quæritur occidendus, quia gens perfida solam pietatis vmbram colebat, dum sub illâ auari pectoris æstum occultabat.

684. Atqui, dicat aliquis, si misericordiam principia Dei, si Messiæ benignitatem omnis scriptura proclamabat, cur hoc tuti præsidio priscorum sibi scelerum veniam non promittebant? Respondet idem Chrysologus ibidem. *Semel enim cupiditate inflammati, capti pompa, vitijs sauciati, vanitate ebrij, madefacti luxu, quia de correctione nil cogitare poterant, de venia nil sperabant.* consuetudo nimirum, faciendi Deum, & vmbratilem illam pietatem scelerum suorum administram: sic iam miseros captiuarat, vt, dum nec scelera deponere, nec præsente Christo abuti concederetur; eidem perdendo coniurarent, quem solum suâ culpâ, tanquam velum nequitiæ, & terrenæ vtilitatis fomentum amplexabantur.

685. Est apertissima, pro hac mea cogitatione, tota illa parabola de impiis agricolis, domini sui primogenitum occidentibus, de qua audiendus Chrysostomus, immo auctor imperfecti, *in cat. aur.* ad illa verba: *Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius*, Matth. 21. num. 38. vbi ita scribit. *Postquam introiuit in templum, & vendentes animalia, quæ ad sacrificium pertinebant, foras eiecit, tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, vnde dicebant: Venite, occidamus eum dicebant enim intra se: Necesse est, vt populus per istum dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum, & acquiescat offerre sacrificium iustitiæ, quod ad gloriam pertineat Dei, & sic iam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei.* Nolebant iam inde Deo seruire, qui turpi illorum lucro non seruiret, nolebant immortificato spiritu Christum habere primogenitũ, apud quem pariter non erant ipsi, tanquam primogeniti venerandi. *Hæc est*, addit idem auctor, *cogitatio communis omnium Sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti, quomodo viuat populus sine peccato, sed aspiciunt quid in Ecclesia offeratur, & hoc æstimant sacerdotij sui lucrum.* Quid scelestius, quam à Deo & virtutibus, quibus illud debes, exigere obsequium? quid immanius, quàm occiso Deo liberum eius populum tibi captiuandum conari?

686. Postquam Heliezer, fidissimus ille seruus Abrahami, conuiuio à Laban exceptus est, adducendæ Rebeccæ ergò, longissimam apud hospites de domino suo, de itineris successu habuit ratiocinationem: exordium verò aptans captandis animis, sic incepit. *Dominus benedixit domino meo valde, magnificatúsque est, & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos*, Genes. 24. n. 35. Deinde latè pergit in explicando signo, quod illi Deus fecerat, de eligenda puella. Certè optimus orator non poterat apud idololatras aptius sibi sumere exordium, quàm ostendens Deum Abrahamo & Isaac cultum, etiam illis terrena bona ministrare: prohiberet absque dubio nuptias Laban, nisi crederet Deum, cui fideles seruiebant, illorum pariter vtilitatibus deseruire. Pauci Lyranus hîc. *Vt faciliùs*, inquit, *eos inclinet, primo refert diuitias domini sui, ipsi Isaac collatas: & iuramentum, quo adstrinxit eum Abraham, & signum à Deo sibi datum, quod voluntas Dei erat, quòd Isaac cum Rebecca copularetur: per hoc insinuans quòd si renuerent, contrairent diuinæ voluntati.* & quidem contrairent, inquam ego, nisi diuinam hanc voluntatem seruis suis quodammodo conseruam, in ipso statim principio subodorarentur, vt solerter prudens paranymphus explicarat.

687. Spoponderat cum Deo dæmon, luce se clarius ostensurum Iobi esse chimæricam sanctitatem: hanc ergo vt expugnet, postquam ablata pecora, & armenta, pastorésque occisos, vana fuisse tela expertus est, robustiorem hastam contorquens, opinionem indutus, *Ignis*, inquit, *Dei cecidit è cœlo, & tactas oues puerósque consumpsit*, Iob 1. n. 16. Sed quorsum, inquis, fulgura à se missa, in aëre fabricata, à Deo metipso contorta, & è cœli officina coniecta mentitur nugator pessimus? Certè, quia nouerat, si quid subdolum Iobi virtus occultaret, tunc maximè illucidandum: nescit enim peccator se Deo subdere, quem sibi quodammodo subditum iniicere non cognoscit: vnde si Iobus esset minus iustus, vbi videret à Deo sibi inferri bellum, statim contra eius obsequium rebellaret. Olympiodorus ad hunc locum in cat. Græca. *Vbi primo audito nuntio, non solùm iusti animus consternatus non est, verùm etiam tulit æquissimè, atque imminentis aduersarij impetum propulsauit, confestim alius quidam diaboli satelles sese proripit: dicit, non amplius ab hominibus sibi bellum inferri, verùm oues ac pastores de cœlo tactos esse, vt minimè dubitare posset, vel Deum ipsum, quem veneratur, ei esse infensum.* Ictus sane periculosissimus, quem nisi syncera virtus euaderet, cuique quoduis fraudulentæ nequitiæ pectus penitus succumberet.

§. VII.

Superior subditorum humeris onera commensuret.

688. DEnique errarunt hi fratres in oneribus & curis terrenorum suorum bonorum dispensandis, dum fœmellæ, quam subditam habebant, id ponderis iniiciunt, cui via vir robustissimus sufficeret. Satis foret, si domesticis ministeriis detineretur, si ducendis agniculis, aut hædulis viueret occupata. Intolerabile verò, quòd illi pugnax & contentiosa vinearum custodia commendetur. Discant hinc superiores, corporis afflictiones, & onera, subditorum viribus, & humeris commensurare: aliter non proficient, sed deficient, sibi, & communitati inutiles reddendi. Humilitas, fides, charitas, spes, similésque virtutes, ab omnibus æqua mensurâ, imò sine mensura exigantur; onera verò, carnis afflictiones, & quidquid exterioris crucis est, prudenter, & pro capacitate subiectorum diuidantur: aliàs crux quæ salutem afferret, de imprudentiâ damnum importabit.

689. Ideo Christus Dominus Matth. 16. n. 24. *Si quis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Non enim æqualem crucem, idem omnibus onus impositum volebat, qui *suam* singulis crucem, non absolutè crucem ferendam edocebat. bene D. Leo Magnus serm. 9. de Quadrag. *Meritò*, inquit, *ferri vnicuique suadetur, quia proprijs modis, atque mensuris, ab vnoquoque toleratur.* Sic qui suâ proficit, deficit alienâ: & in hac proportione, tota perfectio. quod ideo libentiùs tracto, quòd inde diuina prudentia sanctissimi Patriarchæ nostri Ignatij in exterioribus pœnitentiis, & oneribus partiendis, eiúsque admirabile, in spiritu regẽdo, magisterium, maximè cõmendatur.

Pende

690. Pende mihi mystica illa Ezechielis animalia: *Facies*, inquit, *eorum & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*, cap. 1. num. 11. iungebantur scilicet illæ quæ desuper erant extentæ, ac si volatus superiorum alarum, inuicem proportionari ac coniungi potuisset: non autem coniungi dicuntur pennæ illæ, quibus obtecta corpora describuntur, scilicet & carnis mortificationibus, & animæ virtutibus volant: in his vltimis pari passu procedere, rectè possunt: illæ primæ, & viribus, & culpis, & necessitatibus occurrentibus, debent distinctæ ab aliis commensurari: sitque, qui illas velit temerè coniungere, temeratius. D. Gregor. ibi homil. 4. *Quæstio oritur, quia si duæ pennæ, quæ eleuantur, amorem & spem: duæ verò, quæ corpora contegunt, timorem, & pænitentiam designant: cur duæ, quæ extentæ sunt, dicuntur, esse coniunctæ, & duæ, quæ corpus contegunt, non dicuntur?* vbi post alia, sic respondet. *Duæ singulorum pennæ coniunctæ sunt, quia per amorem & spem vnum est quod desiderant, sed per timorem, & pænitentiam, diuersum est quod deplorant.* Optimè: quia inutilis medicus, qui diuersas omnino ægrotantium necessitates, eodem purgandas pondere iusserit: ridiculus, qui crediderit. diuersis stimulis bos pungendus, & homo: alio verbere tegendus leo, & aquila: omnia si permisceas, interturbabis.

691. Explicabis ex dictis, vocem illam Dei ad Moab: *habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris*, Isai. 16. num. 4. in Moab Ecclesiam, aut quemuis iustorum, qui post conuersionem suam, aliorum pater instituitur, intelligit in hoc loco Ailredus apud Godefr. & meritò, debet enim hic talis viscera paterna habere, quæ in nomine *Moab* intelliguntur. tunc ad rem, quia sicut qui ad locum aliquod refugij solent conuenire, non omnes eâdem timoris caussa afficiuntur: sed quidam grauiori metu pressi, profundiores latebras, abstrusiora latibula requirunt: aliis leuiori de caussa fugientibus ipsum limen, ipsa refugij ciuitas satis esse videtur: ita & qui perfectionis scholam ingrediuntur, mundi tyrannidem, & vitia fugientes, aliter atque aliter, pro cuiusuis indigentiâ, sunt etiam à superiori abscondendi. *Alij*, inquit Ailredus, *abscondendi sunt ab interiori occupatione, alij à quorumdam familiaritate, & cohabitatione: alij sub vmbraculo silentij ab ira & indignatione vtiliter absconduntur: alij sub victus parcitate & paupertate à naturalibus incentiuis salubriter proteguntur: alij sub laborum & peruigiliarum vmbra, à cordis peruagatione & spiritus absconduntur: alij psalmis & orationibus, meditatione & lectione spirituum immundorum insidiis defenduntur.* & sicut ineptè aliquis homicidas, proditores, latrones, eodem latibulo cum iis, qui leuissimè delinquentes via quæruntur, eâdem custodia abscondendos vellet; sic ineptus superior, qui diuersos affectus, & passiones pari onere opprimendos, pari cruce afficiendos existimet.

692. *Pænitens ex se semper duriora quærat.* Nota tamen, quod propterea expressè in titulo proposui, superioris tantum hoc munus esse debere: superior, non verò subditus, crucem attemperet: subditus quippe quisquis ille sit, maiori & maiori oneri subeundo debet esse paratus, ne iustâ, ignaui languoris nota veniat inurendus, de præsumptione. Prodigus, quantum est ex se perpetuæ miseri mercenarij seruituti se destinat apud Patrem. Luc. 15. num. 19. *Fac me*, inquit, *sicut vnum de mercenariis tuis.* Patris, patris fuit crucem temperare, suauioribus restituere. Chrysol. serm. 3. *Sic Pater indicat sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella.* Filius quippe, qui se miseræ vernam conduxerat mercedis, solùm flagellis subeundis venerat paratus; soliusque erat Patris, in iuuamen, & oneris attendere releuationem: ille ex se æquè castigantem amaret Patrem, quia, vt habet idem S. Doctor. serm. 167. de pœnitentibus: *Si quo fortè mens nostra iaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur: tunc agris illa, quæ non sanis, pænitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, humentis conscientiæ feruor euaporet: tunc reatus vlcera lachrymis abluantur, immunditiam corporis, cilicia tunc detergant. ferat, ferat pænitentia curam, qui seruare debitam noluit sanitatem: cui vita sua chara est, cura non est dura: medicus non sit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem.* Atque ita ad salutem reuocandus, quoscumque dolores à medico toleraret: veruntamen medicus, quid maximè pro temporis, & infirmitatis circunstantiis expediret, optimè applicauit.

693. Adam post peccatum pœnitens & dolens ficus austeritatem, foliorum asperitatem in vestem sibi adaptauit, *Genes.* 3. quasi perpetuo cilicio se condemnans, & nunquam asperæ punctionis illius duritiem relicturus. Quid verò Deus? *fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, ibidem num. 21. nouerat quippe firmum Adami propositum tollendæ iugiter crucis: vnde & tunicas ipse consuit, & induit consutas, alias nec ab Adamo consuendas, imò nec ab alio consutas induendas. D. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 37. postquam aspera ficus folia, ex satisfactoriæ pœnitentiæ affectu ab Adamo vsurpata explicat, sic concludit. *& hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas, pro foliis ficulneis induisset.* Ad solum quippe diuinum illum tunc medicum pertinebat, onus leuare, minuere, commensurare: Adami verò & cuiusuis pœnitentis affectus, semper durioribus debuit anhelare. Malè igitur hi fratres superioris vicem tunc agentes molli, delicatæ, & penè innocenti puellæ, asperiores corporis labores sine debita proportione imposuerunt.

Si ignoras te, ô pulcherrima, &c. VERS. 8.

§. I.

Cælestis est iustus, imò intellectuale quoddam cælum: vnde Deo tabernaculum factum, Dæmoni affectatum.

694. Diuinâ acceptâ (extortâ dicerem potiùs) facultate, euersurus sanctissimum Iobum dæmon, *cap.* 1. *num.* 15. nihilque bonorum externorum illi non abstulit, quin potiùs & filios intimis visceribus infixos sæuus eripuit, & tamen *cap.* 2. *num.* 2. quæsitus à Deo vnde veniret, nec leuissimè Iobum nominans, respondet, *circuiui terram, & perambulaui eam.* & cur teterrimè illatas Iobo iniurias, de quibus interrogati agnoscebas, statim non refers? nunquid etiam æternam veritatem mendaciis illudere præsumis? Certè pater mendacij in hoc loco, non tam mentiri voluit, quàm abstrahere, idque sine mendacio; quia licèt terram perambularet, terram calcaret, nec Iobum ibi cernere

potuit, nec calcare, quia iste, vtpote iustus, iam cælestis erat, & in cælo quodammodo commoratus. ideo in Græco signatè, vbi nos legimus, *circuiui terram*, habet *διαπερᾶσαι τὴν ὑπ' οὐρανόν*, *percurri eam quæ sub cælo est*. non mirum ergo, si qui cælestis in cælo quodammodo morabatur, sub cælo, id est, in terris visus non dicatur: sic locum explicat Euagrius in cat. Græca. *Idcirco Iobum non perambulat; quia non est sub cælos cùm in cælo vita sua positas habeat rationes.* Quorsum hæc, pro expositione morali huius versiculi Canticorum, tendant, infrà clarè patebit.

695. Sed neque hoc tamquam nouum de Iobo dicitur: id enim de omnibus iustis Salomon affirmauit, dum enim omnia, quæ sub cælo sunt, vana appellauit, virtutes solidas supra cælum est visus collocasse: *vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa, vanitas*, Eccles. 1. num. 14. aliàs, quis non reclamaret sanctas ac iustas animas adhuc in terris commorantes dici vanitatem? sed verè in terris commorantur, etiam supra ipsam terram conscendunt, quia dum in cælo habent conuersationem, supra solem excelsæ, & in terris iam cælestes sunt habendæ. fauet D. Paulinus epist. 4. *Omnia*, inquit, *sub sole vanitas, proinde super solem veritas: itaque & qui in veritate consistimus, & si intra mundum viuant habitatione corporea: tamen supra mundum sunt conuersatione cælesti, & cælorum polos, & astrorum choros, euolantes spiritu, scandunt, & supernadunt, celsioresque elementis agunt.* Ignescunt scilicet iusti charitate, conscientiæ claritate fulgent, & agiles de virtutum pondere leuescunt, vnde iam cælestes in terris viuentes, destinata conscendunt domicilia.

696. Hinc patebit cur Apostoli expectaturi spiritum Paraclitum, ascenderint in cœnaculum, id est, (vt nemo nescit ex priscorum vsu, & Græcæ vocis notatione) in superiora domus penetralia, *Actor.* 1. *num.* 13. puto enim id factum, vt quodammodo de terra eleuati, iam vt poterant cælestes viderentur, sicque posteros ad similem ascensum, à sordibus terrenis, auocarent. D. Gregor. Nazianzenus orat. in Pent. *In cœnaculo*, inquit, *propter eorum qui accepturi sunt, ascensionem, atque à terra subuectionem.* cælestes enim, & ad superiora subuecti, excipiendo tanto Deo parabantur. de quo legendus Nicetas *ad hunc locum.*

697. Et quidem auidè id ab homine requirit Deus, ideo cùm iam prænouerit impiam Ethnicorum blasphemiam, qui illum Deum montium, & non Deum vallium erant appellaturi, 3. *Reg.* 20. iubet nihilominus, iam tunc futura detractione deuorata, vt Moyses legem accepturus, montis verticem conscendat, vt ex toto cap. 24. Exodi constat apertè: nimirum, vt descensuro Deo, Moyses ascendens, etiam inde cælestis aptaretur, & de cælestibus signis, cælestique splendore, duro populo iam deinde cælestis haberetur. Idem Gregor. *Orat. 2. de Pascha*, huic loco, & similibus Abrahæ, Iacobi, &c. alludens. *In ipso quoque*, inquit, *monte, Deus hominibus imaginariè conspiciendum se prabet, partim de specula sua ipse descendens, partim nos ex terrena hac depressione in altum euehens.* Quid enim aliud erat è terra euehi, quàm cælestibus computari. hæc de prima tituli parte, vbi cælestes iustos dixi.

698. Venio ad secundam, vbi non solùm cælestes, sed ipsissimos cælos, eos appellaui. Euocat Deus Abrahamum à patria, à patre, ab omnibus delitiis: *Dixitque ad eum*, inquit textus, *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*, Genes. 15. num. 7. quod tamen non in ipso, sed in eius posteris impletum, constat *ibidem num.* 18. sed ita ne? summa Dei liberalitas, tam prompta obsequia virtutis, vnius prouinciolæ terminis compensat, dicat aliquis? scilicet hæc promissionis terra; semper iustis mysticum aliquid designabat: vnde bene Richardus Victor. Ad rem nostram hic apud Godefr. postquam terræ huius commemorat felicitatem, ita habet. *Sed vbi quærenda est terra, quæ tanta dulcedine redundat? de regno autem cælorum credimus, quòd intra nos sit, & sui generis terram viuentium scilicet, nihilominus intra nos esse credere debemus: spiritualis enim est hæreditas, quæ spiritualibus promittitur. Si vultis, terra est, propter stabilitatem: si vultis, cælum est, propter sublimitatem; si spirituales spiritualiter sapimus terram hanc intus, non exteriùs requiramus: hæc terra multa prorsus dulcedine manat, quià cordis iucunditatem conscientiæ securitas parat: promissionis terra conscientia secura, terra mellifina iucunda conscientia.* & verba ipsa de hoc melle, mel stillant. Regnum cælorum intra nos esse, id est, nos esse, si virtutibus ornemur, Christus asseuerauit: cùm iam pro eodem, terra promissionis, & viuentium terra appellamur, vt sublimes cæli, sed absque illorum instabilitate, continuo scilicet motu, intelligamur: terra de firmitate, ponderibus librata suis gloriatur, nec id intellectuali cælo poterat deesse, vt suaui contrariorum recapitulatione, excellentius materiali cælo appareret.

699. Firmant satis Ricardi explicationem, præcedentia Dei verba ad Abrahamum ibidem, *& multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli.* quæ vt capias, aduerte. habitabat olim in cælis Deus, & inde inimicos suos subsannans irridebat, *Psalm.* 2. *n.* 4. sed tandem homo nascitur, &, vt habet Scriptura, *fit Idumæa possessio eius*, Numer. 24. n. 18. Ecquis non miretur inclinatos cælos, imò & ruptos, ac desertos tandem: idque, vt terrenæ sordes possideantur? is sanè, qui nouerit iustos, vbi vera Abrahami progenies in virtutum spiritu vernat adhuc: longè puriora sidera, ipsis astris cælestibus fulgere. Galfridus apud Godef. ad locum Numer. *Gratias*, inquit, *tibi Domine, qui dignaris possidere & terram, qui factus es spes nostra, facieas vtraque vnum, in te reconcilians ima summis, vt iam cælum homines, & terra habeat stellas: nonne enim semen Abrahæ, sicut stellæ cæli?* in cælo materiali principem partem obtinent stellæ, & intellectuales cæli, omnes ac toti stellæ sunt, vt ex hoc longè excellentiores iudicentur: sic felix humanum genus illud potest canere Poëtæ *Buc.* 4.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Demittuntur quidem cæli noui, euehendi postea cælo longè excellentiores. fortasse ideo in eodem loco Numer. paulo antè vocatur Christus *stella Iacob*, vt stella descendens, & apud terrenos conuersata, eosdem, in stellas mutatura intelligatur.

700. Sunt non elegantia solùm, sed etiam ponderosa, verba D. Chrysol. *serm.* 120. vbi post multa, quibus præstantiam intellectualis cæli, à materiali ostendit, explicatis Pauli præceptis Rom. 12. sic concludit. *Erit, erit maior cælo, qui vixerit sicut docuit Paulus, erit sole clarior, qui sic virtutum radiis toto orbe splendet, vt fuscari se nulla vitiorum nocte permittat: erit iste lucidior lunà, qui tenebras has non tenuato lumine temperat, sed totam sæculi noctem pleno*

meritorum

meritorum fulgore depellis: nec sicut luna, quotidiana lucis detrimenta persentit, sed ingi factorum lampade in superni luminis claritate persistit, &c. de stellis taceo, quia quot cælum stellis, tot Sancti virtutibus illucescunt, dicente Domino, Vos estis lux mundi, lucete sicut luminaria in mundo. Ad summum: cælum, sol, luna, stella transibunt, iustus autem in claritate Dei continua permanebit. Ac si summa gloria, qua (spirituales cæli præstant materialibus, inde proueniat, quòd hi caducâ, illi immortali Dei luce persundantur.

701. Et certè ita est: in hoc vno intellectualis cæli gloria consistit, vt ministra virtute ad Deum attrahantur, & inde maioribus splendoribus ipsâ diuina luce penetrentur. Eleganter Gilibertus *serm.* 29 ad illud, *tota pulchra es, amica mea*, Cant. 4. n. 7. sic scribit. *Quomodo non tota pulchra, in quam lucis æternæ candor immensus emanat? bene tota pulchra, & superpulchra, in quam vbi illapsa se transfundit omnis pulchritudo Domini, exaltata est quidem super sidera.* quasi ideo *Sap. 7. num. 25.* Christus Dominus emanatio claritatis appelletur, non solùm quòd à patre fluat lumen, de lumine, sed etiam quòd ad mysticos suos cælos, totus emanet, vt ipsi toti, Christo maneant similes: vnde idem Auctor *ibidem*, alludens ad verba, quæ in Ascensionis festo, Christo canit Ecclesia, sic concludit. *Species pulchritudinis eius in sponsa: species, inquit, eius in nubibus cæli: quando sponsa nubes cæli est, nubes lucida & leuis, & quasi ad solem accedens, & ipsum suscipiens: tandiu in ea Solis splendore relucet, & pulchritudinis eius species manet.* non similior aduerso soli repentesita (uanter puta nubes, quàm pura anima, postquam à terrenis inquinamentis repurgatur, instar cælestis nubis irradiata à Deo, Deum repræsentat.

702. Hinc optimè explicabis illud Iob 37. num. 22. *Ab Aquilone aurum venit, & à Deo formidolosa laudatio.* in Sixtianis ex Græco legitur, *ab Aquilone nubes coloris aurei: ex his magna est gloria & honor omnipotentis.* quam lectionem tuetur D. August. *in Psalm. 67.* deinde ad rem meam ita. *Magna gloria medici est, quando ex desperatione conualesit ægrotus: ab Aquilone nubes, & non nigra nubes, non caliginosa, non tetra, sed coloris aurei: vnde nisi gratia illuminata per Christum?* scilicet Christus Dominus sacro medicamento, ab Aquilonis frigore, à peccati torpore, animam reducit ad lucis feruorem: quam postea ita illuminat, vt in ipsam, totum diuinitatis aurum piè prodigus transfundere videatur, vt nulla in terrâ appareat pulchritudo, quæ iam valeat cum ista comparari.

Id voluit D. Bernardus serm. 27. in Cant. *Quid*, inquit, *tale in se ostendit ea qua præterit figura huius mundi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, eius qui de cælo est, speciem induit, ornata optimis moribus pro monilibus, ipso purior, sicut excelsior æthere, sole splendidior?* Alludit S. Doctor ad cælestem nostrum Adamum Christum, qui nos de luce sua cælestes fecit, & corpus tenebricosum nostrum corporis sui claritate reformauit: vnde post plures paginas, sic concludit: *Nec frustrà in terris visus est homo cælestis, 1. Cor. 15. cum de terrenis, cælestes quamplurimos fecerit sibi similes.* hæc satis de cælis intellectualibus diuinam lucem participantibus, vbi obiter de nubibus similiter irradiatis pauca annotauimus.

703. *Deus in his tamquam in quibus cælis suauius inhabitat.* Veniamus nunc ad grauiora alia, & acutiora, quorum causâ hæc dicta sunt, & videamus voluptatem, qua Deus in sic factis cælis collocat sibi tabernaculum, thronum erigit, quæ erat tertia pars tituli. celebrabat diuinum thronum Propheta, & quasi ex eiusdem encomiis celebratis Deum alliciebat: *qui sedes super Cherubim manifestare*, Psalm. 79. num. 2. & iterum Psalm. 17. num. 15. *Ascendit super Cherubim, & volauit.* quasi nullus currus Deo gloriosior, nullum cælum illustrius reperiatur. Sed ecce, descendit diuinus Spiritus super discipulos, linguatum habitu, non mutâ significatione delitescens: volat, nec tamen super Cherubim. & cur ita, cùm tamen pro dignitate legis gratiæ, pro maiestate illustrissimæ missionis, id tunc maximè congruum esse videbatur? putarem priscos illos thronos missos fecisse, quia nouos quosdam descendebat habituros in quibus resideret, Cherubinos: nec aliud significat illud Act. 2. num. 3. *& apparuerunt illis dispertita linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum.* de quo acutè satis D. Gregor. Nazianz. Orat. de Pent. *In dispertitis, inquit, linguis apparet, ob gratiarum diuersitatem: sedentibus autem, propter regia dignitatis excellentiam, eiusque super Sanctos requietem, quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubinos habet.* quasi non tam deseretetur thronus, quàm mutaretur: nec minus illustris dignitas humani huius cæli, quàm Cherubici illius firmamenti. *Quoniam*, inquit ibi Nicetas de Apostolis locutus, *throni ipsi facti sunt Regis ac Dei, hoc est, Spiritus sancti.* in quibus proinde tamquam in cælesti aliа eutis commorstur.

704. Hæc tota ratio est, cur Stephani facies, ad tribunal perfidorum paulo pòst delati, angelica specie refulgeret, *& intuentes*, inquit textus, *in eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tamquam faciem Angeli*, Act. 6. num. 15. nimirum tamquam in Cherubico cælo, & nouo quodam throno, diuinus sibi Spiritus in Stephano domicilium collocarat. Eusebius Gallicanus in eius homil. *Abundantia, inquit, cordis, transfiit in decus corporis: in exterioris gloria, candor interioris exundat, & absconditа pectoris ornamenta, speculum frontis irradiant, habens intra Spiritum sanctum, os præsignat angelicum.* sic Stephanus nouis cæli refulget ornamentis: sit speculum (quantum res humana patitur) Dei sine macula, & Dei aspectu ipso enarrat gloriam, quia factus est eiusdem firmamentum.

705. Ausim dicere, suauius & iucundius Deo ad voluptatem, humanum istud cælum, quàm quoduis aliud. Hinc Dauid *Psalm. 131. num. 13.* in Sion humana corda, intellectuales scilicet cælos intelligens, sic scribit mira cum emphasi. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* requies lassitudinem supponit, & quo maior ista, eo illa dulcior. Quid non sudoris fudit, quid non pertulit laboris Deus, vt sibi humanos cælos compararet? Quid non igitur voluptatis, quid non delitiarum in comparatis percipiet requiescens? D. Bernard. *serm. 28. in Cant.* nescio si vsquam alibi acutior. *Nec mirum, inquit, si libenter habitat cælum hoc Dominus Iesus, quod vtique non quomodo cæteros, dixit tantùm, vt fierent, sed pugnauit, vt acquireret, occubuit vt redimeret: ideo & post laborem voto potitus ait: Hæc requies mea in sæculum sæculi.* non supponit Deum laborasse, sibi dummodo in amato cælo requiescere concedatur: nec solùm facta comparatione ad materiales cælos, res est certa; sed quodammodo ad angelicas, suam habet pietatis probabilitatem, nam qui Angelos nunquam amisit, suauius recuperatis fruitur hominibus, quod ex ouiculæ à pastore inuentæ parabolâ alibi declaratur.

Pintus ẽrs Cantica. S 3 Ex

706. Ex dictis locus hic Cant. quem explicandum proposui, luculenter iam declaratur. rogarat ergo superiori versiculo sponsa Christum, vt requietis suæ locum, ardentissimè sibi quærenti, querebundæ dulcissimè manifestaret: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, Cant. 1. n. 7. ad quem statim ille. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum*, &c. Sed cur fuimet sponsæ ignorantia prætenditur, cuius vota ignoratum sponsum suspitabant? respondet D. Iustus Orgelitanus *ibi*, ex ore Christi: *Non aberres*, inquit, *me alibi extra te quærendo vllo modo: in te quippe, vbi me hactenus non quærebas, tanquam in meridie requiesco.* Aptissima ergo responsio pro ignorato sponso, ignorantem subnotat sponsam: quæ si se nosceret, non se solùm cœlestem, sed & animatum cœlum, & sole ipso meridiano illustrius, iucundæ sponsi diuini quieti, recognosceret, tantæ deinde congratulans felicitati.

707. Fatetur id ipse sponsus disertis verbis, quando ad humani huius cœli portas, tunc paululum de repulsâ inhumaniores, pulsans auditur, qui nobis adamantinas Empyrei cœli portas patefecit: *Aperi*, inquit, *mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, Cant. 5. n. 2. vbi D. Ambros. *lib. de Isaac & anima, cap. 6.* etiam ex ore Christi, sic scribit. *Quia decurso orbe terrarum, plus molestiarum, & offensionum reperi, nec facile habui, vbi requiescerem: ideo tu aperi, vt in te filius hominis reclinet caput, cui non est requies, nisi supra humilem, & mansuetum.* Sed cur, dicat aliquis, percurrit orbem, nec incurrit passim hospes tam beneuolus hospitium? credo, quia excurrit pariter Dæmon, qui ab alio cœlo deiectus, nobiliores cœlos istos affectat, & rapit subdola quadam violentiâ. erat hæc vltima pars propositi tituli, quæ vno verbo adhuc (quia inde cœlestis hæc humani cordis conditio, viuidiùs illustratur) illustranda.

708. *Dæmon intellectuales animarum cœlos affectat.* Ægerrimè igitur fert Dæmon terrenos homines siderum instar, lumine micare perpetuo, & tanquam cœlos purissimos Christo Domino cœlicam sedem præparare: hinc tota eius cura offuscare hæc sidera, hos perturbare cœlos. id est, se ab Empyreo præcipitatum, in his intellectualibus collocare. id innuebat vox illa Christi, *nunc iudicium est huius mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, Ioan. 12. n. 31. contendebant enim tartareus tyrannus, & Princeps cœlestis, de pulcherrimo domicilio retinendo. D. Gaudentius *tract. 2.* nescio quo exemplari vsus, legit, *mittetur deorsum.* deinde sic scribit. *Passus est Dominus se huius mundi iudicio iudicari, ad hunc hostem generis humani præcipitandum.* & statim ad rem meam pulchrè explicat, cur Dæmonem, non simpliciter eiectum dixerit, sed præcipitatum. *Non in planis*, inquit, *atque humilibus habitat diabolus, vbi pulsus ad alium locum, credatur absque casu suo transire potuisse: sed cùm de sublimitate cœlesti expellitur, vtique deorsum præcipitatur. Significanter in Græco positum est ἐκϐλήθεται ἔξω, id est, eijcietur, siue expelletur foras: vt etiam de animis credentium iam cœlestibus, tanquam de cœlis nosceretur esse pellendus.* Corrige dictiunculam Græcam typico errore truncatam, & repone ἐκϐληθήσεται. Sed certè nec adhuc ita (pace sanctissimi Doctoris, quem humilis veneror) tantum significat, quantum hîc habetur. ἐκϐάλλω enim, siue eijcio, non est ex alto deturbare, sed simpliciter à loco amouere: vnde cùm acutissimè & grauissimè Gaudentius insistat, volens Dæmonem non solùm à planis expulsionem, sed etiam à cœlis præcipitatum, ruinam ex alto subiisse, crediderim totum locum librariorum incuria deprauatum, longè aliter à doctissimo Patre fuisse scriptum: & sic omnino reformandum: *In Græco positum est καταϐληθήσεται, id est, deijcietur, siue expelletur foras.* καταϐάλλω enim & *deijcio* apprimè explicant acumen, pro quo S. Doctor decertabat: aliter, acutæ cogitationi verba languent, imò mutescunt. quòd autem variet Gaudentij codex, quo tunc vsus, à Græco & Latino, quod circumfertur, non est nouum, cùm passim similia apud Patres, de varietate codicum reperiantur, cui varietati sopiendæ, Tridentinum vulgata Biblia fecit canonica.

709. Explica hinc obscurâ aliàs responsionem Christi Domini ad Apostolos, nuntiantes in ipsius nomine eiectos à se Dæmones, quibus tunc ille: *Videbam Satan sicut fulgur de cœlo cadentem*, Luc. 10. num. 18. nam reuera, ni fallor, rem confirmabat, & Dæmonem ab humano pectore, non eiectum solùm, sed etiam deiectum quasi è cœlo quodam pulcherrimo protestatur. q. d. Nihil noui affertis: ego ibi etsi occultus corpore, aderam spiritu, & ab humanis cœlis, quos mihi comparo, noua præcipitia facientem Dæmonem videbam.

§. II.

Correctionis asperitas suauitate temperetur.

710. Botris vineæ, vnde vinum emanat, sponsæ iam matris & regentis familiam vbera comparantur: *& erunt vbera tua, sicut botri vineæ*, Cant. 7. n. 8. ast non solùm feruor in vino, sed asperitas etiam à sacris Scriptoribus accipitur. Bene igitur ab Ecclesia asperitas hæc fluit, sed ex vberibus: bene vinum, sed illud lacteum instillatur. quia prudens correctionis asperitatem paruulis suis, suauitate nouit attemperare. Didicit, credo, ab ipso suo sponso, quæ illam in hoc loco nescio quid inutile, aut saltem importunum pro status conditione, (vt Patres hîc voluerunt) rogantem, suauissimè reprehendit: *Si ignoras*, inquit, *te, ô pulcherrima, inter mulieres*, &c. vt dum inter rubores illatæ reprehensionis, rubentis venustas pulchritudinis insinuatur, temperatâ domini increpatione, increpatæ sponsæ dolor minuatur. ideo Hugo ibi, *benigna*, inquit, *increpatione redarguit.* Certè benignâ, vbi ignorantiæ nota, pulchritudinis notitia inumbratur, & occultari quodammodo videtur. quod si litteraliùs capias, nosces nihil ægrè vlteriùs à fœmina ferendum, cuius pulchritudinis, quam colunt vnicè, præcessit commendatio.

711. Arguebat Christus Dominus hominum proteruiam, quod iusto minus paternis Dei visceribus confiderent, Apostolósque suos à tam impia mente deterrebat, inde subdit: *Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis*, Luc. 12. n. 24. de quo eleganter D. Chrysolog. serm. 163. *Dubium*, inquit, *meritò infidelem ad auem mittit amicam belli, furoris sociam, insatiatam sanguine, & in ipsos mortuos ferro grauius sæuientem: namque cessante gladio, carnifex improbissimus examine grassatur in corpus, laniat, dissipat, spargit: ne quid funeris inuentum, quieti, misericors sepultura commendet. itaque Dominus exemplo tali exagitat dubitantis insaniam, qui putat Deum hoc pijs filijs denegaturum, quod impijs auibus subministrat.* Bene: genui enim cuiusdam

cuiuſdam duri & cornini reputatur, qui duritie mitiſſima patris viſcera infamat. Audiſti aſperam increpationem, audi nunc ſuauitatis condimentum. *Conſiderate*, pergit Chriſtus, *lilia, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis*, ibidem num. 27. vbi ad rem noſtram idem Chryſol. ſermone prædicto. *Verùm, quia Deus ſic humanum diligit genus, vt ipſos, quos diuinitatis iure corripit, mox paterno ſoletur & mulceat blandimento, quos comparatione fœdiſſima auis exaſperaſſe videbatur, ad floris odorati & ſpecioſi nimium hos reducit exemplum.* neſcit piiſſimus Dominus reprehenſionis iras, niſi temperatas: admiſcet nigricanti corno, lilij venuſtatem: lilij, inquam, foris candicantis, intus luteſcentis, vt iam coruus prioris exempli, pennis columbæ deargentatis, & poſterioribus pallore auri micantibus miteſcere videatur. & quid mirum neſciat coruum proferre, niſi liliatum: quandoquidem, *labia eius*, atteſtante ſponsâ, *lilia, diſtillantia myrrham primam*, Cant. 5. num. 13. vt ab illis nihil amarum exeat, niſi de liliorum gratia venuſtatum: nihil quod acre myrrhâ pungat, quod lene pariter liliis non vngat.

712. Hinc fuit, quòd accedens ipſe Chriſtus ad caſtellum Bethaniæ, dicenti Marthæ, *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus: ſed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*, Ioan. 11. num. 21. paucis reſpondeat: *reſurget frater tuus*, ibidem num. 22. Cur enim (addubitet aliquis, & meritò) non dixit Dominus: Ego ſuſcitabo eum, ego illum ab inferis, omni perruptâ extraham violentiâ, cùm id ad ſolatium auguſtius, ad animos augendos femellæ, aptius videretur? Sed pende verba Marthæ in ipſa fidelitate, penè infidelia, quæ poſcendam Chriſto vitam, non imperandam innuebant, & multâ ad Deum prece frangendum tartarum, non æternâ potentiâ à Chriſto Deo debellandum ſignificabant: tunc videbis abſtinuiſſe Dominum à grauiori ſermone, ne gementis hoſpitis fidem, acrior reprehendere videretur. Acutè D. Baſilius Seleucus *orat.* 2. vt in Biblioth. PP. circumfertur, poſtquam multa de verbis Marthæ. *Quid*, inquit, *ad hæc Chriſtus? reſurget frater tuus: quo dicto, euertit illud, quodcumque popoſceris*, &c. *non dixit, petam; quid ergo? reſurget frater tuus. nam ſi dixiſſet: O mulier, ſenſu humi adhuc ſerpis, non indigeo externo præſidio, ex me ipſo omnia facio. duriùs in mulierculam inſurgere, videri potuiſſet: cùm autem dicit, reſurget frater tuus, ſermonem quadam lenitate, & moderatione temperat.* verbis vtitur vagis, quibus & Marthæ imbecillitas foueatur, & eiuſdem error mitiſſimè, diſſimulato increpationis genere tollatur.

713. Arguitur Iob ab vxore, & ſtolidæ cuiuſdam notatur ſimplicitatis, prouocatur ad blaſphemiam, déque ſpe quadam inaniter collocata deridetur, *Iob* 2. *num.* 9. quis ſumma eum aſperitate, ſic effrenem excipiendam linguam, non exiſtimaret? quis ſeueriſſimam, turpiſſimi ſuaſus reprehenſionem, putaret immoderatam? Audi tamen quid ille: *Quaſi vna*, inquit, *de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus*, ibidem num. 10. Aliud erat, & longè grauius, illam ſtultam appellare: aliud eius ſermones quaſi de ſtultarum ore prolatos dicere. hoc maluit, vt temperata proficeret reprehenſione, q. d. tu aliàs prudens, quid ſtultarum verba imitaris? D. Baſilius hîc in catena Græca. *Vidiſtin'*, inquit, *moderatam pœnam & flagra, quæ ad ſanandum morbum poſſunt eſſe ſatis? haud dixit, ſtulta es, atque amens; ſed quid? quaſi vna ſtultarum locuta es, id eſt, nihil te, nihil inſtitutione diſciplináque meâ dignum attuliſti. deinde poſt obiurgationem, conſilium rurſus vſurpat, cùm plenum rationis ſit, & ad vxoris animum leniendum haud mediocriter valet.* Obiicit ergo ſtultitiam vt alienam, vt propriæ prudentiæ non habitæ pro dignitate, pudor ſubeat; quia dum res patitur, imprudentia eſt reprehenſoris non tam tenere medium, quàm ſequi extrema.

714. Lapidatur Stephanus, & conſtantia illa ſtans ſemper, nuſquam firmior, quam dum cadit ingenua, probatur. *poſitis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*, Act. 7. num. 60. quæ vox, vt communis eſt apud PP. opinatio, Paulo ſalutis auxilia, ad miram eius conuerſionem impetrauit: itaque Paulum orbis doctorem, Eccleſiæ precabundus lucratus Stephanus; huic tantum beneficium debetur. quid maius humanis precibus & precabundis votis diuina miſericordia tunc concederet? certè nihil. cur ergo quod nec Petro, nec cæteris datur Diſcipulis, id vni Stephano concedendum? Dicam quid putem. Solent Reges ſummo aliquo & inuſitato honore afficere amicum, (quem etiam intimioribus denegarunt) ſi quando eius fama falſo aliquo rumore periclitatur, vt immenſo inopinati honoris pondere rumor ille importunus obruatur. duriſſimus reprehenſor, ſeueriſſimus corrector ex toto illo capite poterat videri Stephanus, dum Scribas & Pharisæos, duræ ceruicis homines, legis violatores, occiſores Prophetarum, ac denique Deicidas appellauit: poteratque eius fama venire in diſcrimen, ne ab Spiritu diuino & ſuauiſſimo aliena, ſic inſuauis reprehenſio videretur: quam Chriſtus vt calumniam auertat, illum honora conceſſi Pauli afficit, vt falſus ille tumor ſic raueſceret. fallor, aut id voluit D. Fulgentius *in homil. D. Stephani*, quæ in homiliario Alcuini habetur. *Ipſa*, inquit, *ſancta, & indefeſſa charitas deſiderabat orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere*, &c. *ipſa ſancta charitas firmam ſeruauit in orando patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione cenſuram, & idre in oratione audiri meruit lenitas, quia ſine charitate non fuit in correptione ſeueritas*, &c. *indicio ſanctæ orationis oſtendit, increpationem illam non fuiſſe odij, ſed amoris.* quaſi ſic neceſſaria ſit, in ſancta reprehenſione, lenitas, vt ſi quando pro rerum circunſtantiâ, res aliter euenerit, decoro aliquo præbiti honoris portento, ſit aſſerenda.

715. Hoc ſpiritu creuit ipſe Paulus, ideoque ad Timotheum, *Prædica*, inquit, *verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*, 2. Timoth. 4. num. 2. quæ verba grauiter ſic extollit D. Proſper Aquitan. lib. 2. de vita cont. cap. 5. *Eccleſia doctoribus, ſicut ſuprà iam diximus, & cenſura ineſſe debet, vt arguant, & patientia, vt emendari nolentes fortiter ferant, Apoſtolico ſatiſfacientes imperio, qui Timotheo præcipit, dicens: Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. quaſi diceret, argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa iuniores: ſed propterea addit, in omni patientiâ & doctrinâ; quia leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti: aſperitate autem nimia increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.* quàm prudens correctionis diſtributio? qua æqualitas, de ſimilitudinis fiduciâ arguitur: ſenectus, de excellentiæ veneratione obſecratur, iuuentus de ſuperioritatis licentiâ increpatur: ita tamen vt in omnibus, medicinæ ſalus, de admixta lenitate

capiatur. Aptiſſimum ad hanc rem Chryſoſtom. exemplum ad cap. 12. Hebr. hom. 30. *Multâ*, inquit, *lenitate opus habet qui corripit, vt qui corripitur, æquanimiter toleret ſectionem. non videtis medicos, quando vrunt, vel ſecant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? multo amplius corripientes oportet hoc agere: etenim correptio & igne & ferro vehementius operatur, & reſilire facit eos, quibus effertur. hac circa ægrum etiam medici plurimum ſtudent, quatenus poſſint ægrum facere ſectionem æquanimiter tolerare. & quantum poſſunt leniter agunt, & aliquantulum requieſcentes ægrum faciunt recreari.* Sic ergo reprehende, vt medicum ſecando agas, non carnificem: acuit ferrum carnifex, acuit & medicus: ille vt ſæuius laniet, at iſte vt feriat ſubtiliùs.

716. Non crudele ſanè, ſed medicum inſtrumentum putarem ego illud Chriſti Domini, de quo Ioannes, *& habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius, ſicut ſol lucet in virtute*, Apocal. 1. num. 16. Vndecumque ſpirat Deus vitam, qui vndique eſſentialiter vita eſt: neſcio tamen quid in ore eius præcipuè viuificum denotatur, cuius flatu accepit homo vitæ inſpiraculum, & factus eſt Adam in animam viuentem: bene ergo ex ore procedit gladius, vt inter ipſa vulnera vitam redoleat: inde feriens, hinc ferens medicinam. Pius medicus quando acrius pungit, tunc vehementiori halitu fomenta miniſtrat, & Chriſtus quando in gladium verba acuit, ſimul os blandum adhibet in fomenta ſuauiora.

717. Iam inde minus paradoxica videbitur explicatio myſtica Stephani Cantuar. apud Godefr. ad illud de Dauide ad pugnam ſe parante. *& elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem*, 1. Reg. 17. num. 40. de quo ita ſcribit. *Torrens eſt fluxus ſæculi, aqua enim torrentis turbida eſt, & luti plena: ſic delitiæ mundi turbidæ & peccato plenæ. Lapis, eſt dura increpatio. de torrente eligit lapides, quia prælatus debet ſumere de mundo materiam increpationis*, &c. *& miſit in peram, id eſt, vas, in quo lac mulgetur. lac ſuaue eſt, pera ergo ſuauem exhortationem deſignat.* deme guſtus præſentis, & maximè Hiſpani, indolem allegorias nauſeantem, & non poterit Stephani cogitatum, pulchrum non habere ergo, ſi fieri poſſet, inter lactis teneritudinem, lapides molleſcerent: tu ergo ſi giganteum aliquem proximi tui defectum vis debellatum (quandoquidem quot reprehenſionis verba fundis, tot fundâ torare lapides videris:) ſic molleſcant, vt effuſus ſanguis de ſuperfuſo lacte, non ampliùs horreatur.

§. III.

Et pœna ipſa, paterna etiam, ſapiat pietatem.

718. ET vide in hac ipſa reprehenſione, quomodo inuenta pœna ſapiat pietatem: neque enim ob ſui ignorantiam, violenter extruſa, & eiecta dicitur puella: ſed egreſſura tantùm, & abitura. quaſi ipſe Chriſtus, qui non ſolùm ſponſus, ſed & pater erat, (vnde ipſa vocatur infrà cap. 7. *filia principis*) non tam lubens videretur pœnam exercere, quàm ipſa anima ratione iuſtitiæ conuicta, eamdem exequi, vt inſtituantur ſuperiores, qui paternis erga ſubditos ſe gerere debent viſceribus: ſic ob delicta pœnas irrogare, vt à patribus aliàs amantiſſimis procedere iudicentur. huc tendebat, quod nemo neſcit vinum illud & oleum Euangelici Samaritani, de quo bene D. Anton. de Padua *in ſerm. de Transfigur.* expendens cur Chriſtus Dominus transfigurandus, hinc mitiſſimum Moyſem, inde Heliam auſteriſſimum ſecum exhiberet, Matth. 17. *Moyſes*, inquit, *& Helias, id eſt, manſuetudo miſericordiæ, & Zelus iuſtitiæ? cum viro iuſto, in monte conuerſationis ſanctæ transfigurato debent apparere, vt tamquam Samaritanus vulneribus infundat vinum & oleum, quatenus vini auſteritas, olei mollitiem exacerbet, & mollities olei, vini auſteritatem temperet.* hoc ergo in hoc loco, totidem, quot ſuperiùs, percurramus.

719. Et quidem ad illam Medici ſimilitudinem, quam ſuprà ponderaui, eſt pulcher locus ille Ieremiæ, *Ecce ego*, inquit Deus, *conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*, cap. 1. num. 10. conſtituebatur vt ſalutem ferret, & tamen in dura euulſione, & euerſione iacit fundamenta, eo ſed modo, vt ipſa euerſio & conuulſio ſurgat in ædificationem, & in plantationem reuireſcat: ſic Medicus ſcindit putrida, vt ſana ſuccedant. Theodorus Ancyranus *in homil. Ioan. Euang.* apud Concil. Epheſ. *Eſt hæc*, inquit, *curandi ratio, non crudelitas, ſed ſalubris, & neceſſaria medicina. ſanè medicus flens interdum, membrum præſcindit: verum dum ſectioni non parcit, ſanitatem inducit*, &c. *obtinet ſacerdos gladium, non vt lædat, ſed vt medelam afferat. atque hoc ipſum ſuperna gratia inſinuans quondam, Ieremiam ſic affatur, Conſtitui hodie te*, &c. *neque enim commodè pietas inſeri poteſt, niſi malitia antè fuerit extirpata.* Fac ergo, vt quot ſanguinis guttas exigis punitor, tot fontes lacrimarum fundas pater.

720. *Charitas in expellendis incorrigibilibus.* Pater priùs nutu leniter totuo, filiorum notat defectus, inde verba, ſuaui miſcet aſperitate: hæc ſi non proſint, tandem contra obſtinatos prodit coactus ad verbera: tu Prælate niſi hoc tenore procedas, non tam paterni medicum pectoris, quàm diri cordis carnificem te oſtentas. ſint baſis locorum, quæ iam dabo, verba grauiſſima D. Proſperi libro ſuprà citato cap. 7. *Cùm verò nobis fratres quilibet peccata ſua tamquam medicis vulnera aperiunt, operam dare debemus, vt quàm citò ad ſanitatem Deo auctore perueniant, ne in peius diſſimulata curatione proficiant. ea autem crimina quorumlibet (ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus) vndecumque claruerint, non fuerint patientia leni medicamento ſanata, velut igne quodam pia increpationis vrenda ſunt, & curanda. quòd ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis ac piè increpantis medela profecerit, in eis, qui diu portati ac ſalubriter obiurgati corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi. nam ſicut caro morbo emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis, putredinis ſuæ contagione corrumpit: ita iſti, qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis, in Sanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiunt.* Didicit abſque dubio ex his verbis Patriarcha noſter D. Ignatius, qua arte Societatis alumni eſſent corrigendi, vt tot tantaque charitatis cuiuſdam patientis indicia erga fragiles, pœnam expulſionis extremam rebellibus indictam, de paternis ortam etiam viſceribus comprobarent.

721. Dices: tam ſæuum durumque pœnæ genus, quale eſt de Sanctorum, de Ieſu ſocietate aliquem expellere: qua ratione, de charitatis viſceribus prouenire, credendum veniet? quis putet pietatis eſſe paternæ, filios de nido deturbare? reſpondeo, aſſertam planè hanc doctrinam naturâ ipsâ implumes

plumes pullos cogit aquila aduerſos Solis radios intueri, & ſi quem conniuentem, humectantémque animaduertit, præcipitat è nido veluti adulterinum, ac degenerem, neo tamen aquilam impietatis (niſi ipſam naturam incuſes) poteris accuſare. Maius eſt in præſenti hoc noſtro loco ab ipſo auctore naturæ ſponſam dimiſſionis minis, (& certè niſi corrigeretur dimittendam) amiſſo tanti thalami conſortio, cernere caſtigatam. Datur ergo meritò pœna iſta, & quidem extrema; ſed ita datur, vt dum punientem afficit, de paterno pectore, dolore, non violet, erga punitum, charitatem.

722. Vniuerſam penè tribum Benjamin deleuerat ad interneccionem vſque Iſraël, ob ſcelus quod Benjamitæ commiſerant nefarium: vrbes eorum ferro flammáque vaſtarat, & quando conuenturi victores videbantur, vt Deo cuius iuſſu pugnarant, ferrent gratias; addit textus: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam, leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes: Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis*, Iudic. 21. n. 1. choros caſtrorum exultantes, hilares hymnos ſperares: & fletus audis, percipis vlulatus. nam rationabiliter extremum ſupplicium importantes, miſeriam nihilominus occiſorum piiſſimè dolebant. Bene Stephanus Cantuar. hic apud Godefr. *Ecce*, inquit, *iſti lugent filios Benjamin, quos coacti erant punire: ſic Prælatus etiam quos punit, lugere debet*; quia nouit eadem ratio ſanguinem ſontis fundere, & pietatis fletus ſuperfundere, vt beneuola quâdam violentiâ, non volenti quodam furore in extremam ferri pœnam intelligatur.

723. Iacebat flammarum pabulum, tartari mancipium diues auarus: aſpicit in ſinu vtcumque beato, diuini imperij proregem Abrahamum, & exclamat miſer: *Pater Abraham, miſerere mei*, Luc. 16. n. 24. quid tunc ſanctiſſimus Patriarcha, & de iudicij maieſtate vice-Deus? *Fili*, inquit, *recordare, quia recepiſti bona in vita tua*, n. 25. & vnde tibi poterat ſanctiſſime Iudex eſſe filius, qui dæmonis ſeruitio æterno deſtinabatur? quod conſanguinitatis vinculum tam diſſitis liberalitatis, auaritiæque extrema copularet? vnde inhoſpitalia viſcera, hoſpitaliſſimo pectori iungebantur? reſpondet Chryſolog. ex ore ipſius Abrahami ſerm. 123. *Voco filium, vt intelligas iudicij eſſe quod pateris, non furoris: voco filium, vt in me mea patientiæ, in te tua maneat pœna.* Aſt quomodo ſi extrema pœna, duriſſimum ſupplicium manet filio, pater de patientiâ poteſt gloriari? Equidem poteſt, quia æquè patiens erat dum ad correctionem ſperauit, quàm dum vltimo affecit damno pertinacem, quia vtrimque maleuolentia exularat imperante magiſtrâ pietate: illic fuerat ſceleris diſſimulator, hic, ſceleſtiſſimi pater patitur appellari, ſcilicet ne furore præcipiti, ſed prudenti ratione, non raptus, ſed ductus in vltimum ſupplicium cognoſceretur.

724. Quærebat ad extremam pœnam Ioſue ſacrilegum diuini iuſſus violatorem: cuius de culpâ, infamia meius, inhoneſta fuga exercitum ſemper victorem turpiter inuaſerat. inuenit Acham manifeſtum culpæ reum, ſed tamen qualis culpæ, occultum adhuc: ad quem tunc Iudex: *Fili*, inquit, *da gloriam Domino Deo Iſraël, confitere, & indica mihi quid feceris, ne abſcondas*, Ioſ. 7. n. 19. Sed heus tu dux ſanctiſſime, ecquis hanc cauillantis cuiuſdam Iudicis technam non exiſtimet? filium vocas, blandulè & benignè pelliciens ad confeſſionem: quem confeſſum, ſeueriſſimæ pœnæ ſeruum deſtinabit? & ſyncerum credi ſermonem contendes? ſyncerus quidem erat, non eſt dubium: ſubdolus verò foret, ſi mitis inuitaret ad confeſſionem, & impatiens poſtea detruderet ad ſupplicium. Sed Ioſue ſanctiſſimus, eodem paterni affectus tenore ad vtrumque mouebatur: ſyncerè ergo vocat filium, ante pœnam, quem etiam in illâ, pietatis non violatæ officiis proſequebatur. Stephanus Cantuar. citatus ad hunc locum: *Eum*, inquit, *qui peccauerat, filium vocat, quia quem corrigendo punimus, vt amicum, non vt inimicum punire debemus: non libidine vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ.* quia ſic debet vindicta à zelo procedere, vt à pietate manans diſtillatur.

725. Hoc erat, quod intellectum volebat Deus apud Ieremiam: pende verba. *Viuo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, & dabo te in manu quærentium animam tuam*, cap. 22. num. 24. Iſtet emphaſis in verbo *euellendi*, quod proprium plantarum eſt ictis radicibus. Fac ergo ſentiret terra: certè nihil haberet durius ad cruciatum, quàm ſi illi ſimul cum plantarum radicibus viſcera euellerentur. Dolet ergo Deus dum euellitur illi aliquis ad pœnam, neque iuſtitiam fruſtrans, neque violans pietatem: ſed quidni pœna paternam ſapiat charitatem, ſi ſecum pariter paterna videtur viſcera euulſa reportare. Habes hunc affectum teneritimè deſcriptum à Valerio Maximo *lib. 2. cap. 1.* de Poſthumio filium ſuum, ob violatam, licet ſucceſſu proſpero, militarem diſciplinam, iugulante, verbis. *Tu Poſthumi Dictator, Aulum Poſthumium, quem ad generis penetraliumque ſacrorum ſucceſſionem propagandam genueras, cuius infantia blandimenta ſinu atque oſculis foueras, quem puerum litteris, quem iuuenem armis inſtruxeras, ſanctum, fortem, amantem tui pariter, ac patriæ; quia non tuo iuſſu, ſed ſua ſponte, præſidio egreſſus hoſtes fuderat, ſecuri percuti iuſſiſti, & ad hoc imperium peragendum paterna vocis imperio ſufficere valuiſti: nam oculos tuos, certum ſcio, clariſſima in luce tenebris offuſos, ingens opus animi intueri nequiuiſſe.* Neque mirum, majorem enim fundebat pater vim lachrymarum è pietatis fonte, quàm ſanguinis filius è corpore detruncato. Sed de hoc loco, diuiniſque viſceribus, in alio meorum tomo plures paginas, neque fortaſſe rancidas adimplebo.

726. Iam hinc videbis, cur luſit ille Salomoneus, baſes leonibus ſimul & bouibus inſculptas exhiberet: *& ipſum opus baſium interraſile erat, & ſculptura inter iuncturas, & inter coronulas, & plectas, leones & boues*, 3. Reg. 7. n. 28. Quid enim ſæuitiæ leoninæ, & bouinæ manſuetudini commune? quid inter iubarum horrores, & collorum aratra trahentium lenitatem, ſimilitudinis intercedit? quid carniuorarum beſtiarum immanes paſtus, ad manſuetorum animalium fœnum innocens? Reſpondet aptè Auctor Cantic. ſine titulo, hic apud Godefr. de Prælatis, qui luteris inſtar cryſtallini, ni fallor, ſubditos emundant. *Habent*, inquit, *leones, cùm peccantes qui ſibi commiſſi ſunt, liberè redarguunt, & caſtigant: habent etiam boues cum leonibus, quia in ipſa correctione, ſpiritum manſuetudinis non amittunt.* Sed de præſenti notatione, dicta ſufficiant.

Equitatu

VERS 9. Equitatui meo.

§. I.

Iustus, virtute pulcherrimus, pulchritudine potentißimus.

727. PRobaui in drammate ab equâ pulchrâ pariter & forti, desumi in hoc loco commendandæ sponsæ comparationem. nec immeritò : est enim anima iusta virtutibus apud Deum pulcherrima, & in ipsâ pulchritudine potentissima. de hoc Propheta : *Audi*, inquit, *filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum*, Psalm. 44. num. 11. Polysyndeton est, & ipsa coniunctionum concertatio, in omnibus videtur propositionibus explendi decoris caussam exhibere. q. d. audi, & concupiscet, vide, & concupiscet, &c. Sed certè visio ista, & auditio, inclinatioque auris ad Regem, plus animam in diuini Regis amorem accensura, quàm econtra videbatur : audiret enim dulcissima ab ore verba pulcherrimo, & videret decorem maximopere appetendum. quid ergo ? dixerim, in vltimis verbis identicè, sed clariùs priora explicari: neque esse aliud audire, videre, inclinari, quàm decorem suum ostentare, qui regios affectus captiuaret, & certè ita est. Diogo Ostiens. lib. de sacr. Dom. pass. *Egredere*, inquit, *de terra carnis tuæ, & de cognatione matris tuæ, & de domo, id est, memoria patris tui : pater tuus Amorrhæus est, & mater tua Chananæa. huius patris obliuiscere, & tunc concupiscet rex decorem tuum : decor magnus est si audis, & vides, & inclinas aurem tuam : audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem. hic decor, hæc omnis gloria ab intus est in fimbriis aureis : hunc decorem tuum rex mansuetus concupiscet.* vt iam faciem, in quam desiderant Angeli conspicere, conspiciens animæ pulchritudinem, suauissimâ violentiâ rapiatur.

728. Nec immeritò : ideo enim Christus *ibidem n. 3.* signatissimè dicitur, *speciosus formâ præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis.* vt dum statim tam pulcher sponsus, capiendus animæ decore describitur, non possit decor iste non putari penè diuinus, qui diuinæ pulchritudini approbatur. Esto exemplum illud Statij de Venere, perpulchro Imperatori, pulcherrimam etiam nuptam exquirente : ergo in Coma Ear. ita.

Norat cælestis oculos ducis, ipsaque tædas
Iunxerat, & plenâ dederat connubia dextrâ.

quia non poterat tantus princeps, cælestis dux, nisi cælestem approbare pulchritudinem. D. Ambros. *lib. 1. de virginibus*, ad hunc locum, illas graphicè nuptis præponens. *Primum enim*, inquit, *quod nuptura præ cæteris concupiscunt, vt sponsi decore se iactent : eo necesse est, impares sacris se fateantur esse virginibus, quibus solis contigit dicere, Speciosus formâ præ filiis hominum*, &c. *astitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, varietate circumamicta virtutum.* deinde post multa & illa elegantissima de regno, deque auro virginum Deo dicatarum, pulcherrimè ad rem meam, illarum pulchritudinem sic commendat. *Pulchritudinem verò quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dicatur Domino, consecratur Deo : semper sponsa, semper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor.* placet itaque speciosissimo sponso, quia & ipsa speciosissima.

729. Sed quoniam totus hic Psalmus, cuiuis iustorum, à quibusdam accommodatur, postquam relictis vitiis, virtutem sequitur : assequamur, si possumus, energiam illorum verborum eiusdem n. 4. *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime : specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna.* quantum in his verbis noui, quantum miraculi ! si iustus tamquam Mars saeuit in armis: cur tamquam pulcellos cupido effingitur ? si parauit gladium, cur pulchritudini victoriæ gloria, expeditionis prosperitas assignatur ? visus respondere D. Laurentius Nouar. *homil. de pœnit.* loco satis etiro, sed ad rem meam altiùs expendendo. *Quis*, inquit, *iste gladius ? ipse dicit, specie tua, & pulchritudine tua. & quæ est ista species, quam virtus animi, & in eâ plena pœnitudo, quæ vero est pulchritudo, quam lachrymæ oculorum, & largitas eleemosynæ ?* vt iam de virtute sit iustus, pulcherrimus, de pulchritudine armatus & victor intelligatur. indidem potentissimus, vnde speciosissimus : singulæque lachrymæ ad ornatum sint gemmæ pretiosæ, & ferreæ veluti glandes ad conflictum.

730. At contra quem, inquis, pergit sic potens, sic armata pulchritudo ? mirum dictu ! contra Deum, &, quod maius est, eiusdem belli cupidum : ipse tem fatetur animam iustam alloquutus : *pulchra es amica mea, suauis, & decora, terribilis vt castrorum acies ordinata*, Cant. 6. num. 3. scilicet ipsa pulchritudo virtutis hostilis erat acies, Deo pijssimè & suauissimè expugnando. ex Hebræo & Græco emphaticoteros legitur, *pauor vt vexillata* : vt non solùm pauenda, sed etiam ipsemet pauor videretur. Sed cur potius *vexillata* acies, quàm armatæ, quàm instructæ, aut quauis alia ratione incedentes dicuntur ? Attende. imperfectior adhuc hæc ipsa anima, dicebat de Christo Domino cap. 2. *Ordinauit in me charitatem*, vbi ex Hebræo legitur, *vexillum eius super me charitas.* quia tamquam in loco iam victo, & sagittis amoris expugnato, vexillum suum victor Christus fixerat in eius corde. An ergo nunciam perfectior, tantum vexilla sua gestare dicatur, vt in expugnato sibi Christo, illa collocaret vicissim ? tu videto.

Amor hominis ipsum Deum piè expugnat.

731. Ego saltem non temerè id præsumo ; addit enim statim ille *auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, Cant. 6. num. 4. Vatabl. legit, *quia ipsi vincunt me, vel fortiores me sunt.* non quidem fugiebat tam dulcia vulnera Deus, sed armatam inermis pulchritudinis vim sic explicabat : non fugiebat quidem vinci, qui, quod piè ab anima vincitur, gloriatur. Idem Vatabl. non iam in notis, sed in suo textu vertit, *deflecte oculos tuos, qui me superbiorem faciunt.* Non, vt reliqui explicant, quod nostro loquendi modo Deus amatoris instar superbiat, de tam pulchrâ dilectâ sortienda : sed, quia, (ni ego fallor) extrema amoris teneritudine, ipsum vinci ab anima, sibimet gloriosum piissimè iactabundus & superbus attestatur : vincitur itaque Deus, & vinci gaudet superbiens de potentissima virtute dilectæ, vberiori longè, sed vero affectu, quàm fuit fabulosus ille Atalantæ Schœneicæ erga Hyppomenem suum, de quo Ouid. 10. *Metam.*

Talia dicenti molli Schœneia vultu
Aspicit, & dubitat superari, an vincere malit.

in hoc enim loco Christus non dubitat superari, sed gratulatur.

732. Sed quid mirum, *si fortis est vt mors dilectio*; Cant 8. num. 6. vt ipse Christus fatetur ? puto, quia ipsemet vt dilectionis pulchritudine siueretur, morti se tradere minimè dubitauit. Audi verba

super

superbientis Atalantæ, cuius res, ni sis barbarus, non ignoras:

—nec sum potienda, nisi (inquit)
Victa prius cursu: pedibus contendite mecum,
Præmia veloci coniux, thalamique dabuntur.
Mors pretium tardis: ea lex certaminis esto.
Illa quidem immitis, sed tanta præstantia formæ,

Certè summa potentia formæ pulchræ, dura mortis discrimina facilitare. Potentior tamen dilectio, seu virtus amantis, & inde pulchræ animæ, qua vt fruatur Deus, sine crimine, non discrimen solum, sed ipsam mortem subiit: nonne ergo fortis sicut mors, dilectio? D. Iustus Orgelit. hic. *In tantum,* inquit, *dilexi te, vt mori voluerim pro te: hæc erat fortitudo amoris, acerbitas mortis.* Aliud tamen est, vt dixi, quod cogito, non solùm dilectio Christi erga animam fortis vt mortem imponeret, sed & dilectio animæ erga Christum, quam dilectionem ille summopere affectabat, sic fortis erat, vt morti destinaret ambientem. Quæris vnde tanta Deo illata vis? *tanta est potentia formæ.* Perpulchra est anima diligens, formosa virtus, sic nescit illi Deus manus non dare.

733. Ratio, ni fallor, vnde tam pulchra & potens ista charitas, illa est, quia quodammodo Deo ipso vestitur, qui charitas est, & charitas appellatur: tunc quam ab illo mutuatur pulchritudinem, eamdem in illum iaculatur, miro amoris artificio, ipso Christo in se ipsum (bono nostro, gloriæ suæ) arma exhibente. Sic capiendus VVerricus apud Godefr. ad illud *Ecclesiast. 24. num.* item 24. vbi Maria asserit. *Ego mater pulchræ dilectionis.* de quo ille ita. *Pulchrè, & propriè dicta est pulchra dilectio, cùm charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo sit; quia virtus ista, ferè tota pulchritudo Ecclesiæ, sed & Sanctorum dilectio, ab amore hominum fuerat distinguenda, seu turpi, seu officiali, seu etiam naturali.* Sit ergo hæc virtus apud Deum vt mors fortis, quæ *pulchra* antonomasticè appellatur, & appelletur, sitque meritò talis, dicta pulchritudinis antonomasiâ, quæ Deum, supremum beatæ pulchritudinis apicem repræsentat, sumatque sibi diuinioris Narcisi nomen ipse Deus, quandoquidem immissæ à se pulcherrimæ imaginis (quæ in sponsa vt in speculari fonte lucet) specie captus, eàdem vt frueretur, vitam posuit. Sed de virtute pulcherrimè armatâ, infrà plenissimè.

Amor Dei erga hominum arma contra se videtur exhibere.

§. II.

Feruor prudentiá temperandus.

734. ET bene non solutæ à iugo, sed currui alligatæ equæ, anima comparatur, in curribus enim, iugales ne proruant, habenis frenantur. nunc lentiùs, nunc celeriùs gradiuntur. iam sistunt, iam pergunt: nunc demissis omnibus volant, nunc penitus cohibitis reprimuntur: præcipitaret illos quandoque furens cursus, nisi aurigantis ars ardentes cohiberet. sic virtutis feruore quandoque raperemur in præceps, nisi habenis prudentiæ cohiberemur.

735. Vocauit D. Nilus *homil. de ascens.* apud Phot. *cod.* 276. crucem Christi: *Clauum, siue temonem nauis, qua ad cœlestem nos portum fluctuantes ducit.* Clauum & temonem? & cur ita? morosiùs ad rem præsentem, caussam examinemus. Vitæ feruorem, & plenam iustorum sanctitatem in Cruce dominicâ significatam voluit Apostolus, quando dixit: *ego enim per legem mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci,* Galat. 2. num. 19. ad quem locum D. Anselmus, *id est, cum Christo affixus sum cruci, socius passionis Christi. hoc est, Crux Christi, extinguit in me ardorem peccati, ne iam in me vigeat, & ligat manus meas, ne ad illicitum opus extendantur, & pedes, ne ad malum gradiantur.* Sic quidquid sanctitatis erat in Apostolo, à cruce cui affigebatur, dependebat. ideo subdit statim: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* vbi non nimis grauiter Caietanus. *Hoc est,* inquit, *actiones vitales meæ, intelligere, cogitare, amare, delectari, tristari, cupere, operari: iam non sunt meæ, iam non procedunt à me, sed sunt Christi in me, sed procedunt à Christo in me: qui enim Christo crucifixus est, pro ratione omnium suarum actionum habet Christum, & ita Christus in eo regit, disponit, ac vtitur omnibus internis ac externis actionibus, vt Christus in eo viuere meritò dicatur.* quasi totus feruor præstantissimæ cuiusque sanctitatis, ex crucifixione oriatur, idemque sit crucem arripere, quàm perfectionem: ex his ergo caussa deducitur, quare crux ista, siue perfectionis feruor clauus appelletur. quemadmodum enim cætera nauis munera, nautarum cuiuis committuntur: at verò clauus & temo nonnisi prudentissimo, multa perpesso, omnia experto tradi solent de quo eleganter Claud. *in cons. Manlij.*

In cruce vera perfectio.

Ac velut excitus lentandis nauita tonsis,
Præficitur lateri custos, hinc ardua proræ
Temperat, & fluctus, tempestatesque futuras
Edocet: assiduo cum Doryda vicerit vsu,
Iam clauum, totamque subit torquere carinam,

alioqui enim nauis miserrimè pereat necesse est: sic etiam nisi feruor vitæ, & perfectionis studium summæ cuiusdam prudentiæ habenis temperetur, & instar claui soletter gubernetur: desinet in furorem, & metas transiliens debitas excurret in præcipitium.

736. Quid homini innatum magis, quid congruentius, quàm Dei absentiam suspirare, & tanti boni defectum ingemiscere? ductabat Hebræos Deus, tanto duce hilares, tanto patrono munitos: sed sistit paululum à ducatu, legem vocato Moysi traditurus. contristatur populus, dolet absentiam, Deum exoptat: quis ista incuset? Certè Deum exoptare, optimum est; pulcherrimum, illum sibi præsentem cupere: sed nisi id ratione temperetur, nisi condiatur prudentiâ, nisi debita temporis opportunitate efficiatur, in idololatriam vsque declinabit: sic euenit Hebræis, qui præsentiam Dei importunè extorquentes, repræsentatum vitulum abominabiliter coluerunt, clamantes: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* Exodi 32. num. 4. de quo D. Chrysol. serm. 209. *Obsequium,* inquit, *ratione calens feruor est: furor est, quod ratione non frænatur. hinc Iudaicus populus Deum dum sibi præter rationem quærit, Deum cui cum ratione seruiebat, amisit.* Sic impudenter seruiunt idolis, qui imprudenter Deo seruire, Deum quærere extra tempus præsumpserunt.

737. Hoc quidem erat illud quod Paulus Romanis suis præcipiebat cap. 12. num. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Omnes quippe oblatæ hostiæ conditiones, per rationem quodammodo sigillantur: nec oblatio aliqua, sine prudentiæ sale, grata diuino palato condiri potest. Idem Chrysol. ibidem *Quantum,* inquit, *placat obsequium quod ratione subnixum est, tantum quod rationem non habet, exacerbat: rationabile obsequium, quod non præ-*

sumptione

ſumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non ſimulatione fucatur. ita eſt: placet, & placat ratio & prudentia in quærendo, & in offerendo, & vtrumque imprudenter, obitum obit infauſtè.

738. Inuitat Sapiens ad amplexandam ſapientiam, & tanquam encomiorum eius coronidem, coronam dixerim, ſic concludit: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus,* Prou. 3. num. 18. Alludit ad lignum vitæ, in Geneſi tantopere commendatum. Sed hem! quis iam non formidet? quem non deterreat ardua inquiſitio? excubat pro foribus vigil Cherub, flammâ horribilis, gladio, & illo verſatili formidabilis, *Geneſ. 3. num. 24.* Ecquis ergo audeat accedere? certè is ſolus, qui prudenter inquiſitionem ſuam temperauerit: ideo enim è tot miniſtris, non Angeli, non virtutes, non Poteſtates, non Principatus, ſed Cherubim, id eſt, ſcientiæ plenitudines, cuſtodiendæ paradiſo deputantur: excubant non vigiles ſolùm, ſed etiam examinatores, vt quos viderint igneo virtutis feruore, feruidum igne gladium non pauentes, tunc ſolum vitali ſapidæ ſanctitatis ligno admittant, cùm etiam prudentiſſimos recognouerint: ne fit vt vnde vitam poſſent, mortem ſibi lamentabilem acquirant. Galfridus ad hunc locum. *Si lignum,* inquit, *vitæ eſt, qualiter apprehendetur, cùm Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, collocauerit Dominus ad cuſtodiendam viam? non deſperationem inferat, ſed deſiderium magis ingerat, ſuggerat conſilium hæc cuſtodia. Opus eſt diligentiâ, opus eſt prudentiâ: nemo ſimulatione, nemo temerè accedat ad lignum quod à Cherubim cuſtoditur, in quibus eſt plenitudo ſcientiæ.* pulchrè dictum.

739. Et quidem, niſi hallucinor, putarem ideo gladium *verſatilem* poni, non directum, vt non tam medios ferire, quàm è lateribus venientes ferire intelligatur: ne, dum audacem temeritatem importunè feruidus ſectaris, de dextrâ iniuſtè glorieris: aut iuſtè de ſiniſtrâ, ob ignauum timorem arguaris. Apta huc verba Philonis Iudæi *lib. quòd Deus ſit immut.* explicantis illud Numer. 20. n. 17. *Gradiemur viâ publicâ, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſeamus terminos tuos.* vbi ſic habet. *Nec ad dextram, nec ad ſiniſtram à regiâ viâ deflectendum eſt, ſed progrediendum per mediam. nam vtrumuis latus, & diuerticula ob nimietatem, defectumve, culpantur: hîc enim dextrum, non minus, quàm ſiniſtrum vituperatur, ſi quidem apud petulantes temeritas dextrum, timiditas ſiniſtrum obtinet.* mediâ ergo viâ prudenter feruor diſponendus: hîc enim etiam veriſſimum priſcum illud, *medio tutiſſimus ibis;* ne dum nimium eſſe iuſti videmur, per imprudentiam noſtram à nimiâ, & affectata altitudine deiiciamur.

740. *Salubre monitum de feruore prudentiâ temperando.* Prodit quidem è terra matre tenella planta, aërem petit, petat: nec hucvſque debitos naturæ terminos ſuperauit. quid ſi improbè cœlo obuia, aſtra inumbrare conetur, cælum cacumine ferire, verticem ſole ipſo coronare? obruetur imprudens, miſera pertruncabitur. ideo arbor illa Nabuchodonoſoris, virtutum ſeriem graphicè effigians, periit, quia è terris orta, cælum appetiuit imprudens, impudens impetiuit: *magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum,* Dan. 4. num. 8. bene Richardus Victor. hîc apud Godefr. de virtute (in hac arbore, expreſſa) locutus: *Vide,* inquit, *& diligenter attende, ne ſit fortè & nimia. hoc fortaſſe in hac deſcripta arbore reprehenſibile, & cauſſa ſucciſionis extitit, quòd altitudo eius nimia fuit.* Certè ipſe Rex *nimiam* faſſus, *num. 7.* viſus cauſſam cur ſuccideretur explicuiſſe; quia dum temere diſponit aſcenſiones, ad deſcenſus miſerrimè deponitur.

741. Quas de ſe, ſibi aſcenſiones non promiſerat ſcriba ille, qui Chriſto Domino dixerat, *Magiſter, ſequar te quocumque ieris?* Matth. 8. num. 18. & tamen abiicitur: imò ſi ſtamus Chryſologo, vulpium fouea, alitum nidus, id eſt, culparum conſcius declaratur, vt iam in eius corde Chriſtus, vbi reclinaret caput, non haberet. neque mirum, perfectionis quippe viam aggrediebatur imprudens, temerarius, & homunculus, Dei gradus non ſequi ſolùm, ſed conſequi præſumebat. Idem S. Doctor ſerm. 19. *Decipit, non accedit, qui promittit Dominum incautè ſequi: ſed ad omnia poſſe, quis promittit? dixiſſet cautiùs, ſequar te quocumque iuſſeris: humanitus certè, quocumque volueris, quocumque ieris. Sic dicit, qui inter ſe, & Deum, quid interſit, ignorat: ſic dicit, qui Chriſtum non intelligit Deum, ſed magiſtrum,* Solus autem hic eſt magiſter, quem diſcipuli conſequi numquam poterunt, aliud ſi imprudenter præſumant, perituri. *Petrus* (addit Chryſol.) *per mare ſequitur, ſed ſummergitur: ad paſſionem ſequitur, ſed negat, & ſi Petrus ſic deficit, ſic ſuccumbit ad pauca, iſte quis eſt, qui ſe ad omnia ſequi Dominum, ſic promittit.* Itaque, iam hic nulli admittitur miniſterio, qui intemperato feruore aggreſſurum temerè omnia eſſuriebat: neque perfectionis via vtiliter initur, niſi duce prudentia, auſpice conſilio. ideo ſanctiſſimus Patriarcha noſter Ignatius, in excellentiſſima illa epiſtola *de Obedient.* ſic ſcribit. *In cauſſis, perſonisque ſpiritualibus, eo maior etiam cautio proculdubio eſt neceſſaria, quo grauius eſt ſpiritualis vitæ periculum, cùm ſine frenis conſilij, diſcretioniſve, in ea decurritur.* ſic in hoc loco anima, non ſolutæ, ſed bene frænatæ equæ comparatur.

742. Ideo poſtea, tota feruida, charitate languens, amore colliqueſcens, declinantem iam Chriſtum anima eadem quæ ſitiuit: at inter tot ignes, inter tot deliquia, quis locus veſtibus, niſi præcisè neceſſariis? ſtola ſatis, & illa vix præcincta videretur, & tamen poſt decentem corporis habitum, velamen capitis ſumit, pallium non obliuiſcitur: vnde dixit, *tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum,* Cant. 5. num. 7. nimirum, quod ſecum attulerat: neque, ne pallio retardaretur, curauit, quæ abſque illo expeditior volitaret: mauult enim prudenter tardior inuenire dilectum, quàm imprudenter ocior præuenire. D. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 6. *Bene,* inquit, *quidem quaſi ſponſa veniebat cum pallio, quo obnuberet caput cùm ſponſo occurreret: ſicut Rebecca, quæ cognito quòd Iſaac veniret obuius, deſcendit de camelo, & pallio ſe operuit: ita & hæc anima nuptialis veſtis præmittebat inſignia, ne fortè reiiceretur quaſi veſtem non habens nuptialem: vel, vt caput velaret propter Angelos.* Nullus itaque feruor prohibeat prudentiæ circumſtantias circumſpicere: ſic Deum quæras auidè, vt tenorem quærendi prouidè, non prætereas.

743. Et quid mirum, ita prodeat, quæ paulo ante clariſſimum prudentiæ ſuæ prodiderat monumentum: *Surrexi,* inquit, *vt aperirem dilecto meo, manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ,* ibidem num. 5. cur enim ſi pleni ſunt, non tam fluunt, quàm deſtillant? cur non vbertim manant, ſed guttatim deſudant? certè, quia illa feruorem operum, ſemper diſcretionis prudentia temperabat. Gilibert. ſerm. 43. *Diſcretionis,* inquit, *ſignificatur ſublimitas, & vnctionis libertas, &c. digitos enim dicit, & plenos, diſtillabãt, & pleni ſunt,*

sunt, vicissitudinem habens, & non euacuationem: interpellantur ieiunia refectione, labores requie, vigilia somno: vicissitudo refectionem affert, non defectum. Ideo ergo semper pleni, quia prudenter stillant, non effundunt: nam si temerè fluerent, effluerent. Hæc via prudentiam exigit, & gradus pro temporis compositos dispositione. grauiter Seneca epist. 20. *Nec dico*, inquit, *sapientem semper vno iturum gradu, sed vnâ viâ.* Imò addam ego, nec semper vnâ viâ iri poterit, si semper vnus gradus corripiatur: exterminat quippe feruor nisi contermina prudentiâ muniatur.

744. Immortalitati se litaturos putarant Aaronis filij, si immortalem diuini altaris ignem vtcumque præstitissent, *Leuit.* 10. *n.* 1. sed tamen temerariæ celeritatis, celeriorem longè pœnas dederunt. Saul sacerdotij munere, vel saltem oblatis victimis, regiam sibi fulciendam crediderat maiestatem, 1. *Reg.* 15. *n.* 12. sed dum importuno feruore æstuat, frigescente Dei fauore euertitur. D. Chrysolog. *serm.* 109. de obsequio prudentiâ temperando. *Hinc filij Aaron, dum rationis sunt immemores, dum præsumunt terrenos ignes, diuinis ignibus admouere, flammam sacrificij salutaris, in pœnale sibi incendium commutarant. hinc Saul tremens* (ego legerem *fremens*, vel *tumens*) *regali vertice, dum putat sibi & de sacerdotio aliquid licere, regnum quod acceperat, altaris temerator amisit.* hæc ille, & statim eiusdem rei noua congerens argumenta, sic concludit. *Hinc Iudæus, dum legem, sine legis ratione excolit, legis interimit auctorem. Hinc Gentilis dum Deorum populis, & Deorum monstris nescius rationis obsequitur, ad Dei, qui vnus & verus est, peruenire non meruit seruitutem.* Sed plura, quæ huc concertant, sequentibus notationibus afferentur.

Vers. 10. Genæ turturis.

§. I.

Humilitas spiritualis turris pinnaculum, & fundamentum: columna basis simul, & peristylium: cœlestis philosophiæ principium per se notum.

745. ERubuit puella ad sponsi laudes sibi dictas, ideo genæ turtureæ, vt in dramate dixi, eidem assignantur, ipsoque pudibundo rubore (quasi se indignam putaret) humilitatem professa est: scilicet, non poterant tot aliæ virtutes, nisi tam certo humilitatis fundamento stabiliri: nec poterat necessaria carere humilitate, quæ de sic pulchris, fortibúsque virtutibus aliis, fuerat collaudata. Virtutes sanctorum suorum, ab incendio vitiorum liberaturus Deus, præcepit grassatori Angelo: *transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa tau super frontes virorum gementium,* Ezech. 9. n. 4. erat tau figurâ ipsâ crucis symbolum, vt nemo nescit: bene ergo crucis humilitas fronte præfertur, vt illi cæteræ innixæ virtutes flammas euitent, virides permaneant. Incognitus in Ps. 118. penè ad finem: *Humilitatis*, inquit, *professione liberari meremur: vnde in Ezechiele illi soli liberantur, in quorum frontibus tau signum reperitur. quia aliter humana conditio lapsa non recreatur, nisi eradicatis veteris viæ erroribus, frons in noua virtute humilitatis insigniatur.* In humilitate enim, licèt humanis oculis abiecta, virtutum aliarum gloria altiùs euecta sustentatur.

746. Prouentibus diuinis respondeant fideles, *monitus in Cantica.*

net Paulus 1. Corinth. 3. at cur spirituali ædificio, Deum cui desudamus, non supposuit? cur solam diuinitatem non apposuit, sed Christum (quo Deitas, sed humilitatis habitu delitescens, significatur) tanquam solidum fundamentum declarauit? *fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus,* ibidem n. 11. putatem ita dictum, vt sic humilitatis ponderibus librata virtutum turris, & firmior, & securior nasceretur. Sic visus a locum intellexisse D. Cæsar. Arelat. homil. 18. *Qualibet*, inquit, *bona quis habeat, si vera humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter stare non poterit: fundamentum enim,* 1. Cor. &c. *duo enim ædificia, & duæ ciuitates à mundi initio construuntur: vnam ædificat Christus, alteram diabolus: vnam ædificat humilis, aliam superbus: vna humiliatur vt firmiter surgat, alia erigitur vt infeliciter cadat: in fabrica Christi, qui ædificantur, de imis leuantur ad summa: in fabrica verò diaboli, de summis ad ima præcipitantur.* Habet ergo turris diaboli in aëre fundamenta, deorsum fastigium mittens: et quæ chimæra monstrosior fingi potest?

Dæmonis monstrosa turris.

747. Penè totus Psalmus 118. est gratiarum quædam actio, qua Propheta de acceptis donis, & virtutibus Deo se subijcit, exhibet gratissimum: & tamen num. vlt. concludit: *Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.* Sed quorsum, inquis, hæc abiectio, post longam meritorum enarrationem? posuit credo basim, & fundamentum, sustentaculúmque quoddam firmissimum, vbi prædicta dona securè starent, firmiter inniterentur. Incognitus ibi. *Nota*, inquit, *quòd in vltimo versiculo huius magni Psalmi, Psalmista suum recolit errorem, qui tamen tot spiritualibus donis à Deo in isto Psalmo, se dotatum prædixit: hoc ideo facit, vt erroris recordatio humilitatem conseruet.* nimirum, quia sine illâ, dona reliqua conseruari non posse certò sciebat.

748. Hinc patet, cur humilitas pro virtutibus omnibus collectiuè sumptis supponere videatur. Pergit sanctificator mundi, quique illum in Spiritu sancto erat baptizaturus, pergit, inquam, à Ioanne baptizandus. pauet Ioannes diuinam humilitatem, cui tunc Christus: *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam,* Matth. 3. n. 15. de quo ita D. Bernard. in declam. *Ipse Saluator dum Baptistæ manibus celsum illum verticem inclinaret: sic, inquit, decet nos implere omnem iustitiam, solam nimirum humilitatem iustitiam reputans.* Immo, omnem iustitiam & virtutem, addam ego: quia meritò pro omnibus supponit ea, sine qua cæteræ consistere non possunt.

749. Superbiam filiarum Sion, explicaturus, imò ploraturus Isaias: *Eleuatæ*, inquit, *sunt, & ambulauerunt extento collo,* cap. 3. quia in erecto collo superbia domicilium collocarat. ex quibus meritò addubitat Rupertus lib. 3. quónam vergant verba illa sponsi, ad sponsam: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea,* Cant. 4. num. item 4. cur enim turritum, id est, erectum, & superbè extentum collum, in laudem sanctitatis assumatur? sed respondet aptè non turrim Dauid manufactam, sed mysticam aliam longè fortiorem, hîc intelligi: humilitatem scilicet eius, qua cùm esset rex vnctus, mortuum se canem, & pulicem, Saulis comparatione appellabat, quasi ex hac humilitatis turri hostes suos Dauid triumpharet: deinde ad rem meam, sic concludit. *Turris ista ædificata est cum propugnaculis: id est, hanc eius humilitatem cæteræ virtutes consecutæ*

 sunt:

sunt: maximeque fortitudo, & sapientia. quasi aliæ consistere non possent, nisi humilitatis soliditate fundarentur. ideo D. Bernard. *lib. 5. de consid. ad finem*, de secunda specie contemplationis, quam, inruetti iudicia Dei supponit, sic scribit: *quæ sanè pauido affectu, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem seruat, virtutum siquidem, bonum & stabile fundamentum humilitas: nempe si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina.* & eo, addam ego, lamentabilior, quo virtutes fuerint maiores: sicut deficiente fundamento, eo maiori cum strepitu ruit ædificium ruinam, quo erat sublimior, & illustrior machina, quæ erigebatur.

750. Conuocant lætabundi Angeli, pastores ad præsepium, signum assignant inueniendi thesauri, viles pannos: *inuenietis infantem pannis inuolutum*, Luc. 2. num. 12 quis non festinaret? volant pastores, accedunt, *& inueniunt*, inquit textus, *Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* ibidem num. 16. de quo Bernard. serm. 4. *Quid est*, inquit, *quòd sola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola a pastoribus inueniri? fortè specialius commendat Angelus humilitatem. quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse humilitate stetisset.* & meritò, licèt multi inueniantur, solius de pannorum vilitate humilitatis meminit, vt cuius ipse fundamento, cæteras virtutes sustentauit, fundamentum idem prius quærendum pastoribus doceret. Apertior secunda ratio Bernardi: *aut propterea*, subiungit ille, *certè cælitus annunciatur humilitas, quod hæc quasi propria virtus diuina exhibenda sit maiestati, sola tamen non potuit inueniri, quia semper gratia datur humilibus; inuenerunt ergo Mariam & infantem, & Ioseph, sicut enim Saluatoris infantia manifestam prætendit humilitatem sic per virginem continentia: iustitia, per Ioseph virum iustum*, &c. *non incongruè designatur* vt quemadmodum humilitas in præsepio pueri sola prolata, non sola inuenitur, sed tamquam gratiæ exactrix, reliquarum virtutum basis, imò caput reperitur: sic in cuiusuis animâ, vna humilitas pro reliquis, quas sustinet virtutes, intelligatur.

751. Patet id in publicano euangelico, cuius tota iustificatio humilitati attribuitur, *Luc.* 18. cùm tameo certum sit, alias necessariò ibi virtutes, fidem, spem, dolorem confluxisse sed quòd vnâ basi posità, cæteræ intelligantur; vnius homilis confessionis, & confusionis tantum Lucas meminit. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. licèt minus expresse: *Pharisæus*, inquit, *cùm abstinens & parcus esset alieni; liberalis sui, non refugus ieiunij, vt ipse dicebat: tamen propter iactantiam, etiam illa qua habere poterat amisit: nihil ei tot genera virtutum vno vitio decolorata prodesse potuerunt. Publicanus qui nihil numerare poterat, quod posset probari: propter humilitatem tamen iustificatus magis, quam ille Pharisæus descendit à templo.* Sic per superbiam omnes dotes amittuntur, quæ conciliatæ per humilitatem cognoscuntur; neque mirum, vt enim bene idem Ambros. paulo antè: *Humilitas virtutum omnium caput est: qua totum velut quoddam nostrorum actuum fouet corpus.* scilicet in spirituali columna, nunc caput est & peristylium, quatenus ornat: nunc basis & firmamentum, quatenus sustentat.

752. Hinc meritò Angelorum regina enarratura consanguineæ Elisabeth, magna illa dona, quæ omnipotens in illa collocarat, Luc. 1. num. 49. præmisit numero antecedenti, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: quoniam quemadmodum prudens architectus, auctore ipso Christo, solidum scrutatur fundamentum, turri securissimæ erigendæ: sic & ipse Deus, spiritualem turrim erecturus, in humilitatem Mariæ, tamquam in accommodatissimum locum oculos coniecit, vt quo esset hæc maior, eo firmior illa permaneret: hic rem explicare visus August. in eat. ad hunc locum. *O vera*, inquit, *humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cales innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas liberauit. facta est Maria humilitas scala cælestis, per quam Deus descendit in terras: quid enim est dicere, respexit, nisi approbauit?* nimirum approbauit situm humilem; quidni ergo tot donorum propugnaculum erigeret? ideo Giliberi *serm.* 36. collum sponsæ humilitatis turri adaptans, post multa sic concludit: *Humilitas ipsa, sumptus necessarios subministrat ad ædificationem euangelicæ turris: nec verendum est, ne sponsæ sumptus desint, quot abundanter de sponsi potest arcâ mutuari: discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. nondum intelligis, qua ratione sumptus humilitas præstet in ædificationem turris? qui se, inquit, humiliat, exaltabitur.* felices sumptus, quibus tam certum, tam durabile lucrum reportatur? & fortasse ideo Maria subiunxit, *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*: vt illi præ inopia ab opere perfectionis destitisse, hi largis humilitatis sumptibus erigendæ turri sufficere viderentur.

753. Sed quid de humilitate de suâ, Maria præsumpsisse præsumenda? planè præsumpsit humiliter, non assumpsit superbè; cùm sciret etiam fundamentum illud, vt à caussa præcipua, à Deo iactum: quo præposito, sperare illi ponenda maiora, aut posita agnoscere; fidei pompa ast, & Dei beneficii gloriæ professio. Increparat sponsam solito seuiùs cælestis Salomon, ignorantis notâ insimulat, & à se digressuram non dissimulat: *si ignoras te, egredere*, Cant. 1. num. 8. Quid illa tamen? ad humilitatem (quàm omnes ferè PP. in nardo intelligunt) confugit: hac persistente, & sperat eumulum sibi reddendum gratiarum, & è paterno sinu, in sinum suum sponsum redituum: *dum esset*, inquit, *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, ibidem num. 12 de quo D. Bernard post multa *serm.* 43. ita habet: *Non se putat arcendam sponsi gratiâ, penuria meritorum, sola de humilitate præsumens: Regem denique nominat. nam sponsum, territa de increpatione non audet, & in alto habitare fatetur: nec sic tamen diffidit humilitas.* quia quæ optimum à Deo acceperat fundamentum, quidni eiusdem oculos, cælesti erigendo ædificio humili præsumptione speraret?

754. Fortasse nouerat ista Dauid, ideo *Psalm.* 118. ita ad Deum: *Vide humilitatem meam, & eripe me*, num. 153. vnde D. Ambros. licèt latissimè ostendat hæc verba, de abiectione status, ad quam per afflictiones redactus est Propheta, esse capienda: tamen in ipso statim principio, & de humilitatis virtute capiantur, sic interpretatur. *Fortasse dicat aliquis gloriatur de se Propheta & gloriatur, gloriatur in infirmitatibus suis: in quibus & Apostolus gloriatur, dicens: Gloriabor in infirmitatibus meis, alius in diuitiis, alius in titulis ac prosapia sua, alius in administrationibus & honoribus gloriatur. Iustus in humilitate gloriatur, bona enim gloria, Christo esse subiectum.* præbitam ergo sibi à Deo humilitatem, tamquam nouarum gratiarum conciliatricem offert Propheta, & hanc gloriam, nouis gloriis supponit fundamentum. Bene D. Chrysost. homil. 66. in Matth. cap. 21. *Humilitas*, inquit, *ea, quæ nobis adsunt*

sunt bona, conseruat, & quanon habemus; facilè addicit.

755. Cùm primùm per excellentiam Verbum incarnatum aperto ore *Matth.* 5. suos dicitur docuisse, sic incepit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, num. 2. cur autem inde incipiat, & ab humilitate (hanc enim vt plurimum ibi PP. intelligunt) inchoet, aperit grauissimè Chrysost. *homil.* 15. in hunc locum; *Vnusquisque*, inquit, *humilitate supposita, tutissima cuncta alia superponit ædificans: hac verò subducta, etiamsi ad ipsum vsque cælum conuersationis sublimitate perueniat, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur.* quod millies in aliis locis etiam inculcat. imò quam hîc dixit basim, caput appellauit ibidem hom. 48. *Quod igitur*, inquit, *caput virtutis est? humilitas certè: quapropter ab ipsa incipit Christus, dicens. Beati pauperes spiritu*; quia, vt suprà dicebamus, eadem quâ basis firmat, quâ caput format. *Hoc caput*, addit S. Doctor, *& si nec cæsariem, nec crines habet, sic tamen pulchrum est, vt Deum ad se ipsum attrahat: ad quem enim aspiciam, ait, nisi ad mitem & quietum & humilem*, Isaac 66. hunc enim Deus respicit, in quo iam fundamentum erigendo spiritus ædificio gaudens supponit.

756. Penetrarat ista Apostolus, ideo identidem hanc virtutem commendat, & Philippensibus post alia præcipit, vt se fratres per humilitatem sibi inuicem superiores arbitrentur, cap. 2. n. 3. vbi Chrysost. *Papa*, inquit, *quàm plenum Philosophia dogma, omnisque salutis nostræ subsidium quoddam expressit?* vbi post multa concludit: *omnium quippe bonorum causa, est animi humilitas.* & iterum explicans illud *Matth.* 11. vbi Christus Dominus instituens discipulos: *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* ita habet homil. 39. *Humilitas quippe*, inquit, *virtus est, & sublimioris Philosophia mater est, atque origo.* Vt quemadmodum in reliquis scientiis prima quædam dantur principia per se nota, quæ probatione non indigent; sic in spiritus scientia, & cælesti Ecclesiæ Philosophia, humilitatis custodia tamquam prima principia supponenda: vt cæcutire omnino intelligatur, qui de principiis per se notis dubitat, nec statim proposita amplexatur.

§. II.

Superbiæ insigne præuersum: conuertit ad culpam virtutis instrumenta.

757. NOtandum deinde non solùm humiliter erubuisse animam, sed etiam hunc humilem ruborem, continuò ab sponso Christo de pulchritudine fuisse commendatum, quasi celebraret in hac humilitate rarius aliquid, quàm soleat euenire: nimirum quòd laudes quæ quantum est ex se ad elationem prouocant, hîc pulchram humilitatem excitarent: sed de hoc alibi. Nota deinde laudari statim animam ob ruborem, quia laudibus, quas illi Christus in augmentum gratiæ dicebat, rectissimè vsa est: quasi sic istud inclytum humilitatis insigne, vti rectè virtutis instrumentis: nimirum, quia insignioris superbiæ stemma est, virtutis instrumentis ad culpam abuti. Videamus quàm hoc certum, & fœdum in superbia, vt inde quàm pulchrum contrarium in humilitate cernatur inferamus.

758. Colebant mille cæremoniis Philisthini Dagonem suum: ingredientes tamen aliquando templum, *inuenerunt*, inquit textus, *Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius, erant super limen*, 1. Reg. 5. num. 4. vt scilicet calcaretur ab ipsis ingressuris, indebitumque cultum illi denegarent; quem pedibus terendum, ab arca prostratum intuebantur: quid tunc illi? *Propter hanc caussam*, addit textus, *non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius super limen in Azoto, vsque in hodiernum diem*, ibidem num. 5. vt, vise abominari debuerant idolum, nouum aliud numen superaddere, nouam idololatriæ speciem congerere viderentur. Notat autem ibi princeps interpres magister meus Franciscus de Mendoça, hos esse illos, de quibus Deus apud Sophon. 1. num. 9. *Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen.* Sed cur, inquam ego, cultus & transilirio dicti liminis, arrogantiæ deputatur? fortasse, quia solum superbissimè sibi arrogantibus innatum est, oblatum sibi à Deo virtutis instrumentum, ad vitij ministerium deputare.

Vers. 11.

759. Curandæ hominum superbiæ humilis venit Christus, & tamen ipsa abiectio, superbæ Iudæorum genti fit scandalum, vt loquitur Apostolus: vnde Isaias ad gentes locutus, *erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël*, cap. 8. num. 14. quia nimirum non poterant, quibus humilis crucifixus displicebat, petra Christus firmandæ sanctitati apta, in ruinæ præcipitium non aptari. Chrysol. *serm.* 27. de variis Dæmonis scandalis: *Sed illud*, inquit, *tale quod fecit Iudæis. nam lapidem firmandis vestigiis latum, in totam sulcauit, & exasperauit offensam, & totius fundamenti petram euertit in scandalum, vt esset miseris in ruinam.* Sic virtutis instrumentum per despectum humilis Messiæ, summi sceleris numeris redegerunt.

760. Peccat Saul obedientiæ violans præcepta, tunc increpanti Prophetæ: *Peccaui*, inquit, *sed nunc honora me coram senioribus populi, & coram Israël*, 1. Reg. 15. num. 30. simili confessione Dauid adulterium, & homicidium, totiusque regni scandalum expiauit, 2. *Reg* 12. *num.* 13. nec tamen miser Saul vnius culpæ veniam impetrauit; & cur ita? certè superbus erat, & abiectus à diuino conspectu, honori adhuc humano studebat: quid ergo tunc? seruiendæ pestilenti culpæ, ipso virtutis, & humilis confessionis abutebatur instrumento. D. Bernard. hîc apud Godefr. *Quid*, inquit, *peruersius, quidve indignius, vt humilitatis custos confessio superbia militet, & inde velis videri melior, vnde videris deterior: mirabile iactantia virus, vt non possis putari sanctus, si non appares sceleratus.* pulchrè: hoc enim vni conuenit superbiæ, vt de ipso scelere velit sibi virtutis conciliare opinionem, sicut ipsam virtutem sceleris ministerio destinauit.

761. Apparet vtrumque in Archisynagogo illo, qui ab spiritu Christi lenissimo, fugatum infirmitatis spiritum ferens indignanter, sæuiebat: *respondens autem Archisynagogus indignans, quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo, venite & curamini, & non in die Sabbati*, Luc. 13. num. 14. Quid superbius quàm quasi è tripode ferre legis explicationem præsumere, & tunc maximè meras & germanas gerras effutire? sed iam mirum abest, si superbus præest, violat quidem sabbatum hac ipsa plena inuidiæ interpretatione, & vult eâdem de sabbati obseruantia decorari: sabbatumque, quod clementia Dei exercendis spiritus virtutibus, & carnis labo-

tibus intermittendis concesserat, contra ipsum Deum, hypocrisi suæ seruiturus obarmat. Chrys. sol. hic serm. 105. *Hoc facis, inquit, excors, vt in pectore violes sabbatum, & in homine ipsam violes sanctitatem: ac sic Deo, Dei lege præscribis, & obseruando sabbatum, Deo sabbatum sic refundis, quòd Deus Iuda & pro labore terreno & opere carnis clementer indulsit.* quasi qui arrogans Deo ipso de legibus diuinis tuendis & interpretandis legem præscribebat, non posset innato superbiæ morbo non laborare, quo virtutis instrumenta vitio seruiendo applicantur.

VERS. 11. Murænulas aureas, &c.

§. Vnicus.

Beneficiorum angustatio, angustior quandoque est diuini amoris munificentia.

762. *Amor Dei liberalior, cùm auarior videtur.*

ECquid hoc est, sponse liberalissime? tam profusè laudatam sponsam, non profusa liberalitate prosequeris, sed vno murænularum dono, satis ornatè intelligis dimissam? cur ditissimus non multa donas? cur ditandæ dilectæ non congeris immensa? scilicet, quia de sponsalibus tantùm agebatur, nec adhuc ad sponsalia ipsa, nedum ad spirituale illud supremæ vnionis connubium ventum erat, quibus pleniora munera reseruabantur. Vno verbo: in hoc temporis, non maiorum erat sponsa capax, ideo summi beneficij loco habendum, quòd tunc illi maiora, quibus incapax rumperetur, denegentur. Hinc est quandoque, vt angustior reddatur diuina liberalitas, dum angustat beneficia: tantóque fit diuinus amor fusior in largiendo, quanto accipientis sphæræ se accommodans, fit contractior: hinc est, vt arrhas mittat animæ sponsalium, quam fortasse summa matrimonij dona, imò & sponsalia obruerent: hinc denique est, vt in parcitate congrua ditescat anima, quæ in abundantia immodica ieiunaret. Videamus igitur diuinum istum liberalitatis effectum, vt inde affectum quo dona tenuiora præmittit, cognoscamus.

763. Vidit aliquando Ioannes Christum Dominum mirâ quadam figurâ venerabilem: *Vidi*, inquit, *similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea*, Apocal. 1. num. 13. diuina pectora & mamillas, æterni esse amoris symbola, in tanta rei notitia, superuacaneum est probare: quid ergo, mi Iesu, fontes charitatis coarctas, restringis amoris riuos, illos ne manent dulcedinem, hos ne impetu suauitatis lædificent corda nostra; sed esto, fiat: quid tamen zonâ aureâ, id est, charitatis, cingulo (charitas enim in auro effigiata, apud sacros mystas, vbique legitur) restringis charitatem? quomodo amoris repagula, amoris detinent flumen? quomodo dilectionis obex retardat dilectionem? quia nimirum angustior est liberalitas, dum se angustat; absorberet quippe nos impetus ille si laxaretur: restringitur dulcedinis suauitas, suauitatis dulcedine, vt capacitati nostra accommodata sic proficiat. Audiui à viro pio iuxtà & docto, explicationem istam ab ipso Christo, deuotæ cuidam animæ credi reuelatam. & fortasse id voluit (contrarium saltem non conuincitur) Interlinearis in hunc locum: *Zona*, inquit, *aureâ, id est, cingulo charitatis, quia dilectionem seruat.* quasi charitatis thesauros, charitas ipsa seruet excubans, & cingat constringens: ne si fluat vt potest, nos qui ferre non possumus, diffluamus.

Affulget hinc obscurum (licèt in media luce) Dei vestimentum, de quo Propheta: *confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*, Psalm. 103. num. 2. Quis nescit Deum in luce habitare inaccessibili? vt loquitur Apostolus 1. *Timoth.* 6. num. 16 Quid ergo claritas totum Dei palatium circumfusa, totam cœlestem curiam inuoluens, quasi in telam constringitur, & vni Deo (loquor barbaro nostro modo concipiendi) vestiendo coarctatur? respondet D. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Pasc. *Lumine, inquit, sicut vestimento amictus dicitur: intolerabilem enim potentia ipsius ac luminis vim, quis sustinebit?* egerat priùs acutissimus Pater de Deo sæpe restricto ne obrueremur: vnde pulchrè locum paraphrazat Nicetas in hunc modum: *amictus lumine sicut vestimento, id est, restringens luminis exuberantem copiam, non secus ac vestem quamdam ad talos vsque demissam: etenim potentia Dei ac lumen nisi contraherentur, æquè omnibus intolerabilia.* Quidquid dixerit sol noster materialis, inde certè auarior redditur, vnde nitet profusior: lucis profluuia mittit, & eo ipso visus hebetes non admittit: diuinus noster sol quo parcior, eo liberalior, coarctat intensitatem lucis, vt congruos nobis radios non coarctet.

764. Sed neque mirum restringat lucem in vestem, qui vestem ipsam restringit, ambitiosa laxamenta circumligans, atque angustans bono nostro sinus laciniosos: id enim voluit Nicetas absque dubio, quasi *ad talos* tantum demissa vestis fimbriatos sinus collectos insinuaret. hinc est, vt fidelibus seruorum suorum obsequiis correspondsurus Dominus: *Beati, inquit, serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*, Luc. 12. num. 37. nusquam fluxiori laciniâ, sinuosiori purpurâ videbatur induendus Dominus, quàm id temporis, vt de regio eiusdem apparatu, seruorum decorandorum dignitas excresceret, & tamen tunc accingitur, tunc pompam habitus restringit? caussam vidit Theophylactus in catena: *Præcingit, inquit, se in eo quòd non totam vbertatem bonorum largitur, sed hanc cohibet secundùm certam mensuram: quis enim Deum capere potest, quantus est?* sic quem non capit mundus se restringit, vt illum capiamus: angustatur, vt nobis sic angustior proficiat.

765. Referebant hunc genium verba illa Christi Domini ad discipulos: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, Ioan. 16. num. 12. vbi mihi ponderares velim, dicenda illa, non tam verborum instar, mentis aures, quàm onerum modo eorumdem humeros dici oppressura: ideoque non tam dicitur, non potestis intelligere; quàm, *non potestis portare modò*: ac si Christus interim illorum pondus subiret, donec discipuli robustiori ceruice onus suscipere valerent: indeque esset liberalior, quo parcior in cœlestis doctrinæ donis tunc deponendis. Caietan. ad hunc locum: *Non taceo, inquit, illa multa, quia nolim vobis communicare, sed quia non estis modo dispositi ad percipiendum ea. & vtitur metaphora importabilis ponderis, dicendo, Non potestis portare: vt intelligant illa multa esse magni ponderis non corporalis grauitatis, sed secundùm spiritualem magnitudinem, seu virtutem, & se ipsos esse secundùm mentem imbecilles respectu magni oneris.* Volebat igitur amoris inclinatus pondere, secretorum

totum pondera fuis inclinare, & tamen eodem amoris pondere cogitur illa retinere. mauult ipfe grauari, quàm focios obrui, & amor inter auaritias liberalior fufpendit innatum pondus quo fertur ad fe communicandum, ne amati fub abundantiæ vndis naufragarent.

766. Non fuit quidem Deus auarior dum audiendus Heliæ, ventos aduentus fui fecit lictores, quod folam tenuiffimam auram, & non potius ventum aliquem principem aduocando Prophetæ expediret. expediuit certè: fed ille ad ingentem fragorem velutí Nili catadupa obfurdefcebat: anguftat ergo Dominus fonoram procellam in fibilum, & in auram tempeftatem reboantem, & quo videtur parcior, largior redditur: hanc enim audit, aliis obfurdefcens: *Ecce*, inquit textus, *Dominus tranfit, & fpiritus grandis & fortis fubuertens montes, & conterens petras ante Dominum, non in fpiritu Dominus, & poft fpiritum, commotio, non in commotione Dominus, & poft commotionem, ignis, non in igne Dominus*, 3. Reg. 19. num. 11. ventus commouens, commotio vehemens, & ignis perftrepens Domino fiunt apparitores, & quafi conclamantes anteambulones: nec tamen auditi dicuntur, *& poft ignem fibilus auræ tenuis, quod cùm audiffet Helias, operuit vultum fuum pallio, & egreffus ftetit in oftio fpeluncæ*, ibidem num. 12. fibilus folùm ab fpelunca extrahit, credo, quia folus fibilus congruenter auditus, & ideo in fibilo, id eft, immediatè poft illum, Dominus, quia tunc illo fruimur liberaliùs, cùm ille quodammodo auarior fe nobis commenfurat. Bene Seneca lib. 2. de benef. cap. 29. *Bene æftimatâ*, inquit, *natura indulgentiâ, confitearis neceffe eft, in delitiis te illi fuiffe: ita eft, chariffimos nos habuere Dij immortales, habentque, & qui maximus tribui bonos poteft, ab ipfis proximos collocauerunt: magna accepimus, maiora non cepimus.* Ideo ergo vero naturæ Deo in deliriis fumus liberaliffimis, quia donat quæ capimus, non quibus capti opprimamur.

767. Edoctus, credo, hanc doctrinam Helias tradidit illam difcipulo Helifæo: vnde & ifte fufcitaturus puerum, fe grandiorem anguftat, & coarctat, *& afcendit*, inquit Scriptura, *& incubuit fuper puerum, pofuitque os fuum fuper os eius, & oculos fuos fuper oculos eius, & manus fuas fuper manus eius, & incuruauit fe fuper eum*, 4. Reg. 4. num. 34. os viri, ofculum premit: ocellos oculi, manus manulas premunt, & grandia fe minoribus commenfurant, vt profint. Grauiter D. Bernard. in Cantic. ferm. 16. *Ego*, inquit, *nec illud vacare reor, quod Propheta incumbens fuper mortuum, ad menfuram puerilis corporis fefe contraxit.* & poft multa de Chrifto ibi figurato, fic concludit ad rem noftram: *non parum fiduciæ robur præftat mihi, quòd magnus ille vir Propheta potens in opere & fermone, de excelfo monte cœlorum defcendens, vifitare dignatus eft me, cùm fim cinis & puluis, mifereri mortuo, inclinare fe iacenti, contrahi & coæquari paruo.* fic enim profufior Helifæus puero, dum fe coarctat, & nobis Deus auguftior ad munera, dum fe anguftat. ideo Gilibertus ferm. 21. de hac re: *Immenfitas*, inqnit, *hac omnem incomparabiliter excedens creaturam, ad menfuram fe contraxit, menfuram perueniendi vfque ad nos: non enim quafi non condefcendens, ad nos fuperextendit fe ipfam, fed in menfurâ nobis diftillat dona fpiritus.* imò potiùs tunc magis condefcendit, quando defcendit contractus, cui mundus in augufta maieftate venienti, foret anguftus, quem, nifi adueniret anguftus, non caperemus.

768. Inde illa vox iufti, ob incarnatum Verbum gra- *Pintus in Cantica.* tias agentis: *Paraſti*, inquit ad Patrem, *in confpectu meo menfam aduerfus eos, qui tribulant me: impinguafti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eft?* Pfalm. 22. num. 5. quàm aptè enim tunc calicem dixit *inebriantem*, cùm *fuum* dixit. id eft, cùm verbum ad anguftias humanæ naturæ vidit coarctatum, vt iam hominum poffeffio haberetur: dum enim diuinæ maieftatis gloriam nobis adhuc mortalibus anguftauit, amorem liberalem, & amabilem quamdam ampliauit liberalitatem. Meritò igitur tunc velut charitate inebriati profufiores fumus in amando, cùm Deus ne maieftate obruamur, quodammodo limitatur: tunc bono noftro præclarior, quando obuelata luce, hebetes adhuc oculos non præftringit. Luculenter Gilibert. loco antè citato: *O calix*, inquit, *inebrians, quàm præclarus es? & ideo charitate inebrians: liquor æternus nouo huic infufus calici, maiori cum charitate hauritur, quamuis cum claritate temperata: idcirco & amor debet effe intemperatus. Quis enim fe ab amando temperet, quando noftra fe capacitati contemperauit immenfa maieftas?* frenata in Deo gloria, effrenes ad amorem nos adurget, & in illo oftentationis calcario, calcaria nobis admonet dilectionis. Eleganter Statius *lib. 4. fyl. 2.* poft multa, quæ alios in conuiuio rapiebant, fic de fe erga Imperatorem:

> *Ipfum, ipfum cupido tantum fpectare vacauit*
> *Tranquillum vultu, fed maieftate ferena*
> *Mulcentem radios, fubmittentemque modeftè*
> *Fortunæ vexilla fuæ.*

Sic maiores captabat amores, dum profufior videbatur in luce communicanda: id verò, quia lucis radios mulcens temperabat, interque conuiuandum auguftam Romani Imperij maieftatem anguftabat.

769. Sed clariùs id allucet in alio diuinæ fapientiæ conuiuio: *Sapientia*, inquit textus, *ædificauit fibi domum, excidit columnas feptem: immolauit victimas fuas, mifcuit vinum, & propofuit menfam fuam*, Prouerb. 9. num. 1. Quis fperaret in Dei epulo fanctiffimo, in conuiuio opiparo, non de conuiuarum poftulatu, quod effet guftus: fed de conuiuantis iuffu, quod videtur auaritiæ, vinum lymphandum? apponatur in menfa merum, deinde fi lubeat, vnufquifque ad palati conditionem aquam fuperfundat: non ne hoc fplendidius? non certè: ipfe mifcet qui noftri miferetur. non poterant mortales adhuc homines accedere ad meraciffimum, ideo mixtum apponit: temperat non euitandis impendiis, fed capacibus inuitandis. D. Hieron. hîc. *mifcuit vinum*, &c. *diuinitatis fuæ arcana capere non valentibus, affumpta humanitatis Sacramenta patefecit.* Temperantur diuina dona, vt nobis attemperentur: eóque menfa apponitur lautior, & abundantior, quo parcior genio noftro, & limitatior componitur.

770. Quàm erant anxia vota animæ vigilantis, quæ etiam inter fomnia vigilabat, quafi vigilans, cæteris, præterquam dilecti curis, indormiret? his adductus, imò attractus fponfus non folùm venit, fed volat: vnde illa, *Similis*, inquit, *eft dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*, Cantic. 2. num. 9. in quos non amplexus tanta celeritas eruptura videbatur? quàm plenè putares afpiraturum, & indulturum fponfæ optatis, qui tam auidè illis leuandis accurrebat? Audi tamen quid addat eodem numero: *En ipfe ftat poft parietem noftrum, refpiciens per feneftras, profpiciens per cancellos*, ex Hebræo legitur, *progerminans*, verbo quodam vt plu-

timum floribus è semihiulca vaginulâ erumpentibus accommodato, cùm partim latent inuidi, partim læti videntur: puto, quia si totam venustatem propalaret, conditionem adhuc mortalem insolito splendore præstrictam labefactaret. fuit ergo hæc auaritia summa liberalitas, ideo subditur ab sponsa: *En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea*, ibidem num. 10. q.d. Conditioni tuæ me attempero, vt angusta adhuc, capias angustum: paratus me tibi augustum exhibere, si augusta in regno meo, immortalem assurgis ad sortiendam conditionem. Origen. *homil.* 1. ex versione Hieron. *vt nondum quidem apertum se ei, totumque manifestet, sed quasi per retia prospiciens hortetur eam & prouocet, non sedere intrinsecus segnem, sed exire ad se foras, & conare, vt non iam per fenestras & retia, neque per speculum in ænigmate, sed procedens foras facie ad faciem videat eum: nunc enim, quia nondum potest eum intueri, propterea non antè, sed retro & post parietem stet.* Itaque non inuidet videri, sed videt aliter, se tunc videri non posse, ideo se angustat & inclinat parieti, qui potuit cœlos ipsos inclinare, vt descenderet.

771. Vnde iam capio illud eiusdem sponsæ Christum laudantis: *Manus*, inquit, *eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, Cantic. 5. num. 14. vbi Dionysius art. 16. *Opera*, inquit, *quæ aurea extiterunt, id est, excellentissima, atque ex ardentissima charitate manantia.* ab his manibus, ab operibus charitate manantibus, inundantes fluctus, & fructus vberrimos speremus, legitimum videtur, & tamen, vt vides, hyacinthi porriguntur, de quibus idem Dionys. *hyacinthis*, inquit, *id est, floribus.* hæccine liberalis charitas, hæccine aurea illa liberalitas? non fructus, sed spes fructus in flore prætenditur: neque tam dona fluunt, quàm donorum quodammodo rudimenta; & cur ita? quia quærit adhuc, quia peregrinatur sponsa, vt patet ex ipso *cap.* 5. afferi ergo sponsus non quæ ipse vellet, sed quæ ipsa capit: angustat charitatem auream (quæ in cœlis vbertimè fundenda in fructus) vt prodeat in flores, vt prosit in munuscula; quia hîc auro charitatis florido anima recreatur, fructificante obrueretur. Claudant hanc paginam verba Philonis Iudæi *lib. de opif. mun.* post Dei beneficia latè refert: *Attamen*, inquit, *non pro magnitudine gratia sua beneficus est, nimirum infinita ac incomprehensibilis, sed attemperat se ad vires eorum, quos dignatur beneficentiâ: nec enim sicut Deus ad benefaciendum propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia: illius enim potentia longè superat, at huius infirmitas impar est eorum magnitudini: succumberetque, nisi Deus pro cuiusque portione moderaretur suam gratiam.* quid liberalius quàm innatam & propensam effusionem sibi compescere, ne aliis noceat ob immensitatem? sed de hoc satis.

VERS. 12. Dum esset Rex, &c.

§. I.

Amor erga Deum quo ardentior, eo reuerentior.

772. NVnquam assiduâ diuini Numinis consuetudine (vt in humanis solet) eiusdem vilescit maiestas. Amor erga Deum, est in summa facilitate grauis, compositus in facili comitate: blanditiarum dulcis venerator, suauis cuiusdam affectus affectator, nec tamen sublimis illius maiestatis imminutor: sic possidet quasi semper timeat, & quasi semper ambiat, sic consequitur: candidatus eiusdem quod iam tenet, & eiusdem retentor quod suspirat: denique amplexatur sponsum, & Dominum reueretur: lymphat ardentissimos conatus sobriâ modestiâ, & impetus affectuosissimos, frenata quadam temperat moderatione. Suspirabat in hoc loco anima absentem Christum, nunc sponsum, nunc fratrem appellans, aliquando verò suauius, dilectum: inuenit, amplexatur, & in mentis penetralibus triclinium sternit, affectuumque parat fercula sapidissima: nunquid non tibi tenerius aliquod vocabulum fingendum & formandum videbatur, quo sponso dulci iam fruita, eumdem inter epulas dulcissimè appellaret? Nota tamen quid dicat: *Dum esset Rex*, &c. redditur nimirum reuerentior, quia amat feruentior: humilior veneratur, quia amplexatur strictior: Regem vocat, quem tunc posset amicum: ideo addit, *nardus mea dedit odorem*: nardus verò flue humilitas (sic frequenter capitur) ideo inter cæteras, immo præ cæteris virtutibus dicitur spirare, quia inter maiores amoris delitias, vt iste reuerentior maneat, vilitas propriæ, diuinitatis radiis eruta, patescit. Dionysius hîc art. 4. *Id est*, inquit, *dum Dominus & Saluator in mente mea mecum cœnaret, atque reficeretur, nardus mea dedit odorem suum, id est, humilitas mea erupit in actum sublimem, & suauitatem Regi gratissimam mox diffudit. nusquam anima clarius proprias deprehendit defectuositates, ærumnas & culpas, nisi dum rapitur in lucem contemplationis, qua intuetur puritatem ac maiestatem prorsus incircunscriptam luminis increati: quod quanto acutiùs contemplatur, eo plus paruipendit, ac deprimit semetipsam.* Mira lucis conditio: amoris ignem accendit, quo ad sponsæ conditionem anima euehitur, & interim ancillarem reuelat vilitatem: mixtus in affectu effectus, quo indidem crescit illi fiducia, & reuerentia, vt sponsi dignatio, & Regis dignitas decoro seruato inuicem obseruentur.

773. Acutè proinde vocauit D. Zeno Veron. timorem hunc reuerentialem, & amori permixtum, *timorem artis*, serm. de timore. Audi pulchrà verba: *O necessarius*, inquit, *timor, qui nihil aliud agit, nisi vt beatos efficiat, qui timet arte, non casu: voluntate, non necessitate: religione, non culpa; qui Deum metuit, non naturam.* quæ enim ars sagacior, quàm facere incrementa amoris, per quædam velut familiaritatis decrementa, & inde confidenter accedere, vnde videris recedere reuerenter?

774. Dicebat olim Tobias: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato*, cap. 4. num. 23. Sed heus sanctissime senex, quanto essent hæc maiora si amaretis? cur ergo timorem loqueris, taces amorem? in hoc timore, ingeniosum quemdam amorem expressum voluit: qui enim odio ab omnibus etiam minimis recedit peccatis, eo ipso vehementissimis amoris stimulis ad Deum accedit: ideo priùs dixerat, *omni tempore benedic Deo, & omnia consilia tua in ipso permaneant*, ibidem num. 20. dedit tamen amori titulum timoris, vt amorem de timore quodam casto reuerentem explicaret, qui dum per timorem, quodammodo à Deo separari videbatur: altius tamen, ad eum confugiens, illius viscera penetrabat. Galfridus hîc apud Godefr. *Si rem*, inquit, *grandem dixisset, certè facere deberemus: quanto magis, quia dixit, si timueritis Deum. quis enim non timeat Deum? quid non timeat maiestatem paruulus, iudicem reus, seruus dominum,*

diminum, *bono Deum*, &c. *Vnde etiam Ethnicus ait: Primum in orbe Deos fecit timor: quid ergo magnum exigimur vt timeamus Deum? multi modi timendi Deum, multa materies & in eo pariter, & in nobis: non fallere eum possumus, non latere, non iudicio contendere contra eum, non resistere iræ eius: consilio tamen necesse est frenare timorem, nec sic timeas Deum vt fugias, sed ad eum*: (corrigo ex contextu, *nisi* ad eum). *vnde etiam bene filium admonens bonus pater adiecit: omni tempore consilia tua in eo permaneant. non enim permanere consilia poterunt, quæcumque in Deo non erunt.* hoc ergo timore fugimus, sed ad eumdem: quia quo trahit amor, timor retrahit, & quo feruor impellit, repellit reuerentia. verè timor artis & consilij, qui humili fugâ sibi magis conciliat dilectum.

775. Pondero hinc emphasim magnam illorum verborum Deuteron. 10. num. 12 *& nunc*, inquit Moyses, *Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum?* si enim Dominus est, semelque atque iterum appellatur, cur petat, quem potest exigere? quàm Deo facilè ingentem metum hominibus iniicere, incutere terrorem, negatum extorquere? certè nullus affectus minus imperatur, quàm amor: liberrimus est, rogandus etiam à Deo, ne libertati nostræ derogetur: dicti ergo timoris dissimulato nomine, amor sollicitabatur, ipse se aperit Moyses, subdens eodem num. *& ambules in viis eius, & diligas eum*; vt ita sit amor quidam timidus non ignauiter, sed reuerenter, & timor quidam liber & spontaneus, qui diuina quadam arte amoris naturam sortiatur. D. Zeno citatus ad hunc locum: *Videtisne*, inquit, *hunc timorem nobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui voluntate suâ se parit, diuinæ legis agnitione construit decorem, ad omnia genera virtutum intrepidus currit, præceptis omnibus fideliter obtemperat, inchoatus innocenter viuit, iustitiam percolit, sine fine studet timere, ne quid præter Deum quem diligit, timeat?* grauiter dictum. En metus liber, timor intrepidus, qui dum se vltrò parit, parat ardentioris affectus monumenta: timet ne, quid aliud timeat præter Deum, quem tamen tunc ardentiùs amat, cùm timet reuerentiùs.

776. O amor timens, ô timor amans, & semper de profunda Dei veneratione, venerabilior! quidni si gloriosè æmulus cœlo se intermiscet, prouocat Beatos? Pulchrè de Beatorum timore Gilibertus serm. 19. *Quid metuat*, inquit, *non habet: quid enim metuat completa felicitas, & consummata charitas? timor hîc de plantario oritur charitatis: non audeo dicere quòd charitas est, nec tamen audeo negare: quid enim nisi amor esse conatur, qui iam nescit affectum timoris? quomodo non amor, qui iam timor penè esse desiit?* Da veniam lector, & exemplo humili rem grandem declarabo. Fert Hispania nostra pomorum genus princeps, vulgo *Esperiegas*: commixtum illud ex mellimelis, & malis acrioribus. gustas, & sapit mala pariter, & mellimelæ: ita tamen, vt illorum acrimas hîc dulcescat, horum dulcedo mordeat hîc gratius: pomum ergo acre, sed de plantario dulcedinis acclamabis. sic reuerentem timorem, & amorem permixtum explicuit Gilibertus etiam in Beatis.

778. Illustre mihi rei huius testimonium illud Isaiæ: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum*, cap. 6. num. 1. veniebat Deus supremæ maiestatis suæ gloriæ reuelandæ: vtque reuerenti ex cœlestium reuerenti obsequio discerent, qua esset apud illos Dominus veneratione prosequendus: hue ergo Throni videbantur appellandi, qui Thronum Deo viuum efformarent: Dominationes, vt in ingenti ministrorum potentiâ, suprema Dei dominatio eluceret: potestates denique & principatus, è quibus clariùs regalis Imperatoris diuini apparatus splenderet: fortasse omnes venerunt, & si Bernardo credimus, ipsi solium illud excelsum, super quod Dominus sedebat, efformabant, nec tamen exprimuntur, quippe solum additur: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*, ibidem num. 2. quasi qui (vt ex ipso nomine constat) in amando erant ardentiores, etiam in reuerentia forent profusiores, vnde aptiùs in exemplar proponendi: sic in hac statione & Deo præstabant obsequium, & nobis eius methodum prædicabantur. Bernardus serm. 1. in hæc verba: *Seraphim nomen est ordinis Angelorum summi, atque supremi, vt meritò stare super cæteros describantur, & ipsi tamen quamlibet cæteris præstent, adstant nihilominus Domino præsidenti; deuotum vtique ministerium, & plenum reuerentia obsequium exhibentes.* ordinis, inquam, ego nobilioris, quia feruentioris: cæterorum quodammodo Reges Seraphini, quia donorum reginæ charitati strictiores, & tamen ideo etiam reuerentiores. multa in hoc loco ponderanda.

779. In primis pende, quàm aptè ad rem nostram stare simul dicantur, & volare, quasi stent volantes, & stantes volent: vt iam sic & stantium reuerentia amanter volare, & amoris volatus reuerenter stare videatur. quo non impetu flamma, sphæram suam tremula & volatilis affectat: scintillas scindit in linguas, aut iam suspiratura inter crepitus, aut magis ius suum de acquirenda æthérea regione allegatura, & tamen interim alligata semiusto ligno perseuerat: patitur stans compedes, dum paret aligera in volatus: illud mirum, eo simul volare altiùs, quo profundiùs stando radicatur. Acutissimè Bernardus *serm.* 4. licèt in statione non iam reuerentiam explicet, sed firmitatem: *Quo*, inquit, *Seraphim volant, nisi in eum, cuius ardent amore? vide flammam quasi volantem & stantem simul: nec miraberis iam Seraphim stantes volare, stare volantes.* Accommodatâ rei nostræ comparatione, vides Seraphinos, quo summissiùs stantes, creatæ conditioni affixi reuerentur, eò ardentiùs in amorem reuolare: imò, quo amor ardentiori volatu affectuosior, eo præ reuerentia collocat firmiores.

780. Sed, vt nemo nescit, in Hebræo æquiuoca est sententia, vt alis se ipsos, aut Deum velare Seraphinos intelligant: imò & LXX. articulum prætereunt, vnde Græci PP. nunc Deum, nunc Seraphinos velatos explicarunt: sequamur ad rem præsentem, secundùm istud, infimis ergo alis velabant sibi Seraphini inferiorem partem, superiorem supremis, mediis volantes nudam amoris sedem, pectus scilicet reuelabant, pennatumque ictu flante cordis ignem accendebant: quasi numquam viuidius amor ventiletur, quàm dum præ reuerentiâ demissis oculis, pedibus impeditis, nec intueri audent, nec accedere. fauet, sed pro parte tantùm, Chrysost. *homil.* 1. in hunc locum: *Assistit*, inquit, *aliquis terreno Regi, omnibusque modis molitur, vt quamplurimam erga illum reuerentiam exhibeat, quo per hoc maiorem illius erga se conciliet beneuolentiam, cuius gratia non solùm specie capitis, verùm etiam ipsa voce, ipsa manuum compositione, ipsa pedum*

coniunctione, totiusque corporis contractione, talem reuerentiam conatur ostendere. hoc & ab illis incorporeis virtutibus fit. Interim tamen, addo ego, magis cor æstuat, ignis accenditur; quasi ipse timor iam audeat in volatus, & amor in reuerentiam componatur. Huc iterum congerenda plura ex Gilibert. citato. *Quomodo,* inquit, *timor, qui offendere non timet, non enim valet? sed iterum, quomodo non timor, qui offendere non audet? & timor ergo non videtur, quia nihil vel peccati, vel periculi metuit, & timor manet, quia nihil audacter, vel temere præsumit.* & ne temere nos videamur timorem hunc filialem reuerentiæ coniunxisse, audiamus quæ elegantissima subdat idem Auctor. *Quid est timor ille, nisi reuerentia humilis, ex debiti necessitate, impensa: necessitate nil passa? est enim obsequendi necessitas iure conditionis, sed necessitatem ignorat libertas dilectionis.* Proh liberam necessitatem, ne dixerim necessariam libertatem! liberè necessitat amoris vis ad reuerentiam, & reuerentia amori non coacto fomitem administrat: præbet illa amori magnitudinis testimonium, nec tamen ab illo patitur ignaui metus præiudicium. Sed concludat Gilibertus pulchram sententiam. *Quid est timor ille, nisi temeritatis & negligentiæ magis priuatio, quàm necessitatis coactio? Vides quàm timor iste approximet ad charitatem? penè illa est, sed penè non est: causâ distat, par est affectu.* timore ergo suo Seraphini augebant, & sicut sagittarius attingendo certiùs scopo alterum claudit oculum, sic illi dum alarum alteras cohibent præ timore, amoris alteras certiùs intendunt.

781. Fortè autem, vt id etiam obiter dicam, hoc volebat Christus, quando dixit: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum,* Cant.4.num.9. quia licèt viuidis oculis ardenter amatorium diuini iubaris splendorem bibere exoptaret: ast reuerenter humilis saltem alterum præ timore oculum claudebat, &, quod mirum est, inde perspicacior immortali sagittando cordi reddebatur; fortiorque, amoris vulneribus de reuerentiæ societate, iterandis. Gilibert. hîc serm.30. *Si plures,* inquit, *habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilectum intueri soles, & quo solo vales. qui directius intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt, & eum ipsum, quo cernunt, stringunt; vt stricto efficaciùs contemplentur acumine. Oculus tuus vnus est, si purus est: vnus est, si ad plura non est,* &c. *denique si amoris oculus est, vnus est.* Ecquis amator, inquam ego, Argo illi prisco oculos non inuidit amoribus intuendis? cur igitur supremi amoris oculus vnus fuerit, clausis cæteris: nisi, quia reuerenti quodam pudore, appetentis amoris temperat desideria, vota constringit? Sed redeo ad Seraphinos.

782. Poterant quidem illi oculos claudere, pedes continere: quid tamen hoc est, quod non tam demissis palpebris, quàm superinducto velo; non tam detentis pedibus, quàm penè iniectis compedibus sunt contenti? crediderim pietatis certamen inter Deum & ipsos declarari: quasi nunquam reuerentiores re verâ apparerent, quàm dum quadam irreuerentiæ vmbrâ, cum Deo ardentissimo amore præditi contendere videbantur. Attende. iaculabatur ille amoris fulmina, & lucis flumina; necessariò sollicitantis oculos, pedes attrahentia Seraphinorum: qui tamen dum reuerenter se impares agnoscunt, ne sollicitati expugnentur, alarum propugnacula assumunt, pennarum scripta. Deus quodammodo sui impotens præ amore, licèt satis se limitaret, at tantus erat in splendoribus immittendis, vt quodammodo illorum reuerentiam expugnatam contendere videretur: illi his tantis amoris indiciis ardentiores, reuerentiam muro adhibito propugnabant. fallor, aut fauet Chrysost. citatus, vbi quærentibus, cur non solùm oculos, sed pedes velarent etiam, sic respondet: *Inexpugnabilem erga conditorem reuerentiam exhibere student, multamque anxietatem tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione. quoniam igitur id quod desiderant, quodque conueniebat, non assequuntur, declarant quod vndique velantur. nam ita defectum circumtegunt.* Ast, à quo erat expugnanda reuerentia? à radiis à Deo immissis. Clariùs idem S. Doctor homil.2. *Cùm etiam ipsas supernas virtutes semper maximus obtineat stupor: ea propter auertunt facies, alasque vice murorum obiiciunt, non ferentes radios illos proficiscentes, & tamen id quod apparebat, ad nostram imbecillitatem sese demittebat.* Si possent tantum, quantum diuina propinat liberalitas ebibere videndo, & amando exhaurire, auderent aliquid: nunc quia non possunt, ne audere præsumant, se muris muniunt, suam pariter conditionem erubescentes, dum se velant: amant quod possunt, sed simul quantum possunt reuerenter, & castissima quadam impudentiâ, dum quodammodo expugnari non permittunt, verecundiores exhibentur. Non ergo sine mysterio in hoc loco vox æquiuoca in Hebræo textu posita est, qua aut Deus, aut Seraphini velati intelligantur, quasi eisdem & se velarent, & Deum attingerent: vt dum ludentibus plumis Deo blandiuntur, & pennis blandientibus amplexantur, timidâ reuerentiâ sese tegendo cohibeant: interque ardentiores amplexus, multo reuerentiores cognoscantur.

Amor hominis erga Deũ plũ contentiosus, honestè imprudens.

783. Concludo in hac Seraphinorum feruida reuerentia, verbis illis, quæ subduntur, *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum,* num.6. in manu dicitur calculus, cùm in forcipe gestaretur, quia forceps in manu gestabatur: erat nimirum pruna ista diuini amoris, quo reatus erat Prophetæ purificandus. talis erat ille ignis, quem Cherub ciuitati purificandæ assumpsit, quod fatetur probabile Hieronymus. Sed audi, quomodo, *& extendit Cherub manum de medio Cherubim, ad ignem qui erat inter Cherubim & assumpsit,* &c. Ezechielis 10.num.7. quid ergo timuit, ne Seraphinus aduri, immuni Cherubino? an dignior iste & purior, vt sine intermedio sacratum ignem tractaret, quem Seraph sine forcipe non auderet? non puto. Audi de Seraphinis Sophronium Constant. orat. de excellentia Angeli tom.2. Biblioth. *O Seraphim, inquit, qui sex alis exornata, inque prima cœlestium exercituum acie collocata, vestro ardore cæteros omnes incenditis: vos estis, quæ propter inconcussam stabilitatem, corporeæque concretionis vacuitatem, tum ob æternitatem vobis communicatam, cognoscendique & inflammandi virtutem expressum quoddam diuinæ similitudinis simulacrum præ vobis fertis: vos secundaria lumina, emanatione planè beata, è prima luce prodeuntia rectè appellamini: vt quæ immensum, infinitumque, trini vnicique principatus illius numeris omnibus absoluti, splendorem quantum fas est, citra vllum medium excipiatis, exceptumque cæteris mentibus, & intelligentiis communem faciatis.* hinc dubij propositi peto solutionem: sine medio aliquo vniuntur Deo, & tamen sine medio diuina non tractant: quia nimirum, licèt oculati vndique sint Cherubini, & scientiæ fontes plenissimi, vt ibidem latè probat Sophron.

Sophron. attamen, ſi fas eſt dicere, in reuerentiæ diuinis rebus exhibendis cognitione, longè à Seraphinis diſtant, qui quo ardentiùs amant, eo actiùs debitam reuerentiam intuentur, & exequuntur.

§. II.

Proſtratus Chriſtus præſtat ſublimitatem.

784\. AH confluamus fideles, miſeriæ noſtræ remedium comparaturi: en adeſt Chriſtus, neque ſedens iudicio, neque ſtans pœnæ, ſed amori decumbens. *Dum eſſet*, inquit, *Rex in accubitu ſuo.* Proſtratus Chriſtus nos erigit, extollit iacens: quid immoramur? ſemper deſcenſus Chriſti, aſcenſui noſtro deſeruiuit, ſemper illius humilitas fuit humani generis ſublimatio: miro ſic Prælatis præbito exemplo, quo nouerint quandoque ſe deiicere, vt ita illorum ſubditi erigantur. Audierat Magdalena, (communis eſt opinio) verba Chriſti Domini prædicantis, quæ fuerunt proternæ verbera conſcientiæ: percuſſa damula fontes Saluatoris veneno ſitit extinguendo, nec tamen accurriſſe legitur, niſi, *vt cognouit*, inquit Lucas, *quòd accubuiſſet in domo Phariſæi*, cap. 7. num. 37. conuiuæ ſtratis lectis iacentes olim diſcumbebant: & hanc optimam putauit peccatrix occaſionem accedendi ad veniam, neque iacente Chriſto, poterat illa ſpem ſe ſe erigendi firmiſſimam non concipere. præit Chryſolog. ſerm. 93. *Non ad ſtantem*, inquit, *non ad ſedentem audet venire peccatrix: Deus cùm ſtat, corripit: cùm ſedet, iudicat; proſtratis coniacet, cùm decumbit.* Proſtratur Deus, & erigitur peccator: eùm iacet, tunc iacit erectionis noſtræ fundamenta nouæ ſanctitatis turti conſtruendæ.

785\. Eadem planè cauſa fuit, cur vocatus Matthæus, vocanti Domino conuiuium apparârit, & alios publicanos conuocatit: *& factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu*, Matth. 9. n. 10. nimirum vt à coniacente Domino, iacentes ſerui erigerentur. Chryſolog. ſerm. 30. *Decubuit*, inquit, *indulgentia vt peccatores leuaret ad veniam: venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas: venit Iudex ad reorum prandium, vt humanitas preueniret reatus ſententiam.* & quàm pulchrè dictum: en ſe ſinit muneribus ſanctiſſimè corrumpi Iudex noſter: en ambit, diuinus cœnipeta, ſaltim eſculentis, & poculentis vendere iuſtitiam, indere miſericordiam, vt nos ad epulas erigat immortales.

Chriſtus iudex integer pietorruptus.

786\. Inuentam ouiculam, laboribus mille quæſitam *in humeris ſuis* paſtor dulciſſimus collocauit, Luc. 15. num. 5. non titubantem duxit, non palantem manu direxit, ſed onus gratiſſimum gratiori dignatione ſcapulis ſuperimpoſuit: etenim quiſquis humeris onus portat, neceſſariò eidem ſubeundo ſe demittit, vt cognoſcamus eo vſque poſſe erigi peccatorem, quouſque ſeipſum Dominus inclinauerit. Chryſol. loco proximè citato. *Venit*, inquit, *ad languentes medicus, vt reficeret conueſcendo defeſſos: inclinauit paſtor bonus humeros ſuos, vt ouem perditam ſalutares reuocaret ad caulas.* Sic diuinæ humilitatis gradibus ſublimationi ſuæ vtitur humana fragilitas ſunt grauiſſima verba ad hanc rem illa Euſeb. Gallic. ſerm. exhortatorio de humilitate Chriſti: *Et hac inter*, inquit, *quomodo ſe audebit erigere terrena fragilitas, cùm ſe propter hominem dignata ſit humiliare maieſtas? ad hoc ſe autem diuinitas inclinauit, non ſolùm vt vel de proximo vulnera humana ſanaret, & ſtatum iacentis erigeret, ſed vt etiam Angeli rebellis ſuperbiam cœleſti humilitate damnaret.* Damnatur quidem Luciferi ſuperbia, Verbi humilitate, dum ille ſuper aſtra vult conſcendere, & in ſublimiori altitudine thronum Deo deiiciendo collocare, cùm Deus ſe deturbet, vt homunculi affectata Dæmoni aſtra conculcemus.

787\. Hac quidem emphaſi deſcripturus Matthæus diuinam illam doctrinam, qua ſeparatis turbis, chariores diſcipulos imbuebat ipſe Chriſtus, ſignanter adnotauit: *& cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, Matth. 5. num. 1. equidem dum ſtabat, dum montem aſcendebat, non audebant: audent, dum ſedet, quia ſic Chriſtus videbatur deiectis coinclinari. D. Bernard. ſerm. 1. in feſto omn. Sanct. *Cùm ſediſſet*, inquit, *alioquin quis ad excelſum illum gigantem poſſet accedere? benigniſſimè prorſus inclinauit ſe, & exinaniuit vſque ad ſeſſionem, vt dicat Patri, Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: ſedit enim vt ad eum, quem nec ipſi Angeli ſtantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant.* En gratâ metamorphoſi diuinus noſter gigas ſe exinanit, imò fit nanus, vt pumiliones gigantum ſtaturam comparemus: & qui exultauit vt gigas ad currendam viam, *Pſal.* 18. *n.* 6. in mediâ viâ piiſſimè decreſcit augmentis noſtris: imò bono noſtro, tunc velocior currit, quando ſedet humanior.

788\. Miſeram illam adulteram, quam Phariſæorum non zelus ſanctus, ſed veſana rabies accuſabat, abſoluturus Chriſtus: *Inclinans ſe deorſum*, inquit textus, *digito ſcribebat in terra*, Ioan. 8. n. 6. at ſi abſolutionis ſententia ſcribebatur, cur ſummus Iudex chartam non poſtulauit? cur qui verbo cuncta creauerat, pio vnius verbi ſuffragio liberandam non recreauit? quorſum hæc inclinatio & in terram? volutabatur nimirum terrenis fœcibus miſera peccatrix, nec erigi inde poterat, niſi ſe diuinitas inclinaret. Iſaac apud Godefr. ad c. 8. Matth. *Sic ſe*, inquit, *inclinans, vt adulterio deprehenſam, à Dæmonibus accuſatam liberet.* vbi plura de hac ſcriptâ terrâ, alibi commodiùs afferenda.

789\. Non poteſt in hac re Prodigus adoleſcens locum non habere. offertur à longè ſuſpirato pariter, & ſuſpiranti Patris aſpectui: accurrit anxiâ ſollicitudine paterna pietas, *& accurrens cecidit ſuper collum eius*, Luc. 15. num. 20. & cur cadit? Proh quantum infauſti ominis? dicat vulgus; labilem amicitiæ reconciliationem, lapſus, portendit prodigo, paternus: cur cadit qui firmamentum ſtabiliuit? cur cadit qui ponderibus libratam ſuis firmauit terram? cadit planè conſilio, non caſu: vt coniaceat iacenti, & ſic poſſit erigere cadentem: Bene quidem alio poſſet tenore ire in amplexus: ſed alio tenore, infixus limo peccator cùm ſolita ſuauitate erigi non valebat. Vno verbo, ſed ſuo, Chryſologus ſerm. 3. *Cecidit*, inquit, *vt erigeret ſic iacentem.* quia ſemper, dum inclinatur, & penè iacet Chriſtus, peccatoris infirmitas erigitur ſuauiſſimè.

790\. Cogitabam aliquando, cur licèt aliis rebus figuretur, vtplurimum tamen virgæ vocabulo Chriſti imperium adumbraretur; ſubit illud: *Virga directionis, virga regni tui.* Pſalm. 44 num. 7. putauique reſponderi poſſe, quia ſicut piſcator piſces non extrahet, niſi tremula linea virgam & arundinem inclinet, niſi virga ſuauiter inenruetur: ſic Chriſtum ſuauiſſimè inclinatum è mundi pelago peccatorum animas educere, quæ virga ſemper ferreâ, vel

vel duriuſculo ſceptro aut frangerentur, aut ſaltem fugarentur.

§. III.

Humilitati arcana cœli peruia: callido ſtratagemate dum aditus timet, tenet adyta.

791. Sed quæres, vnde tanta felicitas huic animæ, vt ad Chriſti accubitum, & cubile ſecretum admitteretur? in promptu eſt ratio: nardum attulerat, id eſt, humilitatem, vt dixi: hæc autem virtus diuina ingreditur penetralia, adyta penetrat, recondita rimatur, expiſcatur ſecreta, quæ tantummodo paruulis reuelantur. Sumo autem hoc loco accubitum pro ſecretiori thalamo, licèt aliter in litteta explicarim, quoniam etiam ita explicari poteſt: ſed iam ad rem. Huc abſque dubio occultè tendebat Salomon *Prouerb.* 2. *num.* 1. ſcribens: *Inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam.* Non enim ſolùm applicandum cor dixit, non ſolùm ſapientiæ elaboraturum, ſed etiam neceſſariò inclinandum, quia niſi faſtigium elationis deſerat, & humiliter inclinatum vilitatis ſuæ nihilo ſe inſerat, prudentiam cognoſcere non valebit. Beda ibi: *Inclinare quippe, eſt cor ad cognoſcendam prudentiam humiliare, & mundare cor, quod dignum fiat ad percipienda myſteria veritatis: vnde eadem ſapientia loquens Patri ait: Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, id eſt, abſcondiſti à ſuperbis, & reuelaſti humilibus.*

792. Scilicet vena eſt aquæ viuæ, ſaliens in vitam æternam, ſed deliteſcens, ſed profunda: ni labia demittas fluuio hauriendo ſitim non expelles. D. Cæſar. Arelat. homil. 34. *Sicut de fonte,* inquit, *terreno, & de corporali fluuio non poteſt aliquis bibere, niſi voluerit ſe inclinare: ita & de viuo fonte Chriſto, & ſancti Spiritus fluuio, nemo aquam viuam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit.* Loquitur de humili reuerentia inter orandum, nunquam enim oratio erit attenta, nunquam diuinis radiis illuſtrata, niſi profundâ humilitate roboretur.

793. Eôdem tendit illa alia comparatio Salomonis einſdem ibidem num. 4. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam,* &c. vt diuina ſapientia, quæ aliàs propter ſuauitatem, fructus arboris vitæ celebratur: aliàs in præruptis ſilicibus inſtar aquilæ, propter difficultatem commorans deſcribitur: eadem propter humilitatem requiſitam, aurifodinis, & fodiendis ſpecubus comparetur. idem Beda ibidem: *Qui theſauros,* inquit, *effodit, eijcit rudus terreſtre, facit in altum foueam, ſedulus inſiſtit labori, donec theſauros quos quærit, attingat, & qui theſauros ſapientiæ inuenire deſiderat, quidquid ſibi terrenum ineſſe deprehenderit, expurget, carnales illecebras abſcindat, foſſam in ſe humilitatis faciat, nec quieſcat ab agendo, prius quàm ſe venam veritatis inueniſſe cognoſcat.* quaſi non plures ictus ſcienti fodinæ diuinæ iterandi, quàm propriæ vilitati humiliter cognoſcendæ, ſint repetendi; hæc abiecta terra noſtra, quo altiùs fodiendo exeritur, vberiorem ſacræ venæ ſcientiam nobis exerit: ſic quæ nihil terrenum admixtum habet, in ſola humilitatis foſſa terra inuenitur.

794. Ponderauit eleganter D. Anton. de Padua *ſerm. Domin.* 5. *in Paſſ.* illud *Ieremiæ* 18. *num.* 2. vbi Dominus ad Prophetam: *Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* de quo ita ad rem noſtram: *Ille,* inquit, *ſurgit, qui timore correptus dolet ſe feciſſe quod fecit, & in domum figuli deſcendit cùm ſe lutum eſſe cognoſcit, timens ne tamquam vas figuli confringat eum Dominus, & ſic ibi audit verba Domini. quia eſt ex Deo, qui timet Deum.* quaſi tunc, qui ex Deo eſt, vocem eius audiat, & meliùs eius verba percipiat, intelligat myſteria: cùm figlinæ naturæ ſuæ conſcius, totus de humilitate trepidans, vilitatem ſuam recognoſcit: totus de diuina certus maieſtate, cenſorios eius oculos expaueſcit; deſcendat ergo Ieremias in domum figuli, & ex luto ſibi ſpeculum clariſſimum conſtituat: tunc trepidus de vilitate ſua terrena, meliùs diuinis audiendis arcanis roborabitur. nam nec cæcus ille Euangelij niſi ſuperinducto luto videre potuit.

795. Optimam ſe philoſophiæ huius alumnam exhibuit humilitatis princeps Maria, quæ nuntiantis Angeli verba ideo expauet humilis, vt ſublimi illorum myſteria mente conciperet, *Luc. cap.* 1. *num.* 29. Quid enim timeat verba Angeli, quæ ab incunabilis Angelorum viſitantium connutrita cæteris Angelis imperabat? ſed diuinum quidem iſtud fuit ſtratagema, timere præ indignitate ſalutationem, vt pro dignitate caperet ſalutationis arcana, attingeret Sacramenta. Pulchrè Chryſol. de hac re ſerm. 143. *Vbi,* inquit, *mediator eſt Angelus, humana ceſſet opinio, vbi cœleſtis eſt nuntius, interpretatio terrena pellatur: curioſitas humana torpeſcat, vbi supernus habetur interpres. qui audit attentiùs, quia à Deo miſſus ſit, deitatis refugit perſcrutari ſecretum: quod per Angelum Deus mandat, ille meretur ſcire, qui timet ſcire. Audi Dominum dicentem,* Iſai. 66. *ſuper quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementem verba mea* dum ergo timet, dum tremit Maria verba Angeli, fit Angelo ipſo penetrandis ſecretis longè acutior, adytis ſcrutandis.

796. Licèt Mariam tot ſæculis præcederet, iam nihilominus ex ſcholâ futuræ virginis bonum illius diſcipulum ſe præſtitit Elias: quis enim non miratur vocatum hominem in diuinum conſpectum (vt ſtatus vitæ ferebat) diu ſuſpiratum, tunc velaſſe oculos, faciem operuiſſe? *quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio,* 3. Reg. 19. num. 15. humilitatem ſcilicet ſuam tunc exercuit, & propriæ vilitatis haud ignarus timuit diuino ſe conſpectui exhibere: in quo, certè callidum virtutis effulſit ſtratagema, nulla ratione potuit ſe aptiorem reddere ad videndum Deum, ad agendum cum illo, quàm dum perhorret, humilis, in ſuis imperfectionibus à Deo videri: acutiſſimè vno verbo rem exprimit ad hunc locum venerabilis Richardus apud Godefr. *Videre,* inquit, *tamen voluiſti, qui videri timuiſti.* q. d. quidquid dixeris, ô ſanctiſſime Vates, rem tuam egiſti: nunquam arcani conſpectus efficacius ambitioſus, vehementius petitor, quàm dum humilis, tuum Deo obiectare præ pudore conſpectum reformidas.

797. Expertus iam id fecit Elias, expertus quidem: quid enim aliud ſibi voluit dum diuina cæli ſigna captat, optat Dei ſecreta penetrare, 3. *Reg.* 18. niſi prætenta humilitate præter naturalium nubium naturam penetrare? pende habitum captantis auſpicia felicia miniſtro puero: *Elias autem,* inquit textus, *aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua, & dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare,* dicto cap. num. 42. Cur enim facies ſiuo oculi genis infiguntur, niſi vt ſe iterum Propheta refingat in paruulum, & ex paruuli humilitate inter orandum, diuinam ſibi inclinet maieſtatem, vt illum

de

de actibus ſuis reddat certiorem? Rupertus *lib.6.in Cantic.* ad rem aliam, totus mihi fauet. *In vtero, inquit, nos ita natura formauit, vt genua genis apposita sint: vnde & à genis, genua dicuntur; ibi enim cohærent sibi, & cognata sunt oculis lachrymarum indicibus, & misericordia: denique complicatum aiunt gigni conformarique hominem, ita vt genua sursum sint, quibus oculi formantur, vt caui fiant, & reconditi. hinc est quòd homines dum se ad genua prosternunt, statim lachrimantur: voluit enim nos natura maternum memorare vterum, vbi consedebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profectò qui caussam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat sanctis, & eruditis cogitationibus familiare esse genua frequenter excelso Deo curuare, & genas lachrymosas genibus curuis applicare, vt respiciat & recogitet creator, qualiter nos in vtero formaret.* Eleganter quidem: ſanctis & eruditis cogitationibus vacaturi, habitum ſumimus ſummæ humilitatis. ad infantilem, imò vterinam recurrimus compoſitionem, quia ni pueiulos & balbutientes nos credamus, ſemper in ſacra ſchola balbutiemus: diuini ſplendoris lucem, lacteos radios non ſugemus. ponat ergo Elias faciem inter genua, id eſt, genibus genas applicet oculorum, ſic paruulus cæleſtia ſecreta expiſcabitur.

798. Ideo *Prouerb.1.num.4* ſic ſcribitur. *Parabolæ Salomonis, &c. vt detur paruulis aſtutia.* Aquila legit: *τοῖς θηλαζομένοις*, id eſt, *qui ſe facilè palpari, & lactari ſinunt.* quia paruuli, ſiue in ſæculo ſtulti facilè lactantur & palpantur: ſic paruuli Dei atque humiles, profieuis Dei ſeductionibus & vberibus ſunt aptiores. Scio nouam hanc explicationem pluſculis videndam, ſed tamen ipſi textui non video repugnare: tu examina, pergo.

799. Hinc capies cur quando expreſſiùs Chriſtus Rex deſcribitur, paruulus inſcribatur: *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus eius ſuper humerum eius,* Iſai.9.num.6. vt nimirum Rex ipſe, qui Dei myſteria vſque tunc inacceſſa & obſcura hominibus veniebat manifeſtatum, humiliationis cruce, pro nobilitatis ſtemmate inſignitus, homines edoceret, cæleſtis regni arcanorum non fore participes, niſi humiles, & paruuli conueniſſent: quomodo enim qui paruulus apparebat, apparentia quædam ſuperbiæ faſtigia poſſet capere: immo ideo & ipſe Ieſus, qui ſe ſemper humilem exhibuit, & in paruuli anguſtias, anguſtum totum Deum deduxit, non coarctauit: ideo, inquam, ſe etiam ſuorum oſtium appellauit, *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur,* Ioan.10.num.9. vt turrita capita, & elata cacumina anguſtum & humile oſtium intrare, ſecreta illius cordis agnoſcere non præſumant. Sed quid ſi præſumptuosè contendant? impingent, retrorſum cadent, & mentes, ſiua capita, quæ inde illuſtrare contendebant, obcæcata lugebunt, proſtrata deplorabunt. eſt hoc illud Dauidis: *Conquaſſabit capita in terra multorum, de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* Pſalm.109.num.6. qui enim de ſumma paupertatis humilitate (vtpote qui de torrentis prætereuntis aquis, præteriens ſitim reſtringebat) caput erexit: quomodo capita aliorum ſuperba, neque ſe ad aquas eius diuinas hauriendas inclinantia, non conquaſſaret? omnia mihi explicat VVerricus apud Godefr. ad locum Ioan. citatum: *Ego ſum oſtium, ait paruulus qui natus eſt nobis. niſi ergo incuruetur altitudo virorum, non huius humilitatis non admittetis: ideo nimirum conquaſſabit capita in terra multorum, & qui elati accedunt, capite eliſo cadent retrorſum.* ita fit, vt nonniſi paruulis, paruuli noſtri recondita pateſcant, ſola quippe humilitas ſuo iure illa aucupatur.

800. Meritò igitur D. Anton. de Padua *ſerm. de Transfigur. Dom.* poſtquam in ſcala Iacob qua Angeli aſcendebant, humilem nobis Chriſtum explicauit, ſic ſubiungit. *Aſcendite ô Angeli, ô Prælati Eccleſiæ, ô fideles Ieſu: aſcendite, inquam, ad contemplandum quàm ſit ſuauis Dominus, aſcendite ad conſulendum, quia his indiget proximus: cur nitimini per aliam viam, quàm per ſcalam aſcendere: vndecumque volueritis aſcendere, imminet vobis præcipitium. O ſtulti & tardi corde ad credendum; quia creditis, (& dæmones etiam credunt, ſed duri & lapidei ad operandum): confiditis vos poſſe aſcendere per aliam viam ad montem Thabor, ad requiem luminis, ad gloriam cæleſtis beatitudinis, niſi per ſcalam humilitatis, & paupertatis Dominicæ paſſionis?* Sed quoniam de hoc humilitatis priuilegio ſæpe alibi redibit dicendi occaſio, nunc iſta ſatis: interim alias eius virtutis prærogatiuas percurramus.

§. IV.

Lena virginitatis noxia, ſuperbia.

801. SEd neque mirum tam anxiè ſponſa curaret, nardum humilitatis ad ſponſi Chriſti accubitum ſecum aſportare: virgo erat, cuius vnica cura humilitas eſſe debet, quando hæc vnicus eſt virginitatis decor, & ornamentum: circumfert ergo virginitas Chriſto deſponſanda pro potiſſimo ſuo comptu nardi humilitatem, vt quemadmodum puellæ nihil eſt carius, nihil curæ impenſioris, quàm muliebris mundus: ſic virginitati, nihil humilitate geſtetur vigilantius. nec immeritò, violatur enim de ſuperbiæ lenocinio virginitas, ſicut de humilitate conſeruatur.

802. Hinc Tertullianus *lib. de velandis virginibus cap.13.* contra virgines quaſdam, quæ in templo reuelabantur, priſco more velaminis abiecto, ſic expoſtulat: *Expoſco rationem, vtrùm ne vt fratribus ſuis placeant, an vt ipſi Deo? ſi vt ipſi Deo, tam idoneus eſt ad conſpicienda quæ in occulto ſunt, quàm iuſtus ad remuneranda quæ ſolùm ſibi fiunt: denique præcipit nihil debuccinemus eorum, quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compenſemus. quod ſi vnius victoriati vel quamcumque eleemoſynæ operationem ſiniſtrâ conſciâ facere prohibemur; quantum tenebrarum circumfundere debemus, cùm tantam oblationem Deo offerimus ipſius corporis, & ipſius ſpiritus noſtri, cùm illam ipſam naturam conſecramus?* vtique eleemoſynæ fructus de oſtentationis vanitate euaneſcit: multo ergo magis volet Deus, vt ſumma virginitatis oblatio totis humilitatis tenebris inuoluatur ne pereat de inani venditatione. *Ergo*, addit Tertull. *quòd non poteſt videri propter Deum fieri, quia ſic fieri Deus non vult, ſequitur vt hominum gratiâ fiat: vtique. primò illicitum, vt gloria libidinoſum, gloria enim illicitum eſt eis. quorum probatio in omni humiliatione conſtat, & ſi à Deo confertur continentia virtus, quid gloriaris quaſi non acceperis? ſi verò non accepiſti, quid habes, quod datum tibi non eſt? hoc autem ipſo conſtat, à Deo datam tibi non eſſe, quòd illam non ſoli Deo præſtas.* cuius ſyllogiſmi figura apertiùs ſic concludit. Virginitas Chriſtiana, à ſolo Deo, ſed ad ſui gloriam datur: tu hanc de ſuperbo faſtu ad tui gloriam ordinas; ergo illam à Deo non accepiſti: vnde nec habes, quæ ab illo tantùmmodo concedi poteſt. Sic enim humilitas

probat

probat virginitatem, vt fine hac probatione aut phantastica virginitas, non vera, non Christiana, aut occulta luxuria comprobetur. dixi fusiùs, quia minus locus egregius expenditur ab interpretibus.

803. Dedicarunt hanc miseriam protoparentes, qui postquam superbiæ persuasu attrectarunt vetitum pomum, *consuerunt*, inquit textus, *folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, Genes. 3. n. 7. senserunt nimirum subitò adhuc virgines, prauos libidinis deferuientis motus, qui pede superbiæ consenserant moueri. Ricardus Victorinus apud Godefr. ad cap. 22. Numer. *Quoties*, inquit, *post superbiam victi, vitio concupiscentiæ substernimur, non tam ex natura, quàm ex vitio, hoc patimur: vnde Adam postquam contra Dominum insolenter intumuit, erubescenda in carne fuisse, carnem tegendo monstrauit.* quàm iusta pœna! vt Eua quæ supremæ diuinitatis naturæ (insolens magis, an inscia?) anhelabat, illos ferret motus, quibus vndique bestia monstrabatur: vt Adam qui saltem sibi in acceptis dotibus confidenti à Deo parendum superbus præsumpsit, illa pateretur, vnde animæ dotes vrplurimum corrumpuntur. nec sine mysterio ficum maximè tegendis sibi eligunt. Audi Hippolytum apud Glossam ord. *Quemadmodum*, inquit, *huius arboris folia si corpus tetigerint, pruritum gignunt, ita peccata pruritum excitant transgressionis indicium.* Sed de natura foliorum ficus luxuriam commouente, ad hunc locum Genes. alibi ex PP. multa congero: nunc vide, fomenta etiam externa pruritum commouentia, commotæ iam libidini protoparentes admouisse, vt quo superbiâ fuerat effrenior, eo luxuria inflammatior propalaretur: quia enim pudor virgineus humilitate conseruatur, necessariò superbia nouas luxuriæ procurat irritationes, infamis lena.

Luxuria be stiarum propria.

804. Suppono cum multis vtriusque paginæ auctoribus, linum de candoris, subtilitatis, & firmitatis excellentiâ, virginitati hieroglyphicum præstâret vnde iam plena mysterio verba illa *Exodi* 9. n. 31. de plagis Ægypti te ipsa granibus, sed & sacramento grauidis. *Linum*, inquit, *& hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret.* de quo Stephanus Cantuar. hic apud Godefr. *Linum*, inquit, *est munditia carnis, sed ideo læsum est, quia germinabat folliculos, id est, in elationem excrescebat.* Virginitas quidem si inflatur, si folliçat, fornicabitur: nescit rumoris conceptio, obscœnis luxuriæ fœtibus non fœtere: nescit virginitas nisi sub humilis timoris reuerentia conseruari. & meritò, vt id obiter notem, sullicans virginitas, cum hordeo, bestiarum escâ, nectitur, vt quæ per superbiam facta bestialiter carnalis, bestiali etiam pastu reficiatur. Sed iterum ad rem.

805. In quæ non præcipitia, desertâ domo paternâ, deuenisse miserum prodigum putabimus? & tamen illud soluni exprimitur: *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*, Luc. 15. n. 13. quæ verba de lupanarium frequentatione à plerisque explicantur. Assentior ad tem præsentem, neque mirum in perditam luxuriam iret, qui à Patre Deo prius, superbiâ perditissimus abiret: hoc erat illud eiusdem num. 12. *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Vbi Caietanus egregiè: *Nolebat*, inquit, *sub paternâ curâ viuere in communi cum fratre: hoc petit, qui confidit in proprijs viribus ad vtendum donis naturæ & gratiæ.* A tam abrupta ergo superbiâ, non poterat in iuuene vsque tunc virgine, & deuoto virtuti, corruptissima luxuria non deriuari. Vnde

Hæretici lasciui, quia superbi.

dolendæ magis, quàm mirandæ Hæreticorum lasciuæ turpitudines; quid enim non lasciuiant, qui de suis viribus spretâ gratiâ sic præsumunt?

806. Comparauit eleganter D. Ambros. virgines apibus, lib. 1. de virg. post med. *Digna*, inquit, *virginitas quæ apibus comparetur; sic laboriosa, sic pudica, sic continens rore pascitur apes: nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis est sermo diuinus, quia sicut ros Dei verba descendunt: pudor virginis est intemerata natura: partus virginæ, fœtus labiorum, expers amaritudinis.* Vnde patet, quid sit illud Isai. 7. n. 18. *In die illa, sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur: & venient & requiescent omnes in torrentibus vallium.* id est, vt dicam ex Drogone, vocabit virgines, & lasciuas alias muscarum instar, putridæ carnis voluptatibus inhærentes. Illud tamen mihi obscurum, cur virginitas sic lasciuiæ connectatur, vt neque peculiari instrumento, neque ad locum secretiùs conuocetur: crederemque has virgines superbiæ perfusas labe, vnde pro corruptis, & cum illis computantur: has verò lasciuas ad humilitatem vocari, vbi penè virgines, de innata virginitatis foeta redderentur: sic putat idem Drogo lib. de sacr. dom. pas. *Apis*, inquit, *virgo est: sed quamdiu in terra Assur, id est, elationis, mel non potest operari*, &c. *in illis torrentibus apis de superbia musca, de luxuria sordibus emergantur: torrentes vallium disciplinæ sunt humilitatis.* nec immeritò: Assur enim significat *infi lians*, siue *beatus*: insidiatur autem acerrimè superbia, dum virginibus de solo hoc dono se beatas vult persuadere. Apta iterum verba D. Ambros. eodem tract. lib. 3. non longè à fine. *Apes*, inquit, *sapiens, cum aeris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat mobilia, ne leues alarum remigium præcipitent flabra ventorum*, &c. *& tu caue virgo illius apicula modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat.* vbi latè monet, humilibus innatæ terræ ponderibus libretur. cadit quippe virginitas nisi apud illam humilitatis trutina præponderet. Multa ad hanc rem Bernard. *hom.* 1. *de laud. Mariæ*: plura alij congesserunt, post quos vix illibata aliqua reperio: & certè cùm sic euenit, malo minus acuta nostra, quàm magis rancida proferre, etsi acutissima. aliqui totidem paginas transcribere non grauantur: mibi non vacat, nec vellem, etsi vacaret.

§. V.

Cœlestis Principis splendor subditos curat, non obscurat: polit, non spoliat: munire paratus, dum minuere visus.

807. Clando huius versiculi notationem, ponderans sponsæ nardum, & virtutem, ausam etiam præsente domino respirare, & odores suauissimos emittere: quin ab effuso illo oleo, & florido Nazareno obrueretur: nimirum, non venit Iesus hominum virtutes confusurus, imò illis radios meliores, clariorem splendorem infusurus: ideo LXX. vt in dramate notaui ἔως: id est, dedit nardus mea odorem ipsius sponsi; quia tantum aberat, vt odorem proprium amitteret, vt potiùs notam à beneuolo domino admitteret fragantiam: illustro hoc, quia conciliando Iesu meo hominum amori puto efficacissimum. Palmæ (sic ferunt eruditiores naturæ Mystæ) agricola minores plantas submittit, vt illius vmbra recreatæ suauiùs

amœnco

amœnentur, & viteſcant amœniùs. Virgil. *Georg.* 2. etiam de lauro,

— Parnaſia laurus

Parua, ſub ingenti matris ſe ſubjcit vmbrâ.

Ibi viror vberior, ibi vbertas ſecurior. eadem eſt laureatæ palmæ noſtræ conditio. Arbor iſta decora ſuis fructibus fœcunda, nos amœniores reddit, fructus noſtros conſeruat. non is eſt Christus, non talis eius ſplendor, qui ſplendorem fidelium obumbret ad obſcuritatem: imò adauget, ſemper radios nobis mittens, nec ſibi imminuens: ſemper in ſe arbor virens, nec noſtras vrens.

808. Lignum illud vitæ, paradiſi decor, rerum deliciarum, &, ſi fas dicere, inuidia cœli, in medio paradiſi fuerat plantatum: *lignum etiam vitæ in medio paradiſi*, Geneſ. 2. num. 9. At dicat aliquis, quis non putaret tam pulchram arborem in reconditiori nemoris parte de pretioſitate collocandam, vt ita inueniendi difficultas, quærendi labor, eiuſdem augeret gratiam, pretium æſtimaret? ſed eſto. An non exteræ arbores frondibus in linguas mutatis quererentur apponi, imò opponi ſibi tantam pulchritudinem, ad cuius ipſæ conſpectum denigrarentur? minimè: imò crederem quoties vento modulante perflabantur, in laudes erupiſſe creatoris, qui ſibi de vicinitate ligni vitalis gratiam adaugebat, creſcebat fructus, & folia viridia in fulgentiores ſmaragdos commutabat. D. Ambroſ. in Pſalm. 1. *Inter multa*, inquit, *ligna, quæ erant ſpecioſa ad aſpectum, & bona ad eſcam, etiam hoc lignum terra produxit, & in medio paradiſi erat, vt cætera ligna eius viriditate florerent.* Chriſti ſcilicet erat ſymbolum, qui ita obumbrat, vt proſit: alias eiuſdem ligni ad Chriſtum comparationes lege ibidem. Magnates & Principes, ſuos fouent, fauent minoribus, ſed ita, vt iuxta illos, minores vix appareant: at iuxta Chriſtum, iuſti conſpiciuntur, ab illo ſoli illuminantur potius, quàm nigreſcunt. Vnde forti arguendus Plinius, qui in Panegyr. Imperatori ſuo Traiano hæc ſcribit: *Eſt hæc natura ſideribus, vt parua & exilia validiorum exortus obſcuret. Similiter Imperatoris aduentu, Legatorum dignitas inumbratur: tu tamen maior omnibus quidem eras; ſed ſine vllius diminutione maior, eamdem auctoritatem præſente te quiſquam, quàm abſente retinebat: quin etiam pleriſque ex eo reuerentia accedebat, quod tu quoque illos venerebare.* hæc enim ſoli vni Chriſto adſcribenda, qui ſuos non imminuit, imò dum præſens decorat viſus reuereri.

809. Vigilias ducebant Bethlemitici Paſtores vita integri, & ſceleris immunes, quibus proinde diuina priùs Chriſti nati nuntia fauſta debebantur: *& ecce*, inquit textus, *Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos*, Luc. 2. num. 9. Sed quid ita? nónne etiam Angelus ſplendorem induebat, quo proinde illos poſſet perfundere? ita planè: cur igitur claritas Domini, & non Angeli circumfulgens enuntiatur? quia Angeli, quia creaturæ, & hoc priuilegium de maiori ſplendore cæteros non obſcurandi, vni creatori Domino reſeruatur. D. Bernardus ſerm. 7. in Cant. *Bene*, inquit, *Dei, quia non Angeli, ſed lilij candor ille aderat, ſed illuc micabat ab vſque Bethlehem.* vt ſtatim ab ipſis incunabulis lucis radios beaturos mortalium virtutes deriuaret, eaſque ſplendore ſuo illuminaret flos noſter campi, *lilium conuallium*, Cant. 2. Angelus id vix præſtaret.

810. Vnde crederem iam in ſponſi liliati mores transformatam ſponſam, ad quam proinde ille eodem cap. 2. num. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Licèt enim glorioſius videretur, ſi lilium ſine ſpinis germinaret: re tamen vera in hoc ſponſo ſit ſimilior, imò oblita creatæ conditionis, in increatam, vt dixi, videtur transformata, dum circum vicinas ſibi plantas propria viriditate amœnat, & licèt ſpinæ ſint, de ſua pulchritudine venuſtat. D. Bernard. *ibi ſerm.* 48. poſtquam vitam Sanctorum inter improbos clariorem prædicat, ſic concludit: *Id planè tibi ſimilitudinem datam de lilio, iure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit: quod ipſas vtique pungentes ſe ſpinas, candore proprio illuſtrare, & venuſtare non ceſſat.* Nonmirum in lilium ſponſum, iam facta lilium, dum transformatur, eius genium refert: nec illum qualem qualem ſpinarum virorem reddit obſcuratum.

811. Ecquis lubens à liliis diſcedat? immoremor eiſdem. *Duo vbera tua*, inquit Chriſtus ad ſponſam, *ſicut hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, Cant. 4. n. 5. id eſt, ni fallor (cùm in capreis acutiſſimus obtutus commendetur) lacteam Eccleſiæ doctrinam perſpicaciſſimam eſſe & oculatiſſimam: neque mirum; quæ enim tot prata alia peruagari poſſet, liliata tantummodo prælegit, videns ſcilicet, quantum inde ſibi boni effunderetur. Gilibert. *ibi ſerm.* 27. (licèt aliò tendat) ad rem meam: *Dulce quidem*, inquit, *inter lilia expectare auroram ſurgentem, & fortè vicinus eſt dies iſtis liliis, & inter lilia, eius frequenter aura quadam & vapor hauritur, & ipſe ſponſus in liliis paſcitur, qui ipſe & lilium eſt conuallium, & lumen diei; dulce eſt ergo compaſcendo cum ipſo poſtulare ipſum, præſtolari inter lilia, donec diei lumen aſpiret.* Planè dulciſſimum: ſiquidem donec totus non adſpirat, vt adſpirabit in cœlo, ſaltem aurâ, & vapore, tenella noſtra lilia ſuſtentat, fouet, recreat, amœnat.

812. Ideo ipſe Dominus non ſecreti & culti alicuius viridarij, ſed aperti, & patentis campi ſe florem, ad quem omnes poſſent accedere, appellauit, *Ego flos campi.* vt ſcilicet reliquos omnes virtutum noſtrarum flores, cordibus noſtris infixos conſeruet, vt mores noſtri pulchriores floreant, & ſecuriora vernent ornamenta. D. Ambroſ. in hunc locum: *Quia*, inquit, *quando in noſtra reſplendet terra, & in agro animæ redolet, vel in Eccleſia ſua vernat, nec frigus poſſumus timere, nec pluuiam.* quaſi tunc ſolum, imò ideo flores in terra noſtra apparentes *Cant.* 2. *num.* 12. nobis placere poſſint; quia florentis ibidem Chriſti ſocietate luciflua ſecum pullulant. Viden' quàm aptè dicatur nardum ſponſæ à florido Ieſu odorem comparaſſe? Adhuc locus alius ex Canticis prælibandus.

813. Callebat ergo hoc innatum Chriſto ingenium ſponſa, ideoque ad illum: *ſicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios*, cap. 2. num. 3. de quo bene Ambroſ. ibi. *Pulcherrima*, inquit, *collatio: quid enim pulchrius, aptiuſque dici queat, quàm vt ſponſum arbori mali comparet? huiuſmodi enim pomum odorem gratum habet, vt cæterorum pomorum fragrantiam vinceret, & Chriſtus affixus ad lignum ſicut malum pendens in arbore bonum odorem mundana fundebat redemptionis, qua peccati grauem deterſit fœtorem.* Sed cur inter agreſtia ligna ſyluæ, inter ſylueſtres arbores crux tanto onuſta fructu celebretur potius, quàm in amœnitate culti horti, cùm hoc ſpecioſius foret; quippe victoria de famoſiori compare famoſior? ſcilicet, vt inde ſylueſtres animæ noſtræ inani tantummodo foliorum virore contentæ re ipsâ experiantur, tantum abeſſe à Chriſto virorís vtcumque noſtri ſpoliationem, vt

Crux arbor vitæ.

Pineus in Cantica.

potiùs virentibus foliis plenam & veram fructificandi gratiam concedat. Idem Ambrof. ibidem poſt pauca: *iuxta hanc arborem, noſtra ligna ſylua fruteſcunt.* ne iam fructibus noſtris ab illo timeamus, à quo potius capimus vbertatem: grato Principibus præbito exemplo, vt ſubditos ſibi populos ditent potius, quàm ſpolient.

814. Qui ab ipſis incunabulis, vt ſuprà dixi, ſuorum virtutes nouo ſplendore affecit, fecit etiam moriens vt admiſſi amici tenuis ſplendor cumulatiùs refulgeret. Pendet in cruce latro, & tot viſis innocentiæ Chriſti teſtimoniis, maximè diuinæ patientiæ monumento, blaſphemantem ſocium arguebat: *neque*, inquit, *tu times Deum, qui in eadem damnatione es*, Luc. 23. num. 40. Ecquid hoc erat, niſi naſcentis, & pullulantis fidei teſtimonium? Quid tunc Chriſtus? profluuium vberioris lucis inundat, offundit naſcentem fidem, & glorioſiſſimis progreſſibus exaltat, diuino illam beans ſplendore. quæ aliquando arbor, lattonis cuiuſdam cruce ſilueſtrior, & ſterilior? vides tamen, quàm ad præſentiam Chriſti fruteſcat, & noua ſemper capiat incrementa; inde vox *illa: Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum*, ibidem num. 42. de quo Euſeb. Gallicanus homil. de beato latrone. *Teſtis*, inquit, *eſt maieſtatis, qui ſocius probatur doloris, & ideo adhuc in latrone poſitus, inuiſibilem Dominum angelicis iam oculis videt: illuminauerat, credo, naſcentem fidem latronis iam credentis in Chriſtum propiùs corporea diuinitas, quæ ſe largiùs ſub momento illo peragendæ redemptionis infuderat.* vt ſicut hîc fidem, ſic vbique virtutes omnes præſentiâ ſuâ amœnare, & venuſtare Chriſtus intelligatur.

815. *Dei ſplendor alienos ſplendores minores, inſtar Solis ſtellas, non obſcurat, ſed venuſtat.*

Quid plura nectam? ſcilicet, quâ homo non amiſit, id quod quâ Deus naturaliter retinebat: verbi autem proprium eſt illuminare cuncta, tunc propriiſſimum, quando lucida reddit lucidiora. Creat Deus lucem, & vocat in conſpectum: quis non putaret trepidaturam creaturam, quamuis lucidam, immo lucem ipſiſſimam, quod in conſpectum creatoris in immenſum lucidioris vocaretur? quis non putaret fore, vt præ timore palleſceret, hebetique, vt fœda appareret, ſplendore acceſſuram? & tamen ita acceſſit, vt tamquam pulchra & decora à Deo commendetur, *& vidit*, inquit Geneſis, *Deus lucem quod eſſet bona*, cap. 1. n. 4. nimirum ſolito feſtiuior & hilarior lux acceſſit, non hebes, non pallidula, quaſi prædiuinaret futurum, vt diuinorum radiis oculorum ſplendidior redderetur. res facto comprobatur. Ambroſ. lib. 1. exaëmer. cap. 9. *Vidit*, inquit, *Deus lucem & vultu ſuo illuminauit.* Ecquis ignorat vultum Patris eſſe verbum? vt iam timorem amitterent reliquæ creaturæ, ſi viderentur, cùm lux ipſa viſa, clarior appareat. Hinc fortaſſe aperitur illud ex *Pſalmo* 109. vbi Pater ad verbum: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* nondum enim erant Sancti, quando filius ab æterno parente procedebat: ſed ſplendoris illorum habetur mentio, quia à Verbo erant ſplendorem clariſſimum mutuaturi. quaſi Verbum (quod ex cognitione futurorum procedere ex probabiliori ſocietatis Theologia ſuppono) ſic habeat innatum ſplendores Sanctis ſuis communicare, vt relictis aliis futuris, ex quorum comprehenſione etiam producitur, ſolùm ex ſplendidioribus procedere videatur: vt dum lumen de lumine manat, ſubitò ſuis lumina emanet.

816. Semper tamen in hac re, dubium illud Baptiſtæ de præſente Chriſto, *illum oportet creſcere, me autem minui*, Ioan. 3. num. 30. Quis enim non miretur nouitatem? quaſi verò claritas Chriſti eius ſit conditionis, vt ſuorum claritati opponatur, & non magis, vt hucvſque diximus, quæ luciſluo influxu alienas virtutes ſoleat amœnare. Certè ſic ſe res habet, nec aliud voluit Baptiſta, adhuc in ipſo vtero luciſluum iſtud ingenium expertus ſatis: quid ergo? nimirum, qui vox erat, edocebat in verbo tantùm, dari permanentiam: ea enim eſt natura vocis, vt producto verbo euaneſcat: immo tum glorioſior, cùm euaneſcens, firmiſſimum quoddam verbum auditorum mentibus relinquit impreſſum: hinc D. Eucherius Lugdunenſis homil. 1. de Baptiſta ad hunc locum. *Vide*, inquit, *vocis ſonum pertranſeuntem, & verbi gloriam permanentem.* Solùm ergo quatenus vox Ioannes, ſed nec inglorius minuitur. parum dixi: tantum abeſt, vt hæc ſit Ioannis obſcuritas, vt nuſquam clarior, quàm hac confeſſione, qua ſe vocem veriſſimam oſtendit, oſtenderetur: ideo D. Auguſt. *in catena*, poſt alia ad hunc locum de interiori homine locutus, ſic concludit: *ipſe minuitur vt à gloria ſua decidat, & in gloria Dei ſic reſurgat.* & quanto hæc illâ præſtantior? quanto Ioanni glorioſius, vt de humanitate minutus, creſcat munitus in participatam diuinitatem? vt abſorpta mortalitate, immortalitatem capiat? equidem non aliter Ieſus noſter illum minueret.

Faſciculus myrrhæ. VERS. 13.

§. I.

Virtutis labor vſu dulceſcit.

817. COmmoratur inter vbera amaritudo myrrhæ, laborum duritiés, nec ab vberibus, & delitiis cordis, ſaltem aliò remouetur: vnde hoc? certè, quia commoratur, quia iam diu ibi retinetur. nimirum vſu dulceſcit, nec iam poteſt in delitiis non haberi. A primis ætatis incunabulis, & rationis ſplendoribus, vt ſtatim dicam, pia hæc anima laboribus aſſueuit: non poſſunt illi, omni dulciores melle non haberi. Methridati iam ſeni pepercit venenum, quia ab incunabulis illo fuerat enutritus: nihil denique eſt ita aſperum, quod diutina conſuetudine non molleſcat: aſſueſcat tyro aſperioribus, & iam veteranus de ipſis ſuauitatem comparabit.

818. Nihil otio dulcius, nihil ſuauius. Vnde Lyrici de votis mortalium cupidiſſimis *lib. 2. oda* 16.

Otium Diuos rogat in patenti
Prenſus Ægeo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetra decori, &c.

Nulla quippe genio ſic fera natio, ſic ferrea, quæ otij dulcedine pellecta non molleſcat. Quis ergo otij præceptum à Deo irrogatum, vtraque manu auidiſſimè amplectendum non putaret? & tamen iterum atque ſæpiùs iteratum commendatur: lapidatur in exemplum leuiſſimus illius violator *Numer.* 15. *num.* 35. quaſi ſumma difficultas in hac re, cuius prauum exemplum nullatenus eſſet permittendum. & cur ita? Reſpondet Rodulphus ad illud Leuit. 23. num. 3. *Sex diebus facietis opus: dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur Sanctus, omne opus non facietis in eo.* vbi in hunc modum ſcribit. *Magna legiſlatoris ſuper ſabbati obſeruatione*

ſollici

ſollicitudo, frequenſque huius præcepti repetitio eſt. quia homo poſt præuaricationis reatum laboribus addictus, dum viſibilium trahitur cupiditate, neceſſitatem vertit in voluptatem: compeſcenda igitur erat inſana laborandi cupiditas. Addictum quippe laboribus humanum genus iam in ipſis de vſu dulcem voluptatem inuenerat, ſic illi pœna mortis neceſſaria, qua à laborum duritie iam ſibi miſerrimè ſuaui amoueretur. Optant ergo otium mortales dum periculum ſæuientis maris, aut Martis furentis ſubeunt; ſed vix aut porto, aut pace potiuntur, cùm dulcibus laboribus ſe immiſcent. quanto ergo dulcior virtutis labor, ab vbere iuſſus de vſu apparebit?

819. Expiſcandis hominibus, & ſummo cum labore à peccatorum pelago animabus extrahendis, laborioſos piſcium piſcatores elegit Christus: *Vidit*, inquit textus, *duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, erant enim piſcatores, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. 4. n. 18. Cauſſam vidit Chryſol. ſerm. 28. *De labore*, inquit, *tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus, omnia quæ de vſu veniunt, non fatigant.* Ab incunabilis nauis labori, rerium ponderi incumbentes aſſueuerant, nihil deinde in corporis exercitio, tot functuri peregrinationibus inuenirent: quaſi danda gratia non tam corporibus, quàm mentibus firmandis indigerent: ſic iam robuſti de vſu, laboribus ferendi accedebant.

820. *Virtutis ab infantia vſitatæ trophæa.* Ad crucis intuitum hæc anima ſuſcitatur *Cantic. 8 num. 5.* ibi primo vagitu vitam ſalutauit; hoc enim eſt, vt ferè omnes explicant, illud citati loci: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? ſub arbore malo ſuſcitaui te.* Vbi mihi pende ab aſperitate deſerti, ariditate horridi, feris formidabilis, rupibus ſalebroſi: affluentem delitiis, & voluptate diffluentem progreſſam celebrari: numquid non laborauit? numquid ſanguinea Crucifixi veſtigia non preſſit crucis geſtatrix? nemo dubitat: hæc tamen omnia cedunt in delitias, quia labores de vſu dulceſcebant. hoc ergo explicat, ſubdens: *ſub arbore malo ſuſcitaui te.* q. d. Quid mirum deſerti aſperitas miteſcat, & inter labores affluas delitiis, ſi vix gratiæ vitam accepiſti, quando ſubitò etiam laborandi vſus gratiam tibi contuli. Facit huc illud auctoris apophthegmatum in Ageſilau. *Cùm quidam*, inquit, *eum admoneret, vt aliquid de vita rigore remitteret, cauſſam addens, quod (quæ eſt vita volubilitas) euenire poſſet, vt tempus ipſum exigeret aliam viuendi rationem: at ego, inquit, me conſuefacio, vt quæcumque inciderit fortunæ mutatio, ne quæram ipſe mutationem.* Nimirum vſitatus vitæ rigor, poſtea in ſumma ſtatus dignitate, & fortunæ amœniori ſtatione, ſic de conſuetudine ſaperet, vt præ illo deliciæ deſiperent.

821. Similis eſt ille alius locus, vbi eadem anima de deſerto aſcendit odoribus ſparſa, & inter pigmentarios pulueres delitioſa. Sed quò aſcendit? ad lectulum Salomonis, id eſt, ad dulces beatitudinis congreſſus. ſic contexenda illa verba Cantic. 3. num. 6 *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? en lectulum Salomonis*, &c. etiam dum aſcendit, dulces reputat deſerti aſperitates, mites ſalebras, & ſentes odoratas. fauet Gilbert. *ſerm. 15.* poſt multa de ferculi delitiis, in quo per deſertum anima ad thalamum geſtabatur, ubi ita. *Quolu eſt putas peruentio, cùm tam delicatus ſit aſcenſus? quò tendit, quæ talis aſcendit? qualis delitiarum eſt locus, in quo aſcenſiones iſtas diſponit? lectulus fortè dilecti eſt. nam ad illum præcipuè ſponſa debet aſpirare; ita planè eſt: ideo ſequitur, en lectulus Salomonis.* nimirum (addo ego) cum vita lucem pariter ebibit & crucem: vnde vſu ſic etiam in deſerto delitiabatur, vt ad thalamum in ferculo, quod propter filias Ieruſalem *Cant. 3.* fecit ſibi Rex Salomon, geſtari videbatur.

Pintus in Cantica.

822. Ablactatur Iſaac, & tunc feruet feſta domus Abrahamica, quod potiùs natalibus deberi videretur, *Geneſ. 21. num. 8.* Quid enim rideant, cùm puer luget? quid dulces apparent dapes, cùm puerto adhibetis abſynthiis mamillæ amareſcant? ſed reſpondet D. Zeno Veron. ſerm. 2. in Pſalm. 130. *Ablactato*, inquit, *Iſaac accepimus Abraham feciſſe cœnam, quod ablactatus iam, puerili ætate proximum cibum lactis excederet*, &c. *ergo profectus maximus, iam lacte non indigere: ad fortiorem enim cibum tranſiiſſe filium ſuum, Abraham etiam conuiuij lætitià teſtatus eſt.* ſcilicet non poterat id temporis ſynagoga cum lacte ipſo, ſeuera ſtrictioris diſciplinæ miſcere monumenta: at Eccleſia lactens & vix enata, ſub crucis robore duris aſſueſcit, vt dixi, vt vſu, de ſaxo etiam duriſſimo oleum exſugat. pergo.

823. Ex dictis de delitioſo Eccleſiæ deſerto, explicabis Ieremiam Thren. 3. num. 27. *Bonum*, inquit, *eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ. ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* id eſt, vt ex Græco neſcit nemo, quia leuauit ſuper ſe iugum illud graue. Sed, hem, dicat aliquis, & meritò: iugum laborando immittitur, non ſedendo. ſurge adoleſcens, & quandoquidem felix diuino iugo ſubderis, extirpa ſentes carnis, ſenſus corporis doma, appetitus duritiem debella, terrenas affectuum diſſolue glebas; nihil in te maneat, quod mortificante aratro, in ſulcos meliori captando ſemini non aptetur. me miſerum! quid nunc ignauus reſides, languidus recumbis? ſed reſpondeat Ambroſ. ſerm. 19. in Pſalm. 118. *Qui enim*, inquit, *à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla ſubdiderit: ſedebit ſingulariter remotus à ſtrepitu interpellantium paſſionum, & quietus ſilebit: cui neceſſe eſt iam non iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi anima quæ quærit Deum, quæ captiuas ſibi fecit omnes delitias iuuentutis.* quaſi quò ætate tenerior vitia quis fuerit aggreſſus expugnanda, eò robuſtior viribus incedat, ac ſic debellator de ipſis triumphum gerat: vt adhuc viuens, iam quaſi victor omnium ſedeat, nullis infeſtatus hoſtibus, & de vſu mortificationum, ſub ipſo laborum iugo quaſi ſub torque decoris requieſcat.

§. II.

Graue amoris onus, cæterum leuamen eſt.

824. SEd eſto: ſint in delitiis, & inter vbera labores ſub incunabulis, de vſu dulceſcentes: verum tamen, cur immenſum eorum pondus, non iam faſcis, quàm faſciculus appelletur? ſubiacebat nimirum amoris oneri, cui cætera ſuperpoſita, leuiſſima redduntur. D. Bernard. hìc ſerm. 43. *Myrrhà*, inquit, *amara res, dura & aſpera tribulationum ſignificat: ea ſibi dilecti cauſſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſuſtinere*, &c. *propterea denique non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leue præ amore ipſius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.* Sic tibi verè pon-

dus sine pondere: si quantumuis graue, priùs amoris ponderi noueris acclinari. & quidem, ideo signatè ly *mihi* addidit: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. quia aliis, quibus crucifixus non ita foret dilectus, non tam dulcis fasciculus, quàm durus fascis certè videretur: aliis, amoris onere non dispositis, grauissima crucis onera imponerentur. Idem Bernard. ibidem: *Ideo non ait tantùm, fasciculus myrrhæ dilectus meus, sed mihi, inquit, qua diligo, fasciculus est: vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim, omnium amaritudinum superare molestiam, & quia fortis est vt mors dilectio*. Supponit quidem dilectionem, ne onerum collectione opprimatur: quòque magis illi crescit Christus vt dilectus, eo magis crucis eius fasciculus minuitur.

825. Currebat ad Patrem Christum trepidus peccator, confusus prodigus, occurrit ille exultabundus: *& misericordià motus est*, inquit Lucas, *& accurrens cecidit super collum eius*, cap. 15. n. 20. confectus puer macie, fame pallidus, labore vix hærens ossibus: paterno quomodo onere non corruit, non collabitur? quid tanta fragilitas cadente Patre desuper non cadit? quia veniebat cum cadente amplexu amoris onus, quod & vires pellendis peccatorum oneribus ministrabat, & ad virtutum suscipienda onera roborabat: vtrumque vult Chrysol. *serm.* 3. Sed primum clarius: *concidit*, inquit, *vt amoris onere, onus tolleret peccatorum*. neque enim demittit onera peccatoris, nisi qui virtutum onera non recusat, his verò fulcimentum in amoris onere apparatur: vnde iam adolescens non deficit, sed toto Patri Christo sufficit sustinendo.

826. Reipsa quidem in hoc gesto comprobauit Christus quod dixerat alibi: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite iugum meum super vos*, Matth. 11. n. 28. iubet enim ad se venire per amorem, vt hoc confecti onere, iam inde tollendo eiusdem iugo homines sufficerent: tunc laborum onere non deficis, cùm amoris onus te reficit. Chrysolog. citatus rem prodigo accommodans, qui Patris suscepto casu dulci, pio onere non cadebat, sed iuuabatur: *Vt amoris*, inquit, *onere, onus tolleret peccatorum, Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati estis: tollite onus meum super vos: videtis, quia filius iuuatur istius patris onere, non grauatur*. Iuuatur certè peccator iam pœnitens, & reficitur oneribus tollendis, qui amoris onus tollere consueuit. Vnde notandum, nusquam expressiùs Christum, onus suum leue dixisse, & suaue iugum: *Iugum enim meum*, inquit, *suaue est, & onus meum leue*, ibidem n. 29. quia quidem nouerat laborem aliàs grauem, & duram mortificationem inde leuari suauiter, dulciter mitescere; quia iam per amoris accessum spiritus erectus, portare noua pondera non recusat, nouis substare oneribus non formidat: scit enim, necessariò hæc esse de illius onere leuissima. D. Bernard. loco suprà citato. *An non*, inquit, *fasciculus, cuius iugum suaue est, & onus eius leue? non quia leue in se, nec enim leuis passionis asperitas mortis amaritudo, sed leuis tamen amanti*. Itaque prius ad se vocat amore propinato, quàm onera proponat: illum si epotas, quasvis potiones alias facile deglutíes: illius onus cæterorum fit onerum leuamen.

827. Perperam vulgo putatur Iacob, non nisi finito secundo septennio, Rachele sua fruitum fuisse: te enim vera illo incipiente, accepit mercedem subsecutis deinde laboribus soluendam. *Tandémque*, inquit Scriptura, *potitus optatis nuptiis amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem annis alys*, Genes. 29. num. 30. Sed pende, de hoc secundo septennio nihil dici, cùm tamen de primo dicatur: *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, ibidem num. 2. Nunquid friguit amor Iacob, post arctius coniugij vinculum? minimè: euenit sanè id quandoque insano igni, flammis libidinosis: at Iacob amor putus, ipso vsu, & potiùs votis creuit; cur ergo primum septennium paucis computatur diebus, & de secundo subticetur affectus? putarem, inde taceri, quia totum istud pro nihilo reputauit: si enim amor Incipiens primi septennij onus reddidit leuissimum, idem iam perfectus quid non omnino nullum effecisset in secundo? nec ergo breue dicitur, nec longum, quia, quasi non curreret hoc secundum, transuolauit.

828. Sed pende adhuc in hoc primo septennio aliquid, quod ordinariis amoris legibus visum repugnate: spes enim dilata cruciat, & vota animam laniant suspirata. In singulis diebus mille ac mille sæcula numerantur; quid ergo immensum penè septennium diebus paucis annumerat Iacob? quomodo, quod alius plumbei incessus tempus accusaret, ipse plumæ celebrat leuitatis? Respondent aliqui, Iacob verissimum & castissimum amantem maluisse mereri, quàm frui. meritus quippe seruiendo dilectam decorabat: at fruendo quiescens sibi blandiebatur: perfectus autem amor, non respicit quæ sua sunt, sed quæ dilectæ. Bene, sed nondum plenè: quid enim foret si quantumuis voluptas patiendi ea esset, & amor tantus merendi: aliunde iam in immensum excrescerent labores, vt tandem penè obruerent, cogentes vt dies obsequij longiores viderentur? puto ergo dictum nomine, numerari non tam dies, quàm labores, quos ille amoris onere instructus, leuissimos & volatiles iudicabat. in quouis die septennij innumeros fortè annos, si curriculum temporis spectaris, expectans reputabat: at in illis, muneris pastoritij onera, si laborum aspicias tolerantiam, leuissima, imò pennata existimabat. Alcuinus quæst. 229. *Propter laborem*, inquit, *seruitutis, quem facilem & leuem amor faciebat*. Itaque videbantur dies pauci, si onera laborantis, & multi si sperantis desiderium contempleris.

829. Maius est quod dixerim, ipsam dilationis duritiem, longum terminum à socero sibi impositum (aliis fortasse intolerabilem, & penè in desperationem, penitus in lassitudinem, coacturum) breuiculum, & penè nullum amator strenuus reputabat: qui enim reapse, infinita si viueret sæcula, dulcibus inseruiret optatis, qui breui septennio circunscribi hoc spatium non putaret? Lyranus hic post alia: *Aliter*, inquit, *potest dici, videbantur illi pauci dies in comparatione ad rem tam amabilem, quia pluribus annis seruisset pro ea, si fuisset requisitus*. Sic amoris onere, onus amanti aliàs durissimum, dilationem scilicet, aut nullum, aut leuissimum reputabat. hæc si vera, sunt verò verissima, quanto magis potentioris diuini amoris onere, cæterorum laborum onera etiam sine labore comportabuntur?

830. Volitat diuino percita œstro per ciuitatem sola fœmina primaria: incogniti, neque beneuoli viri domum iniussa ingreditur: fundit ad Christi obsequium, oculos in fontem, crines in linteamen, oscula in ancillatum: nescis Magdalenam, & tamen post tot genera virtutum, tot ardua mortificationis, tot aspers difficultatum, sudit à Christo

tantummo

tantummodo, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc.7.n.47. & cur poſt tot impenſas laboris, vni amori tantùm merces datur? certè, quia vbi ſemel amoris ſubiuit onus, ſic onera cætera leuia iudicauit, vt nullius ſibi laboris eſſe reputaret; Chriſtus ergo licèt ad meritum & præmiorum omnia iuſto pondere trutinaret: ſolius tamen meminit amoris, nihil enim Maria graue in cæteris ſecum penſitabat. Fauet D.Chryſolog ad hunc locum, ſerm.94. *Inter omnia*, inquit, *Dei præcepta, amor obtinet principatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*, Marc.12. *Ama ergo homo Deum, & ama totus, vt poſſis omnia ſine labore vincere peccata. tenera militia, delicati conflictus eſt, amore ſolo de cunctis criminibus reportare victoriam.* ac ſi à Deo toti amare iubeamur, vt inde in nulla parte laboremus: nam cor, anima, virtus amoris roborata onere, in oneribus aliis laborem non agnoſcit: & Magdalena ſolùm cupiat de amore condonari, quia in aliis non ſibi viſa laboraſſe. quod idem in ſponsâ infrà patebit.

Amor hominis delicata militia genus eſt vitiis fugandis.

831. Cape hinc illud Apoſtoli, ſuos animantis: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius?* Rom.9.n.31. vnde enim tanta fiducia Apoſtolo, vt aſſeueret certò ſe ſcire, neminem illorum charitati defuturum, neminem debito obſequio renunciaturum, cùm ad tot crucis genera, tot mortificationis onera, licèt robuſtiſſimus ipſe ſufficeret, de aliis tamen an deficerent, nemo prudens, ob humanam fragilitatem non poſſet ſaltem dubitare? Ponderabat, credo, Apoſtolus, omnes qui charitatis cruci, qui oneri amoris ſufficiebant, reliquas omnes cruces, grauiſſima quæuis onera non ſentire: ſic enim dulciter crucifixi ſub charitatis onere, ſic ſuauiter in amoris cruce degebant eius diſcipuli, ſic ibi leniter dormiebant, vt veluti ſomniata onera cætera viderentur. Allucet Drogo Oſtienſ. *lib. de ſacr. Dom. Paſſ.* vbi explicata cruce corporis & animæ, de cruce ſpiritus ſic concludit. *Eſt quidem tertia crux ſpiritus, quæ eſt charitas. Chriſto, ait Apoſtolus, confixus ſum: quis me ſeparabit à charitate Chriſti? illa crux, id eſt, charitas, cor meum carneum, molle, & tenerum facit, &c. Prima igitur crux per timorem, & pietatem, & ſcientiam, carnem crucifigat; ſecunda crux animæ, fortitudinem, conſilium, & intellectum poſſideas: vt fortitudine terreat diabolum, conſilio dirigat proximum, intellectu cuſtodiat ſemetipſum. nam tertia crux hæc omnia tranſcendit, & collecta in vnitate charitas, in pace in idipſum dormiens requieſcit.* Tranſcendit certè charitas cruces alias, id eſt, ſuperat, & eminet, & onera cætera amoris onus reddit leuiſſima: quia ſub amore, ſpiritus dulci quodam ſopitus ſomno; labores cæteros, non iam iudicat veros, quàm ſomniatos. quid mirum ergo ſi ſomniatas tribulationes diſcipuli Apoſtoli non timerent?

832. Fortaſſe tale aliquid ſignificatum voluit ſponſa aliquando, cùm ex abrupto, amoris ſummi impetu oſtenſura, in illam vocem prorupit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant.5.n.1. Licèt enim ſanctis feruoris innuerent inter dormiendum vigiliæ: aſt ardentior affectus omnino quidem ſomnum auertiſſet, niſi fortaſſe labores & ipſam mortem, ſomnum appellaret: & fauet hic D. Iuſtus Orgelit. qui locum ſic paraphrazat: *Propter Chriſtum*, inquit, *mori paratus ſum: ſed poſt mortem, cum ipſo me regnaturum eſſe credo.* quaſi tribulationes ad mortem vſque deducentes, ſomnus tantummodo viſi

Pintus in Cantica.

præ amoris nimietate, vbi ſpes æternitatis viua & ſecura vigilaret. ni placeo, explica tu mi lector, amabo, ſanctum Doctorem.

833. Comprobat hunc affectum, ille, qui paulo pòſt ſequitur. Erupit anima Chriſtum inuentura, & duros vrbis incidit cuſtodes: percutitur, vulneratur, ſpoliatur: *Inuenerunt*, inquit, *me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum, mihi cuſtodes murorum*, ibidem n.7. Putares hæc omnia, fortiſſimos veluti iuris ſui titulos alleganda ſponſo, vt mitior fugam ſiſteret, dulcis appareret; ſed nihil minus: *adiuro vos*, addit, *filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, ibidem n.8. ex Græco legitur, *quia vulnerata charitate ego ſum*, reliqua tacenda præterit, amorem vnum proponit allegandum: credo, quia in tot laboribus, nihil laborauerat: nec ſentit percuſſorum vulnera, quæ vulnere languebat charitatis.

834. Sed ponderemus adhuc verba Drogonis, qui aptè ad rem meam, cor charitatis cruce, *carneum* reddi & tenerum aſſeuerat. ſcilicet vt impleatur illud, *& dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent*, Ezech 11.n.19. quibus enim datur cor vnum per charitatem, pariter ad virtutes facilis conceditur inceſſus: amouetur enim lapidea grauitas, qua opprimebantur, & carnea pernicitas, qua ambulent, admouetur. Hugo Card. hîc. *Nota*, inquit, *quòd à cordibus debet remoueri diſcordia, vetuſtas, & duritia: vt ſit cor vnum, & nouum, & carneum: vnum ad proximos, nouum in ſe, carneum, id eſt, deuotum ad Deum: hæc facit charitas, vnit, innouat, emollit.* Exterminatur igitur cor lapideum, quia nimirum iam non grauat Dei imperium, lex crucis non premit, nec obruunt præcepta: ſed per charitatem, ad hæc omnia amator velox, imò volans reperitur.

835. Nec immeritò pernicitas iſta facilis, qua cor amantis, lapideæ opponitur grauitati, per carnem potius, quàm per aliud quiduis leuiùs explicatur; quia, vt bene idem Hugo: *Carneum*, inquit, *cor, id eſt, molle & tenerum, ſiue receptibile, vt in eo inſcribantur mandata Dei, tanquam in tabulis cordis carnalibus.* Audi nunc quid Dauid canat de Iuſto: *Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius*, Pſal.36.n.31. Vatabl. legit, *non nutabunt greſſus.* qui enim in carneo per amorem corde, mandata diuinæ ſcribit legis, quin imo et incedit facilis, velox percurrit: incurrit verò vbique, nuſquam non nutat, qui abſque amoris onere, lapideo cordis oneri ſuccumbit.

836. Et aptè tabulæ cordis (quas miſericordiæ ſcribendæ exigit Salomon *Prou.3.n.3*) ſcribendæ diuinæ legi amatoribus Chriſti requiruntur: id enim præter Dauid teſtatur *Eſai. c. 51. n. 7.* Etenim in eo maximè lex amoris per Chriſtum, à lege timoris per Moyſem ſeparatur, quòd lex in cordis tabulis portetur facile, quæ olim in lapideis tabulis opprimebat. Vnde & hodie qui amoris oneri non ſuccumbit, quodammodo priſcis lapideis tabulis obruitur, & opprimitur lege, quam, ſi amator eſſet, leuem & facilem reputaret. Pulchrè D. Auguſt. infrà citandus: *Quibus*, inquit, *iniuſtis, & non ſubditis, lex in lapideis tabulis ponitur, præuaricationis reos, non promiſſionis efficit filios: ſed & ille, qui eius meminit, nec eam diligit, eo modo reus eſt, quia memoria eius lapis illi eſt quodammodo ſcriptus, non quo adornetur, ſed quo prematur.* Dilige ergo legem, ſuccumbe amoris oneri, & tunc lapidis grauitas premens;

tibi pretioſi ſpilli comens ſplendor, non oneris reddetur, ſed honoris.

837. Hoc etiam ſignificatum voluit Propheta Pſalm. 118. n. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* vbi Auguſt. *Illa*, inquit, *dilatatio charitatem ſignificat.* bene: ideo currit penè aliger ſine grauedine, quia amat: ideo legis & præceptorum onera non ſentit, quia præſentit onus charitatis. hac experientia ſubiungit ſtatim num. 33. *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* aliàs enim difficilis eſt locus iſte: cùm enim Dauid iuſtus eſſet, quomodo ponendam ſibi legem oret, dicente aliunde Apoſtolo, *quia lex iuſto non eſt poſita*, 1. Timoth. 1. num. 9. dicendum legem amoris in corde magis ac magis ſibi inſcribi poſtulare, vt lapidea grauitas, lex ſcilicet timoris in lapide ſcripta (quam iuſto non poſitam vult Apoſtolus) à ſe prorſus abigatur. D. Auguſt. *ad hunc locum Pſalmi*, ſic Apoſtolum Prophetæ conciliat, adductis verbis Ierem. 31. num. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* & tandem ſic concludit ſanctiſſimus Doctor: *Ecce quomodo voluit iſtam legem ſibi poni à Domino: non ſicut iniuſtis, & non ſubditis ad vetus Teſtamentum pertinentibus, poſita eſt in tabulis lapideis: ſed ſicut ſanctis filijs liberæ, hoc eſt, ſupernæ Ieruſalem, filijs promiſſionis, filijs hereditatis æternæ, ſancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus ſcribitur.* ſcilicet lex timoris, vtpote pagina rupea, ſaxeum volumen ſuos opprimebat: & tanquam ſeruis, grauiſſimas illi compedes innectebat, catenîſque ferreis quodammodo onerabat: lex verò amoris, cordi leuiter ſcripta portatur facilis, & quos in libertatem aſſerit, ferreis abſoluit vinculis, quia vix legis onera, cùm ſint aliunde maxima, ſentire poſſunt.

838. Voluit, vt id obiter notem, hunc etiam affectum in profano amore expreſſum Statius *lib. 1. ſyl. 2.* vbi ſic Cupidinem inducit referentem de iuuene amatore,

Ex illo quantos iuuenis premat anxius ignes
Teſtis ego: attonitus quantum me nocte diéque
Vrgentem ferat: haud vlli vehementius vnquam
Incubui, &c.
Ipſe ego te tantos ſtupui ſupereſſe per aſtus,
Firmauique animos, &c.

Ipſum quippe Cupidinis incumbentis onus, cæteris tolerandis oneribus, ac æſtibus ferendis animos addebat. Quidni ergo amor diuinus faſcem laborum conuertat in faſciculum?

§. III.

Caro caſtigata, iam non carnalis, non vitijs corrupta diffluit, non libidinibus putida vermeſcit.

839. NEmo neſcit in myrrha hac ſponſæ propter amaritudinem, mortificationem deſignari, & vitam Chriſtianæ crucis imitationem: nemo etiam neſcit vim myrrhæ à corruptione præſeruantem. Sumitur igitur mortificatio, vt ipſa caro, quæ vitiorum tabe aliàs diffluerer, corrumpenda, quæ libidinum vermibus ſcateret, incorrupta perſiſtat: neque iam in ſponſa ſit caro carnalis, ſi de integritate valeat cum ipſo ſpiritu decertare: vnde bene hîc Bernard. ſerm. 43. *Sanè*, inquit, *inter tot odorifera myrrhæ huius ramuſculos, minimè prætermittendam putaui etiam illam myrrham, qua in cruce potatus eſt: ſed neque illam, qua vnctus eſt in ſepulturam: quarum in prima applicuit ſibi meorum amaritudinem peccatorum: in ſecunda, futuram incorruptionem mei corporis dedicauit.* neque enim indigebat Chriſtus hac myrrhâ, vt mortuus corruptionem euitaret, ſed dedicauit ita incorruptionem noſtram mortificationis myrrha promouendam: quaſi habendo in beato iam corpore incorruptibilitas glorioſa, vni ſit mortificationi adſcribenda, quæ priùs vermem libidinis detruncauit.

840. Id quidem fatentur Angeli, huius animæ pulchritudinem demirantes: *Quæ eſt*, inquiunt, *iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thurris*, Cant. 3. num. 6. vt enim beatus iam ſpiritus inſtar pretioſi iam ſuffitus thurei Deo aduolabat: ſic caro iam non carnalis, incorruptibilitate nobilis de mortificationis myrrha, pari penè paſſu cum ſpiritu aſcendebat. Aliud intendit Gilibertus, qui tamen hîc, de hac myrrhâ, optimè ad rem meam: *Et bona*, inquit, *myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit, & fluxos motus laſciuire non ſinit: & carnem non eſſe carnalem compellere nititur.* Verè carnis carnalis, hæc caro iura ſuperauit, quæ quodammodo ſpiritus iure gaudet; & incorruptibilitatis decore de mortificantis myrrhæ auſpicijs ſic venuſtatur, vt cum thureo ſpiritu, conditione non degener ſimul in aſcenſum componatur.

841. Probaturus originem ſuam Phaëton (priſcorum eſt fictio) igneos Solis currus exigit gubernandos, timet ſol pater puero, & mentis imprudentiam, & corruptibilem carnis agnoſcens conditionem. quamuis illam minus poteſt ab errore, hanc ſaltem ab incendio cupit præſeruare. quid tunc? eleganter Ouid. 4. *Metamorph.*

Tunc pater ora ſui ſacro medicamine nati
Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ,
Impoſuitque comæ radios.

Cùm enim maxima vis ignis, in his capite collocandis radiis collocaretur, neceſſarium fuit præſeruante medicamine caput præmunire, alioquin incendio periturum. Sed en tibi ficto facto, ſed fauſto fato, non ſolùm capite, ſed toto corpore igne cœleſti cingitur Helias, Helios verè (ſic Græci ſolem vocant, & fortaſſe ab Helia, vt innuit Ambroſ.) & igneo curru vectus, lora ignea tenens, igneos equos rapitur gubernans: *Cúmque pergerent* (inquit ſacer textus de Helia, & Heliſæo) *& incedentes ſermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Helias per turbinem in cælum*, 4. Reg. 2. n. 11. Nec tamen audis præſeruans medicamen flammarum auiditati illuſurum: ſed ſanè non ibi deerat: mortificationis myrrha muniebatur, ſecurúſque de incorruptibili carne, à corrumpente incendio peruolabat. D. Ambroſ. lib. de Helia, cap. 3. *Quis*, inquit, *humana virtute, equos igneos, currus igneos potuiſſet aſcendere? regere currus aerios? niſi qui naturam humani corporis, incorruptibilis ieiunij virtute mutaſſet.* Mortificatio itaque carnis ieiunantis, & ſacra incorruptibilis myrrhæ virtus, Heliam mutatâ conditione reddidit incorruptibilem.

Ieiunium incorruptibilia reddit corpora.

842. Furens ſæuiebat fornax Babylonis, & ſuccreſcens ignis voracior paſcebatur: *Porrò viros illos*, inquit Scriptura, *qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis: viri autem hi tres Sidrach, Miſach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum*, Daniel. 3. n. 22. non noſſe quidem flamma conditionem, quæ impios

idololatras.

idololatras consumebat, sed meliori conditioni, & praeseruanti puerorum medicamini cedebat: ieiunij nimirum, & mortificationis myrrhâ, caro incorruptibilem sortiebatur iam naturam. Sunt pulchra verba in re trità, illa D. Eucherij Lugdun. *homil. 3. de Epiph.* vbi ita. *Ecce horrendum nescio quid, anhelantes globi, & per quadraginta cubitos, ebullientes extrinsecus saeuiunt: intrinsecus parcunt: extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur. quanta castis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit, nihilque sibi licere miratur, in corpora Dei timore, & sacris ieiuniis consecrata, & pretiosum depositum non violat occultâ Dei dispensatione, sed vindicat.* Sic consecrantur corpora, quae libidinem execrantur, & flammis igneis illudunt, quae lascinas flammas superarunt: sic durant corruptionis expertia, quae mortificantia ieiunij experta sunt virtutem.

843. *Luxuria vermescit.* Sed videamus iam vermescentem carnem, nisi mortificationis myrrhâ praeseruetur. & quidem ideo Reges Magi scientiae pariter, & imperij titulis coronati, myrrham nascenti Christo obtulerunt: vt quem stella nuntiante, caelestem hominibus conditionem adducere cognoscebant: fugandis corruptibilia carnis vermibus, & inducendae eisdem incorruptibilitati etiam natum praedicarent: quem proinde myrrhatis donis tamquam illorum proprium largitorem prosequebantur, *Matth.2.n.11.* ad quem VVerricus apud Godefr. post multa. *Myrrha*, inquit, *in corde tuo dolor est, myrrha in corpore labor: si tamen iste, vel ille paenitentialis est: myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit: effectu autem praeter alias suas vtilitates corruptioni resistit, &c. ipsi etenim scitis quomodo vermescerent corda, & corpora, si non de manibus laborantium distillaret myrrha: an non vermis luxuria, nescio si alter nocentior, ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transfert delectando, perimit consensu voluntario?* afferunt ergo Reges myrrham, vt pij se ab his vermibus probent reseruatos: frustrà enim caelestis & incorruptibilis Regis Iesu curiam curea frequentare, ni frequenti myrrha te penè caelestem probes, nec alicunde vermescentem.

844. Profectò hac de caussâ, quando omni depositâ acediâ, omni tristitiâ fugatâ, adhaesura Christo, Christum insecutura sponsa ostium aperuit, myrrha inundauit: *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meae stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima*, Cant.5. num.5. Sed quid inquis, nonne pretiosiora alia vnguenta sponso offerenda afferre poterat? forsasse: nullum tamen ad praesentem articulum significantius: frustrà enim nuptiis incorruptibilis sponsi inhiaret, nisi iam ob mortificationem veniret incorruptibilis, frustrà liliati agni affectaret amplexus, ni putorem vermium auerteret. Adducet ibidem VVerricus subiungens: *An non*, inquit, *vermis acedia? tristitia? sicut tinea, inquit, vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi: beatus igitur cui ad mortificandos eiusmodi vermes, manus propria distillans myrrham per vniuersum sui.* vt iam esset os ex ossibus, & caro de carne Christi, quae huius incorruptibilitatem nullis subiecta vermibus referebat.

845. Explicatur hinc illud Isai. cap. vltimo, num. item vltimo, *& egredientur, & videbunt cadauera eorum qui praeuaricati sunt in me, & vermis eorum non morietur.* Vatabl. legit: *qui perfidè à me desciuerunt*, Sicut enim qui, fidelia tamquam membra, Christo iunguntur capiti, perstant incorruptibiles: sic qui ab illo separantur, in putida cadauera degenerant; quam vnionem illi merentur, quod per myrrham mortificationis incorruptibiles facti accesserunt: qua separatione isti iudicantur digni, quia libidinum vermibus putruerunt: sic meritò interno & aeterno conscientiae vermi traduntur, vermium scaturiginem priscam vindicaturo. VVerricus citatus in eodem pergens: *Iam praeuenit vngere corpus suum in sepulturam, sed suum dicam, an Iesu? imò & Iesu: corpus enim illius membrum est Iesu: quisquis ille est, qui sic vnctus est, non est quòd metuas vermem, qui non moritur, quia iam ei mortuus est vermis, vnde ille oritur.* & quàm Deo impium, quam crudele nobis, si non curamus tanto medicamine vermes hos auertere, cum quibus incorruptibili capiti iungi non conceditur: impium Deo, quem membro defraudamus, crudele nobis, quos putredini condemnamus.

846. Iam inde capio, cur Ecclesia diuinum suspirans spiritum, maximè Christi osculis aspiraret, *osculetur*, inquit, *me osculo oris sui*, Cant.1. num.1. amoris enim oscula, spiritum ad inuicem transmittunt: ideo autem, ni fallor, cùm mille aliàs vias habere posset, hanc potiùs ebibendo spiritui concupiscit, quia diuinorum nouerat ingenium labiorum: *labia eius lilia distillantia myrrham primam*, Cantic.5. num.13. de quo Lucas Abbas ibi, de iis locutus, qui hanc myrrham amatam aliquando iudicabant: *Curati*, inquit, *laudant & ipsi tanta medicina myrrham, quae viuentia corpora, à vitiorum doloribus intrinsecus sanat, & mortua, à corruptione vermium illaesa conseruat. ita & memorata doctrina, & in praesenti curat, & in futuro à verme poenarum conseruat.* Meritò igitur, addam ego, ad osculum suspirantur haec labia, vnde myrrha hauritur, libidinum mortificans vermes, vt quandoque post mortem corpora euadant vermes, certè semper poenarum vermes euasura. Bene etiam hic Philo Carp. *Vt myrrha*, inquit, *carnes illiniuntur, ne putredinem sentiant: ita Sanctorum exempla atque Martyrum, auribus adhibentur audientium, vt carnem suam cum vitiis omnibus, & concupiscentiis crucifigere discant, ne & ipsorum animae miserè putrescant.* vt inde venenatam putrescentis libidinis noscas conditionem, qua ipsa adhuc imputribilia animae conditio vermescit.

847. Hanc mortificationem etiam sub salis mordacitate intellectam voluit Christus, *Matth.5.n.13.* quando Apostolis dixit: *Vos estis sal terrae.* de quo ibi Remigius in catena. *Sapientia*, inquit, *caelestis per Apostolos praedicata exsiccat humores carnalium operum, aufert faetorem & putredinem carnalium operum, & vermem libidinosae conuersationis.* Doctrina scilicet mordacitate salis condita, quae crucem praedicet, inculcet mortificationem. Sed iam nouum huius effectum speculemur.

§. IV.

Caelestium nuptiarum pronuba, de sanguine senera, de cauterio singularis, de assiduitate vigilans exhibetur.

848. SCiendum ergo, meritò sponsam, quae assiduè feliciorem nuptiarum diem suspirabat, hanc vermium & putredinis corruptionem penitus praecauisse: verè enim haec mortificatio, qua tam perfecta puritas comparatur, diuinis nuptiis animam adaptat: non enim crucifixam animam Christus

stus sibi despondet, ascende crucem, & thalamum inuenies: quo feruentiùs ibi gradus ponis, eo pulchriùs ad nuptias te componis: quo altior in cruce locaris, eo dulcior in amplexu collocaris. vnde illud Cant. 8. num. 5. *Sub arbore malo suscitaui te.* de quo bene D. Gregor. Magnus, *Sponsam*, inquit, *suam Christus sub arbore malo suscitauit, quia in cruce positus subditam sibi Ecclesiam, ad vitam vocauit: vt à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens, ad nouam resurrectionem properaret.* Multa hîc de theristrio Thamar, id est, de mortificationis extenuatione: de myrtino vnguento Esther, id est, pungenti afflictione, & similibus, quæ PP. tamquam cœlestibus nuptiis disponentia celebrarunt, afferri possent; sed licèt tropologica tractatio necessariò allegorias admittere teneatur: tamen quia hæ nostro sæculo non ita ad gustum, ad alia, de litterâ, mores aptiùs formanda properandum: aut saltem in quibus, allegoriâ suppositâ, littera adhuc cum voluptate negotium facessat: si adhuc ita fastidis, perge ad alia.

849. Sanciuit quidem sacro exempli sui duplomate legem hanc ipse Rex noster Christus: vnde illa vox Cant. 3. num. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* posse locum explicari de nuptiali serto, certo certius: nemo tamen negauerit, *diadema* magis imperij insigne, quàm connubij signum propalare: cur ergo eo ipso die, quo Rex prostratis hostibus coronatur, nuptiarum tunc celebretur festiuitas? cur triumphatoris currus thalamum consequitur? quia diuinæ nuptiæ, inde felices, vnde victrices: inde tunc dulces ad fruendum, vnde priùs duræ ad laborandum. quo te pudeat, si velis ad Dei nuptias aliò peruenire, cùm ad tuas per laborum mortificationem, imò per mortem Deus ipse accedat. Pulchrè Gilibert. serm. 11. *In die*, inquit, *desponsationis & lætitiæ: vide ordinem, vnus dicitur desponsationis & coronationis dies: si istud scis, beatus es si sequaris: conuertis ordinem, si vis prius desponsari, quàm coronari: si prius vis ad iucunditatem & quietem deuinciri Christo, quàm cum Christo vincere: anticipatio quidem beata, sed non ordinata, si ante triumphum, thalamum tibi optas collocari: si ante laborem præsumis lætitiam. vnus est his tribus constitutus dies, diademati, desponsationi, & lætitiæ cordis.* Frustrà enim nuptias tantas petis, nisi mortificationis suffragiis felicem priùs egeris candidatum; nisi pronubam tantam sortiaris.

850. Hinc elegantissimè Saluianus *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* de peccatore ad vltimum morbum pœnitentiam reseruante, graui ironia sic scribit. *Sed cilicio carnes suas conteret, ac fauilla & cinere sordidabit, vt mollitiem videlicet præteritæ voluptatis, præsentium asperitatum duritiâ compenset, & reatum longarum delitiarum, officio patrocinantis soluat incuriæ: sed quando hæc tam grandia faciet, & vicino iam exitu ejiciam à mediocrium actione disclusus.* Imprudentum nimirum est virginum, nuptialia, pulsante iam sponso, ire quæsitum, *Matth. 25.* incuria sui, & delitiarum omnium mortificatio præcedat necesse est: hæc suffragatrix est, & cœlestia connubij pronuba patrocinans, vt sicut candidati (noto alibi) sordes & incuriam mouendis tribubus olim affectabant: sic voluptatum incuria, curiosissimè sponsi amorem sollicitans, iudicis iram fugare intelligatur. Sed redeo ad nostrum Salomonem.

851. In ferculo illo, quod gloriæ suæ festiuissimam pompam ostentauit, nihil, vt alibi pondero, ascensu erat pretiosius: *Ferculum*, inquit textus, *fecit sibi Rex Salomon, &c. ascensum purpureum*, Cant. 3. n. 9. id est, vt aliqui volunt, ascensum sanguine suo purpurauit. & quorsum, inquis, liquidi illi pyropi, potiùs in iustorum diadematis radiaturi, ipsorum calcandi pedibus sternuntur? attende. pugnaturi elephantes, alieno sanguine intingi solènt, ne fortè in conflictu vulnerati, ad proprij effusionem expauescant; & nos senticosam virtutis viam calcaturi, salebris & spinis necessariò pedes feriemus, quam ne turpiter retrogredientes, deseramus pauidi, priùs cœlestis agni sanguine illos intingimus: vide si non aliquid tale aperire hîc voluit Gilibert. serm. 18. *Tu*, inquit, *sponsa Christi, candido preme pede gradus purpureos: nobilis est semita, quam dilectus tuus priùs incessit: quam pulchri sunt enim gradus purpurei, quos pede sacro Christus prior signauit? pedibus illis, quibus nullus puluis adhæsit, quos cruoris suo signauit vestigio. & tu ardenter vestigia relege, aufer calceamentum de pedibus tuis, sanctus enim ascensus est, quem disponis.* Quis enim sacra vestigia relegens, carnem timeat lacerari, in quibus se diuino cruore aspicit intinctum? sed tamen hunc locum sæpiùs, & noua semper ponderatione, nouáque eiusdem aucturis sententiâ examinabo. Nunc ad rem præsentem: quid, quæso, latet in hoc ferculo, vt prouocandæ mortificationi nostræ, necessariò diuinus cruor ascensui impenderetur? Consule Syriacam, quæ vertit *lectum* pro ferculo. alij *ibidem* clariùs legunt: *thalamum fecit sibi Rex Salomon.* idque ego iurarem, non nisi sanguineis gradibus ad thalamum conscendi.

852. Sed esto ferculum: nonne, vt ibidem dicitur, *media eius*, charitate constrantur propter filias Ierusalem, animas scilicet sanctas? ita planè: ergo, inquam ego, id satis, quippe ad charitatis meditullium, vbi tenetur sponsus, his tantummodo sanguinis & mortificationis gradibus peruenitur. ideo Eusebius Gallicanus, licèt ad rem aliam serm. 3. de Epiph. *In quantum*, inquit, *te à terrenis abstraxeris, in tantum te cœlestibus insinuabis; quia abdicatio criminum, adoptio est meritorum, & ita homo mundo sobrius, & Deo ebrius, ad vota cœlestium gaudiorum, tamquam ad celeste conuiuium præparatur.* Sunt apud Eusebium nuptiæ, votorum nomine explicatæ, vt vtriusque paginæ testimoniis firmabo alibi, ad quas mundo sobrius per mortificationem perfectam, & per amorem perfectum Deo ebrius debes appropinquari.

853. Hoc certè (hic totus penè titulus est nobis ex Cantico concinnandus) expressiùs habemus citato cap. num. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Vt nemo, (quod alibi ex Giliberto notabo) lectum ascendat, quin inter districtos enses, carnis lasciuiam, & cordis ignauiam relinquat; sed hoc esto, ad animas alias, cùm primùm deliciis sponsi aduocantur: ast sponsæ illæ, quæ de consueto secreta penetrant, arctissimis castitatis & charitatis complexibus religandæ, semper ne inter gladios commorabuntur, semper de vulnere venient ad amores? Equidem semper: vt per noua amoris vulnera, nouis beati thalami deliciis perfruantur: inter quæ tot incendia, non solùm abominanda ignauia, sed vel etiam leuissimæ cuiusuis frigoris & torporis reliquiæ mortificatæ extinguantur: Idem Gilibert. *serm. 16.* postquam in aliis, alia mortificanda scribit, iam ad sponsam dulciorem, ita: *Hoc quidem*, inquit,

inquit, *in aliis: tu vero suauius vulnerasti, vt charitate transfixa nocturnum ignores timorem: nec quidquam habeas frigidi timoris admixtum, sed tota transeas in affectum ignisi amoris, qua in solum amorem vsum dedicata, & in charitatis locum ascensura, stratum dilecti, lectulum Salomonis.* quantum ex eius verbis coniectare licet, flammeos hos gladios voluit Gilibertus, qui eodem ictu & amori viuificando, & mortificando timori, quem perfecta charitas excludit, cauterium importaret, vtroque munere singulare.

854. Sed in re mortificantia vulneris est elegans D. Paulinus epist. 4. alludens ad nuptias *Deuteron. 21. num. 12.* declaratas: vbi de captiua ducenda in vxorem ita Scriptura: *introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est.* de quo ita Doctor grauissimus. *Remedij*, inquit, *& decoris nouacula, nobis Christus Deus est: qui cor nostrum circumcidit, vitia radit, animæ caput leuigat, & faciem mentis accurat: nosque, vt illam in lege captiuam purgat, & liberat horrido miseræ seruitutis capillo, vt coniungendi Domino, velut illa in Israelita viri nuptias transitura, criminibus carnis nostræ, quasi barbaris crinibus exuamur.* etenim qualis esset barbariæ ad purpuratos supremi Regis amplexus, horrido vilis soloeis pædore contendere? neque sine mysterio, vt puto, crinea præcipuè & vngues iubebantur captiuæ circumcidi: sunt enim hæ partes, quæ semper dum vita durat, viuentes crescunt, pullulant altiores: vnde ne fœdè vltra debitum prodeant, perpetuò repastinandæ. quò iam sponsa Christi cognoscat, perpetua sibi mortificatione inuigilandum, ne per incuriam, comarum horrore incompto, vnguium contumaci curuatura, leænæ iubas & vnguea imitetur.

855. Quid? contra viuam libidinum segetem spissâ vmbrâ spinarum obrutam miserè, mortificationum segetem producat necesse est. nnoquid ponderasti aliquando, cur mortificantis myrrhæ allectamentis inuitatus Christus, exclamârit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, Cantic. 4. n. 6. quid enim tunc, si sponsa domi contineretur? quid si myrrhâ cubiculum spargeret, nec in monte inter myrrhinas arbores moraretur? ineptiret, nec veniret ad illam Christus, nisi fortè ipsa domus, montis instar in iam diuina germina frondesceret. Gilibert. *serm. 28.* nusquam acutior. *Myrrha*, inquit, *asperge, & irriga, profundo cubile tuum: vel potius, esto mons myrrhæ: vberior enim gratia, vbi myrrha nascitur, quàm vbi aspergitur. in hoc monte colloca cubile tibi, imo dilecto, tu quadam myrrha copiâ, vbi hæc species aromatica, magis oritur, quàm adhibitar.* multam licèt lignorum congeriem domi in hyemes habeas repositam, si tamen inde semper impendis, nec rependis aliunde, tandem absumetur: mons viuus periculo isto vacat, quantum hinc truncas, inde repullulat. Sponsa igitur, cuius viuus fomes silucscit semper, quantumuis abscindatur, viuam illi mortificationis segetem contraponat: aliter hâc aliquando absumptâ, ab illa in immensum crescente suffocabitur.

856. Vnde iam capies illud quod de leproso mondato id est, anima ab adulteris erepta, & vero viro sic Christo per summam mundationem restituta post alia præcipit lex diuina: *Die autem septimo radet capillos capitis, barbamque, & supercilia, ac totius corporis pilos*, Leuit. 14. num. 9. euellendi enim potius capilli videbantur, si depositi contagij figurâ deponebantur, & tamen solum præcipiuntur radicibus resecari, vnde crescere poterant: vt anima iam sponsa & munda, dum quotidie sentit viuos affectus recrescentes, viuâ etiam crescere mortificatione contendat. Radulphus hîc apud Godefr. *Notandum*, inquit, *quòd pili radi præcipiuntur, non euelli: quantalibet enim hominem virtus sanctæ conuersationis euexerit, adhuc de vetustate vitij nascitur, quod & tollendum, & quotidie pro viribus amputandum.* Sed adhuc nonus de mortificatione titulus apponendus, quo totum hoc caput primum concludamus.

§. V.

Per hanc, fracta virginitas quodammodo sibi restituta.

857. Tandem nullum mirum, si mortificatio ab omni corruptione præseruet virginitatem, ideoque tam auidè ab sponsa retineatur: quandoquidem corruptam virginitatem solet quodammodo restituere. tractauit iam hanc materiam Pater Franciscus de Mendoça *ad Reg. 1. cap. 6. num. 8.* Franciscus, inquam, ille, paulo antè Societatis nostræ columen, nunc, vt spero, iam cœli lumen. nec spes vana: Lusitanæ nobilitatis flos regio splendore purpurascens, ditissimo fortunarum censu illustratus, quippe familiæ suæ princeps, sensu plusquam senili, Societati nostræ se dicat adolescentulus: vbi suauiorem sanctimoniæ odorem cœlo, quàm sæculo ceterarum dotium antè respirauit. ibi studiis sacris deditus, virtute auspice, Christo duce, magna promisit, maiora adimpleuit: patrus penè diuinos illos, quos iam cepimus, & inde capiemus, de aliorum ingeniis, & longo iam confectis senio vberrimos existimandos Francisci nostri habemus libamenta: truncatus, credo, virescenti ætate, ne si quæ meditabatur, perficeret, animos scribendi ceteris ademisset. Scripsit expositiua quæ vocant, quia pijssimo illi spiritui dulciora: qui si vt poterat tractaret scholastica (Conimbricæ, & Eboræ fidem testor) Suarios & Molinas adæquaret: ecquis enim ad illius ingenij solem non caligauit? materiæ quas tractat, omnes alliciunt: sed genus eloquentiæ quo illas tractat, vt rarum & penè inimitabile magis admirantur, atque insuperabile fatentur, & ego fateor, nisi scribentem cum sa ipso, ac vtplurimum ex tempore, dicente composueria: ibi enim nescio quomodo viuo illo, & ardenti spiritu altius detonabat, fulminabat vegetior eloquentia, quæ scripta, nosceentibus virum, languet, & aliis ignita, dulcis, nobis discipulis desipit, relentescit: fortè erat eadem, sed vocis claritas, manus venustas, tota denique oratoris pronuntiatio rapiebant. Id felix iucundissime Pater, ô longum vale magister suauissime: fruere in patria iam amico Deo, quem adhuc in exilio profusissimum es expertus. Gaudeant Lugdunenses sacro tuorum cinerum thesauro: nos cum Vlyssipone ereptas nobis reliquias doleamus; sed fallor: vbicumque moreteris hospes, qui cœlo suspirabas ciuis, mundo peregrinus. tu, mi lector, parce digressiunculæ: non potuit stilus magistro cui cuncta debet, pauca ista non impendere hodie Non. Iul. anni 1626. dom audiui è Roma redeuntem tantum Doctorem fato concessisse: malena inter lachrymas natatet aberrat ot calamus, quàm obætatus spiritus, soluendo pietatis officio tardaretur. iam ad rem.

858. Celebratur prima fœmina ab Ethnicismo ad fidem

fidem conuersa; sed illa meretrix, vt meretricum pœnitentium, quæ regnum cœlorum erant possessuræ, aut arrhas, aut typum ferret *Iosue cap.2.* de quo latè D. Prosp. Aquit. *lib. de prom. diu. part.2. cap.15.* tandem nobis concludens: *Sed tales*, inquit, *Iesus noster etiam suâ gratiâ dum suscipit ad salutem, diuinitate illâ potentiæ suæ fornicariam virginem facit, quam pronubus in se Paulus casto spiritalique connubio componit, dicens: Aptaui enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* vt non solùm vita viueret Rahab meretrix, sed etiam de fornice virgo suscitaretur.

859. Et fortasse id voluit significare purpura illa, quam sibi munimen posuit ipsa meretrix: *si ingredientibus nobis*, inquiunt Israëlitæ, *terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, per quam demisisti nos*, Ios.2. num.8. nemo enim nescit purpuram virginei pudoris stemma esse: imò priscorum quidam nec tingi nec fucari scribit congruenter lanas murice, si infectores accedant minus casti: *quia talium*, inquit, *rerum secreta, refugere dicuntur immunda.* Sed meliorem hic purpuram aucupatur D. Ambros. *lib. de Salom. c.5.* quem iam dedit meus Mendoça locutus de meretrice Prouerbiorum: addo quæ subdit de Rahab ad rem meam. ergo de hac meretrice, quæ typum gerebat Ecclesiæ, ita Ambros. *Post meretricem*, inquit, *fit virgo, quia vni se destinauit sponso. nam & Rahab illa meretrix Hierichuntis, quæ speculatores Iesu naue excepit hospitio, & quod signo cocci signata, qui color figuram Christi sanguinis indicabat, & quod euersionem ciuitatis euasit, Ecclesiæ typum habuit.* vt sicut Ecclesia virgo & sine ruga, sponso Christo fruitur: sic quæuis anima etiam meretricis, virtute huius sanguinis pœnitens, etiam quodammodo virgo reputetur.

860. Illustrabitur hinc illud *Apocal.14. num.* item 14. vbi de Agni comitibus: *Hi sunt*, inquit textus, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocumque ierit:* de quo ibi D. Ambros. (si is est) ita scribit. *Oritur quæstio. nam si in illa beatitudine diuersi ordines sunt, vt sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines: quomodo omnium Sanctorum animæ virgines dicuntur, & in tantum virgines, vt cum mulieribus coinquinati non fuisse dicantur?* supponit Sanctus Doctor in hoc loco, omnium iustorum animas ibi intellectas, omnes de gratissimi Agni sequela collaudatas: quidni? desiperent cœlestia pascua ouibus, si principem agnum sequi non daretur: quæ enim poterat esse voluptas, vbi zelotypus amor, ereptum sibi dilectum condoleret? quid faceret Petrus, quid alij purpurati multi cœlestes, quibus in hoc sæculo virginitatis conditio non obrigit? omnibus ergo beatis, tantæ prærogatiua sequelæ concedatur, necesse est: iam verò cur omnes, virgines dicantur, aperit statim: *Fuerunt*, inquit, *multi, qui post Baptismum multa scelera commiserunt: sed cùm per pœnitentiam & lachrymas atque misericordiam, cæterisque bonis operibus, mala quæ gesserunt delere studuerunt, & in bono proposito perseuerarunt, Domino veniente, virgines reperti sunt: quidquid enim in eis fuit reprobum, charitatis remediis est purgatum. fuerunt & coniugati, qui Deum tota virtute dilexerunt, & in virtutibus vitam ducere studuerunt. Illorum igitur animæ rectè virgines vocantur, quia si quas sordes ex coniunctione fœminarum traxerunt, bonis operibus deletum est.* Sic immaculatum Agnum, oues omnes sequuntur per pœnitentiæ mortificationem immaculatæ, & virginea vestigia virgineo gressu gaudent percalcare.

861. Vnde iam sortitur OEdipodem ænigma illud Isaiæ, Christi Domini mira enarrantis, *& erit*, inquit, *in illa die sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti*, cap.7. num.18. animæ nimirum obtenebrescenti, & putidis carnis voluptatibus, instar sordescentis muscæ inhærenti: magna ista gratia, sed ecce alia maior, *& api quæ est in terra Assur*: apud quas litteras apis munditiès, sexus vnus, virginem non significat? notaui suprà latiùs: iam ergo meretrix cum virgine simul vocatur. En tandem maxima, *& venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus*, num.19. vt nihil intactæ virgini reseruetur, quod meretrici non pateat pœnitenti: vt dum eisdem foueantur blandimentis, paribus amoris indiciis excipiuntur: iam musca sordida transeat in apem, sponsaque, & quod consequens est, virgo intelligatur: id certè voluit Drogo Ostiens. lib. de sacr. Dom. Pass. *Habet*, inquit, *septem ostia fluuius Ægyptius, quæ de vno capite, id est, superbia deriuantur: horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muscæ, immunditiæ semper amatrices nascuntur: nec istam despicit superabundantia gratiæ, sed sibilat, & euocat eam de extremo fluminum, & iungit api quæ erat in terra Assur, vt veniant & requiescant simul: apis virgo est*, &c. ac si iam musca in apem transformata dulci amoris spiculo fluat mellea, cerea accendatur.

862. Huc facit, meo iudicio, vox illa Ecclesiæ matris: *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cant.2. num.5. virginibus nimirum cingi optabat, quæ amoris deliquium, (dum ipsæ amoris custodes) fulcire poterant, & bene virgines flores appellantur, de odore gratæ, & de fragilitate periculosæ: breui flatu flos perit, & minima labe virginitas deturpatur. hoc fortè periculum significatum voluerunt qui vertunt ex Hebræo, *fulcite me vasis vitreis*, nihil enim vitro datur delicatius: quod vt leui spiritu oris componitur, sic eodem frangendum deturbatur. Ego tamen in hoc vitro, vt in speculo, video mentem meam: nihil vitro fragilius, nihil fracto irreparabilius, nisi iterum ab artifice in fornace liquefactum restituatur: pulchrè ergo virginitatem denotabit fragilem, & irreparabilem: quæ tamen à Deo inter amoris flammas, inter fornacis tribulantis incendia quodammodo restituitur.

863. Dubitaui sæpe, cur, cùm olim nuptiæ facibus & lampadibus cereis, aut spineis similisque materiæ, vt passim legis, excipi solerent, virgines illæ Euangelicæ *Matth.25.* vitreas lampades, vtpote oleo accensas, asportarent potiùs: visus quæ saltem (litteram alibi fortè tractabo) ad mores respondisse D. Antonius de Padua *serm.4.* de virgine & martyre, asserens lampadem vitream symbolum etiam esse virginitatis: quasi has præeligerent non solùm in lucem nuptiarum, sed etiam in decoris sui insigne. & cur, inquis, hoc præcipuè insigni, quæ tot aliis possent, excoluntur? Idem D. Anton. ibi. *Bene*, inquit, *lampas est virginitas, quæ de facili frangitur, nec resarciri potest: tamen in fornace posita per manum artificis, etiam fracta reformatur.* Scitè: quia cùm in dictis virginibus vniuersa Ecclesia, etiam ex illis, qui virgines non fuerunt, intelligatur: ne hi quasi excludendi examinarentur, in ipsis lampadibus, restituendam virginitatem ad meritum, si minus ad laureolam, perdiscunt. Propterea Bachiarius *in epistola illa celebri ad Ianuarium*, postquam fusissimus restitutionem vrbis & Templi factam à Zorobabel allegorizat, iam de muris piscinæ

piscinæ Siloë restructis, 2. *Esdra* 3. *n.* 15. in quibus castitatem explicatat, sic subiungit: *Huius*, inquit, *muri propterea dicuntur restrui, vt cognoscamus tantam esse misericordiam Domini, vt etiam interrupta castitatis tempora, possint restructa ad priorem similitudinem continentiæ virtute reuocari.* neque enim vnquam sic destruitur castitas, vt per mortificationem & pœnitentiam, restructionem & integritatis meritum non admittat.

864. Quis non miretur blanditias, quibus Christus Dominus (qui vt virginitatis amator probaretur, *filius Virginis* voluit appellari) excepit Magdalenam? quis non stupet, plusquam angelicam Deiparæ integritatem, infamiam de Magdalenæ societate non timuisse? Christe optime, quandoquidem filius Virginis vis haberi, cupis prædicari: fac abeat aliò condonata peccatrix, aliàs lippi oculi de ordinariâ æstimatione, vtramque Mariam vt consuetudinis & victus, sic etiam vitæ pares reputabunt. Sed Christus interim, sic filius Virginis volebat credi, dummodo filios Dei pariter nosceretur: qui vbi talis crederetur, necessariò Magdalenam pœnitentem, ad virginitatis gloriam extulisse intelligeretur. Eleganter D. Laurent. Nouar. *hom. de Pœnit.* ita ad Magdalenam: *Mulier*, inquit, *à te exigimus quod multis prosit: meretrix da nobis exemplum, vt sciamus quomodo constuprata membra tua, non sunt à Deo despecta, sed magis recepta? dic nobis criminosa, quatenus effecta es casta? Noli tacere publicana, sed prode nobis beneficium Christi, & doce nos, quo genere facta es de meretrice virgo.* Ego pro te Maria, respondebo: certè, quia dum ad mortificantem pœnitentiam admitteris fornicatrix, iam quo ad maritum virgo dimitteris.

865. Optimè Drogo suprà citatus, muscam hanc priùs sordidam, iam in apem feliciter conuersam, *in torrentibus* describit amœnissimè degentem: *Vide*, inquit, *quomodo requieuit in torrentibus vallium, intrauit inter epulas discumbentium, cucurrit ad pedes Iesu, effundebat super torrentes lachrymarum.* Et quorsum hi torrentes? vt ex illis tanquam lacte lota, omni columbâ purior, virgineo candore munda remearet, vt sicut Christi virginitas in oculis columbæ lacte lotæ fulgurabat, columbæ, inquam, quæ fluentis plenissimis assistit *Cant.* 5. *num.* 12. sic Magdalena ex oculis fluenta funderet, in quibus virginitatem, eisdem postea repræsentandam modestis oculis, recuperaret. idem Drogo: *vnde* addit, *& demissis ei peccatis multis, quia multum dilexerat, iam sicut columba, quæ lacte est lota, residebat ad pedes Iesu, iuxta fluenta plenissima.* quàm dulces pœnitentis mortificationis torrentes, vnde corruina luxuriæ conditio, omni columbâ candidior reuirescit.

866. Quid? ideo, credo, interim etiam osculabatur pedes *Luc.* 7. *n.* 38. vt per oscula ore corporeo diuinis infixa plantis, illorum osculorum anxia vota exprimeret, quibus in spiritu, ab ipso increato Verbi latentis ore, spiritum attrahere cupiebat: quibusque, accepto diuino halitu, integram virginitatem, quoad fieri potest, recuperare sperabat. D. Paulinus *epist.* 4. postquam multa de hoc Magdalenæ gesto scribit, sic ad rem nostram concludit: *Ergo*, inquit, *illum amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subyciamur, sub quo iacere, supra mundum stare est: propter illum deyciamur, cui cadere resurrectio est: illi commoriamur, in quo vita est.* quasi pœnitens meretrix, iam per oscula Deo nupta, quoad meriti excellentiam Virgo reputaretur.

867. De mystico sancti osculi effectu quem posui, explicandus venit locus ille *Cant.* 1. *num.* 1. vbi Ecclesia ad Christum, *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui*; cur enim Ecclesia antè paulo in idolis fornicaria, & reapse pro parte ex meretricibus & publicanis collecta, auderet tantum: nisi, quia iam sibi pœnitentiâ mortificatæ restitui virginitatem exoptabat, osculúmque, quo id fieret, exigebat? Audi hîc Ambros. verbis satis adductis, nec satis vsquam ab aliquo, quem viderim, expensis, dicentem: *Osculatur nos*, inquit, *Deus verbum, quando cor nostrum, & ipsum principale hominis spiritu diuinæ cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atque ouans dicit, Os meum aperui, & attraxi spiritum. osculum est enim, quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suauitate potiuntur: per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, quòd sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam hi, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur transfundere.* Pone ergo pœnitentem meretricem spiritualiter Christi osculo fruentem, purissiméque cum ipso, animam velut transmutantem inuicem: tunc iam meretricis spiritus in Christi corpore animat, & audebis hunc spiritum non virginem appellare? iam Christi spiritus in meretricis corpore respirat, & præsumes hoc corpus corruptum existimare? ego quidem animam Christo viuidam, corpus Christo respirans de virginitatis gloriâ prædicabo.

CAPVT SECVNDVM.

Lilium conuallium. VERS. I.

§. I.

Iustus, de intima cum Deo similitudine deificatus, & quodammodo ipsi identificatus.

868. VIDEN' quàm penitus eiusdem nominis (quasi penè eiusdem sint conditionis, & naturæ) sponsus Deus & anima sint participes? vterque *lilium* dicitur: quasi in vnum coniungat amor, quod diuisit natura. ita est: Iustus de intima similitudine cum Deo, deificatus, & quodammodo ipsi identificatus est, vt iam habeat ille per participationem, quod iste per naturam semper habuit: indulgeatúrque liberaliter amato seruo, quod amans Dominus retinet necessariò. Hinc illa vox paterna dolentis Dei ad peccatorem: *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus*; Psalm. 54. num. 14. quia ægriùs ferebat à filio, & amicissimo vexari, quàm ab inimicis, vt ex Psalmo constat; sed ex Hebræo legit Vatabl. *Tu eras homo æqualis mihi, dux meus, & notus meus.* quasi tanta, ex vnanimitate amoris, & virtutum, inter Deum & hominem inesset similitudo, vt penè ad æqualitatem transire videatur.

Amor Dei iustus deificat, & sibi identificat.

869. Vnde iam faciliora verba illa sponsæ iustos offendentis, & fausta de dilecto Deo nuntia interrogantis: *paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, Cant. 3. num. 4. Quomodo enim, dubitaret aliquis, poterat interesse paululum inter

ter iustos, & Deum, creatorem & creaturas: inter quos immensa distantiæ intercapedo sit, necesse est? respondet tamen post multa Gilibert. *serm.*8. vnde ex re nostra, vt dixi, manent faciliora: *Quid, inquit, esse vicinius, & similius potest, quàm sapientia sapientiæ, iustitia iustitiæ, quàm illuminata illuminanti, iustificanti iustificata? quid similius alij, quàm caussatiuum caussa, formatum forma? nam in formato penè nihil aliud attenditur, quàm forma. Denique & quod dulce est, super omnia simile videtur dulcedini, & quod lucidum est, luci: itaque proximum non iniustè videtur, quod illi tanta æmulatione componitur, proximum, quia nihil interponitur. nam etsi finitum nostrum, incomparabiliter excedit dies immensitatis, infinitas: imaginis tamen ad veritatem, nonnulla dignoscitur esse affinitas: iure ergo dicit paululum.* Sic iam penè ad æqualitatem accesserant, vt sit idem inuenisse iustos, quàm vltimam Deitati cortinam reserare, & lucis increatæ, iam in luce creata radios delibare.

870. Nihil habebant olim priùs mortales, quando Deum, in Angelo humanam formam induto, adesse cognoscebant, quàm caput submittere, oculos deiicere, propriæ infirmitatis professione maiestatis illius gloriam publicantes. ideo Gedeon *Iud.*6. & Manue *ibidem cap.*16. in Angelo Deum suspicati, mortem timentes quòd vidissent, ne videant iterum corruunt venerabundi. Ecquid aliud, quæso, significare voluerunt, qui cornutam Moysis faciem fugiebant, quàm diuinitatem eius quodammodo protestari? *videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysis faciem, timuerunt propè accedere.* &c. Exodi 34. num. 30. timebant nimirum hominem, qui adhuc in carne positus, sic se longo ieiunio ad conditionem penè spiritus reduxerat, vt diuinitatem quodammodo combiberet. Chrysol. serm. 166. *Moyses*, inquit, *dierum quadraginta ieiunio, ita humano defæcatus est, & exinanitus a corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine Deitatis.* ideo fugiunt, quia videre Deum, semper putarunt homines periculosum, & Moyses virtutum exercitio iam penè in Deitatem cooptabatur.

Ieiunium quodammodo deificat.

871. Hinc illud Isaiæ ad iustos: *erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit ante faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te*, cap. 59. num. 8. Equidem non poteris penè Deum negare, quem penè insignibus Dei vides adornatum: sic Ioseph penè Rex erat, *Genes.*41. *num.*42. quia ornatu regio incedebat. Vide nunc iusti apparatum: anteit eius faciem iustitia, quasi apparitricis munere functura, & Deus lictorem habet iustitiam: *Iustitia ante eum ambulabit*, Psalm. 84. lucis telam purpuream Deus induit, *amictus lumine sicut vestimento*, Psalm. 103. Iustus verò à Domini gloria collectus, indutus luciflua Dei maiestate intelligitur. D. Ambros. *lib. de Helia cap.*4. ad hunc locum: *Præcedet*, inquit, *ante te iustitia, & circumdabit te maiestas Domini: bonum vestimentum lux. scriptum est enim, circumdatus luce, sicut vestimento. bonum vestimentum quando circumdat Dominus, & operit ieiunantes.* & nescio quid maius aliquid hîc subodorot: Deus enim lucem induit, at iusti ipso Deo induuntur: vt, cùm sit verum iuris illud axioma, *Talis quis existimatur, in quali habitu reperitur:* non possis iustum negare deificatum, qui non solùm in habitu Dei, sed etiam Deo habitu splendescit.

Virtus habitu Dei, imò Deo habitu vestita procedit.

872. Planè hoc attendebat sodalium sponsæ sanctæ admiratio. anxia ista, vt paulo antè dicebam, circumiens ciuitatis & vicos & plateas sponsum inuênit, inuentum tenuit, nec dimisit donec ad amoris arcana, ad virtutum perfectionem admitteretur: exclamant ergo tunc sodales, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum*, &c. Cant. 3. num. 6. quæ est illa, quæ paulo antè vobiscum fuerat: sic sodalis perpetua ignoratur? sic munerum socia, regionis honos, pratorum alumna pulchrior, & amicarum delitium nescitur? sed non mirandum, quàm naturæ humanæ consortem viderant, iam diuinitatis participem intuentur: ex congressu cum Deo, & virtutum conscenso apice Deum vestierat: nec possunt iam sodales Deum non reputare, quam in habitu Dei intuebantur: quidni ergo admirentur, si diuinam vnitatem quodammodo intuentur diuisam? Gilibert. serm. 15. *Fortè*, inquit, *sponsa de speculationis arcano, eam quam intuebatur quasi imaginem vestita prodiit: noua planè. nam sodalium circa ipsam admiratio nouitatem protestatur.* talis habetur, quia talem induit, nec poterat in tali habitus splendore talis non haberi.

873. Magis maius mirum est, ipsum aliquando sponsum Deum, in similes etiam admirationis prorumpere effectus. *Pulchra*, inquit, *es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*, Cant. 6. num. 3. Pendo hanc terribilitatem: vix enumeres, quoties in sacris litteris Deus, de maiestate terribilis appelletur: qui ergo interritus cuncta gloriæ suæ terrore dulci compleuit? vnde quæso in animâ, similem terribilitatem amator & admirator videtur, nescias an intueri, an pertimere: idque, cùm Ierusalem, id est, visio pacis appelletur? credo, quia luce sua illam obarmans, sic illam deificauit, vt reapse instar ipsius Dei, terribilis etiam aliis redderetur. hoc voluit D. Ambros. *lib de Isaac, cap.*7. vbi ita scribit. *Quia plena vt æquitas atque perfecta est, & fulgorem de verbi lumine mutuata, dum id semper intendit: fit etiam terribilis ordine quodam ad summum profecta virtutum.* Imò, non solùm aliis addam ego, sed & ipsi sponso fit terribilis: ideo enim ille statim subdit, *auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* quia nimirum ipsi cui pulchra erat, suauis & decora, sic erat quodammodo terribilis, vt oculorum eiusdem radios ferre non potuisse videatur.

874. Dices. Si Deus in hac animâ diuinitatem suam intuebatur, qui se in semetipso inconniuenter aspicit, cur sese in alia aspicere non posse protestatur, seque quasi tanti fulgoris imparem fatetur? Possem respondere, sic factum, imò sic dictum, quia amoris sacra metamorphosi, vt sponsa Dei infinitam lucem ab oculis iaculari visa: sic Deus humanis sponsæ oculis de amoris teneritudine tunc videre videbatur. melius tamen ad amoris hyperbolem rem deducas, vnde pulchrè dubium propositum dissoluatur. quasi dicas, se Deus pulchriorem quodammodo in sponsâ, quàm si in illâ non esset, quia dum in illa vberiores charitatis radios, maiora potentiæ signa, profundiora sapientiæ arcana, quàm si ad extra non communicaretur, ostendit: iam quo ad nos videtur pulchrior, & in a se, in se intueri sufficiens, hyperbolicè in illa se intueri non posse asseuerat: fauet Hebræa versio quæ legit: *auerte oculos tuos à me, quia ipsi me superbiorem fecerunt.* nimirum est nescio quod speculorum genus, quod res visum adaugere, & in portentosam magnitudinem euehere obiecta: sic in oculorum illorum sacro speculo, dum se illis pius indulget Dominus, imaginem suam quodammodo superbiorem, id est, augustiorem intuetur: non quod Deus in se crescat, sed quia si posset, id

quidem

quidem tot præbitis amoris monumentis eueniret. Quis ergo neget animam deificatam, in qua ſe Deus talem recognoſcit.

875. Vnde iam capies verba illa Christi Domini: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matth. 5. n. 8. Cur enim ſummum hoc bonum ſoli cordis mundiciei, cæteris quodammodo nil merentibus virtutibus concedatur: niſi, quia in ſuamet cordis miſela atque munditia, tanquam in viua imagine iuſtus Deum intuetur? etenim, vt voluit Nyſſenus *lib. de quinque Beat.* non ſolùm de futura viſione, ſed etiam de præſenti dum viuitur contemplatione locus capiendus: pulchréque, poſt multa ad hanc rem, idem S. Doctor *ibidem*, ſic ſubiungit: *Qui ſe ipſum videt, in ſe ipſo quod deſiderat, intuetur, atque ita beatus fit, qui corde puro præditus eſt, quoniam dum ſuam puritatem intuetur, per imaginem, formam principalem animaduertit. Quemadmodum enim illi, qui in ſpeculo ſolem vident, etiam ſi cœlum ipſum fixis oculis non intueantur, nihilo ſecius in ſplendore ſpeculi ſolem vident, quàm illi qui ipſum orbem Solis intuentur: ita, inquit, etiam vos, (etiamſi vires vobis non ſuppetant ad contemplandum & animaduertendum lumen inacceſſum) ſi ad eum, qui ab initio in vobis conſtitutus fuit, imaginis decorem, ac gratiam reuerſi fueritis: in vobis ipſis quod quæritis, habetis.* nihil magis poteſt in aliud transformari, aut illi intimius conformari, quàm ſic ſe mutuo exprimere, vt ſi alterum videas, iam & vidiſſe alterum videaris. Sed adhuc præſens materia aliunde altiùs ponderanda.

§. II.

Pergitur in eâdem Iuſtorum prærogatiua declaranda.

876. QVæ hucuſque diximus, ſi rectè attendiſti, ad lumen pertinent, quo aut iuſtus inſtar Dei cognoſcitur, aut in ſeipſo Deum agnoſcit: cùm igitur lumen ſit proprium intellectus, non voluntatis, abyſſum diuini intellectus in hac te imitari videtur iuſtus: videamus ergo an & diuinæ voluntatis conditionem imitetur, vt de cognitione & amore appareat deificatus. Hoc ergo amoris primicerius Ioannes voluit, cùm, poſtquam late mutuum inter nos, & cum Deo amorem commendauit, ſic concludit: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. cap. 4. n. 16. Quid enim opus erat, vt ad Dei & proximorum amorem incitaremur, cognoſcere Deum metipſum eſſe charitatem, & ſimul cum charitatis habitu creato manere in nobis, niſi vt inde generoſitatem noſtram agnoſceremus, quâ penè eodem Dei amore amare poſſumus: imò ſic deificari, vt quemadmodum Deus ſeipſo amat, ſic nos eodemmet Deo amare videamur? ſtatim rem explicabo, ſi audis priùs Zenonem Veron. ſerm. de Circumciſ. *Primum*, inquit, *eſt dilectionis officium, Deo refundere quod nati ſumus, ſolique debere quòd viuimus, nihilque prorſus cordis noſtri impenetralibus retinere, quod alieno iure ſeruemus. At cùm ab eodem huius deuotionis inuitatione inhabitari, ſeu nos in ipſo habitare cœperimus, ſicut Ioannes dixit, Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo: tunc demum fratres, charitatem per ſemetipſum ei condignè reddemus: quia facta commutatione, quod eius eſt, fit pro partibus noſtris: ſequens eſt, vt etiam proximos eo affectu, quo nos ipſos diligimus, diligamus.* Pende illa verba, *Charitatem per ſemetipſum ei condignè* *reddemus.* abſit enim, vt credas fauere S. Doctorem ſententiæ iam damnatæ Petri Lombardi: ſed rem ſic intellige, ac ſi diceret, non condigne à nobis Deum amari, niſi infinitum bonum, infinito proſequamur amore: neque hoc euenire potuiſſe, niſi per mutuam inhabitationem ſic deificarentur iuſti, vt ipſomet amore diuino inhabitante amare videantur: quod ſi ad ſcholaſticos calculos redigas, idem eſt, ac ſi diceret, ideo præter gratiam inhærentem, & charitatis habitum quo amamus, Spiritum ſanctum etiam nobis mitti: vt charitas illa creata infinito Deo aſſiſtente fora, infinitari quodammodo exiſtimetur, condignos ſic erga Deum affectus pariturа. hinc bene Rupert. *in Cant. lib. 3.* de iuſtis locutus: *Non ſunt*, inquit, *Dij: ſed diligendo Deum, Dij, vel Dei filij facti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Ego dixi, Dij eſtis vos.* Ah quanta felicitas ſic deificari affectu, v. in effectu Deus reputeris.

Amor hominis vnde quodammodo infinitetur.

Pintus in Cantica.

877. Ex dictis patent encomia illa Christi ad animam: *ſicut vitta*, inquit, *coccinea labia tua*, Cant 4. num. 3. id eſt, ipſomet colore flammarum, affectus tui, quibus mecum labiorum inſtar loqueris, ignitos ſe eſſe declarant: ſed ſi ignes loquitur, dum amoris prodit affectus, & ſolùm ad Deum loquitur, nunquid hæc flammarum iacula in Deum dirigit, nunquid illum incendere conatur? conatur certè. Gilbert. *ibi ſerm.* 24. de hoc internorum labiorum igne: *Mira res*, inquit, *ignis ipſe eſt, & noſtris tamen inardeſcit ſcintillis! quidni? & gladius eſt verbum Dei, & tamen vulneratur: vulneraſti cor meum ſoror mea.* Certè ideo Solis & ignis calores, eiuſdem naturæ eſſe deprehendimus, quia ſe mutuo intendunt: dum ergo diuinus amor noſtris videtur amoribus accendi, eiuſdem eſſe quodammodo conditionis, piiſſimus Dominus de amoris hyperbole voluit ſignificatum.

878. Sed amor in Deo, cum ſuâ omnipotentiâ menſuratur: nunquid ergo iuſtus, ſic in amore deificatus, per omnipotentiam etiam redditur omnipotens? certè eodem modo, quo de lumine & amore diximus, de omnipotentiâ etiam philoſophandum, de quo alibi multa: addo vnum verbum, dextram pro alicuius potentiâ ſumi, certum apud prophanos: ſic & in ſacris, *Dextra virtutis*, Christus appellatur, id eſt, quo medio Pater omnipotentiam ſuam exercuit: quid ſi iuſtus talis eſſet, tam potens, vt Christi dextera dici mereretur? Eleganter D. Paulinus *epiſt.* 4. quaſi expendens, cur in extremo iudicio, iuſti ad Dei dextram adſcribantur? ſic ſcribit: *Vt ſimus dextera eiuſdem, qui totus dextera eſt, non habentes in actibus noſtris ſiniſtram: vt ad dexteram iudicis ſtare, vel potiùs dextera ipſius iudicis eſſe mereamur.* Quid ergo non poterit, qui dum nihil ſiniſtrum operatur, omnipotentis dextræ dextra eſt? aut quomodo non deificatus, qui à ſufficienti, quam vocant, partium enumeratione, diuinas partes agere propalatur?

Virtus quodammodo omnipotens.

879. Agedum: videamus iam in totum, quodammodo à diuinitate iuſtum abſorberi, vt nihil humanum in homine relinqui videatur. Redit iam pœnitens, perditus olim adoleſcens, & primum charitatis paternæ pignus, quod captare non audebat, capit oſculum: *Accurrens*, inquit textus de patre, *cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc. 15. num. 20. oſcula inuenit natura, vt in fine primi capitis dicebam, tenerrimis affectibus exprimendis, ſpiritibus nimirum inuicem tranſmittandis: nunquid ergo per hoc oſculum, ſe totum

communicate prodigo,prodigus amoris Deus cupiebat?sic putat VVerricus in hoc loco, apud Godefr. *Si illi,inquit,inspirabas,vt adherendo sibi vnus cum eo fieret spiritus: sicut adherendo meretricibus, vnum cum eis corpus fuerat effectus.* Quàm vitale inspitaculum quo homo vitam diuinam viuere videtur,totumque spitant præcordia numen:falsum illud Poëtæ,

Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit,& totum spirant præcordia Phœbum.

hoc solùm de iustis verum, qui de virtutum similitudine,non à mendaci Phœbo, sed à Deitate verissima absorbentur.

880. Idem,sed occultiùs,voluit Paulus significatum: *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Euam seduxit astutia suâ,ita corrumpantur sensus vestri,& excidant à simplicitate, quæ est in Christo*, 2. Corinth.11.num.3. Græca habent ἀπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν, *quæ est ad Christum.* quasi vellet Apostolus, vt simplicitas nostra non solùm in Christo foret, sed etiam ad Christum,id est, ad Christi simplicitatem habendam anhelaret. At qua ratione, inquis? quia hæc simplicitas, multiciplicitatem omnem excludit, diuersitatem ignorat: aduocat vnitatem identificam; imò ipsa vnitas, & identitas est: dubitas? Audi Gilibert. serm.16. *Bona, inquit, simplicitas, vbi Christo adhærens, vnus est cum illo spiritus: simplicitas est, vbi vnitas est: simplicitas est, si iam non ipse viuis, sed viuit in te Christus: si te deuorat sapientia Dei, si te spiritualis absorbet lætitia, & intimis recondit visceribus.* Sic absorbetur iustus, vt cum Christo sit vnus & simplex: iam vnus, vnus, & non vnus & alter appelletur; sic deificatus & identificatus, vt qui iustum exprimis,Christum ipsum exprimere videaris. Smlta ergo simplicitas illa Euæ seductæ:iustorum hæc simplicitas prudentissima,à qua ne exciderent sui,Paulus pertimebat.

881. Quæ nunc diximus viam muniunt, eruiscetando obscuriusculo loco huius Cantici: *in lectulo meo*, inquit sponsa, *quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum,& non inueni*,cap.3.num.1. Amantium cuncta communia, nemo nescit: vbi priuatim adest ly *meum*,amor exulat; cur ergo lectulum suum vocat anima, quæ cuncta sponso numerare, amoris legibus adstricta tenebatur? planè, quia in spe erat,& quasi adhuc in sponso vtpote absente,perfectissima non requiesceret, describitur. Triplicem lectuli requiem nouit anima: primus (vt in hoc loco) suus est, quia adhuc sperat, & suspirat: secundus, communis cum sponso, vbi iam fruitur: tertius, solius sponsi. in hoc licèt quiescat anima, non tamen vt alia eft, sed vt vnum quid cum sponso,quiescit.multa de his Gilibert.*serm.*1. qui tandem diuinâ quâdam vbertate, sic concludit. *In lectulo suo, nec affluit extra se, nec turbatur in se: in lectulo communi, affluunt illi delitiæ quædam de præsentiâ sponsi: in illo,qui solius est sponsi,amoris exagitata incendio ebullit,& excrescit effusa,& effluens tota transfunditur in ipsum, & in similem absorbetur qualitatem: in primo penes se est, in secundo penes illam sponsus, in tertio penitus est illa penes ipsum, & si dici potest,non est nisi ipse: in primo quærit, in secundo adhæret, in tertio vnitur illi: in primo tranquillitatem propriam possidet, in secundo quamdam meretur communitatem cum dilecto, in tertio assumitur & absorbetur in quandam charitatis & gratiæ vnitatem.* habes tres gradus viæ vnitiuæ sic pulchrè dispositos, vt vix alibi gratiùs ascendi possint. Bene ergo sponsa adhuc in primo posita, lectum suum dixit: cæpitura fortè nomine (pace illorum quæ diximus) quo illum appellaret, si in vltimo constituta inueniretur: quomodo enim *meum* aliquid vocaret, quæ non solùm sua non foret, sed nec in se foret? quomodo *nostrum*, vbi singularis simplicitas nescit istam admittere pluralitatem? ac nec *solius sponsi* posset dicere: quomodo enim sponsi solius lectulus diceretur,vbi & illa, licèt idem cum illo, consistebat? vno verbo: desunt humana verba, huic iustorum identificationi explicandæ.

Amor priuata nescit.

882. Cognosces deinde, cur non dixerit: *quæsiui quem diligit spiritus meus*; sed, *quem diligit anima mea.* credo vt innueret adhuc animam esse quodammodo suam, quia ad vnitatem summam, vt vnus fieret cum Christo spiritus, nondum venerat: nec poterat dicere spiritum, donec in simplicitate vnius, Domino adhæreret. Aliquid tale cogitabat Gilibertus *serm.* 1. licèt non ita elatè profatum: *Quid,inquit,sibi vult,quòd animam, non spiritum dicis? fortè, quia dilecto, quem adhuc quærebat, nondum adhærebat: qui enim adhæret Deo, vnus est spiritus.* quasi nollet sibi aliquid spiritus arrogare, donec Christi sui spiritu perfunderetur. quod si animam pro spiritu posuit: meritò, vt dixi, suam dixit,quæ adhuc ad vnitatem non peruenerat.

883. Adiciunt (fabulantur quidam) amantes bini, ferrarij numinis Vulcani officinam: prouocantur ab illo donis postulandis. illi nihil aliud, quàm, si forrè per artem, qua metalla fundebat, liceret, recussis duobus, vnum efformaret. Sed quod Vulcanus non potuit, virtus efficit, aut virtutis intuitu Deus optimus: vnde illud *Psalm.*23. *num.* 3. vbi ascensurus *in montem Domini* dicitur, *qui non accepit in vano animam suam.* aliqui apud Iansenium vertunt: *qui non accepit in vano animam eius*: ac si anima iusti, iam sic esset deificata, & virtutum similitudine spiritui Dei adhærens, vt vtrumuis diceretur, Domini scilicet, aut iusti esse hanc animam, supponeret pro eodem. En tibi summa similitudo,quæ penè venitad identitatem, quantum Creatoris,& creatæ conditio pati potest. ex hoc ergo sanctitatis ingenio factum,vt eodem lilij nomine, ac si eiusdem sint naturæ,Christus & anima insigniantur.

Fructus eius dulcis, &c. VERS.3.

§. I.

Ad præsentiam laborum Christi, labores nostri dulcescant, necesse est.

884. SVb vmbra crucifixi sedet, eiusque fructus carpit, labores scilicet dolentis corporis, & afflicti spiritus tribulationes: quos tamen dulces reputat, prædicat suaues. nec mirandum, erat ibi Christus patiens, ad cuius præsentiam labor omnis dulcescat, necesse est. Prob quantam impudentiam serui, si asperum putet pro Domino laborare, quem pro se admiratur laborantem. Bene D. Bernard. ad illud Cant. 1. num. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* sic scribit serm.43. *Habeto,inquit,illum semper non retro in humeris,sed antè præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat: mementote, quia accepit eum Simeon in vlnis suis: Maria gestauit in vtero, fouit in gremio: sponsa inter vbera collocauit.* Sic fit nobis Christus remedium, quo dolor quiuis, quiuis labor suauissimè tolleratur,dum ob oculos ponitur, & crucis suæ labores repræsentat. nimirum hoc discrimen maximum datur,

datur, inter medicamen iſtod myſticum, & cætera naturalia: hæc, aſpectus quidem horret, euitat odoratus, tactus fugit; vt ita quoquo modo, ſi fortè, guſtui propinentur; medicamen verò noſtrum, allicit aſpectum, recreat odoratum, tactum inuitat, vt ita ſuauiùs per conſiderationem deglutitum, crucis ſuæ fructus, id eſt, labores, nobis reddat dulciſſimos.

885. Hinc illud Malachiæ 1. num. 1. *Onus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachiæ.* Vbi deinde venturi Chriſti geſta deſcribit & doctrinam. & bene doctrina hæc, cùm onus ſit, non tam dorſo apponitur, quàm manui, vt dum qua Chriſti eſt, in ipſo Chriſtus aſpicitur, ſuauiùs & iucundiùs toleretur. Imò ideo ſignatè in manu geritur, quia onus verbi, id eſt, incarnati Verbi, Chriſti nimirum. D. Bernard. loco citato. *Et ne quid*, inquit, *prætermittam, factum eſt verbum Domini in manu Zachariæ Prophetæ, necnon & quorumdam aliorum: arbitror & Ioſeph virum Mariæ, ſuper genua frequenter illi arriſiſſe: hi omnes ante ſe eum habuerunt, & nullus retro. exemplo ergo ſint vobis, vt vos ſimiliter faciatis, ſi enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, leuius veſtras portabitis.* Neſcio an fuerit lapſus memoriæ, an error typicus, appoſitio Zachariæ, neque enim comparent hæc verba: in Malachia & aliis, quos innuit, res clara: quibus omnibus verbum non tam in ore ſit, vt dicendum videbatur, quàm in manu: quia Verbum eſt Chriſtus, & ob oculos portetur neceſſe eſt, ne premat onere, dum odore non recreat.

886. Sitientes venerunt Iſraëlitæ ad aquas Maræ merum amaritudinem, & in medio deſerto duram magis ſalſuginem inuenerunt: tunc oribus penè iam præ ſiti verba non formantibus, murmurantibus vt poſſunt, Deum in Moyſe lacerant: *At ille*, inquit Scriptura, *clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt,* Exod. 15. num. 25. tu mihi pende, non dici aquas depoſita amaritudine fuiſſe dulcoratas, parum id erat: ſed in ipſiſſimam dulcedinem fuiſſe transformatas, quaſi quot vndæ fluerent, tot mella deſtillarent: & vnde tantum prodigium à ligno? Aptè Stephanus Cantuar. hîc apud Godefr. *Si tu inueneris*, inquit, *aquas Maræ, id eſt, ſi pœnitentia tibi videtur amara, reſpice lignum crucis, reduc in memoriam beneficium paſſionis, & ſic tibi omnis tribulatio dulcis fiet: & nota quòd non dicitur, dulcoratæ ſunt aquæ, ſed in dulcedinem verſæ, quod multo maiorem notat dulcedinem.* ita eſt: ad præſentiam Dominicæ crucis labores iam ſubſtantiam videmur amiſiſſe, & cuæuam huic ad grauedinem, quantitatem: mera ſunt accidentia, & illa dulciſſima, imò dulcedines.

Crux Chriſti crucem noſtram recreat.

887. Iuſtificandus Dominus in ſermonibus ſuis, ſic ab Iſaia cum populo ſuo inducitur expoſtulans: *reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul, narra ſi quid habes, vt iuſtificeris*, cap. 43. num. 26. ita ne nihil omnino habebit homo? ſaltem parum aliquod non allegabit? ecquæ cauſa? quia componendi eius labores cum laboribus Chriſti: ad quorum præſentiam noſtri ſic leueſcunt, vt non *quid* ſubſtantiæ, ſed quale accidentis præferre videantur. Fauet idem Stephanus loco ſuprà citato, in eandem rem: *quaſi dicat*, inquit: *Confer opera tua cruci, & vide quàm inæqualis ſit ad me recompenſatio tua.* Dulcedines quidem putabuntur dolores noſtri, ſi Chriſti Domini amaritudinibus computentur; illo præſente, illo præeunte fugatur aſperitas, durities amandatur.

... Chriſto ... noſtri ... accidentia ... ſunt, non ſub... ...tia.

Pietas in Cantica.

888. Poſt longum Abraham exilium, à Domino promiſſæ tandem inuectus regioni, audit ab eodem: *Surge, & perambula terram in latitudine & longitudine ſua;* Geneſ. 13. num. 17. erat, credo, per ingreſſum pedum firmandum poſſeſſionis ius, quaſi verò non ſatis diuino verbo ſtabilitum, aut neceſſariò regio illa aſpectu colluſtranda, ſi fortè placeret, quaſi diuinâ electione non ſatis commendata. nugæ: cur ergo perambulari iubetur? Reſpondet D. Thomas ad hunc locum: *vt à filijs eius, quibus erat danda, in maiori deuotione habeatur, tanquam perambulata, & inhabitata à tam ſanctiſſimo patre, & hoc non humanitus, ſed iuſſu diuino.* quaſi calcantes Abrahæ pedes, & relicta veſtigia, animos poſt longa ſæcula adderent nepotibus ad decertandum hilariter, fortitérque dimicandum pro illa prouincia, quam ipſo calcatam deuotè recordarentur. Quanto ergo efficacior Chriſtus laborioſam virtutis viam terens, vt iam eidem terendæ animos reddat deuotos? quanto efficacior, vt viam reddat amabilem, qui ipſam ſacris veſtigiis dulcorauit?

Chriſti veſtigia viam nobis complanant.

Virtutis via quàm facilis & florida poſt Chriſtum.

889. Diuinos Chriſti oculos amoris cuiuſdam caſtiſſimi iaculatores, capiendis affectibus viſcatos, experti ſunt quotquot ille benigno miſericordiæ reſpectu fuit intuitus: inde dulcis ignis ſuaui luce flammans emanabat. Videbatur ergo conuertenda Magdalena, horum oculorum pietatem quæſitura: lux illa eiuſdem tenebras fugaret, ignis ille duri pectoris glaciem diſſolueret in lachrymas: at non ita factum: imò, *ſtans retro*, inquit Lucas, *ſecus pedes Ieſu*, cap. 7. hos tenebat, hos amplexabatur. cauſam vidit Chryſolog. ſerm. 93. *Vt Chriſti*, inquit, *veſtigijs innixa, percurreret per viam vita, quæ per viam cucurrerat mortis.* Timuit nimirum fragilitati ſuæ, ne incipiens periculoſam viam difficultatibus perterrita retrocederet: quæſiuit remedium ſedula, felix inuenit: quaſi non poſſet innexa offendiculis retardari, quæ illius erat innixa veſtigiis: qui ſalebras progrediens læuigat, leuat labores. & meritò, non ſolùm adſtat pedibus, ſed ſtat retro; vt calcata à Domino veſtigia recalcet, atque ita non ſolùm currat, ſed percurrat, id eſt, auidiſſimo ſpiritu progrediatur.

890. Fruita quidem Magdalena his bonis, quibus olim ſponſa ſuſpirans adſpirabat: *Trahe me*, inquit ad Chriſtum, *poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, Cant. 1. num. 3. quia nimirùm nouerat ad conſpectum Chriſti, labores molleſcere, & ſenticoſas virtutis vias non tam rubis ſanguineis, quàm purpureis floribus rubeſcere. Bernard. ſerm. 21. *Familiarius*, inquit, *à filio poſtulat trahi tanquam à ſponſo proprio, quem pater miſit obuiam ei ducem ac præceptorem, qui ſibi præiret in via morum, & prepararet iter virtutum.* Præparatur certè via, qui dum ob oculos Chriſtus apparatur exemplar, labor & moleſtia vltrà non apparet. & ideo, ni fallor, dum vna poſt Chriſtum dicitur trahenda, plures curſoræ nominantur: vna enim pro multis currit, laborat pro multis indefatigabilis, quia labores omnes reputat leuiſſimos, ſuauiſſimas moleſtias arbitratur.

891. Sed adhuc emphaticoteros explicandum ly *poſt te*, ſicut de Magdalena diximus: quaſi non ſolùm velit ſimul progredi cum Chriſto, ſed pòſt progredi, id eſt, calcata illius veſtigia recalcare, nec

alibi pedes figere, quàm eiſdem ſignis, quæ à diuinis pedibus fuerint relicta, nimirum Chriſti plantæ incedentes, aſperitates omnes plantas ſupplantarunt: vt iam deinde ſentes non ſentias, quæ olim virtutis viam aſperabant. Fauet idem D. Bernardus loco ſuprà citato: *Concupiſcit*, inquit, *ſemper ire poſt te, ſemper tuis inhærere veſtigiis, ac ſequi te quocumque ieris, ſciens, quia via tua via pulchra, & omnes ſemitæ tuæ pacificæ.* quaſi ipſe inceſſus Chriſti funderet pulchritudinem, lucem iacularetur, pariter pedes firmans, & flores formans: falsò olim id Heroibus ſuis attribuebant veteres, optabant eneaſſum:

— quidquid calcaueris hic, roſa fiat,

Perſ. Satyra 2. Chriſto verò nobis præſente & præeunte, germinare cernimus roſas, quas recalcando, dulceſcentibus vndique laboribus, neque deficimus, neque defatigamur.

892. Mirantur nonnulli ſcripta illa ex Geneſi 35. num. 8. *Eodem tempore*, inquit textus, *mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum.* res enim videbatur iſta minoris ponderis, quàm vt ſignatè in ſacro textu exprimeretur: ſciendum tamen quercum iſtam, ſub qua ſepulta Debora, apud Patres, vt alibi oſtendo, ſymbolum Crucis gerere. Vnde iam ad rem noſtram, ſic locum explicat Stephanus Cant. apud Godefr. *Debora* inquit, *interpretatur apis, quæ duo habet, mel & aculeum, talis eſt tribulatio quæ pungit carnem, & animam vngit. hæc eſt nutrix Rebeccæ, id eſt, patientia, tribulatio enim conſeruat patientiam, &c. Sed bene mortua dicitur & ſepulta, quia iuſtis mortua eſt tribulatio, nihil enim reputant illam, ſed de perſecutione potiùs gaudent: ſepulta eſt autem ſub quercu, id eſt, ſub cruce Chriſti, quia eius exemplo Sancti in tribulatione gaudent.* Nulla melior patientiæ nutrix dari potuit, quàm tribulatio: nec iſta dulcior & ſuauior vſquam, quàm ſub cruce potuit expirare, imò reſpirare: certè reſpirat dum quaſi accepto halitu exultat, & expirare viſa, dum præ exultatione non ſentitur, atque ad Crucifixi præſentiam non apparet.

§. II.

Euchariſtia reſurrectionis pignus: hâc vermeſcens tumulus, læta ſegete ad thalamum vireſcit.

893. IAm verò ſi cum aliis fructus hos de Euchariſtia putes explicandos, facilè intelliges, cur ſignantiſſimè dulces appellentur: cùm enim nihil humanæ naturæ amarius, quàm mors: meritò dulciſſimum illud remedium prædicatur, quod nobis calcandæ morti, reſurrectionis pignus ſit certiſſimum: ita eſt, neſcit æternum duraturam mortem illa vita, quæ vitali fructu alitur: dumque temporariæ morti ſuccumbere videtur, æternæ reſurrectionis pignore tenetur. ideo Optatus Mileuit. *lib. 6. contra Parm.* Hæreticorum increpans impietatem, ita habet. *Quid enim*, inquit, *eſt tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere? in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: quo Deus omnipotens inuocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus: vnde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt, &c. quid eſt enim altare, niſi ſedes & corporis, & ſanguinis Chriſti?* quaſi ſit idem accedere ad Euchariſtiam, quàm ſub pignore ſpem reſurrectionis à Deo, imò in Deo accipere, vnde ad vitam æternam deſtinati cuſtodiamur. nonne horum ſuppudeat Lutherum, Caluinum, Bezam, Zuinglium?

894. Inuitauit Simon Chriſtum Dominum ad epulum, & tamen cùm poſſet proprio nomine faciliùs inſigniri, à Luca ſemper Phariſæi appellatione nominatur: *rogabat autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo, & ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit*, Luc. 7. num. 36. myſterium quidem res habet, nec exiguum: quod mihi aperit Chryſol. ad hunc locum ſerm. 95. *Phariſæus*, inquit, *fratres, catholicus dicitur Iudæorum, nam & reſurrectionem credit, & à Sadducæo reſurrectionem negante diſſentit; hinc eſt quòd rogat Chriſtum reſurrectionis auctorem, vt manducet cùm illo, quia qui conuiuit Chriſto, mori neſcit, vtique viuit ſemper.* quaſi à conuiuante Chriſto opinionis ſuæ & ſpei, vnicum ſperaret firmamentum. Si ergo qui conuiua eſt Chriſti, mori neſcit: vnde & Phariſæus reſurrectionem ſuſpiratis conuiuanti Chriſto adſpirat: quanto mortis immunior ille, qui non ſolùm conuiua vtitur Chriſto, ſed etiam conuiuio? qui non ſolùm cum Chriſto epulis aſſidet, ſed Chriſtum epulatur? Bene idem D. Chryſol. ibidem. *Rogas*, inquit, *Phariſæe, vt manduces cum illo: credo, eſto Chriſtianus, & manducabis ex illo. Ego ſum, inquit, panis qui de cœlo deſcendi.* ac ſi tunc abſque dubio certiſſimum reſurrectionis pignus Phariſæus, & nominis implementum eſſet ſortiturus.

895. Æſtuat concupiſcentiis carnis humanum genus!, & Deus itâ exæſtuat: blaſphemant diuinum nomen, & numen adarmatur in vindictam: ſoluuntur terris inundandis cœlorum cataractæ, ſuffocatur humana caro, quæ priùs quidquid erat, ſpiritus ſuffocarat, & obiter cum homine terrena animalia perierunt: interim aquatilia ludunt, exultant, & ſupremis arborum cacuminibus, nobilioribus auibus in nidos exoptatis, vtiliores piſces imperantes gloriantur: quàm horum fortunata conditio, quàm ſors illorum infauſta! ecquid, inquis, peccarunt terrena bruta vt perirent, aut vnde præſeruata aquatilia, ne igne aliunde immiſſo læderentur? Reſpondet Alcuinus *quæſt.* 123. *in Geneſ.* de inundatione terreſtrium animalium, ſeruatis aquatilibus: *Propter maledictionem*, inquit, *terræ, de qua veſcebantur animalia terræ.* in operibus hominum terra poſt primam culpam maledicitur, & fructus lethaliter venenatos proferre viſa: his ergo dum vtuntur terrena bruta, quaſi pignore mortalitatis ſumpto, morti & corruptioni conceſſerunt. quidni igitur ſufficiat nobis in vitæ pignus, benedictus cœli fructus deguſtatus, quando non terrena eſca potentior ad pœnam, quàm cœleſtis ad gratiam?

896. Quis non miretur, cùm toties alibi, diuerſiſque & temporum articulis & occaſionum Chriſtus cum peccatoribus verſaretur: diſſimulatum id Iudæis, & tunc maximè erupiſſe ad increpationem, ſi aliquando cum peccatoribus epularetur? inde illorum vox ad diſcipulos: *Quare cum peccatoribus & publicanis manducat magiſter veſter?* Matth. 9. n. 11. ego putarem inde factum, quia inuidi, vt ſolebant, aliquid magnum inter epulas à Chriſto peccatoribus paratum augurantes, idque moleſtè ferentes diſcruciabantur. Audi Chryſol. ſerm. 30. ad hunc locum. *Arguitur*, inquit, *Deus quare inclinat ſe homini, quare conuacet peccatori, quare eſurit pœnitentiam, quare ſitit reditum peccatorum, quare acceptat miſericordiæ fercula, quare ſumit poculum pietatis: fratres*

tres venit ad prandium Chriſtus, venit ad conuiuium vita, vt faciat ſecum conuiuere morituros : iacuit reſurrectio, vt de ſepulchro ſurgerent qui iacebant. quaſi in apparatis ſibi pietatis ferculis (dum facilis conuiua peccatores reuocabat à morte) diuina illa fercula meditaretur, quibus homines erat ad æternam reſurrectionem elaturus, & interim pius epulator inciperet, quod poſtea ipſe tamquam piſſimum epulum erat peracturus. hæc ergo conuiuæ Chriſti conditio, ni fallor, reum mortis Iudæum, viuificandi peccatoris impulit in inuidiam.

897. *Chriſtus in terra ſepultus, reſurrectioni noſtra terram fecundat.*

Sed non leui brachio prætereundum quod ſubdit acutiſſimè Chryſologus, iacuiſſe ſepultum Chriſtum, (qui nobis factus & vita, & reſurrectio) vt deinde nos de ſepulchro ſurgeremus. quemadmodum enim ſolet ager ſuppoſititio aliunde puluere fœcundari, & illius beneficio ad ſemina ſibi credita feliciùs reddenda corroborari : ſic ſepulto Chriſto terra vires accepit, vt poſtea ſepultos alios viuos redderet, & feliciori germine, æternæ reſurrectioni reproduceret. Idem Chryſol. ſerm. 59. de ſymbolo : *Sepultus*, inquit, *eſt vt mors morte moreretur, vt ex illius ſemine corporis, omnis humanorum corporum ſatio, vitalem ſurgeret, & leuaretur in meſſem.* En tibi efficitur terra cauſſa vitalis meſſis, dum Chriſti, imò Chriſto grano fruitur : quidni ergo humanum corpus, dum vitale ſepulchrum eiuſdem efficitur, reſurrectionis pignore ad gloriæ thalamum perfruatur? Certè in terra voluit Chriſtus præmonſtratum, quod in humano pectore fiebat : &, quod maius eſt, voluit hac Euchariſtiæ vmbrâ mortuos qui ipſum præceſſerunt confortare, & reſurrectionis pignore ditare : quaſi non poſſent reſurgere ſi ſaltem hac ratione Euchariſtiæ vitam non participarent. Attende paululum lector.

898. Mannd comederunt Patriarchæ Hebræorum in deſerto Manna, & mortui ſunt : quod poſtquam prædicauit Chriſtus, de ſe ipſo ſacramentato ſic ſubiunxit : *hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur*, Ioan. 6. num. 50. Sed quid, dicat aliquis, ſi tantum viuit, qui manducat hunc panem, certè tot iuſti, tot Patriarchæ Abraham, Iacob, Moyſes, Ioſue, & ſimiles, qui hunc panem manducare non potuerunt, nunquam reſurgent : hoc autem quis auderet aſſerere? Affirmauerim ego non reſurrecturos illos tales, niſi ob Chriſtum, qui vt nobis, ſic illis factus eſt reſurrectio & vita; addo deinde, quemadmodum viuentibus tunc & poſteris fidelibus in Euchariſtia reſurrectionis glorioſæ pignus tradidit certiſſimum : ſic defunctis tam ab æuo iuſtis, quoad fieri potuit, Euchariſtico modo ſe exhibuiſſe. acumen fuit Ruperti *lib. 4. in Cant.* vbi poſt multa ad hanc rem, concludens ſic facit Chriſtum Dominum alloquentem : *Sicut viuentibus vobis pro modo veſtro, ita & defunctis illis pro modo ipſorum ſapientia Dei prouidit, eamdemque menſam parauit. Siquidem diſſipati ſunt illi, quoniam anima quidem apud inferos ſunt in requie ſpei, corpora verò requieſcunt in ſepulchris : diſſipabar & ego panis viuus, qui de cœlo deſcendi, & anima quidem ad animas illorum, corpus verò deſcendit ad corpora ipſorum, ſcilicet in eius terra ventrem, quo illa recepta ſunt.* quia ſic connexa Euchariſtiæ reſurrectio, vt omnibus etiam Chriſtum præcedentibus ſuo modo neceſſaria ſit habenda. Vnde & periit Ethnicus vſus epulas & menſas mortuis apponendi, (quod paſſim legis) poſtquam cœleſtia hæc menſa illis appoſita, tumulum thalamo commutauit.

Clarebunt ex dictis verba, quæ ſubdit idem Chriſtus : *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, Ioan. 6. num. 55. Si enim conuiua felix de præſenti, quia manducat, *æternam vitam habet*; quomodo de futuro diceretur reſuſcitandus, niſi, quia habere æternam vitam dicitur, qui certiſſimum pignus habet æternitatis? Certè id vulgò habere dicimur, cuius æquiualens pignus poſſidemus : nedum in re noſtra, vbi æternitatis Dominus, tot numeris æternitatem ſuperat, & reſurrectionem. Sed licèt verba clareant, adhuc verborum connexio obſcura : quid enim, quæſo, eſt caro & ſanguis Chriſti, niſi ipſe Chriſtus? ſi ergo idem eſt, cur tamquam de perſona diuerſa poni videtur, *& ego reſuſcitabo eum*? videntur quidem hæc vt diuerſa poni, ſed reuera pro vno & eodem ſupponunt, imò nihil clarius, aut illuſtrius ad noſtram rem dici potuit; ac ſi dicat Chriſtus: Manduca carnem ô homo, & bibe ſanguinem meum. nam ego, qui caro ſum, & ſanguis, tibi datus in pignus, eo ipſo quòd manducat, ero tibi reſurrectio. Sed præſtat audire Cyrillum Alexand. lib. 4. cap. 15. in Ioannem : *Habet*, inquit, *hac caro, Dei verbum quod naturaliter vita eſt : propterea dicit, quia ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die : ego enim, dixit, id eſt, corpus meum quod comedetur, reſuſcitabo eum : non alius enim eſt ipſe, quàm caro ſua.* & poſt alia vbi rem ſolita veritate explicat, (eſt quippe Cyrillus acutus ſæpe, ſemper litteraliſſimus magiſter) concludit : *Non enim poteſt natura noſtra vita coniuncta non viuificari, & quemadmodum ſi quis ſcintillam ignis in fœno, aut paleâ occultauerit, totum inde ignitum neceſſariò fiet : ſic verbum Dei, tamquam ſcintilla, in naturam noſtram immiſſum, totam inde inflammauit, atque ad vitam, interitu penitus destructo, reduxit.* ad Incarnationem viſus diuertere S. Doctor, vt inde communicantibus robuſtius argumentum efficiatur.

900. Totas delitias Eccleſiæ ſponſæ apertum Chriſti latus profudit : inde manauit aqua in balnea ſalutis, & in ſalutis pocula ſanguis effluxit : nimirum, vt in ſanguine Euchariſtico vitam, & vitam in aqua baptiſmali nobis inueniendam, ſignificaretur. attamen id virtutis eſſe, in ſanguine quem aſſumpſit Deus eſſentialiter vita, nil mirandum; aſt vnde, quæſo, elementari aquæ, aut aliunde adductæ, aut fortè ibi denuo creatæ (ſcio quid alij ſentiant) tanta vis vt vitæ fons habeatur, & baptiſmalis virtutis primitias oſtentet? reſpondet Rupertus *ad Ioan. lib. 13. cap. 19.* ſic ſcribens : *Societate viuifici ac pretioſi ſanguinis hoc accepit, vt compararetur viua ſimilitudine mari rubro, per quod ſaluatus populus tranſiuit, Pharaone ſummerſo cum curribus & equitibus ſuis. nam fugientes Ægyptum huius ſeculi, mundatos in veram promiſſionis terram tranſmittit, diabolumque perſequentem penitus abſorbet cum præteritis actibus, & populis ſuis.* Fluxit itaque è latere Chriſti ſanguis & aqua : ſed influxit ſanguis in aquam virtutis tantum, vt vitæ fons exinde habeatur. Quidni ergo viuificetur anima huic ſanguini coniuncta? quidni caro è tumulo ad thalamum in hoc ſanguine quo rigatur, reſurrectionis pignus habeat certiſſimum?

901. Facit huc locus quidam D. Irenæi *lib. 5. aduerſus hæreſes*, ex quo (licèt in codicibus, quos vidi, deprauatus habeatur) efficaciter hæc veritas propalatur. *Quemadmodum*, inquit, *lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & diſſolutum, multiplex ſurgit per ſpiritum*

Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in vſum hominibus veniunt, & ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita & repoſita in terram, & reſoluta, in ea reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante. locus, vt vides, truncus eſt: vnde tamen, ni ſis truncus, optimam vales elicere comparationem.

§. III.

Euchariſtia priſcam abolet maledictionem: dulcior panis noſter, dum ſudoris noſtri ſalſugine non paratur.

902. NEgauit Regi ſuperbo, Achab auaro ſanctam maiorum ſuorum hæreditatem, iuſtus Naboth, qui denegatæ prædæ dolore exacerbatus; *proiiciens*, inquit textus, *ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam in parietem, & non comedit panem*, 3. Reg. 21. num. 4. ex Græco legitur, *non comedit panem ſuum.* nec ſine magno pondere: quaſi tanto dolore afficeretur, quod de alieno pane, de alieno ſudore viuere, imò bibere non daretur. pulchrè D. Ambroſ. lib. de Nab. cap. 4. *Non manducauit*, inquit, *panem ſuum, quoniam quærebat alienum: etenim diuites magis manducant alienum, quàm ſuum panem, qui raptu viuunt, & de rapinis ſumptum exercent ſuum.* nimirum eſt hoc homini innatum deſiderium, panem alieno ſudore quærere irrigatum, ſi quo modo priſcam maledictionem auertere à ſe poſſint: *in ſudore vultus tui veſcere pane*, Geneſ. 3. num. 19. homini olim dictum: ille ergo, quandoquidem panem ſudoris cogitur manducare, ſaltem hunc de alieno vultu cupit irrigatum. Vnde dolet ſi panem ſuum, id eſt, proprio partum dolore edere cogatur.

903. Sed quorſum ad priſcam maledictionem fugiendam, nouis te culparum maledictionibus implicas ô mortalis! Antiquam maledictionem Euchariſtiâ auerruncatam voluit Chriſtus Dominus, vt non ſolùm vitali cibo, mortiferi pomi venenum pariter: ſed etiam laborioſi panis in pœnam dati, anguſtiæ; auguſto ferculo apparati, ſine labore tuo, conuiuij laxarentur. videamus hoc latè. Quà non arte, oſtenſo pomo Euam ad culpam pellicere tentauit Dæmon, & tamen cùm videretur faciliùs, ramum pomo nobilem, viridantibus frondibus amœnum decerpere, & in ſinum pellectæ fœminæ iaculari, nuſquam id feciſſe legitur: quin potiùs ipſa *tulit de fructu illius, & comedit*, Geneſ. 3. num. 6. vt ſaltem labore attrahendi ramum, carpendique pomum, mortis eſcam illi ſtetiſſe conſtet.

904. Attende nunc quàm aliter ſponſa ſancta in hoc loco quem ſumpſimus explicandum, hortum dilecti ingreditur, abſque dubio fructibus recreanda, & ſubdit: *ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* & vnde, quæſo, fructum experitur dulcem, quæ fructum non collegit? aut quomodo colligeret ab arbore procera abſque dubio, ſiquidem & vmbroſâ, quæ non tam petulanter dicitur aſcendiſſe, quàm ſediſſe quietè? ſedit illa, & cecidit, credo, vltro pomum ab arbore, quia cùm eſſet pomum vitæ, & Euchariſticum, neceſſariò erat ſine vllo labore comparandum: fauet pro parte Rupertus ad hunc locum: *Quis veſtrûm*, inquit, *neſcit quàm ſit fructus eius dulcis? expulit enim nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indidit: malus fructus, imò malus morſus, quo Adam per Euam vitam perdidit, & mortem inuenit: bonus fructus quo genus humanum per Mariam mortem perdidit, & vitam inuênit, hic eſt fructus eius.* Sermonem eſſe de Euchariſtia ſtatim clariùs patebit.

905. Attamen dulcius magis, & magis amatoriè locum explicabis, ſi dicas, ſediſſe illam ſub arbore, & aſcendiſſe ſponſum, feſtiuoque & grato laborculo poma decerpſiſſe, ne vel de minimo, in guſtanda Euchariſtiâ laboraſſet ſponſa: hoc affectu paſtor ille poëticus 2. *Ecl.* apud Virgil. ad amores ſuos,

> *Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala*
> *Caſtaneaſque nuces.*

Audi nunc quæ ſubiungit Rupertus ſtatim loco citato: *ad quid enim, ad quid ſuccreuit inter ligna ſyluarum, niſi vt faceret eiuſmodi fructum, quo euacuaret primæ præuaricationis reatum, ligni vetiti morſum? vbi tempus venit huiuſmodi fructus edendi: accipiens panem & vinum, & benedicens: Accipite, inquit, & comedite, hoc eſt corpus meum: accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus.* quaſi quemadmodum Chriſtus in vltima cœnâ, ipſe fregit, ipſe diſtribuit panem, ne vel etiam fractionis labor videretur diſcipulis incumbere, qui ſectum & porrectum accipiebant: ita in hoc loco carptum à ſe pomum ſedenti ſub vmbrâ ſponſæ, ipſe porrigeret. Sic ego aliquando putaui explicands verba illa Chriſti ad eamdem ſponſam: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum*, Cant. 7. n. 8. vnde enim, quòd dilectus aſcendit palmam, tumeant ſponſæ vbera, & os reſpiret odores: niſi, quia aſcendit ille carpturus ſponſæ dilectæ fructus Euchariſticos, qui guſtati odore os replentes, virtutem vberibus nutriendis fidelibus attolerunt? Certè Theodoretus in hoc loco Euchariſtiam intellexit, quem non adduco, quia diuerſo longè tenore contextum verborum explicauit.

906. Nihil in hanc rem ſignatius, quàm quod de Manna ſcribitur Sap. 16. num. 20. *Angelorum eſcâ*, loquit textus, *nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* paratur nimirum panis ſine conuiuarum labore, ſolius Dei ope & opere miniſtratus, vt dum peccatores in ſudore vultus ſui panem terrenum laborantes dæmoni militant, deſtinantur inferno: tunc iuſti cœleſtem panem ſine vllo labore comedentes, ad æternam iam patriam deſtinentur. D. Rabanus Maurus hic apud Gloſſam: *Manna*, inquit, *ſignificat panem qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo: panis quem ego dedero, caro mea eſt pro mundi vitâ: cruciantur ergo reprobi ſpirituali fame, & ſatiantur electi cæleſti pane: illi diuerſis laboribus præparantur ad pœnam, iſti diuina ope quotidie nutriuntur ad vitam.* Vides quàm in totum priſca aboleatur maledictio, dum ſine labore, & ad vitam meliorem hoc pane renouamur?

907. Inuitanti Eccleſiæ Chriſtum ad hortum, ſic benigniſſimus Dominus reſpondit: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*, Cant. 5. num. 1. ad quas amoris teneritudines prolapſum diuinum ſponſum non miraris? ſponſæ vota, facto præuenerat: iam in hortum venerat, quia de aduentu ſe rogandum præſciebat: ipſe falcem arripit, & ſolus arripit myrrhæ, id eſt, paſſionis ſuæ laboribus merendis,

dis, quorum tamen præ dulcedine charitatis visos amaritudinem oblitus est, dum tantùm suaueolentiam commemorat. Sed quare rubra sunt vestimenta tua dulcissime Iesu? quare passionis tuæ omnis myrrha amarioris torcular calcas solus, & de tot sodalibus non est vir tecum? solus calcat, solus myrrham metit, nec vllum amicorum in hoc negotio socium admittit, quos omnes melliti lactei que panis, & vini suauissimi voluptate cupit recreandos; vocabat scilicet ad Eucharistiam, quam sub passionis tempore instituit hic autem panis sine labore nostro, priscâ maledictione sublata exhibetur. Rupertus ibi, post multa de myrrhâ, siue passione Christi, sic ex illius ore scribit: *Idcirco non dico, chari, sed charissimi: quia charitas erga vos maxima mihi est, qua maior esse non potest: maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: hoc ego facio, nam ecce dum morior, dum ad mortem trador, iamque venditus in morte agonizor, corpus quoque meum comedendum, & sanguinem meum bibendum vobis appono.* Metit igitur Christus, addam ego, labores solus: quoniam illotum fructum, Eucharistiam scilicet sumendam sine labore nostro, nobis erat appositurus.

908. Tentauit olim hunc Dominum, ipso vultu interioris famis stimulos indicantem, Satan: *& accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant. qui respondens dixit, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Matth. 4. num. 3. Quàm effrons de impudentia, & quàm frontosus tentator de superbiâ: superbus Christum inuadit, & impudés lapides offert, cùmque facilè panes offerre posset, mauult vt de proprio quodammodo labore, de lapidibus à Domino transformentur, ne contra ius suum in prisca maledictione fundatum fecisse videretur, si absque aliquali accipientis labore illos obtulisset. Sed quàm pius Dominus! viam hominibus ostendit, vnde iam abolitâ maledictione, meliori pane, & sine vllo labore sustententur, dummodo Dei verbo reficiantur: hæc omnia visus ponderasse Chrysologus ad hunc locum serm. 11. *Audi*, inquit, *Patris verbum, verba salutis nostra esurire, non panem: & agere vt homo semper viuat cœlesti verbo, terreno pane non semper: ac sic Deo viuas, vt sui nescius sit laboris, quia verò illa vita est, qua sudorem nescit, dolores non habet, non habet finem.* Vide nunc si verbo Dei audito talis comparatur vita, talis gustatur panis, vt omnis in eo labor ignoretur, & æternitatis comparetur similitudo: quid fiet substantiali Dei verbo, pane cœlesti Christo reipsâ degustato?

909. Et quidem latenter, hoc etiam quod de Eucharistia cogito, in adductis verbis eductum, voluisse visus Christus: allusit enim, vt nemo nescit, ad illud *Deuter. 8. num. 3.* vbi Moyses ad populum: *Dedit tibi Manna quod ignorabas tu, & patres tui: vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* ac si dicat Moyses: pro pane sudato vestro, panem vobis sine labore, vi diuini Verbi effotmatum emisit, quo suauius longè nutriremini. Rectè proinde Christus Dominus ad Manna verum, ad panem Eucharisticum hic alluderet, qui diuinis verbis in Deum transformatus, non de visibili laborati panis specie, sed de inuisibili latentis diuinitatis medulla animas saginat. expressè ibi interlinearis: *non in solo*, inquit, *pane, id est, sacramentali specie, sed verbo vita*, Christo nimirum intus latente, è cœlo pane viuo veniente, quo nullo labore, sed summa perfruimur voluptate. quasi dicat Christus: quid miser Satan deciperis? quid lapideis panibus tentas eum, qui dulcissimos hominibus panes nouit fabricare, non de visibili accidentium Eucharisticorum figura, sed de memetipso occultè ibi commorante ad vitam nutrimentos? nimirum Agnus præbetur ad epulum sic paratus, vt ab origine mundi quasi ad conuiuium occisus videatur.

910. Ast quàm dulcis gutturi nostro, quàm absque labore nostro venit ad mensam! de typico Agno locututus Moyses sic habet: *& comedent carnes nocte illa assas igni, cum lactucis agrestibus*, Exodi 12. num. 8. Sed cur, dicat aliquis, epulum in capitæ felicitatis vsurâ, in libertatis recuperatione paratum amarescat? quorsum acerba lactucarum degustatio illis, qui penè iam repræsentante memoriâ, suauitatem terræ fluentis lacte & melle, eructabant? Equidem, quia nondum abolita maledictio, vtpote nec dum exhibita Eucharistia, ac proinde vix epulum sine laboris amaritudine parari poterat. Grauiùs D. Zeno Veron. *serm. 14 in Exod.* infidelitatem increpans Iudæorum: *Circumcisio*, inquit, *vacuatur, sabbatum deuotatur, neomenia & dies festi odio habentur: potiuntur eorum Romani regno. nihil, vt arbitror, restitit illis proprium, nisi quòd agno salutari neglecto, ingratè viles agnos cum amaritudine, homines amari manducant.* quia Iudæi qui olim ex lege, & qui modò ex culpa agnos gustant, amaritudinis labore afficiantur necesse est: vtpote quibus Agnus noster Eucharisticus, de maledictione abolitâ salutaris non degustatur.

§. IV.

Ad hanc alienis impensis, mensam inuenis stratam, carptum cibum, mollem vecturam: immo tibi deuehitur, ori, ne manum fatiges, ingerenda.

911. PRouidebat absque dubio quæ hucusque diximus, Rex Propheta, quando illud intonabat exultans: *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos, qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est*, Psalm. 22. num. 5. quorsum enim in opiparo conuiuio, non tam dispositas dapes condita fercula, quàm stratam mensam dixerit: nisi, ne vel etiam huius sternendæ curam hominibus impositam significaret, omnisque laboris vmbra vel leuissima inde nosceretur fugata: vbi vel etiam minima ab ipso Domino diligentia, legitur præoccupata? Sed adhuc id pulchriùs *Prouerb. 9. cap.* describitur: *Sapientia*, inquit Salomon, *ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*, à num. 1. vocat ad epulum per ancillas: sed ipsa per se victimas iugulat, agnum scilicet apponit, per se miscet vinum, per se proposuit, vel (vt ex Græco legitur) parauit mensam: credo, quia ancillæ, id est, familiariores iusti, pariter cum vocatis inuitabantur ad epulum: vnde nulla illis in hoc negotio laboris pars poterat adhærere. neque mirum, nam vtraque mensa Eucharistiam disponebat. D. Chrysost. ad locum Psalm. citatum: *Ista*, inquit, *mensa agnoscitur altaris Domini consecratio, nam vide quid dicit Sapientia: Sapientia ædificauit sibi*, &c. *quia istam mensam præparauit seruis & ancillis in conspectu eorum quotidie in similitudinem corporis, & sanguinis*

Christi, &c. Meritò igitur, ni fallor, si etiam, imò præcipuè vocantes ancillæ vocantur ad epulum, in eo nihil laborasse dicuntur: quia nesciit Eucharistia alieni sudoris aliquid immiscere.

912\. Totus concordat cum Salomone Matth. Sed verbis adhuc commendatioribus: vocatas iam Rex ad nuptias, & nolentes venire noua vocationis formulâ adurget: *Misit*, inquit, *alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias*, cap. 22. num. 4. q. d. omnem curam, omnem sollicitudinem deponite: ad epulum diuinum vocamini, ad Eucharistiam. Si igitur omnibus iam paratis & dispositis, panem sine sudore inuenitis, quid moramini? de Eucharistia locum capit ibi Lyran. *Prandium*, inquit, *potissimè Sacramentum Eucharistiæ, in quo datur nobis caro Christi in cibum, & sanguis eius in potum.* & bene nuptiarum vocabulo dicitur Eucharistia: quia, si vulgo panis nuptiarum inde habetur dulcior, quia id temporis perpetua celebritate, & sine vlla laboris transigitur mensione, quàm nuptialis panis Eucharisticus, vbi penitus sudores nostri, fontes amari ab æuo exsiccantur.

913\. Vnus solummodo opponi posse videtur labor itineris, vnde retardaremur: vocamur quidem conuiuæ panem non iam doloris manducaturi, fateor: sed tamen inueniendo solitæ viarum molestiæ non arcentur. falleris quisquis id opponis, omnem etiam iter faciendi laborem tollit Eucharistia. Omnia Ægypti bona Iosephi propinquis promiserat iam bonus Pharao: deinde, quasi aliquid grandius cogitaret, subdidit: *præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Ægypti ad subuectionem paruulorum & coniugum*, &c. vbi D. Thomas *Genes.* 45. *num.* 19. sic scribit. *Nota*, inquit, *etiam quòd Pharao per Ioseph mittit plaustra: quæ plaustra sunt ipsa Dei virtus & voluntas, Christique meritum, in quibus portantur ad cœlum, & ad omne bonum.* quasi tanta sit abundantia gratiæ iustis data per Christum, vt non iam pedites, sed curules incedere videantur: ne scilicet aut in via ad cœlum, aut in cuiusuis virtutis aditione, iam vlla defatigandi iusti existimentur: de quo infrà plenas, nec iniucundas dabo paginas. Sed ad rem præsentem: ideo, puto, nunc id maximè declaratur, cùm ad Ioseph frumenti præsidem, panes offerentem venitur: quia tunc Domini Iesu parantis Eucharistiam typus erat: ad hoc enim epulum sine vllo etiam itineris labore properatur. lege Ambros. *lib. de Ioseph. cap.* 7. & 8.

In hac vita deliciosè vehimur & curules.

914\. Sed adhuc suauius portationis genus ego excogito: imò excogitauit diuinitus entheus Michæas, *& erit*, inquit: *In nouissimo dierum erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi*, cap. 4. n. 1. quæ verba apud Isaiam *cap.* 2. eadem legontur, vbi iam plures adnorarunt, ea suauitate diuino sese obsequio mancipandi, fideles huius montis arduam, instar complanatæ, imò leuiter decliuis viæ ascensuros. adderem ego spiritum diuinum, auram illam cœlestem leui flatu suspensos, & è terra quodammodo elatos illos impellere, vt sine labore quasi in aëria quadriga deferantur, ea suauitate, qua blandus fluuiolus per complanata vireta, per amœna decliuia fluere consueuit. Fingebat lepidè Apuleius *metamorph.* 6. Psychem ab amore marito suauissimè asportatam: *Psychem*, inquit, *pauentem ac trepidam, & in ipso scopuli vertice deflentem, mitis auræ molliter spirantis Zephyri, vibratis hinc inde laciniis, & reflato sinu sensim leuatam, suo tranquillo spiritu vehens, paulatim per deuexa excelsa, vallis subditæ florentis cespitis gremio leniter delapsam reclinat.* hæc de descensu. & statim *lib.* 7. post Psyches sorores simili vectura delapsas scribit, paulo pòst ita de ascensu redeuntium: *Opiparis muneribus eas onustas ventoso vehiculo reddidit.* & iterum: *flatus alitis impulsu solito, porrecta super scopulum.* talem tu scopuli conscensum laboriosum & durum: an magis dulcem & fluentem appellares? hæc ergo fabulosa deliria, sed Cupidinis amantis hyperbolica monumenta, reapse æternus ille amor, & pariter spiritus, seu Zephyrus diuinus sic effecit infusa gratiæ dulcedine, vt iusti scopulosa virtutis iuga non tam laboriosè ascendere, quàm leniter præterfluere videantur. Iam verò ad rem nostram, ideo puto in præsenti loco, tam dulci locutionis genere vsum Michæam, quia ad grata Eucharistici sanguinis pocula confluebatur: audi enim quid subdat tamquam felicitatis apicem in hoc monte reperiundæ, *& sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui terreat*, ibidem *num.* 4. vbi D. Hieronymus: *Requiescet*, inquit, *vnusquisque sub vite suâ, vt premat vinum, quod exhilarat cor hominis: sub vite illa*, Ioan. 15. *cuius pater agricola est.* nam sacta vitis nostra Christus, quo alio, quàm Eucharistico vino corda tecreat? Si igitur ad Eucharistiam conscenditur, noo mirum si iam mollitet, & sine vllo viæ labore conscendatur.

915\. Habeo tamen adhuc expressiorem huius mysterij figuram: talis est illa Moysis, de Christi Domini erga fideles amoris teneritudine: *sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*, Deuteron. 32. n. 11. Ecquæ quadriga generosior vsquam potuit excogitari? Amoris apicem attigisse putarunt Græci, dum Iouem aquilæ vestitum pennas fingunt, rapiendo & portando Ganymedi: sed quàm id suo commodo? pulcellum enim affectans pincernam, ab illo nectar dulcius sperabat: ecce iam oune fictas amoris fabulas, facta Christi superant: Aquilam visus induere iustis portandis, à quibus tamen pocillatoribus nectar accipere non indiget: quid, inquam, acciperet? imò ideo eos portat, vt ipsis nectar porrigat Eucharisticum: certè enim iam suauis vectura, iam sine labore portatio, eo absque dubio collineabat: ideo enim post alia virtutum (quæ PP. ibi explicant) & donorum fercula, tamquam iure pretiosius in fine ponitur: *constituit eum super excelsam terram, vt comederet*, &c. *butyrum de armento & lac de ouibus cum adipe agnorum*, … *hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum*, ibidem num. 13. & 14. quæ verba ferè omnes de epulo nostro explicant. nunc satis Hugo Cardin. ibi, *Medulla*, inquit, *tritici est pinguis refectio corporis Christi, triticum enim Christus est sanguis vuæ, sanguis Christi.* temerè igitur itineris prætendes laborem, cùm te mollissimè portatum fatearis necesse sit.

916\. Quid vltrà? ne fortè etiam in sic suaui vecturâ aliquid laboris, saltem in loci mutatione caussareris improbus: non iam te defert ad epulum quandoque, quàm epulum ad te quandoque afferre satagit. Ecquis Ducum e bello rediens, si à victo & maioris dignitatis Principe commeatus iter petitum, impetraretque faciles: in summo id beneficio non poneret? & tamen redit è bello Abraham, neque solum non abit petitutus, sed etiam Regem illustrissimum salem, ad se cum commeatibus venientem, habet obuiam. Sed pende

de muneta, & ceſſabit admiratio: *at verò*, inquit Scriptura, *Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei*, Geneſ. 14. num. 18. tancidum ſit Euchariſticam hîc figuram, in tanta rei notitia declarare: tantùm adduco verba Pauli de hoc geſto, *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum*, Hebr. 7. num. 1. quia geſtator Euchariſtiæ Chriſtus Dominus, ambitioſus laboris præoccupator, dum congruat dum neceſſe ſit, non tam te portat ad epulum, quàm illud ad te tranſportat: memineris Staniſlai noſtri.

917. Quòd ſi adhuc humana proteruia, laborem deferendi ad os allatum cibum, excuſationi prætendat, illius inſtar, de quo Salomon, *abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam*, Prouerb. 19. num. 24. etiam huic tali adblanditur Dominus piiſſimus: *Dilata*, inquit, *os tuum, & implebo illud*, Pſalm. 80. num. 11. loquebatur paulo antè Propheta de Ægyptiaca captiuitate ex ore Dei, vt ad tantæ miſeriæ præſentiam, hoc nouum beneficium maius haberetur: quid enim dulcius poterat euenire, quàm oribus illis paulo antè porrorum & ceparum fœtorem exhalantibus, odoratos diuini & ſatiantis conuiuij halitus promittere: aut quid ſceleſtius in homine vnquam potuit excogitari, quàm ſi diuino epulo accedere recuſet, ad quod vna tantùm oris dilatatio, etiam ſub delicata manuum ignauiâ, poſtulatur? Ecquod, inquis, hoc huioſce loci epulum? ex ipſa ſeſe communicandi facili ſuauitate, patet Euchariſticum. D. Hieronymus, (aut quiſquis eſt qui eius nomine in Pſalmos explicator circumfertur) ibi in hunc modum: *Dilatate*, inquit, *ora veſtra, ipſe eſt & Dominus, & panis: ipſe hortatur nos vt comedamus, & ipſe noſter cibus eſt*. bene igitur ſponſa dulcem Euchariſtiæ fructum appellauit, qui laboris amaritudine non emitur.

918. Quòd ſi quis (doctis enim iuxtà, & indoctis ſcribitur) addubitet de his, quæ diximus, afferatque pleniſſimas Sanctorum paginas (quas & ego alibi dabo) prædicantium ad Euchariſtiam fructuosè ſumendam, labores & mortificationes requiri, quod eſt veriſſimum: ſciat nihil contrarium à nobis ſcriptum. nam præterquam quòd præ tanto beneficio, penè nihil labor & officium noſtrum reputetur: ea ab Spiritu ſancto, vt ſuprà indicaui, gratiæ ſuauitat piis ac deuotis conuiuis infunditur, vt laborem & afflictiones quantumuis maximas, aut nullas reputent, aut dulciſſimas.

VERS 4. In cellam vinariam.

§. I.

Euchariſtiæ vera chariſtia, & reconciliationis fœdera perauguſta.

919. IN hac cella vinaria, id eſt, in Euchariſtico vino, charitatem ſuam ſponſæ prædicat ordinatam, & meritò, quia in hoc epulo anima Deum olim offenſum, & infenſos proximos ſibi ad amorem reconciliat: hos, propter illum diligit ordinatè. quid mirum, ſi in Euchariſtiâ vera chariſtia, & reconciliationis fœdera inueniuntur auguſta? Excepit venientem prodigum Pater tenerrimus, & excepit conuiuio, diuinum ſcilicet illi cibum exhibens: nihil ſignatius Pater dare poterat, nihil aptius redintegrandæ amicitiæ, componendo fœderi apparare. Chariſtia vocabant veteres (notuut pueri) conuiuia quædam eò ſolùm deſtinata, vt ſepultis, ſi quæ inter propinquos interceſſerant, odiis, amores & amicitiæ reuiteſcerent. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. *Conuiuium ſolemne*, inquit, *maiores inſtituerunt, idque* Chariſtia *appellauerunt; cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud Sacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur*. Apponitur ergo in hoc loco conuiuium, nec tam chariſtia condonatur, quàm Euchariſtia, vt filius reconcilietur Patri, & inter ſacræ menſæ myſteria ſanctiſſima quidquid inter domeſticos foret querelarum, aboleretur: *Adducite*, inquit Pater, *vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*, Luc. 15. num. 23. Solus prodigus venerat, & multis apponitur conuiuium, omnes gaudere, omnes epulari iubentur, vt quis familiarium inter ſacra chariſtia, in gratiam inuicem cum aliis, & cum Deo non rediret. Bene hîc Auguſt. in catena: *Hæ*, inquit, *epulæ atque feſtiuitas nunc celebrantur, per orbem terrarum Eccleſiâ dilatata atque diffuſa: vitulus enim ille, in corpore & ſanguine Dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum*. quia neſcit tam ſacrum, tam pingue conuiuium totam domum ad gratiam non paſcere, vt ieiunent ad odium & diſcordias.

920. Poſtquam ſceptriger Pſaltes diuino ſibi conceſſas munere enumerat virtutes, hæc ſubiungit: *ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea*, Pſalm. 130. num. 4. ſuſpirat nimirum, vt ſtatim dicam ex Zenone, Euchariſticum panem, cibum fortiorem, quandoquidem iam abiactatus infantiam & lactentem virtutem depoſuerat: dicam de hoc alibi: nunc rei præſenti adnota quod ſubdit: *Speret Iſraël in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, num. 5. Ecquæ hæc conſequentia? an quia ipſe ſperat, & ſuſpirat hunc panem: ideo totus Iſraël, id eſt, vniuerſus fidelium cœtus, eumdem & ſuſpiret, & ſperet neceſſe eſt? ita planè: hic panis ex ſua inſtitutione, diuina quædam innouat chariſtia, vt nullus ſit fidelium, quos præter imaginis communis rationem, etiam fidei ſemen Deo filios fecit, & inuicem fratres, qui ex hac menſa reconciliationem ferre non ſperent. D. Zeno *ſerm.* 2. ad hunc locum fauere viſus: *Orat*, &c. inquit, *perfecti, & cæleſtis, & viuentis panis ſit dignus, quia ſuperiora quæ commemorauit opera iam cibum lactis exceſſerint: ſed neque tantùm ſibi hunc viuum cœli panem precatur, ſed vniuerſis, ad huius ſpem adhortatur, dicens: Speret Iſraël in Domino*, &c. vt omnes ad Euchariſtiam, in qua vera ſunt chariſtia, properemus, nec poſſit vnus, quin alios ſibi cupiat vnitos & reconciliatos, huc accedere.

921. Præbuerat Chriſtus Dominus in vltima illa cœna, vltimum & pretioſiſſimum corporis ſui ferculum, præcipiens acciperent illud, deinde manducarent ex eo omnes. Sed pende quid de Iuda dicat Ioannes: *& poſt buccellam introiuit in eum Satanas*, cap. 13. num. 27. poſt buccellam, inquis, acceptam, an manducatam? poſt acceptam tantùm: videtur exprimi ab eodem Ioanne ibidem num. 30. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò*. notas celeritatem dæmonis; vbi accipit, prius quàm manducet & bibat ſibi Iudas iudicium, iam carnifex ingreditur: ecquæ cauſſa? acutè mihi Origenes in cat. *Neu fruſtrà autem*, inquit, *requiram, quare ſuper hoc quod eſt accipiens panem, non additur, & manducans: nunquid igitur accepto pane, non manducauit Iudas? poſt panem enim forſan acceptum à Iuda non eſum, qui ſemel in cor eius immiſerat vt magiſtrum prodat:*

prodat: timore ductus, ne quod immissum fuerat, cognosceret vsu panis; quàm cito panem Iudas recepit, introiuit in eum, & statim domo excessit. nimirum summam vim in sacris his charistiis ad reconciliationem Dæmon agnoscebat: satis roboris in immisso proposito separantis proditionis contra Eucharistiam non agnoscit: vnde feruidus ipse præoccupans ingreditur, muniturus per semetipsum sibi, impiæ illius mentis arcem, quam iam ab Eucharistia de foris obsideri intuebatur: vt cùm postea sacer panis ingrederetur, saluâ, sed deprauatiore Iudæ libertate, piè oppugnatum, & impiè propugnatum scelus semel conceptum non expugnaretur.

922. Hinc capies illam querelam Christi Domini, iam olim summo cum dolore à Dauide effusam; *si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, Psalm. 54. num. 15. Aposiopesim agnosco & interruptam sententiam, vbi summi doloris epitasis significatur, & vehemens proditionis Iudæ querimonia; & cur ita? quia cum illo simul dulces capiebat cibos, nec poterat non percipere Christus dolorem summum, quod inter piæ mensæ charistia piissima, ex se totius odij auerruncatoria, peruersus Iudas odium retineret. fauet Hugo Cardin. hîc, item Augustinus: sed clarissimè Incognitus his verbis ad locum Psalmi: *Ex hoc*, inquit, *peccatum Iudæ aggrauatur, quia in tanto crimine consistens, Sacramentum sumpsit indignè.* Veniebat ad reconciliationis charistia, animo obstinato odiis in magistrum, in condiscipulos, fratres tanto parente cupiens spoliatos: proh scelus! cùm ipsi Ethnici quamlibet culpam à prophanis suis charistiis arcerent. Ouid. *lib. 2. Fastor.*

Proxima cognati dixere charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua Deos, &c.
Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto
Frater.

quia summa culpa putabatur, ibi retinere culpam & odiorum impietatem, vbi talis impietas abolebatur.

923. Fauet huic menti fons Hebræus, qui vbi nos legimus, *dulces capiebas cibos*, id est, Eucharisticos, vt dixi: habet apud Vatabl. *mutuò enim & suauiter secreta communicabamus.* Solus quippe iste cibus vtpote viuus, mysteria reuelat, communicat secreta: vnde fit idem cibos capere, & intimam spiritus capiare communicationem. neque mirum, ni enim cæcutio, multum emphasis habet in hanc rem τὸ *simul mecum*, cùm videretur sufficere si tantùm *mecum* diceret: ideo enim fortasse additur *simul*, vt ex eadem præmorsâ, & semesâ buccellâ cum Christo, simul comedisse Iudas intelligatur. & quorsum id, inquis? vt simul cum illâ osculum illi porrigere nosceretur, si fortè præmeditatum scelus, & proditionis osculum tanto amoris indicio ab illo auerruncaret: vocabatur hoc *Philotesia* apud priscos. sic Cyrus solebat prægustatos cibos, & semesa edulia amicis mittere, hoc addito mandato: *His Cyrus delectatus, vult quoque te eadem gustare.* vt habet Xenophon *lib. 1.* nihil mirum ergo, si simul cum cibo Iudas excepit osculum, spiritum & secreta Christi hauriret: haberet enim osculum missum in buccellâ, easdem conditiones, quas habet ab ore porrectum: de hoc autem Ambros. lib. de Isaac cap. 3. *per osculum adhæret anima Deo verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis.* cum osculo ergo in præmorso illo missu, misso, mille absque dubio inspirationes, & auxilia secreta, & sacras communicationes Iudæ porrexit Christus, quas ille suâ culpâ reddidit inefficaces.

924. Clarior hæc cogitatio allucet in verbis Marci: *Accepto*, inquit, *calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes*, cap. 14. num 23. gustauit quidem Christus primus ex illo calice suum sanguinem, deinde omnes discipuli ex eodem mysticum vinum, id est, Deum sacramentatum, cruorem viuificum hauserunt, vt in illâ sacrorum charistiorum philotesiâ, & à Christo acciperent, & sibi mutua amicitiæ oscula exhiberent: quid enim postquam alius ebibebat, alius ex eodem poculo, nisi cum sanguine, prioris pariter osculum excipiebat? de Philotesia enim nescio quis amator ad amores suos: *Labris*, inquit, *poculum attinge: imple osculis, & præbe rogantibus.* dabo alibi. Porrigit ergo Christus Dominus poculum osculis plenum, quod nouis aliis Apostoli superimplebant, vt inter omnes etsiam leuissimorum iurgiorum (nonnulla eorumdem imperfectorum adhuc legimus in Euangelio) reconciliatio per amorem exerceretur, & non doleat Iudam interim obstinari? non doleat odij amaritudinem, prodentis osculi furorem: inter tam dulcia charistiorum, imò Eucharistiæ oscula conseruari? Audi Chrysostomum *in catena ad cap. 22. Lucæ*, de hac re: *Fit*, inquit, *scelus eius vtique immanius, tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria: tum quia adiens, melior factus non fuit nec metu, nec beneficio, nec honore.* illa enim vis inerat mysterio, ex mente huius patris, accepio: vt si saltem non resisteret auxiliis tunc suggestis, ad reconciliationem feliciter, fortiter, & suauiter traheretur: vnde nouam culpam, quòd esset melior factus visus contraxisse Iudas perfidus.

925. Hinc aperio cur Christus Dominus questus quòd osculo à Iuda proderetur, *Luc. 22. num. 48.* osculum nihilominus excipit proditoris: cur enim, dicat aliquis, si Dominus amicitiæ stemma osculum, in odij insigne doluit commutatum, faciem non auertit suam, & venenata discipuli labra non remouit? dixerim enim, quia reconciliationis & pacis osculum inter sacra mysteriorum charistia, simul cum Eucharistia porrexerat, voluisse tamquam ab iniusto possessore, imò nepote perdito illud vindicare: tanti reconciliatiua ista faciens oscula, vt dummodo illa reciperet, & ab infami eripiat captiuitate, hostium suorum fieri quodammodo captiuus non pertimeat. quis scit, an id voluerit D. Paulinus loco aliàs citato epist. 2. *Osculum*, inquit, *Dominus non ideo suscepit, vt pacem proditoris acciperet: sed vt ab alienato reciperet*, id est, vt quam dederat, recuperaret. hæc omnia occasione Dauidici loci de Iuda, dicta sunto non abs re charistiorum.

926. Sed horum occasione, maius aliquid addo: non solùm tunc cum Eucharistia suauissimum hoc suauium misit Christus, sed & nunc nobis idem porrigitur, imò ipsa Eucharistia, putum putum est osculum amoris. In conuiuio erat anima, inter lautissima fercula, & bene condita pocula recreanda, & tamen suspirat, *osculetur me osculo oris sui*, Cant. 1. num. 1. ad quem locum D. Ambros. *Quid*, inquit, *loquar de osculo oris, quod charitatis & pietatis est pignus? Osculantur se columbæ, sed quid ad humani osculi venustatem, quo amicitia insigne, humanitatisque præfulget: in quo plena charitatis fidelis exprimitur affectus? vnde & Dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait: Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, charitatis insigne, conuertis ad signum proditionis,*

tionis, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignere veteris, ad officium crudelitatis? Sed inde nobis insurgit dubitatio. Si tale est osculum, quid belli poterat inter conuiuandum commoueri, cuius auertendi ergò, osculum pacis fœdus petat anima? quid insidiarum timebatur, quibus arcendis, fidelis reconciliationis signa repeterentur crebrò, déque labiis ad corda figerentur? ni fallor, conuiuia ista erant charistia, vbi depositis iam culpis, anima pleniùs Deo reconciliari cupiebat: ideo inter vina & epulas cæterorum donorum, ea non tanti faciens, vnam osculi gratiam suspirat, hanc cæteris præponit, inquiens: *osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*, id est, melior est amor tuus osculo expressus, cæteris donis: ecquod tandem hoc osculum? ipsissima Eucharistia, ex qua sacrum fœdus, & plenitudinem pacis sperabat. D. Ambros. paulo pòst: *Videt*, inquit, *se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignam qua ad altare Christi possit accedere: quid est enim altare nisi forma corporis Christi? videt Sacramenta corporis Christi, & ait: Osculetur me osculo oris sui, id est, osculum mihi Christus infigat.* quasi solum in altari Eucharistico osculum veræ pacis inueniatur. Sed hoc nos iam ad fœdera manuducit: dicamus de his seorsim.

§. II.

Pars altera de Eucharisticis fœderibus pressiùs illustrata.

917

Amor Dei mirus in fœdere vnde patet cum iis hominibus exhibetur.

ERant igitur prædicta charistia pacifica quædam fœdera, in quibus sine sanguine, ad amoris reconciliationem consanguinei veniebant: sine sanguine, inquam, victimarum, non sine proprio sanguine quandoque, vt de Germanis habet Athenæus *lib. 5. cap. 2.* licèt non solùm de propinquis sermo sit: hinc Alexand. Neapol. ex correctione Tiraq. lib. 5. cap. 3. *Germani*, inquit, *frequentes factitarunt, vt in epulis percusiâ faciei venâ, profluentem cruorem vino miscerent, inuicemque propinarent: summum fœdus amicitiæ, mutuum sanguinem gustasse, rati.*

In Eucharistia hominum ad inuicem, & ad Deum fœdera peraugusta.

Augustior tamen fœderis ratio, in mysticis nostris charistiis, in sacra Eucharistia. vbi sine sanguine, sanguis interuenit: non scinditur occisa victima, & tamen victimâ litante feritur fœdus, vbi Christus Dei facies vulneratur intactus.

918.

Diuiserat victimas suas Abraham, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuerat, tunc addit textus: *cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas*, Genes. 15. num. 17. Quid autem sibi vellent hæ diuisiones, explicat ibi pulchrè Lyranus num. 10. *Caussa*, inquit, *huius diuisionis & partitionis est, quia tunc temporis quando homines ad inuicem pactum, vel fœdus inuiolabile faciebant, ad hoc designandum, interficiebant vnum animal, & diuidebant in duas partes, & transibant, ad designandum, quòd digni essent morte, si pactum illud transgrederentur.* Quid ergo, inquis, an Deus, qui in clibano, & ignis lampade pertransibat diuisiones? iurabat pariter & fœdus testabatur? planè: ideo subditur statim num. 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.* vbi iterum Lyranus de Deo per medias diuisiones transeunte: *Sicut*, inquit, *suprà dictum est, iniens pactum, vel fœdus firmum cum aliquo, transibat inter partes animalis occisi: Deus autem faciebat pactum firmum cum Abraham.* quasi si per impossibile Deus esset passibilis, mallet scindi medius, quàm fœdus violare. Videbatur quidem non posse vltra diuini amoris facilem comitatem, maiestatem eorum in pangendo fœdere procedere.

929.

Sed ecce in Eucharistico nostro fœdere, corpus illud Dei olim in cruce passibile, & lacerum, impassibili quodam tenore instauratur: vt iam inde intelligatur illud Prouerb. 9. num. 2. *Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* mixtum ne victimarum sanguinem immolatum vino voluit? fortasse: vt mysticè sub vini pallio latentem diuini Agni sanguinem significaret; sed quidquid sit de hoc, audis victimas, audis fœdera in hoc conuiuio: vnde Dionys. ad hunc locum: *Obtulit*, inquit, *se ipsum in cruce, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: sicque obtulit, id est, corpus suum, & sanguinem: miscuit vinum. nam in cœna nouissimâ, vinum conuertit in sanguinem suum.* vbi sic ista connectuntur, vt victimas & fœdera incruentè in epulo Eucharistico innouata cognoscamus. Quid? sicut Ioseph fratribus reconciliandis non simpliciter epulum, sed victimas fœderis ad epulum paratas voluit: *occide victimas, & instrue conuiuium*, Genes. 43. num. 16. sic melior & verus noster Ioseph, victimas fraternæ reconciliationi innouat sine sanguine in hoc conuiuio.

930.

Violauerat quidem homo icta olim cum Deo fœdera: tunc fideiussor Christus, homo Deus, laceris membris, percusso corpore pœnas luit præteriti erroris: sed eo ipso fœdus æternum sancit, & quod semel fecit in cruce, quotidie inter sacra renouat charistia; hinc illa eius vox: *hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine*, Luc. 22. n. 20. de quo Balduinus hìc apud Tilmanum: *ac si diceret*, inquit, *hic constituta est caussa & virtus & ratio implendi quæ in nouo Testamento præcepta sunt, & obtinendi quæ promissa sunt: hic est finis & consummatio legis, hic est plenitudo gratiæ & veritatis: hic est mysterium fidei, firmamentum spei, testimonium dilectionis meæ, exemplum obedientiæ vestræ, pignus hæreditatis vestræ: nouum enim Testamentum est in meo sanguine confirmatum, nulloque ritu deinceps mutandum, vt sit legitimum sempiternum.* pulchrè: ideo ipse sanguis dicitur Testamentum, siue pactum institutoris cum hæredibus, quia illi adimplendo vires suggerit, robur administrat. Sed alibi accuratiùs premenda Alcuini verba: nunc ad rem præsentem nota, quòd cùm lex noua, & nouum Testamentum, amore totum fundetur, & subsistat, habeat necesse est in Eucharistia viuidum quoddam amoris fulcimentum; & vnde hoc? acutissimè respondet idem Balduinus ibidem: *cùm hoc sanguine*, inquit, *fuso, amorem suum effudit: cum hoc infuso, amorem suum infundit.* q. d. nullum potuit Christus apertius dare amoris maximi signum, quàm dum aperto corpore in Cruce sanguinem suum effudit, vt quot guttulas, tot amoris scintillas spargere videretur. Idem ergo sanguis olim fusus, dum infusus modò animabus per Eucharistiam communicatur, cùm ipse sit amor, amore illas accendat necesse est: sicque reconciliata charitas crescat, vt ipsummet amorem haurire cœlesti quodam fœdere cognoscamur. An non meritò igitur ipse sanguis Testamentum, & fœdus appelletur, qui sic diuina fœdera stabiliuit, & firmauit?

931.

Et bene calix idem vinum specie, re ipsa sanguinem Dei hominis, hominibus propinat: sic enim omnes inter se fidi, perpetuum amorem seruare tenebuntur: pende verba Sallustij de coniuratione Catilinæ: *Fuere*, inquit, *ea tempestate qui dicerent Catilinam oratione habitâ cùm ad iusiurandum*

dum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse: inde cùm post execrationem omnes degustassent, aperuisse consilium suum: atque eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent alius alij tanti facinoris conscij. Dulcius nos, non puti hominis sanguinem cum vino, sed sub vini specie, speciosum hominis Dei sanguinem haurimus, vt fidi inter nos mutuo (non ingentis alicuius facinoris, sed illustris huius mysterij participes) degamus. neque mirum: feritur enim nobis omnibus, in his sacris charistiis dulce fœdus, vt iam Iudæ instar habeatur, qui violans charitatem (dum culpæ conscius, ad Eucharistiam accedens, quantum est ex se, Christum peruerso osculo tradit denuo) fratribus eiusdem calicis participibus auersatur. Bene Origen. *hom.35. in Matth.* post multa de Iuda: *Tales*, inquit, *sunt omnes in Ecclesia qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eamdem mensam corporis Christi, & ad eumdem potum sanguinis eius frequenter simul ierunt.* Dignus enim qui Iudæ instar suspensus crepat medius, qui medium charitatis centrum audet tanto fœdere inito deserere.

932. Allucebunt ex dictis verba Iobi, immo Christi Domini in Iobo figurati: *si non dixerunt*, inquit, *viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt saturemur*, cap.31. num.31. quæ ferè omnes Patres de Eucharistia nostra explicarunt: sed mihi dubium, cur fideles hîc *tabernaculo*, vel, vt clariùs habet Vatablus, *tentorio* potiùs adscribantur, (quibus vocibus vt plurimum militare aliquid innuitur) quàm pacificis ædibus, domui quietæ? diceremque significata in hoc loco desideria, quibus ardentes fideles confœderari in dæmonem cupiebant: quod vt explicem, ad rem nostram pende verba Plutarchi de quibusdam in remp. coniuratis, illique iam iam bellum illaturis: sic enim scribit in Poplicola. *Postquam assensere adolescentes, & cum aquiliniis collocuti sunt, consilio statutum est, vt magno ac graui iureiurando sese omnes inuicem obstringerent, occisi hominis sanguine delibato, ac visceribus degustatis.* Proh immanitas! securiùs & suauiùs fideles, feliciùs Ecclesia membra sua nouit charitate constringere Eucharistico pane sumpto, sanguine gustato, vt vnanimes & fœderati in Dæmonem irruant robustiùs: fauet Chrysost. homil. 45. in Ioannem: *Cùm suum*, inquit, *in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur, hoc enim amantium maximè est. hoc Iob significabat de seruis suis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? quod Christus fecit*, &c. *non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri: ab illa ergo mensa tamquam leones ignem spirantes, surgamus diabolo formidolosi.* pende mihi illud *ergo*: quasi legitima & in optima figurâ constituta sit consequentia, vt Eucharistica carne pasti, pactum arctissimum ineamus, & inuiolabilem charitatem seruare teneamur, quò dæmoni formidabiles ipsum oppugnemus. Sic enim bellum tartareum feliciter inimus, si in charistiis sacris, gustato Christi corpore, inuiolabili pacis fœdere copulamur.

Eucharistiâ homines fœderati Dæmoni terribiles sunt.

933. Expressit id ergo anima in hoc loco: *introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* de quo Paschasius *lib. de corp. & sang. Dom.* post multa de Eucharistia: *Hinc*, inquit, *sponsa in Cant. introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; ac deinde: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum. Exultant ergo fideles dum se intelligunt ad tantam vnitatem Christi sociatos per gratiam, & ad tantam flagrantiam charitatis prouectos.* vbi plura de vi conciliatrice huius Sacramenti. Tu mihi pende verbum *ordinandi*, in hoc loco militare esse: ideo in Hebræo legitur, *vexillum eius super me charitas.* quasi Ecclesiæ fideles sumpto mysterio, quasi icto concordiæ fœdere, tamquam sub vno vexillo expugnandis dæmonibus adunentur, & sic Ecclesia castrorum ordinata acies ritè appelletur. Sed hæc iam nos aliò appellant.

Extrema turpitudo est luxuria.

§. III.

Eucharistico epulo instabilis humanæ naturæ conditio, stabilis perseuerat.

934. Meritò quidem anima dicitur in hoc loco per Eucharistiam vexillata. nam sicut milites, & maximè signifer, à castris & duce suo, militari iuramento constricti, non possunt nisi impiè separari; & sicut militare quid est proprium in suo semper gradu consistere: sic humana natura proprio genio instabilis, per hoc Sacramentum, erraticum aliàs gradum in statione debita figit, & ab amore suo Christo non facilè separatur: hinc enim qui vagulo quodam ingenio, genio instabili patrem reliquerat prodigus, inter tumultuosi sæculi æstuantes semper vndas fluctuaturus: postquam feliciori tandem diuini Austri flatu patri, id est, portui appellit: firmandus iam & stabiliendus de charitatis penu epulum capit, vitulus illi occiditur, id est, vt suprà dixi, porrigitur Eucharistia; nulla enim potuit infirmitati tantæ efficacior adhiberi medicina: vna enim est Eucharistia, quæ instabilem & fluctuantem naturam nostram fixat, corroborat eneruem, cùm ipsum nobis Christum inconstantiæ nostræ adhibeat firmamentum.

935. Sunt mira in hanc rem, & vndique amorem stillantia verba illa Christi Domini Patrem rogantis, *vt omnes*, inquit, *vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint*, Ioan.17. num.21. non enim sola oratur vnitas, sed ea vnitas, quæ diuinarum personarum æmulatrix sit vnitatis, vt fideles non solùm cum Deo maneant, sed etiam in Deo, aliàs quidem facilè lapsuri: videmur ergo diuinas circum insessiones sic imitari, vt cùm Deus in nobis, & nos in illo pariter mansérimus, personas in se inuicem circum insidentes ad viuum exprimamus. Audiendus nunc Chrysol. serm.62. *Homo*, inquit, *dicit tibi Christus, quod a me & per me consecutus es, sine me non poteris possidere, quia sine me qualis fueris iam vidisti: hoc sciens pro te Patrem, ingrate, omnium sic poposci: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum*, Ioan.17. *& quia nec hoc tibi sufficere poterat ad tutelam. nam cùm mecum esses in paradiso, & extra me tu periisti, adieci, dicens: Pater sicut tu in me, & ego in te, ita & isti in nobis vnum sint: ego vt bona Patris habeam, processi de patre, & à patre penitus non recessi, & ideo tantum te in nobis habere volo, quantum nos ipsi sumus, & manemus in nobis.* nihil contra humanam instabilitatem exaggeratius vsquam scriptum legisse memini: quasi licèt cum Deo essemus, si tamen extra illum essemus, adhuc quodammodo perseuerantia nostra esset in periculo, tam vniuersaliter Chrysologus visus loqui.

936. Sed vnde, quæso, stabilientis huius vnionis origo?

origo? Certè ex Euchariſtica vnione, qua dum immobili Deo adhęremus, mobilitatem timere ignoramus: ideo Chriſtus Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Audi nunc Paſchaſium *cap.* 9. quærentem cur Chriſtus quotidie immoletur, & vtrumque locum aptè connectentem. *Vt quicumque*, inquit, *hanc vitam ſumunt renati vnum efficiantur: vt ſicut iam per Baptiſmum Chriſtum induunt, ita Chriſtus in eis per hoc Sacramentum corporaliter maneat: vt ſint credentes vnum in Chriſto, & Chriſtus in eis maneat, vt impleatur quod ipſe ad patrem orat, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi vnum ſint in nobis.* Datur igitur hîc nobis pignus de ſe infallibile æternæ illius vnitatis, vt dum Chriſtus in nobis manet, & inter nos inuicem, & cum illo vniti ſtabiliamur, qui naturâ inſtabiles, & inuicem à nobis, & à Chriſto inſtabiles & ſeparati fluctuabamus: ſic ſecuritas & ſtabilitas noſtra in cœlo de mutua nobis cum Dei inhabitatione, optimè confirmatur: quia in terris adhuc per Euchariſtiam ad id formamur, atque firmamur, clariùs dicam.

937. Supereſt adhuc declaranda occultior emphaſis illorum verborum: *ſicut tu pater in me, & ego in te.* ac ſi inſtabilitati noſtræ firmandæ neceſſariò mutua connexio requiratur, & ſic omnes vnum ſimus in Deo trino, vt perſonæ ſint in nobis, ſicut in ſe ipſis inuicem circuminſident. & cur ita? attende. Si Deus in nobis tantùm eſſet, & nobis vniretur, nos autem in illo inuicem non eſſemus, nec illi partiali vnione vniremur: ille quidem fidelitatis & charitatis infuſæ ligatus vinculis, ex vi amoris non poſſet, vt ita dicam, certè nollet rumpere vnionem: nos verò alia vnione non reuniti neſcio, quomodo ſuſpecti de fugâ poſſemus reputari, cùm tantùm amatoriæ vnionis diuinæ terminus putaremur. Exemplo res claret. Natura humana Verbo vnita, quia ſola vnionis eſt ſubiectum, nullatenus verbum poteſt deſerere: verbum quia illius vnionis tantùm eſt terminus intrinſecus, licèt id nunquam faciet vt fides docet, ex ſe tamen deſerere illam poterat. Sumus ergo in Deo, & illi vnimur, qui inuicem in nobis idem peragit, vt de mutua duplicis vnionis ſecuritate, illum amor ſuus, nos ſecuritas noſtra ſic exhilaret: aſt hæc vnionum ſtabilitas, quæ in Beatis maximè, vbi perfecta eſt charitas, reperitur: in Euchariſtica vnione aut radices habet, aut exemplum, vt dixi ex illis verbis *Ioan.* 6. vbi Chriſtus de huius epuli conuiua: *In me*, inquit, *manet, & ego in illo.* addo pulchra verba citati Paſchaſij quæ ſubſequuntur. *Chriſtus hodie in nobis non ſolùm per concordiam voluntatis, ſed etiam per naturam in nobis, ſicut & nos in illo rectè manere dicitur*, &c. *hinc igitur eſt, quòd & nos in Chriſto naturaliter vnum corpus efficimur, & ſi quis patrem in filio naturaliter confitetur, confiteatur ſe naturaliter (quia Verbum caro factum eſt) vnum eſſe in illo: vt naturalis vnitas, per Sacramentum appareat veritatis. hinc ergo dicit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

938. Itaque duplex hîc ſtabilimenti & ſecuritatis ratio conſideranda: in Chriſto ſumus ne poſſimus cadere; quis enim de huius baſis ſoliditate dubitabit? & Chriſtus in nobis eſt tamquam vinculum & harpago, ne fugiamus. Heu quàm præceps audacia peccatoris, quæ tantam illudit baſim, tantum vinculum perrumpere conatur! Aliquid ſimile cogitabat Auguſtinus tract. 27. in Ioan. *Signum*, inquit, *quia manducauit, & bibit: hoc eſt, ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur, ſi hæret vt non deſeratur.* Vbi obiter nota ex mente Auguſtini, videri poſſe in dubium reuocari, an is, qui breuiter poſt Euchariſtiam labitur, debita diſpoſitione illam accepiſſet: ea quippe in illa vis qua roboret, & ſtabiliat virtutem, vt vix relinquat, ex ſe locum relabendi, aut anſam fugiendi. Iterum Auguſt. ad locum Ioan. in catena: *Multi quidem*, inquit, *qui vel corde ficto carnem illam manducant, & ſanguinem bibunt, vel cùm manducauerint apoſtatæ fiunt, nunquid manent in Chriſto, & Chriſtus in eis?* Sed videamus iam, quod de baſis déque vinculi ſecuritate dicebamus.

939. *Peccator meticuloſus, vagus & inſtabilis.* Pro grauiſſimo ſcelere puniendus Cain, audit: *Vagus & profugus eris ſuper terram*, Geneſ. 4. n. 13. clariùs ex Syro in Sixt. *non manens in eodem loco.* quaſi inſtabilis quidam gradus, nullibi firmus, ſed ſemper lapſui pronus, ruinæ labilis, culpæ debeatur. & cur ita? quia ſtabilimenti deſeruit baſim, & firmitatis vinculum diſrupit. Hugo Victor. hîc apud Godefr. *Cor*, inquit, *hominis quod priùs amori diuino affixum ſtabile perſtitit, & vnum amando, vnum permanſit: poſtquam per deſideria terrena diffluere cœpit, quaſi in tot diuiſum eſt, quot ſunt ea, quæ concupiſcit.* Si ergo amore erga Deum fixamur, ne labamur vagi: quanto ipſo Deo robuſtiùs fixabimur? ſi, quod vnum in Deo diligimus, permanemus: dum vnum cum Deo ſumus, quomodo diffluemus? ideo pulchrè D. Cyprianus *orat.* 17. de Euchariſtiâ lapſis iam pœnitentibus danda, ſic habet: *Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos, in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* nihil, vt initio dixi, à militaturis petitur exactius, quàm ne gradu cedant, ſed in eodem immobiles perſeuerent: Chriſtique milites tunc ſolùm lapſus facilè euitant, cùm Euchariſtico ſanguine firmantur.

940. E prælio redibat iam victor Abraham, quando ei perrexit in occurſum Melchiſedech, ídque: *proferens*, inquit Scriptura, *panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*, Geneſ. 14. num. 18. typicam Euchariſtiam tunc primum exhibet Sacerdos, cùm iuſtum videt pro virtute decertantem, cùm pacificum aliàs virum, militari videt iam pulueri deſudantem: ac ſi diceret, quandoquidem militem agis, & propterea tibi in eodem gradu neceſſariò perſiſtendum: ne vnquam ab aſſignato, quæ eſt infamia ſumma, mouearis, cape ſtabilimentum: in vmbra pro parte inuenies, quod poſtea in veritate fideles ſunt inuenturi. Fauet Paſchaſ. cap. 10. *Melchiſedech*, inquit, *priùs in figura iſta obtulerat panem & vinum: ideo neceſſe fuit, vt verus Rex pacis, & Pontifex noſter ſecundùm ordinem illius, eadem offerret.* & interiectis paucis quæ infrà dabo, ſic concludit, *& per hoc amplius homo ad iuſtitiam refectus in fortitudine cibi cœleſtis conſtantiùs deſudaret.* in futuris ſcilicet bellis, ad quæ accepta hinc fortitudine ſtabiliebatur.

941. Pacifico magis habitu templum ingreditur Simeon: inuenit Ieſum, *& ipſe*, inquit Lucas, *accepit eum in vlnas ſuas*, cap. 2. num. 28. de quo Beda ibi in cat. *Accepit*, inquit, *ſenior infantem Chriſtum, vt inſinuet hoc ſaculum quaſi ſenio iam defeſſum, ad infantiam & innocentiam Chriſtianæ conuerſationis rediturum.* Addo vlnas exprimi ſolas, ſiue manus, in quibus ſenilis baculus geſtari ſolet, quia baculum quo firmaretur in puero inuenit: quaſi ſenio defeſſus & labilis, firmamentum è vegeta Chriſti pueritia fortitetur: cui tamquam firmo baculo vlnas roborabat. Guillelmus venuſtè apud Tilman.

Pintus in Cantica. Y ſic

sic rem explicat: cuius verba, quia in alio tractatu mihi iam scripta, hîc non repeto. Nescit itaque Christus vbicunque feratur firmamentum non esse: quid fiet in intima Eucharistiæ communicatione? faciunt huc verba Chrysologi *serm.* 144. ad illud Angeli: *Ne timeas Maria*, Luc. 1. n. 3. de quo ita: *Quid timet quæ securitatem rerum concipit?* quasi nullum esset periculum pereundi, vbi Christi, imò Christus securitas capiebatur: eundem in Eucharistia capimus, securiores degimus: ad cœleste tanti nuntij arcanum, Maria de futurâ conceptione iubetur non pauere: nos præsenti roborati mysterio, totius inferni machinas spernemus, & fidei percipiendis arcanis stabiliores pariter consistemus. attende.

942. Creantur initio Angeli, & tam miri operis dignitas subticetur, cùm tamen quadrupedum expressa mensio, imò viliorum creaturarum habeatur: euertitur mundus per diluuium, nec Angeli tantæ vindictæ ministri exprimuntur, qui postea in rebus minoris ponderis, scilicet contra Sodomam, Syriam, &c. proferuntur armati: multa denique post Cherub paradisi ad Abrahamum vsque Angelorum ministerio Deus operaretur absque dubio, & tamen nusquam vel leuissima Angelicæ naturæ commemoratio ad æuum vsque huius Patriarchæ: tunc enim Agar ancillæ Angelus reuelatur. *Genes.* 16. Si, vt ferunt, timebatur hominum instabilitas, ne fortè vero Deo deserto, idololatrandi ansam de Angelorum notitiâ & commercio assumeret: quid, quæso, huic firmandæ attulit Abraham quo iam expulsum periculum putaretur? respondet grauissimè Iobius Monachus apud Photium cod. 222. immo idem Photius ibi. *Ab Adami*, inquit, *prauaricatione, vsque ad Noe generationem (quæ est prima omnium ætas) Angelorum natura in hominum cognitionem minimè venit: ac nec in secunda quidem ætate, quæ in audacem illam turris ædificationem desinit: sed nec tertia se potest ætas Angelicæ cognitionis gloriâ iactare, quæ vsque dum Abraham Deum cognoscere cœpit, vt manifestum est extenditur. At postquam Abrahamo promissiones illæ, quæ dominicam Incarnationem, veluti fundabant, ac præordinabant, factæ sunt: humanaque mentis oculi, veritatis luce collustrari magis capere, & animi fluctuatio, stabili religionis fide confirmari: tunc certè Angelus vnus introducitur ancillæ Abrahæ ministrans, qui illam animi pendentem, atque deficientem solaretur.* quasi nondum ortus Sol diuinus, iam viuis radiis mentem illustraret, & fluctuantem animum stabiliret promissus: quid ni ergo instabilem confirmet, non solùm iam ortus, sed etiam missus? quomodo non roboremur accepto, qui annunciatus naturam roborauit?

943. Hæc est stabilitas nostra dum in Christo manemus, quia basis defectu ruere non possumus. Sed quæras aliunde, an crescat Deo securitas, ne dulcibus eius amoribus ingrati fugiamus, dum Christus manet in nobis? Certè ita est: nam per Christum in Eucharistia nobis datum, vt sit in nobis, velut iniecto nodo nos Deus retinet, missoque harpagante retinaculo apprehendit. nihil habuit prius pater prodigi, quàm venientem puerum amplexari: *cecidit super collum eius*, Luc. 15. num. 20. & meritò ex omnibus affectibus amplexantis brachij charitas prior refertur: nemo nescit verbum filium Patris dextram & brachium passim, in sacris litteris appellari: bene ergo id priùs refertur, quod optabatur ardentiùs: iniicitur filius quasi harpago venienti prodigo attrahendo, qui dum illum retinet, dum in illo manet, exhilarando Deo, à consimili fuga videtur prohibere. D. Eligius V tom. hom. 8. ad hunc locum: *Supra collum*, inquit, *filij cadere, est in amplexus filij brachium inducere: brachium autem Dei filius est, qui à patre Deo ad hæc infirma mundi missus est.* nimirum ad infirma missus vt firmarentur, ad instabilia vt retineantur. est istud munus Christi inseparabile: qui tamen in Eucharistiâ, arctiori nos vinculo connectens Patri Deo addicit: quasi vix possimus fugere, quin illum, qui in nobis manet, nobiscum deducamus.

944. Solebant olim reis, eadem catenâ milites custodientes colligari: ideo Seneca lib. 1. de tranq. an. cap. 10. *Omnes*, inquit, *cum fortuna copulati sumus: aliorum aurea catena est, & laxa: aliorum arcta, & sordida: sed quid refert, eadem custodia vniuersos circumdedit, alligatique sunt etiam qui alligauerunt.* ne rei scilicet (nisi fortè linata catenâ) possent fugere, quin pariter secum custodem ipsum attraherent. feliciùs Christus in nobis manens nobis colligatur: quia, vt bene D. August. *in Psal.* 118. de his colligatis: *Ligantur*, inquit, *duo, & mittuntur ad iudicem, latro, & colligatus: ille sceleratus, iste innocens: vnâ catenâ ligantur, & longè sunt à se.* per dissidium scilicet vitæ, & voluntatis: at Christus ita nobis colligatur, vt etiam per amorem nobis sit proximus: dupliciaque præsentiæ & amoris, Eucharistica vincula nobis connectit, vt iam simus omni vento instabiliores, si non firmamur: si limare strictam hanc, & auream catenam attentamus: quid vsquam afferri posset deploratius, quàm quod esset nobis laborandum, in sacri limatura vinculi, vt sine colligato nobis Christo fugere possemus.

945. Clarent iam ex dictis illa *Genes.* 27. *num.* 37. vbi Isaac ad Esau, de Iacob suo. *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum.* ita ne? totum imperium toties à fratribus impugnandum: non melioribus armis, tutiori custodia, quàm vno vino & pane stabilitur? id certè satis: nam si Christus pro iusto, quis contra eum? si illius fauor hunc ponit iuxta se, cuiusnam pugnatrix manus in ipsum præualebit? non timet iustus hanc ex vino & pane catenam Eucharisticam, tunc quocumque feratur, colligatum custodem secum deferet, qui illum securissimè seruet, & stabilis virtutis imperio confirmet. Paschas. *cap.* 21. de hoc epulo diuino: *In quo*, inquit, *vtique Iacob verus benedicitur, & dominus fratrum suorum constituitur: quia nimirum sine isto nulla rerum alia proficit benedictio. vnde beatus Isaac, cùm ferus venator Esau ad benedicendum tardus occurrisset, benedictione hâc iam fratri indultâ, ait: Frumento & vino stabiliui: quod est apertè dicere, firmaui eum pane corporis Christi, & vino sanguinis, in quibus illi æterna maneat abundantia.* æternabit quidem abundantia, perennabit felicitas: nihil poterit infernalis venator, lupus tartareus contra ouem, quæ secum pastorem defert colligatum: denique non æstuans virtutum imperium fluctuabit hoc duce, nec humanum cor, aliàs omni fluido laxius Christo sumpto vlteriùs æstuabit: imò ipsum quod leui aurâ antea inquietum nusquam consistebat, errabat fluctuans: iam instabilitatem quietam, & stabilem soliditatem confirmabitur.

946. Viam Moysi ducenti, & ducto populo Deus olim per mare rubrum aperturus, mare diuisit, imò Moysi inflicto vndis verbere præcipit diuidendum. diuiditur ad arcæ præsentiam Iordanis, & iterum ad Eliæ pallium vndas scindit. & sanè mirum; cur enim via illa fidei, virtutis robur, quod elementum

elementum in adamantinos parietes, in cryſtallina mœnia potuit ſuſpendere: elementum potiùs fluctuans non ſtabilit, fluidum non conſolidat? ſeruabatur id intactum Chriſto, qui mare ingreſſurus *Matth. 14. num. 25.* cùm longè faciliùs poſſet, mare non tam diuidit, quàm frænat: non iam dimotis vndarum parietibus arenam, quàm fixis æſtubus, vndas ipſas calcat. & cur ita? reſpondet Iobius Monachus apud Phot. grauiter & acutè: *Natura, inquit, opus eſt ponderè iniecto, aquam ſcindi, ac diſcedere: ſic, vt per miraculum ab illis patratum, nihil præſtantior natura redderetur. Dominico verò pede calcante, iam non amplius pelagus natura ſua ſeruiens diuiditur: ſed ſupra naturam ſui continuatione ſeruatâ, ſubſeruiat Domino, ſe ipſe validius effectum. Igitur mare imbecillitatis ſuæ oblitum, naturam non abnegat: verùm miraculo retenta continuationis, Domini tantum eam eſſe continuationem, manifeſtè declarat.* quàm ſcitè? ſolùm diuino tactu ſiſtit fluctuatio, frænatur æſtus, & velut iniectis vinculis, quæ fluidam innodarent, laxam conſtringerent naturam, mare ſolidatur. Alij ſibi Prophetæ, non aquis miraculum fecerunt: non poterant adhuc iſtæ, licèt in muros ſuſpenſæ, gloriari, quòd iniecto ſibi pondere fortes ſubſiſterent: Chriſtus verò eum mare tangit, ipſum nobilitat, eneruè roborat, ſiſtit fluctuans, iam de non cedendo ponderibus iactabundum. æſtuet quantumuis igitur cor humanum, Eucbariſtiâ ritè ſumptâ ioquietum firmabitur, fluctuans ſtabilietor.

947. Feliciſſimè igitur annuntiauit Propheta: *vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet*, Pſalm. 103. num. 15. ordinatio pane, vino naturali ſtomachus & venter confirmatur: hæc, vt habet hic Auguſt. myſtica ſunt, & ideo cor appetunt, quodque ſanatura petunt. *Eſt aliud, inquit, panis, qui cor confirmat, quia panis eſt cordis.* Ac ſi, ni fallor, diceret: filium, qui in corde Patris in ſerena quadam malacia ſemper degit, ſub panis ſpecie, ſerenandis humanis cordibus, & eorum inſtabilitati confirmandæ huc aduenire. nec illepidè D. Hieron. (ſi is eſt) ad hunc ipſum locum: *A terreni, inquit, corporis agro, quem à nobis aſſumpſit, myſterium proferens cæleſtis panis, & poculi ſalutaris quo reficiatur Eccleſia: ipſe panis corda noſtra confirmat, qui deſcendens de cælo vitam tribuit mundo.* Confirmat quidem panis iſte corda, ne fluant dilabantur, vaga fugiant, ſed diuino harpagone retineantur.

948. Vnde iam apparet, cur deſcriptis ſæuientibus tot procellis, tot in pelago ventis decertantibus, tot è marinis fluctibus, beſtiis aſcendentibus, vt via horribilior locus in tota ſacra pagina vſquam legatur. Concludat tandem Daniel: *aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit*, cap. 7. num. 9. Quid enim ſibi vult immanis procella, mare præceps, beſtia quadruplex ſæuiſſima: quando thronus eſt Dei apponendus? aut quid ad firmam ſedem, tantorum turbinum motus excitantur? reſpondet Richardus Victorin. ibi apud Tilman. *Quid poſt multa, inquit, vitiorum detrimenta, ille qui eſt ante omnia tempora æternus, per viſitantem gratiam, cor lubricum in firma propoſiti ſtabilitate figit, & ſibi manſionem conſtituit.* nec enim niſi in ſtabilito corde Deus habitat: nec niſi per Dei gratiam lubrici cordis pedes, ſiue affectus labiles, velut iniectis compedibus à fuga & vagatione reſtrænantur: quidni ergo cùm non tam ſola gratia, quàm ipſe auctor gratiæ in Eucbariſtia nos harpagat, *Pint. us in Cantica.*

ſiſtamur, & depoſitâ inſtabilitate, ab omni vitioſa fuga quieſcamus?

§. IV.

Is ad honores rectè, ritè promouetur, à quo alienus affectus, & proprius effectus remouetur.

949. IAm verò ſi hunc locum, in dramatico tantùm & parabolico ſenſu explicueris: nota in vinariam cellam, id eſt, vt ibi probaui, in bonorum omnium theſaurum, quaſi illorum promam & diſpenſatricem, non tam intrare puellam, quàm introduci: idque non ſodalium rogantium affectu, quàm ipſius Regis rectè prouidentis diſpoſitione; ſic enim multi legunt, *introduxit me Rex.* hic enim ingreſſus optimus ad honores, ſi affectus amicorum cæcus, & effectus ambitioſus tnus inde exulauerint. Promouebat paternus Ioſephi affectus Manaſſem, ad vtilem hæredis præcipui dignitatem, & primogenituræ titulos glorioſos: ſed remouet hunc prudentior Iacob, *commutans manus*, Geneſ. 48. num. 14. ac Ephraim, quem nec affectus patris, nec propria induſtrioſa diligentia commendat, principem conſtituit, præcipuum denominat hæredem: quidni ſi *commutans* formatâ cruce *manus* mentem illis videtur porrexiſſe; ideo in Hebræo pro commutatis manibus legitur, *manus fecit intelligentes*, de quo Vatabl. in notis: *tamquam manus*, inquit, *illæ eſſent conſcia rerum futurarum.* Vt intelligas in his rebus eligentis tantummodo prudentiam cordatiſſimam interceſſuram. D. Ambroſ. lib. de Bened. Patr. cap. 4. *Ioſeph, inquit, naturæ ordinem ſeruauit, vt ſeniori filio plus deferret: ſicut Iſaac quoque in Eſau, priorem filium benedictionem præferre cupiebat: ſed minorem filium, in typum iunioris populi credidit* (Iacob ſcilicet) *præferendum: ſicut erat ipſe à matre prælatus.* Fallebatur Ioſeph, dum tam intelligentibus manibus, tam prudenti reſiſtebat actioni; nimirum ſequebatur motus naturæ, cùm tantum mouentis gratiæ impulſus ſequi debuiſſet.

Ambitio fugienda omnino.

950. Er quidem *oculi Iſraël*, inquit textus, *caligabant præ nimia ſenectute, & clarè videre non poterat*, ibidem num. 10. de quo citatus Ambroſ. *Cum filius, inquit, putaret eum erraſſe vitio hebetioris aſpectus, conuertere voluit manus eius, dicens: Non ſic pater, hic enim primitiuus eſt; impone dexteram ſuper caput eius: ſed noluit, & dixit, Scio fili, ſcio*, &c. num. 19. perſpicacior ſanè erat ſenea caligans lynceo adoleſcente: fallitur qui putat in his rebus oculorum aſpectui credendum, ſolius enim mentis recto iudicio ſtandum, & ideo Iacob prudenter, ni fallor, Ioſepho ſuo oculorum cæcitatem prætendenti, non tam reſpondit *video*, quàm *ſcio*, idque bis inculcato, vt non tam ſenſus naturalis affectum, quàm ſpiritualis iudicij rationem ſequi declararet: quo minimè innatæ conditioni, ſed æternæ diſpoſitioni ſeruiebat.

951. Totus in laudes Chriſti Domini effundendus ſceptriger Vates, ſic ſcripſit: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, Pſalm. 109. num. 2. & vbi Aaronica dignitas de fama celebris, de ſplendore famoſa? vbi legales cæremoniæ? ſacerdotalis apparatus? vbi ritus Antiſtitis conſecrandi, quæ omnia Aaronem adornantia, illum nudo Melchiſedech præponere videbantur? Cur, dicat aliquis,

 Chriſtus

Christus secundùm ordinem Aaronis Sacerdos non initiatur, non instituitur Pontifex? notissima illa, quæ Apostolus decantauit de Melchisedech: *Sine patre*,inquit,*sine matre, sine genealogia.* hoc ergo quod in Melchisedech non erat, erat in caussa, vt secundùm illum potius,quàm secundùm Aaronem,gloriosior Christus existeret Sacerdos, eiusque foret dignitas excellentior, dum non tam propaginem Dauidici seminis ducens quasi per affectus parentum,& propinquorum, euectus videretur,quàm propriæ sanctitatis meritis,à supremo Deo electus decoraretur. scilicet, vt inde nobis præberetur exemplar, illis dignè conferri dignitates, quos non terrena fastigia sicut Aaronis descendentes,sed emolumenta cœlestia, sicut spirituales posteros Melchisedech; non priuilegia parentum, sed sancti Spiritus formant monumenta. D. Leo *serm.* 2. *de assumpt. ad Pont.* ad hunc locum,quem licèt aliter de Christo explicet, ad nos tamen traductum facit insignem. *Denique*,inquit, *cùm huius diuini Sacerdotij sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit: nec quod caro,& sanguis creauit, eligitur: sed cessante priuilegio Patrum,& familiarum ordine prætermisso,eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit, vt in populo adoptionis Dei, cuius sacerdotalis, atque regalis est, non prerogatiua terrena originis obtineat vnctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat antistitem.* Si enim indecora electio, solùm in parentum nobilitate fundata: quid si conspirent affectus, qui iudicium excæcantes, tantum carnalis aut amoris ardorem sentire, aut originis intueri norunt splendorem?

952. Summus Dominus, in excelsi summitate throni colendus videbatur, altissimusque Deus in altissima ara venerandus,& tamen nosti quid præcipiat in Exodo: *Non ascendes per gradus ad altare meum,ne reueletur turpitudo tua*, cap. 20. num. 26. vt in imo solo altare constituendum intelligeretur: sed maluit in istis doctrinæ nostræ, quam honori suo Dominus prouidere, & nobis potius mysterium, quàm sibi litteram deseruire. nescit enim non turpissima quædam dignitas, & infamis honor reuelatus traduci, quando de affectuosæ consanguinitatis gradibus, gradus fiunt (scalas dixerim) honori Ecclesiastico adeundo, imò expugnando: aut quando amicorum affectus, quem humanâ prærogatiua dignum videt, statim in regimine Ecclesiæ collocari, reputat iustissimum. Stephanus Cant. hîc apud Tilman. *Id est*, inquit, *non ascendes ad regimen Ecclesiæ per gradus consanguinitatis, vel dignitatis temporalis: à Deo enim esse debet quòd Prælatus erigitur ad regimen Ecclesiæ.* aliter enim iam carnalis affectus, fit maior ipsius defectus dignitatis, eius turpitudine penitus reuelata.

953. Conciliabitur hinc illud Actor. 1. num. 26. *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* in Græco aliter legitur: συγκατεψηφίσθη, id est, *calculatoriis suffragiis computatus est cum vndecim*, &c. Si enim plena iudicio suffragia, calculis declarata hîc interuenerunt, quomodo sors fortuita appellaretur, nisi quia illa suffragia, sic omni carnali affectu nuda prodierunt, vt nihil ibi industrium, nihil affectatum, sed quodammodo fortuitum, & plenum opus aleâ videretur? hinc vox illa suffragantium ad Deum: *ostende quem elegeris*, ibidem num. 24. quasi ipsi per suffragia, meri tantum diuinæ electionis (cùm maximè eligerent) essent renuntiatores. Simile quid affectauit Plinius *in Paneg.* ad Trajanum à Neruâ adoptatum: *Non tua*,inquit,*in cubiculo, sed in templo: nec ante genialem thorum, sed ante puluinar Iouis Opt. Max. adoptio peracta est: qua tandem non seruitus nostra,sed libertas, & salus, & securitas fundabatur. sibi enim Dij gloriam illam vendicauerunt: horum opus, horum illud imperium: Nerua tamen minister fuit.* & iterum post aliqua dicitur Nerua ascendisse Capitolium, non tam facturus Imperatorem, quàm *ingens illud Deorum prolaturus arcanum.* hæc quippe sola est decora promotio, quæ Deum ipsum, licèt intermediis ministris, habet auctorem.

954. *Quid boni in filiorum adoptione reperiatur.* Nemo nescit Pharaonis filiam, Moysem sibi assumentem,Ecclesiam adhærentem Christo, ad viuum significasse, imò & quamcumque animam fidelem: vnde Interlinearis ad illud,*quem illa adoptauit in locum filij*,Exod. 2. num. 10. sic scribit: *Susceptum in regalem aulam cordis.* de Ecclesia locutus D. August. serm. 86. de tempore: *Moyses*,inquit, *à muliere Iudæa natus, à matre sua proijcitur: à Pharaonis filia inuenitur,colligitur,adoptatur. Sic Christus Dominus à Synagoga, de qua natus est,repudiatur, & ab Ecclesiâ inuenitur,atque suscipitur.* Sed mihi semper dubium cur suaue Christi Domini in Ecclesia imperium, dulcisque in priuato quouis corde dominatio, adoptioni potius, quàm filiationi comparetur. Quid, quæso, ad hanc rem magnum cernitur in adoptione? iam dicam, si audis priùs Adrianum Imperatorem apud Dionem: *Mihi*,inquit, *ò amici,liberos gignere,natura non dedit, sed lege & adoptione vos mihi dedistis: differt autem hoc ab illo,quòd nati quidem liberi, quales Deo cumque visum est, gignuntur & crescunt: adoptione, quales quisque vult,pro arbitratu adsciscit: itaque à naturâ, sæpe corpore, aut mente imminutum habes: ab adoptione & iudicio, vtroque perfectum, si voles.* inde qui imminutus,& ineptus regnat per patrem naturalem, semper de affectu regnat: per prudentem adoptionem,de ratione. bellè Claudianus:

Hic illi mansere viri, quos mutua virtus
Legit, & in nomen Romanis rebus adoptans
Iudicio pulchram seriem, non sanguine duxit.

Indecorum igitur putaret imperium suum Dominus Iesus,si de cæco affectu, & non potiùs de viuaci iudicio oriatur: ideo teneritudinem naturalis filiationis, sed rationem prudentis adoptionis aucupatur.

955. Duo hinc inferes: primum,posse naturales patres, filios suos sine dedecoris nota, sine erroris timore,ad honores communitatis vocare: secundum, solere quandoque eligentes, & adoptantes naufragari: illi, si in propriis trutinanti iudicio adhæsere: hi, si etiam erga alienos, affectus impotentiâ reptantur. *Factum est autem*, narrat Scriptura,*cùm senuisset Samuel, posuit filios suos indices Israel,fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi Abia*, 1. Reg. 8. num. 1. erat iudiciaria ista dignitas apud Hebræos, libera: rationis potius, quàm naturæ tenorem secutura: postulabat negotij ratio, vt omnibus imperaturus, inter omnes eligeretur, & tamen quin maledicas obtrectatoris populi linguas exhorreat Samuel,aliis non curatis,præponit filios: rationem reddit ibi D. Gregor. *Eorum*,inquit,*nomina cautè assignantur, vt ex titulo nominis,illa quæ tunc eis inerat, cognoscatur forma virtutis.* primus quidem interpretatur,*fuit Deus:* secundus, *fuit pater:* & nominum titulis, vitæ genere tunc correspondebant: despicit ergo Samuel populi susurrus,& dum natorum despicit virtutes,

ex illorum tunc meritis, non ex paterno affectu ortam electionem demonſtrabar.

956. *Quid mali in prauè adoptantis electione reprehenſum.*

Iam verò illud aliud quod propoſui, deſcribit eleganter Plinius componens Neruæ iudicium perſpicax in adoptando Trajano, cum cæco Augusti affectu in Tiberio eligendo; dabo carptim. *Nulla*, inquit, *adoptati, cum eo, qui adoptabat, cognatio, nulla neceſſitudo, niſi quòd vterque optimus erat, dignuſque alter eligi, alter eligere: itaque adoptatus es, non vt prius alius, atque alius in gratiam vxoris, &c. ſuperbum & regium, niſi adoptes eum, quem cõſtat imperaturum fuiſſe, etiamſi non adoptaſſes: fecit hoc Nerua, nihil intereſſe arbitratus, genueris, an elegeris, ſi perinde ſine iudicio adoptentur liberi, ac naſcuntur: niſi tamen quod æquiori animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit.* In primo quippe, naturæ error fortuitus, quod infelicitatis eſt: in ſecundo, vitium voluntatis intentum, quod prauitatis fuerit, reperitur.

§. V.

Prædicti tituli ſecunda pars exponitur.

957. Digna tamen electio non ſolùm alienos affectus arcet, quos contra vtplurimum in prima parte diſſeruimus: ſed etiam magis proprios cohibet effectus, & diligentias, & arctiùs adhuc ambitioſam quamlibet tuam induſtriam, quàm ſollicitam beneuolorum curam debes amputare. Audi iterum Plinium, qui huius Politicæ princeps: *Vterque*, inquit, *qui adoptarat, tam paruit, quàm tu, qui adoptabaris*, ſcilicet Nerua Deo eligenti, Trajanus Neruæ diuinam voluntatem proferenti: alii[illegible] corpis electio putaretur. miro religioſis viris p[illegible]o monumento, vt dum eligunt, proſtratis n[illegible]lious affectibus, diuinæ videantur parere voluntati: dum eliguntur, ſolis obedientiæ viribus trahi præſumantur. Viderat hæc diuinæ coryphæus Politicæ Ignatius: ideo nonniſi imperio illius, qui ſub obedientia poteſt præcipere, adeundas nobis præcepit dignitates: de cætero, feliciter magis dixerim, an prudenter? penitus interdixit. Ad rem.

958. In vſum ſanctarum animarum, totus ſollicitus diuinus noſter Salomon, nihil non quærit, quod illis poſſit acquirere vtilitatem, ſed præ omnibus blandimentis, illud rarius: *ferculum fecit ſibi Rex Salomon, de lignis Libani*, Cant. 3. num. 9. nimirum propter filias Ieruſalem, quò ſuauiùs, & dulciùs deferantur: ſed ipſa ne debuit principis manus ſudare ſerrâ, exaſperari dolabrâ, ſcalpello fatigari, aſciâ obcalleſcere? ſic nullus erat inter regios artifices, cui opus ferculi poſſet commendari? Certè forent, ſi materialis currus foret conſtruendus: aſt, id eſt, ferculum, quod aut malum, aut vnum Deum debet ſortiri artificem, & auctorem. Gilibertus ibi ſerm. 17. *Nemo*, inquit, *ſibi ſumat honorem, niſi vocatus à Deo: quid te ipſum ſuper candelabrum ponis, qui te ipſum non accendis? ille te ponat in ſublimi, qui lucernam te fecit: per illum aſcende, qui te accendit: denique nemo ſe ipſum ferculum facit, ſed ipſe Salomon fecit ſibi ferculum de lignis Libani.* pulchrè conceptum: fruſtrà quippe præſumas in honoris munere conſtitutus, commiſſas ſiue politicè, ſiue Eccleſiaſticè animas tibi, ad Deum tamquam ferculum portare, niſi te ipſe Dominus fecerit portitorem. *Nemo*, inquit Chriſtus, *accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* accenſa enim lucerna Chriſti, in candelabro ponitur, nos aſcendit per ſe ad candelabrum: quàm timeo, ne profano & adulterino aliunde igne accendaris, qui non apponi ſuſtines, quin imò ad aſcendendum te componis.

Pineda in Cantica.

959. *Ferculum, de Prælato.*

Et meritò proinde, Prælatus iuſtus, *ferculum* appellatur: vt enim portando oneri, alienis equorum pedibus trahitur ferculum, cui inſenſibilis lignorum conditio proprios denegauit: ſic Prælatus ſuſcipiendo oneri & honori, omnino ſine pedibus intelligatur, neceſſe eſt. Apibus vtplurimum ſapientes viri, & proinde Prælati, & gubernatores comparantur: ideo Eccleſ. 11. num. 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere eum faciet: non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo: breuis enim in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructum illius.* quaſi ſapiens humiliatus, id eſt, conditione aliunde abiectus, non de ſpecioſitate formæ, ſed de vtilitate allata inſtar apis trutinandus. peude nunc quid de apibus ſcribat Galfridus apud Tilman. *Apes*, inquit, *ſunt artificioſæ, laborioſæ, ſubtiles: Prælati ſolliciti, vtiles, & fideles: apibus autem natura hoc nomen indidit, quòd naſcuntur, vt aiunt, ſine pedibus.* habentur ad *cap. 5. Matth.* dicuntur enim apes ab *à* negante particula, & *pes*. inaniter ergo apis ſuſpiras titulo, ſi Prælatus pedatus vndique, naſceris: nec mel ad paſtum, nec ad lucem ceram, non fauum ad miſericordiam, non ad iuſtitiam aculeum geſtare poteris. *Pedes*, addit ibi Galfridus, *affectiones ſunt, in quibus puluis adhæret gradientibus ſuper terram: nec ſine pedibus naſcitur, quiſquis ad prælationis officium proprio fertur affectu, & ſuo potius appetitu, quàm fraternæ charitatis intuitu, vel Superioris arbitrio poteſtatis: quanti pedati, antequam nati in cathedram hodie pedibus ſuis inſiliunt? quanti irruunt potius, quàm trahuntur? nec mirum ſi induſtria, & fructus apum non ſequitur, vbi pedes eorum præceſſerint, & ſine pedibus naſcendi, defuerit natalis origo.* Quantùm monſtrum! conaris eſſe, oſtendi, inquam, apis argumentoſa, qui dum centipes naſceris, naturæ degeneris propalas argumentum, ſpuriamque originem declaras.

960. Apedem ſe ſuſpirabat Dauid, quando clamabat: *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde: non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me*, Pſal. 35. num. 10. meritò enim ſuperbia & honorum ambitio quæ gigas eſt, ſolum pes dicitur, vt petat, imò impetat dignitates: meritò pes, quæ ſolum ad progrediendum ſollicitat, & impellit. nec ergo pes tuus te euehat, nec manus iniqui fauoris te deducat; aliàs, time quod ſequitur: *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* aſſeclæ ſcilicet cum Duce ſuo Lucifero, qui pedati, penè antequam nati, indebito diuinitatis honori anhelarunt: quidni enim timeas pœnam Luciferi, & ſociorum, qui Luciferi culpam imitaris? Galfridus apud Tilman. de Prælato ambitioſo: *Qui*, inquit, *talis eſt, dicit in corde ſuo, Aſcendam in cælum, id eſt, cùm mea conuerſatio ſit in cælis ſemper, dignus qui cæleſtibus, id eſt, ſpiritualibus præſim: vt quid perditio hæc, perditio, inquit, tantæ ſapientiæ, tantæ virtutis, & eloquentiæ, quæ ita prodeſſent? Sed quia in inferioribus ſedeo, præexaltabo ſedem meam.* Heu miſeriam! ſi pedes, vt ad inceptum redeam, non haberes hos laqueos, hæc vincula ſtricta pariter & dura euitares.

Superbia pes qualis.

961. Cur enim, quæſo, Dauid, qui nullâ vel ſuâ, vel aliena diligentia mutato baculo in ſceptrum, in purpuram pelle commutata, pro ouibus, populos adiit

adiit gubernandos: superbiam, (quæ in abruptiore parte hominis, fronte scilicet, sedem solet collocare, & thronum inter vtrumque cilium constituere) non solùm amandat pedi, sed pedem vocat: nisi vt innuat timorem, ne fortè quem initio ignorauerat, subrepat illi postea pes superbiæ, quæ quia ad honoris ambitionem tota pes est, eo ipso vinculis, laqueis, compedibus destinatur? Bene ibi D. Hieron. *Non veniat*, inquit, *mihi pes superbia: ne elatus vanitate, incidam in laqueum diaboli, & euadere non possim.* nullus cadit in laqueum, nullus compedes inuenit, nullus pedicas subit vt plurimum, nisi pedes habeat. & pende nouam miseriam, quam etiam visus respexisse citatis verbis Hieronymus. Auis dum elata fertur in aërem, oblita pedum laqueos garriens irridet: ambitiosus, quo magis aëria vanitate elatus, tunc magis vt in laqueum incidat diaboli, fit pes totus, vt iustâ pœna, iniustam promotionem manifestet.

962. Pondetastin' aliquando miseriam Abimelech? nouus Princeps, armatus iuuenis, hinc purpurâ de dignitate, illinc hostili sanguine de fortitudine coruscans, occidit infeliciter: *accedens*, inquit textus, *iuxta turrim. pugnabat fortiter: & ecce vna mulier fragmen mola desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius*, Iudic. 9. num. 52. Infelix accessus, successui infelicissimo: non careret capite, si pedibus caruisset; sed quia apes non fuit ad dignitatem, mortem propriis pedibus adiuit: ibi contunditur, vbi paternam coronam gestare præsumebat: & qui occisis tot fratribus vt imperaret vnicus, ambitiosè feruidus adiuit honores, occiditur infaustè. Stephanus Cantuar. hîc apud Tilman. *Nota*, inquit, *quòd electio Abimelech, procurata fuit, & ideo non habuit bonos exitus.* iacuit itaque ambitionis vana turris, ad turrim, quam imperij præsidium aucupabatur.

963. Igitur, aut pedibus careat iustus honori adeundo, aut ita tardos habeat etiam dum vocatur, vt testudineos gressus imitetur. Vigilabat sponsa etiam dormiens, & tenuissimum diuinæ vocis murmur prona audiebat, adibat mandatum prompta: mirare ergo iteratam sponsi conclamationem: *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni*, Cant. 4. n. 8. equidem non ad primam responderat, quæ tertia compellatione opus habuit. at vnde celeritas solita induit grauitatem? vnde imitandis ceruinis sponsi gressibus, gressus aliàs plumati, plumbo calceantur? Ex eo quod subditur: *Veni, coronaberis de capite Amanâ, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* de dominiis ferinis committendi sibi gregis montibus, id est, moribus coronanda vocatur anima: videt paratum thronum, honorem occurrentem, ideo tardat gressus, & timida suspenditur: propterea vocata, quia ad dignitatem minus pedata prænidebatur. Gilibert. serm. 29. *Vide*, inquit, *si non moresè egreditur de Libano, qua toties vocatur: mora tamen hac non est contumacia, sed cautela; quis enim a contemplationis candore, à quietis interna, & puritatis serene libens discedit?* &c. *quid mirum si moretur venire, cùm molestum sit de Libano discedere, & metuendum sit, ad montes illos barbaros & bestiales accedere. & forsitan sponsa mora festinationem nostram suggillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum prouidi, vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores prælationis.* Res mira! solùm dilaniat has feras, qui ipsas timet: solùm superat hæc monstra, qui cautè se superandũ reformidat. qui hoc tenore honores non sortiuntur, præuersâ viâ gradientes incedant, necesse est.

964. Sed quidem hi tales, non tam contra feras, id est, subditorum vitia insurgunt, quàm è feris surgunt: non tam in illorum mortem conspirare, quàm ortum ab eisdem videntur spirare. Fingunt è dirissimo serpente olim ereptos dentes seminasse Cadmum, indeque repentè armatos vndique milites pullulasse: huc vult Nonus allusisse Nazianzenum orat. de laudibus Basilij: audi eius verba. *Cum nec medici*, inquit, *nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit: Antistes contrà facile inuenitur, non elaboratus, sed recens: quantum ad dignitatem, simul satus & prouectus, quemadmodum gigantes Poëta finxerunt: vno die sates fingimus, eosque eruditos & sapientes esse iubemus: qui nihil didicerunt, nec ad sacerdotium quidquam ante contulerunt, quàm velle.* & certè, quia volunt, ideo dotes necessarias, vt iustè promoueantur habere non possunt: nihil conferunt dignitati præterquam velle, cùm saltem si nihil aliud, afferre debuissent nolle.

965. Sed quid de his gigantibus factum putas? quid his armatis militibus euenit? vt sati, vt nati subitò: subitò se etiam inuicem interfecerunt. Tragicus *in OEdipode*,

> *Agmina campos cognata tenent,*
> *Dignaque iacto semine proles*
> *Vno ætatem permensa die*
> *Post Luciferi nata meatus*
> *Ante Hesperios occidit ortus.*

Quid ni enim inter se non sæuirent, qui à sæuissima ferâ ortum ducebant? sic & Prælati, quotquot ab ambitione generantur, postea inter se discordes, communem, sed infamem parentem protestantur, scilicet, qui apes esse debuerant, per omnia apibus opponuntur: apes sine pedibus nascuntur, isti, vt dixi, centipedes. Apibus postea pedes crescunt, quibus mutua charitate connexæ, inter se racematim quodammodo concatenantur: hi verò præcoces aliunde pedes amittunt postea, vt inter se discordes mutuo sæuiant: lege Plinium, & Virgil. 4. *Georg.* scitè Galfridus loco priùs citato: *Apes*, inquit, *quòd pedibus sibi cohæreant.* & statim de his talibus Prælatis: *sed nec pedibus se inuicem complectuntur, qui sibi mutuis affectionibus non cohærent, homines amantes singuli semetipsos.* nescias an infaustiores, quòd nascantur ambitionis pedibus: an quòd postea charitatis illis pedes non adnascantur; nisi quòd istud ab illo semper profectum, honores iniustè aditos adsignificat.

Venit saliens, &c. VERS. 8.

§. I.

Deus dulci, & auara piè amoris nostri perculsus ambitione.

966. ECquis vnquam sollicitè & ardenter ambitiosus, sic vehemens optat, sic inquietus excurrit, sic orat anxius, tot rationes allegat, vt Christus in his versibus? equidem non ita ambitiosè honores sæculi ab homine, quàm in hoc loco à Deo, amores animæ captantur, hæc est prisca eius, & pia conditio: hæc prisca nostra, nec debita felicitas. Extremam illam paupertatem, quam nobis affectandis affectauit Christus, enuntiaturus ipse, sic expressit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi reclinet caput*, Matth. 8. num. 20.

pende

pende phrasia mutationem: feria & auibus habitacula tribuit, & cùm sibi habitaculum denegatum videbatur dicturus, non tam habitaculum, quàm solius capitis reclinatorium deesse queritur: quia cùm, testante Paulo, caput Christi, Deus: quasi inuidebat ambitiosus feria, quòd quiescerent: quando Deus extra corda humana, vbi quiescit solummodo, fluctuabat. Simile est illud Cantic. 5. n. 5. *Aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum plenum est rore.* membris omnibus nocturno correptis frigore: vnius capitis iniurias allegat tantùm, quia, vt bene Gregor. Magnus ibi: *Quid*, inquit, *per caput sponsi, nisi Deus, & quid per rorem in hoc loco, vbi lamentando dicitur, nisi frigus mentium carnalium accipitur?* hoc ergo tendebat iam ambitiosa sponsæ commendatio, cùm soror, amica, columba, immaculata sollicitatur, vt purissimis Dei amoribus correspondeat ardens, quos frigidæ carnalium mentes repellebant.

967. Sed redeo ad Matthæi verba. quanto erat maius mi Iesu, si Dei filij, quàm si filij hominis, paupertas exaggerata poneretur? quanto rarius nuditati commendandæ, si Dei filius, quàm si filius hominis tecti expers, inopiam expertus diceretur? cur ergo Deus homo, non te tam Dei, quàm hominis filium toties protestaris? quia licèt sic paupertatis excellentia minui videatur: ast ambitionis sollicitudo nostris captandis amoribus crescebat. Fauet Galfridus apud Tilman. ad cap. 12. Matth. *Quia*, inquit, *certiùs, atque affectuosiùs ab homine diligi voluit, filium sese hominis non modò fecit, sed etiam nominauit toties.* tenerrimum nouit esse parentum erga filios affectum: certè igitur affectus nostros ambit, qui humanæ filiationis defectus non exhorret: tenetur ambitiona captus, qui abiectionis nota non terretur.

968. Tenerior tamen inter parentum affectus, est maternus: ideo & hunc (quando in humanâ naturâ exprimendus sexus fuit) affectauit: *Quicumque*, inquit, *fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*, Matth. 12. num. 50. quasi instar matrum tenerrimè nos diligentes exoptaret. & quàm signatè dicitur ad rem nostram, *quicumque*: vt dum nullus excluditur à tanto honore, ipse saltem ab alicuius amore includatur: vt dum vulgò comparentalis Deo dignitas offertur, ipse haud vulgari ambitione & desiderio amoris nostri perculsus inseratur. *Diligamus ergo*, addit idem Galfridus ibi, *Dominum Iesum Christum tamquam filium: quoniam ipse, vt audio, à nobis maternum non dedignatur affectum: neminem enim respuit matrem suam fieri, qui ab omnibus vult patris voluntatem impleri.* Omnes itaque capiat, si quemuis capiat: tendit omnibus retia, vt saltem aliquis illaqueetur, & qui vult omnes homines saluos fieri, omnes etiam sibi voluit matres facere, vt ad dulcem & omnibus patentem cibum, saltem aliquis volantium aduentaret.

969. Docebat Lucillum suum Seneca rationem, qua debebat docturus alios, procedere: monebat *epist.* 29. ne passim, ne vulgò retia tenderet, aut iacula intenderet, vt non de vsu vilesceret hominibus, qui s. m[illegible]us obsolefactus, posset corrigere: deinde concludit. *Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare: non est ars quæ ad effectum casu venit: sapientia ars est, certum petat.* Sed nescio an magis honoris proprij ambitiosum sibi, quàm aliorum vtilitati consular hoc præceptum: illud saltem scio, plus prudentiæ, quàm amoris normâ (qui quo minus oculatior, videtur consulentior) procedere. amator noster Deus, sic ambitiosus, vt videatur quodammodo prudentiâ conniuente, non tam ad *certum*, quàm ad *quemcumque* capiendum reptari: sapientia ars est, petat certum: non tamen id ita facere dixerim, quia ars est: amor quippe ambitiosa arte ducitur, & artem suam in petendo incerto, in appetendo quouis collocauit. *Eligat*, addit Seneca, de Sapientiâ, *profuturos: ab his quos desperauit recedat: non tamen citò relinquat, sed in ipsa desperatione, extrema remedia temtet.* Certè non amabat, non ambibat: ambitiosus amor impossibilibus non terretur: capit vires de obice, & ponit inter obstacula perseuerantiæ suæ spectaculum: non solùm citò non cedit, sed etiam numquam concedit retardanti. hinc illud Isaiæ 65. n. 1. *Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona.* O quàm in summis ambitiosi amoris votis nulla electio! turbas admittere paratos, perseuerat (quasi raucescente iam voce) manuum nutibus: conniueat, inquit Deus, sapientia, indormiat ex hominum opinione prudentia, dummodo amor meus ambitiosis humani amoris vigiliis assuescat: dummodo in ipsa dulci teneritudinis cæcitate peruigiles oculos habeat humania affectibus rapiendis.

Amor Dei prudentiam suam videtur obscurare.

970. Sed certè, neque indormit prudentia diuina, nec diuina conniuet sapientia: ipsa, ipsa est, quæ amoris partes agit: aut quia, vt ita dicam, huius ambitioni, omnia in Deo seruiunt: aut quia tunc verè, vt diuinam vigere decet sapientiam, operatur: si non solùm profecturos sollicitet efficacibus, sed etiam non profecturos adeat sufficientibus auxiliis gratiarum. *Sapientia*, inquit Scriptura, *ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: si quis est paruulus, veniat ad me*, Prouerb. 9. num. 1. omnes paruulos, id est, stultos peccatores vocat ipsa sapientia, cùm tamen nouerit non omnes esse venturos: omnes vocationi eligit, quos tamen electioni gloriæ non destinat. & quàm sollicita, quàm anxia ad vocandum, quæ quas magis habebat ad manum ancillulas expedit, socias gynæcei: quasi moras seruorum ab atrio monendorum non sustineret. quid? amoris conditionem induit sapientia: in amore mora, mors est: in ambitione quæuis claudicat celeritas. mittuntur igitur, non ad certum, non ad destinatum. Diuine amor, *est ne aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?* Sagittare perseueras, & tamen perseueras sapiens: non vt quandoque deerres, (quod Seneca in humanâ sapientia exigebat) sed vt ferias aliquando, vt dum sequeris omnes, saltem aliquos consequaris. hæccine non meta ambitio? hæccine non anxietas ambitiosa?

971. Verùm postquam vocatos aliquos attraxisti, quanto in eisdem conseruandis ambitiosior? sunt dulcissima verba illa Dei de anima in virtutibus nutante, *& dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum*, Oseæ 2. num. 5. misella: quæ inter sapientiæ fercula, & apparatæ mensæ delitias, suspirat allia, porros, & omni pepone insulsior, Ægyptios pepones: quid tunc Deus? *propter hoc*, inquit, *ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceriâ, & semitas tuas non inueniet*, num. 6. vt vel exire non præsumat, vel in ipso statim conatu resipiscat ab adultero non inuenienda. En tibi manus olim cœlis fabricandis,

illuminandis stellis occupatæ: macetiæ luto, splenatom rigori immiscentur,& unde salus, vnde vita fluit, inde inuita prodit infirmitas & calamitas, quia famelica amoris nostri ambitio: vnde potest, quomodo potest, omni postpositâ nauseâ satiatur: imò conatur satiari, sed vix potest. Grauiùs D. Anton. de Pad. ad hunc locum Dom. 2. post Trinit. *Anima enim*, inquit, *peccatrix vias, id est, actiones suas, per quas sequebatur amatores suos, id est, damones: Dominus sæpe aduersitatis, & maceria aduersitatis claudit, vt ad ipsum virum priorem se conuertat, cuius amoris dulcedinem experta, tunc cum eius perfruebatur copulatione, melius & longè melius sibi dicit fuisse, quàm nunc dum misera carnis perfruitur voluptate.* Vide quàm cupisr, qui tot diligentiis adulteræ ingratæ emit resipiscentiam.

971. Hinc ad abiectiora longè se demittit, quàm potens esset ambitio, experiebantur satis, satis Romani principes deplorabant, dum candidati non prensare modò, sed & osculari manus sordidas vilis plebis, & pedes suppliciter tangere, & , quod peius erat, istuque durius, indigere clientium suorum fauore cogerentur: sed summus inde dolor, quod id facere, imò perpeti coram aliis tenebantur, & certè hoc vltimum, nec etiam Crassi ambitio, quæ fuit maxima, valuit sustinere: de quo Valerius Max. lib. 4 cap. 5. num. 4. *Consulatum*, inquit, *petens Crassus, cum omnium candidatorum more circum forum populo ire cogeretur, numquam adduci potuit, vt id præsente Scæuola grauissimo, & sapientissimo viro socero suo faceret: itaque rogabat eum, vt à se dum ineptæ rei deseruiret, discederet, maiorem verecundiam dignitatis eius, quàm candida toga sua respectum agens.* En iam cedit ambitio verecundiæ: sed Crassi ambitio: amor Christi neruosiùs ambitiosior, qui neque prensare pedes, neque à suismet seruis indigere, idque præsente Deo Patre, confluentibus iu spectaculum Angelis, verecundatur: *Mittit*, inquit Ioannes, *aquam in peluim, & cæpit lauare pedes discipulorum*, Ioan. 13. num. 5. Quò tuis Nazarena nobilitas, æterna dignitas? quid si Patrem, quid si cœlestem curiam principis sic abiecti, iam suppudeat? Quid faciam, inquit Christus, si pia vrget ambitio? Pareant sibi homines à culpâ, præbeant mihi amorum suorum honorem, pro quibus acquirendis me abiectissimo iam cernunt non peperci sse officio. Deuotissimè Chrysol. *serm.* 23. contundens Arrianos: *Non calumnientur*, inquit, *si se in nostro corpore, minorem Patre dicat: qui non dicto, sed & facto cum pedes lauat seruorum, se subdidit, & subiecit pedibus famulorum. Homo iam tibi parce, quia vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexatus est pedes.* Tumebat regalt spiritu plebs Romana, quòd inter ambiendum, sibi Romanos dynastas prostratos cerneret: quid contra vitia piè non superbiat homo, qui ambitiosum Deum sibi conspicit, iam prostratum? vulgo, summam alicui felicitatem adscriptum, Dei pedes tenuisse dicimus: en iam quodammodo felicitatem suam Deus habet, si hominis pedes teneat. Ad pedes alicuius prouolui solemus precabundi, & Deus ad pedes nostros, non sibi, sed nobis precabundus prouoluitur: vel potiùs sibi prouoluitur, etenim dum hæc facit, ardentissimæ, & piissimæ suæ satisfacit ambitioni. usm & linteus candidus quo se præcinxit, palàm candidam pectoris denotasse auspicor.

973. Hinc elucet pulchra emphasis illorum verborum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Deuteron. 6. num. 5. quæ iam auidè repetit Christus *Matth.* 22. quorsum enim addimr ly *tuum*, nisi vt ambitioso contractu, dum corda aucupatur nostra, cor suum mutuo nobis traditum protestetur? Dilige, ô homo, *Dominum Deum tuum*, non solùm quia Dominus, sed maximè quia tuus: vt te suum faceret, se fecit tuum: sic te possidet, vt tu illum possideas: at quomodo, inquis, qui meus est dominatu, potest etiam meus esse possessioue: eodem modo quo ille, quantum res patitur: Dominus te possidet, & possidetur seruus: vt tu & seruus sis, & Dominus, si fas dicere, illius: vt inuicem possessus, & possessor hic intelligatur. intelliges rem clariùs, si audis D. Anton. de Pad. ad hunc locum Domin. 13. post Triuit. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde: tuum, & ideo plus diligendus est, plus enim nostra, quàm aliena diligimus: dignus enim à te diligi, qui cùm sit Dominus Deus tuus, factus est tibi seruiens, vt tu eius fieres, & ei seruire non erubesceres: seruire*, inquit Isaias cap. 43. *me fecisti in peccatis vestris*; cùm ergo videretur Moyses teneriores titulos prouocandis hominis amoribus potuisse iu Deo exprimere, maluit *Dominum* appellare: cùm enim addidit *tuum*, tenerrimum ita titulum effecit, nihil enim dulcius, quàm si is, qui natura Dominus, tuus, ô homo, id est, tibi seruiens amore intelligatur. ecquis profusioris à Deo ambitionis, homini colybus gratior esse potuit?

974. Notandum verò ad locum Isaiæ *cap.* 43. *n.* 24. pro eo quod nos legimus: *seruire me fecisti in peccatis tuis*, in Sixtianis legi, *in peccatis tuis ante me stetisti*. *Stare* verò proprium est seruorum, dominis consedentibus: cur ergo tunc Deus seruire dicitur, cùm nos stantes serui annuntiamur: nisi quia vt nos à Dæmonis seruitute grati, liberam sui traheret seruitutem, ambitiosè seruire non fastidiuit? *triginta tribus annis*, addit Antonius, *factus est seruus tuus propter peccata tua, vt te à diaboli seruitute liberaret.* hoc summum est. addo ego concordantiæ meæ, fieri ambitiosum dominum seruum hominis, non liberi, sed illius qui iam dudum captiuus, dæmoni famulerat. nisi dicas summum impudentiæ apicem humanæ attingi in Sixtianis, quæ coram oculis, & in conspectu illius Domini stare & perseuerare in peccatis sustinebat: qui de pia amoris ambitione hominibus seruire non erubescebat. seruit ceu tibi Dominus, & ideo se vendit, vt te emat, & vt amore vulneretur, te cupit vulneratum.

975. *Amor hominis Deum vulnerat.* Quo enim respectus Dei collineat generosus, nisi vt te vulneret? hoc fuit quòd *conuersus Dominus respexit Petrum*, Luc. 22. *num.* 61. vulnerat nimirum Petrum, vt conuersus per pœnitentiam Petrus, dum flet amarè, amoris iu dominum vulnerandum vibret spicula. & bene *conuersus* Christus dicitur, qui tamen vndecumque, quin oculos conuerteret, tacita posset Petrum conuertere inspiratione, quia arcus vt sagittas emittat, conuerti solet in scopum: ambit autem Christus sagittarij instar aspectu vulnerare, vt ad te conuersus inuicem sit tibi scopus percutiendus. *Vulnerasti*, inquit, *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum* de quo ibi Gilibert. apud Godefr. *Pari*, inquit, *aspectus in illum spicula vibra: reputa illum quasi signum ad tales sagittas tales fauorabiliter excipit, qui tales iacit: vnde respexit Petrum, & cor eius percussit.* quasi ideo percutiat, vt repercutiatur. hæ sunt ambitiosæ Christi sagittæ, iacula emacia, quibus ita scopum impetit, vt pro præmio, inde sagittas expetat se vulnerantes: tibi ambitiosè

tioſè præda factus, vt tu eius præda fieri non recuſes.

976. Similequod innuebat ſponſa, quando dixit: *inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ*, Cant. 3. num. 4. Nunquid igitur tunc dimittet illum ſponſa prudentiſſima? ſi donec introduxeris laboras retinendo: cur poſt introductionem, quando fruendus erat tibi demittetur? Certè non demittet, ſed tamen non laborabit retinendo. ly *donec*, labori terminum ponit, non finem amplexui aſſignat: Deus enim, qui vulnerauit vt vulneraretur, illamque ſibi, vt ipſo præda fieret, prædam fecit, ideo vult retineri ambitioſè, donec amplexus, in cubiculo iam in complexum conuertatur, vt ſe ibi illius oſtendat ambitioſum. non dimittat ſponſa illum vſque ad complexus mutuos, tunc enim niſi per magnam conata contumaciam vix poterit: ipſe quippe tenebit eam, ipſe ambibit, & quantum illa laborat modò retinens in non dimittendo illo, tantum ille tunc ne dimittatur illa, laborabit. latè de hac re Gilibertus (alibi ad rem aliam dandus fuſior) ad hunc locum, qui tandem ſic concludit. *nam nonnulla mihi videtur diſtinctio, an tu teneas Chriſtum Dei virtutem, & ſapientiam, an tenearis ab ipſo: ama, inquit, ſapientiam & amplexabitur te.* dicitur bene ab Horatio *lib. 1. oda* 36. amàns amores ſuos arctiſſimè ſtringens, *laſciuis hederis ambitioſior*, vidiſtin' hederam trunco innixam & innexam, quem ambitioſis clauiculis, colligantibus foliis, implicatis racemis ſic connectit, vt prius neceſſariò lacetetur, quàm ſeparetur: ſic arcta amoribus ſuis hæret, vt inde dicta hedera videatur? ſic Chriſtus animam in interioris ſpiritus cubiculo amplexatur ambitioſus, vt illam dimittere non ſuſtineat.

§. II.

Ab hac, opulentus mendicat: ruboris ſui prodigus, alieni parcus: non obſtrepens amori, de maieſtate: regium colybiſtico calamo gladium commutans. item alia in idem.

977. SEd adhuc ad membrum illud Craſſianæ ambitionis redeundum. Summa illa erat, vt dixi, & tamen petere à vilioribus rotam viro grauiſſimo non ſuſtinebat: longè Deus ambitioſior, qui in conſpectu totius cœleſtis curiæ, petit à terrenis, & cordis ſe noſtri indigum profitetur. *Præbe*, inquit, *fili mi, cor tuum mihi*, Prouerb. 23. num. 26. Ecquid aliud mendicus aliquis ſolet dicere, quàm, *præbe mihi*? Ambroſianum fuit acùmen, ad illud vbi Regis Achab auaritia deſcribitur, in ipſis regalibus opibus deprehendere paupertatem: poſide Regis verba ad Naboth: *Da mihi vineam tuam*, 3. Reg. 21. n. 2. de quo Ambroſ. *lib. de Naboth cap. 2.* ita ſcribit: *Da mihi*, inquit, *quæ alia vox egentis eſt? quæ vox alia ſtipem publicam poſtulantis, niſi, da mihi? hoc eſt, da mihi, quia egeo: da mihi, quia aliud viuendi ſubſidium habere non poſſum.* Ambitioſior longè hæc auaritia Achab, quàm fuerit auara illa Craſſi ambitio, quippe Regem non ſuppudet profeſſio paupertatis, dummodo hæreditatis poſſeſſio compararetur. Ecquod age, inter illud, *da mihi*, Achab illius, & iſtud, *præbe mihi*, Dei noſtri, inuenies diſcrimen? niſi quòd tanto magis maior eſt huius ambitio, quanto eſt magis maior deitas, humanâ maieſtate: cuius dum minus pudet dum eget, acrior intelligitur eſſe dum vrget. dicebat Dauid: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Pſalm. 15. n. 2. ſic egeſtas dedecet Deum, ſic debetur affluentia Deitati: en Deus cordium eget, & quanto hinc pauperior deprehenditur? Sanè auguſtus aliquis princeps, non inde notaretur pauper, quòd domi caprinâ lanâ, quâ non vtitur, careret: ſi aurum, purpuram, gemmas non haberet, inopiæ meritiſſimo argueretur: quid ergo potentiſſime Deus? vix Deus à Propheta noſceteris, ſi illius bona viliſſima, (quæ tibi non ad vſum) requireres, & quomodo te Deum ipſe admittit, ſi cordium, quæ pretioſa æſtimas, indigum te fateris? nihil intereſt (viſus mihi reſpondere Dominus) periclitetur tantiſper apud homines, gloriæ meæ ſplendor, dummodo ambitionis piæ ardor non fraudetur: neſciunt cætera omnia mea attributa, ambitioſo amori primas non tribuere.

978. Creſcit mirum, ſi ponderas ly *mihi*. ac ſi dicat: non ſolùm aliis non des, verùm nec per alios, aut alibi ponas à me ſuſcipiendum: ſic mihi cor præbe, vt in hac manu mea mihi àpponas cpidum illud quod de Veſpaſiano Imperatore refert Sueton. cap. 24. *Nuntiantibus*, inquit, *legatis, decretam ei publicè non mediocris ſummæ ſtatuam coloſſeam, iuſſit vt continuò ponerent, cauam manum oſtentans, & paratam baſim dicens.* Statuam ſcilicet in ſignatam pecuniam redigi malebat, non tam ærarij præfecto, quàm ſibimet cauam porrigenti manum, numerandam: prodebat ſic putum putum auaritiæ ſuæ morbum, licèt iocorum velo diſſimulatum: adhuc Deus piè auarior, qui non ſolùm manum porrigit poſtulantem, verùm etiam nullo id putat velo diſſimulandum. hinc Prouerb. 21. n. 1. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* de quo ibi Beda: *Quare*, inquit, *cor Regis, & non potiùs omnium hominum in manu Dei eſſe perhibet, cùm ſcriptum ſit, In manu eius ſunt omnes fines terræ? niſi fortè Regem, ſanctum quemque appellat, qui vitiorum bella in ſe ipſo vincere, & virgulta malitiæ nouit extirpare.* ac ſi dicat: ſi non de ordinario, ſed de myſtico Rege ſermo ſit, non eſſe mirum, cur ſignatius eius cor, quàm cæterorum hominum in manu Domini eſſe dicatur, & meritò addam ego; ita enim iuſti cuiuſuis cor à Deo petitur, vt præbitum in manu teneatur: in qua felici baſi, eo perſtat conſtantiùs, quo ſuauiùs inclinatur, vt eo ambitioſiùs poſſidetur, quo auidiùs poſtulatum, à Domino retinetur immediatiùs.

Iuſti, Reges ſunt.

979. Quærit Philo Iudæus *lib. de præm. & honor. Sacerd.* ad illa verba Leuit. 2. *ponet memoriale ſuum ſuper altare*, &c. & ſimilia, ex quibus colligitur, munera omnia Sacerdotum victui tandem ceſſura, priùs in templum altari apponenda, ſolita deferri: quærit, inquam, Philo, cur non aliqua immediatè darentur Sacerdotibus, & reſpondet: *Ne quis è conferentibus, exprobret accipienti ſuum beneficium, iubentur priùs in templum deferre munera, vt tunc demum inde Sacerdotes deſumant. nam quiſquis non ab homine, ſed à Deo, nuſquam non in omnes benefico, munus accipit, ſaluo pudore accipit.* Tantus eſt pudor in accipiendis donis ab hominibus, vt arcendo illi à Sacerdotibus ſuis Deus inuigilaret, & tamen ipſe accipit, neque confunditur, & quæ in domos Sacerdotum negabat deferenda, domui ſuæ admittit illata, quia cum muneribus immixtos gratæ reuerentiæ amores captabat, & qui hominis conſulit pudori, ne ab homine accipiat: neſcit pudori

ſuo

ſuo conſulere, vt amores noſtros quibuſuis ſignificationibus exhibendos, captet, capiat: à Deo ſolo accipere, homines non ſuppudet; at licèt Deum ab hominibus accipere ſuppudere videatur, conculcat omnia, dummodo piè auaram ſuam amoris noſtri inculcet ambitionem.

980. Hinc eſt quòd ſuſpitanti animæ cœleſtia dona, diuinos amores, & propterea dicenti, *oſculetur me oſculo oris ſui*, Cant. 1. num. 2. poſt largam, vt videtur, horum communicationem, dicat ipſe Deus: *Sicut vitta coccinea labia tua*, Cant. 4. num. 3. Anima cœleſtia verba à diuino ore perceptura, ſimpliciter os protulit: ambitioſiùs Deus os illud, vnde verba & affectus percipiebat, cum commendatione expreſſit, vt non illa cupidior affectuum ab ſponſo, quàm hic affectuum ab ipſa, auidus videretur. Maius eſt quod affert Gilibert. ſerm. 24. *Bene*, inquit, *coccinea labia, quæ ignem non ſolùm in terram, ſed & in cœlum mittunt: denique & ipſum Dominum cœli ſuccendunt, ideo coccinea commendat labia, quòd illi coccinea ſunt, quòd illa flammea ſentit, & in mutuam amplius ſuccendunt charitatem: mira res*, &c. coccineus color totus rubens, totus ſcintillans ignes videtur euomere, & incendia: ſic ergo labiis, id eſt, verbis & affectibus animæ Deus accenditur, vt longè maiori conatu is adſpiret, quàm ſuſpirat illa: commendat inter coccos & crocos neſcias an ſponſæ magis adorantes, quàm odoratos ignes, quia in illis, diuinus Phœnix flagrat ambitioſus: fatetur ſe accenſum, vt anima confidentior ignes iaculetur.

Amor hominis Deum accendit.

981. Non quidem in amoribus noua verborum ex abrupto profuſio, ideoque nec mirus tenor ille, quo prorumpit Chriſtus initio prædicti capitis, *quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es*, Cant. 4. num. 1. ſi amoris ſpectes ingenium: aſt mirabilis in præſens, ſi præſentem ipſius Chriſti intueris conditionem. *Egredimini*, dicitur num. vlt. antecedentis cap. 3. *filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*. & incipit ſtatim cap. 4. *quàm pulchra es*, &c. cum reliquis, quibus mirificè animæ adblanditur. Nuſquam ne igitur blandimentis amoris Chriſtus aptior, nuſquam profuſior ſponſæ encomiis, quàm in die gloriæ, in coronationis feſtiuitate? id temporis, omnia occupata, nulla non impedita: quæque occurrunt, non ſolùm fuſiſſimis laudibus, quas ſponſus per integrum caput continuat, quin etiam leuibus amoris cogitationibus obſtare ſolent. Sed obſtant quidem iis Regibus, qui honoris ſui ambitioni, amorum ſuorum poſtponunt æſtimationem; eſt verò pluſquam totius regni, amoris noſtri Chriſtus ambitioſior. nouit vilitatem noſtram nobis notam, & timuit, ne ad præſentiam tantæ eius maieſtatis, nobis timeremus, propriæque paruitatis conſcij fugeremus: ergo in die maioris gloriæ, cæteris poſtpoſitis negotiis, totus ſollicitus in laudibus noſtris occupatur, vt abiecto timore confidentiores, coniungendis amoribus accedamus. nunquam amœnior loca concatenauit Gilibertus ergo *ſerm. 22.* ita de Anima. *Audiuit*, inquit, *illum in diademate ſuo, in die deſponſationis, & lætitia cordis, in illa abyſſo gloriæ ſolito feſtiuiorem: poteratque iure vereri repulſam, ſi deformitatis & abiectionis ſuæ reſpectaret ad cauſam: oportuit igitur, vt ſecurior reddita reſumeret animum, & infuſa alacritas mentis faciem viuido quodam colore perfunderet.* Sic apud Chriſtum gloriæ apparatus, amoris ambitioni vileſcit comparatus: huic attendit, in iſto immoratur.

Adhuc monumento nouo hæc ipſa res illuſtrior apparebit. laudatur Cæſar quòd gladio interdum relicto, calamum apprehenderet, illo ſanguinem fundens, ſtrenuus: ſed ſapiens, infundens hoc attramentum exhibebatur, eandem aucupatur gloriam, eandem gratiam Gratiano ſuo Imperatori augusto, Auſonius *epigr. 1.*

Vix poſuit volucres, ſtridentia tela, ſagittas,
Muſarum ad calamos fertur manus, otia neſcit,
Et commutatâ meditatur arundine carmen.

Ingenui calami: mutatio ferientis, in meditantem arundinem, generoſa. quid ſi hi principes, non tam in Muſarum, & ſapientiæ, quàm in colybiſticos fœneratoris calamos tela commutarent? quid ſi caſtrenſia tribunalia, in nummulariorum menſas? quid ſi acierum ordines, innumeros trapezitarum? Apage, inquis: ambitioſam hanc, & ſordidam auaritiam, quis audiuit? at verò audi. pergit Chriſtus accipere ſibi regnum, & reuertiuit, vidit, vicit: quid deinde? *Et factum eſt*, inquit textus, *vt rediret accepto regno, vt iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam, vt ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet*, Luc. 19. n. 15. non dicitur depoſuiſſe arma, veſtes mutaſſe, ordinaſſe alia: totus & ſolus eſt in pecuniis, in vſuris comparandis. ſed negotiatio erat in re, (licèt ſub pecuniarum nomine) amoris: his vſuris diuina ambitio neque moras connectit, neque admittit quæſtores.

Sed neque minus dulcis, ad concatenationem locorum prædictorum ex Cant. explicatio ſeſe offert. Solent ambitioſi amantes poſtquam gloriam ſuam iactant, potentiam oſtentant, tunc amicæ dotes, & prærogatiuas celebrare. quaſi dicant, non tam ſe ſibi laudaſſe, quàm vt compriores, & illuſtriores, dilectæ ſeſe & amoribus, & libito ſubmitterent. Exempla obuia: & neſcio an Pauo oculata cauda, & gemmeo ſplendore fœminam ſollicitans idem velit. Exhibet ergo Chriſtus gloriam ſuam verſu vltimo capitis tertij, deinde totus in capite quarto commendat animæ dotes: credo, vt oſtendat, ideo eſſe illam ſibi gloriam iucundam, quia ſic poterit animæ dotes, & amores ſibi allicere. & quidem id quod additur, *in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, ſatis pro me facit: cur enim, cùm poſſeſſâ longè priùs gloriâ diadematis, vocetur poſtea quotidie ſponſa Eccleſia, & accipiatur: cur, inquam, ipſemet dies & ſuſceptæ gloriæ, & initæ deſponſationi aſſignatur: niſi, quia ipsâmet gloriâ, ſolùm ambibat deſponſationem, ſolos nuptiarum amores affectabat, vt iam penè eſſet idem gloriæ thronus, & thalamus ſponſæ? Sed fulget magis ambitioſa proteſtandi amoris ſui, vt amorem captet noſtrum, conditio, in eo, quòd ingenuè fateatur hanc deſponſationem, quæ tota bono noſtro cedit, lætitiam vnicam cordis ſui eſſe. Vnde deuotiſſimè hîc Gilibert. ſerm. 20. *O me*, inquit, *impudentem, & ingratum, ſi non ego talem diligo, tam abſolutum à corruptione, & tam circa me aſtrictum compaſſione: neceſſitate non obnexium, & pietate obnixum: diligam te dulcis Domine, & ſi non pro me, pro te tamen, vt tuo ſatisfaciam deſiderio, delitiarum tibi cauſas ſubminiſtrem.* amor eius, pondus eius: eò defertur, quò amore fertur: extra centrum nihil quieſcit, & quâ cætera ambitione centrum ſuum quærunt, eâdem viſus Deus humana corda petere: ibi hilariter & volenter: fotis, gerit quodammodo violenter: tunc habet cordis plenam lætitiam, quando cordis noſtri affectibus retinetur.

Demittitur

982. Demittitur è nubibus in terram fulmen, quod tamen multo circuitu, cœleſtis originis conditionem manifeſtat: nimirum ignis è centro ſuo trahitur violenter, quidni reluctetur gyrans, & tortuosè renitatur: ideo non pergit in directum, ſi quomodo ambitioſis mæandris repetat originem, centrum recuperet. O Dei amantis ſymbolum! Peccat Adam, & è cordis ſui cœlo, Deum eiicit volens, violentum: ideo illius vocem audit, *deambulantis in paradiſo*, Geneſ. 3. num. 10. non ſentit ambulantem, quia in directum non abiit Deus: deambulabat gyrans, curſus & amoris texens mæandros, ſi fortè priſcam ſedem recuperaret. dixi multa ad hanc rem alibi ex Hugone Victor. apud Godefr. qui tandem pulchrè concludit: *Moram*, inquit, *facit, & blandè minatur abſceſſum: læſum ſe dolens, & violenter eiectum, & ridere vult, ſi fortè inuitetur vt veniat.* quia non ambitioſius fulmen cœlum affectat, quàm cor hominis ambit Deus affectuoſus, & pende ly *ſi fortè*, cui tamen Deus curſus impendit certos.

VERS. II. Hyems tranſiit, &c.

§. I.

Peccator, putridum cadauer.

983. Sicut in aduentu veris, Christus Dominus hîc, nouos virentis gratiæ flores expreſſit, quibus ſponſa Eccleſia amœnabatur: ſic in diſceſſu hyemis, vitiorum fugam ad incarnati Dei, ad ſui ſcilicet præſentiam ſignificauit. Si autem quæras cur hyemis nomine peccatum denotetur, facilis eſt reſponſio; quia quemadmodum hyemis frigore omnes videntur plantæ interire, quas iterum vernus tepor exſuſcitat: ſic anima per culpam, ſpiritualis cuiuſdam mortis frigore corripitur, vnius tantùm gratiæ fomentis ſuſcitanda: vnde fit vt peccator, dum talis perſiſtit, licèt viuere putetur, reuera putridum quoddam remaneat cadauer. Mirum hoc quidem, ſed æquè verum, poſſe animam reddi mortuam, quæ tamen mortalis fieri non poteſt.

984. Sunt pulchra in hanc rem verba Euſebij Gallicani, ad illud Sap. 1. num. 11. *Os quod mentitur occidit animam.* de quo ſic habet in homil. ad plebem deriſtotiam. *Quàm grauis*, inquit, *ictus teli iſtius, qui cutem, viſcera, oſſa pertranſit, & animam penetrat, ac nouo violentiæ genere, infert ei mortem, quam non poteſt facere mortalem.* Fulmen, peccatum dixeris, dum molliriem corporis leuiter pertranſiens, animæ vires & vitam erumpit exhauſturum: ſed in hoc ipſo, fulmine violentius, quod mortem infert immortali, vt anima, quæ mortalis vitæ rider anguſtias, immortalis cuiuſdam mortis, niſi reſipiſcat, iniurias patiatur. Pulchrè idem Doctor hom. de pœnitent. Niniuit. *Nullus*, inquit, *nobis tam occultus inimicus eſt, quàm caro noſtra, quæ dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam vtriuſque hominis pœnam, Dei armat offenſam, & ſpiritus generoſitatem, in ſeruitutem exterioris addicit, dominante peccato: cui vtique tantam vim noſtro vitio miniſtramus, vt animam mori faciat, quam non poteſt facere mortalem.* Poſſes dicere hos tales, non tam viuere mortaliter, quàm immortaliter mori. Equidem Democrates apud Porphyrium *lib. de abſtinentia*, affirmat, malè viuentes ſpretis prudentiæ, & ſanctitatis regulis: οὐ κακῶς ζῆν ἦν: ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἀποθνήσκειν: *non tam dicendos viuere malè, quam longum tempus mori.* quaſi non ſufficiat horum appellari malam vitam, niſi etiam vita nulla, imò potiùs mors ipſiſſima, & diutina appelletur.

985. Interdicitur Adamo pomum, & imponitur deinde: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, Geneſ. 2. num. 17. & tamen guſtato, imò deglutito pomo, viuit Adam, nec niſi poſt longa ſæcula mortem deguſtat, quaſi cœleſtibus minis, ſceleſtus iam poſt tranſgreſſionem inſultaturus, & tamen tenuiſſe diuinum verbum dicamus? & tenuit firmiſſimum. nam cùm ſatis viſum, ſi moriturus diceretur, tamen cum epitaſi, & per exaggerationem morte dicitur moriturus: vt mortem illam, quæ ſola vera mors eſt, animæ præcaueret, cum qua mors corporis comparata, vita dici poteſt: ſimul ergo comedit pomum, ſimul occidit animam. Philo Iudæus allegor. lib. 1. *Atqui*, inquit, *poſt eſum, non ſolùm non moriuntur, verùm etiam progignunt liberos, & aliis viuendi auctores fiunt: quid ergo dicendum? duplicem eſſe mortem, alteram hominis, alteram animæ propriam. hominis mors, eſt anima à corpore ſeparatio: animæ verò mors, corruptio virtutis, & aſſumptio vitiorum. ideoque non contentus moriturum dicere, morte, inquit, morieris, indicans non communem hanc, ſed illam æternam, quæ per excellentiam mors dicitur: quæ eſt, quoties anima inſepelitur affectibus, vitiiſque omnibus.* Onomatopœia igitur peccati, mors: quæ abſolutè per antonomaſiam prolata, pro hoc ſupponit.

986. Omnes illos, qui Chriſto reſurgenti conſurrexerunt, aut obiiſſe iterum, aut pariter ad cœlum conuolaſſe, certum. & tamen poſt multos annos audis Paulum dicentem: *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite*, &c. Coloſſenſ. 3. Quomodo ergo quærent, quod iam habent? atqui non cum priſcis illis, quorum monumenta aperta fuerant, loquitur Apoſtolus, ſed cum ſui temporis fidelibus, & iis viuentibus: planum. Sed quomodo, inquis, reſurrexerant qui non obierunt? imò, quomodo conſurrexerant Chriſto tantum temporis antè reſurgenti? nimirum, quia Chriſti gratiâ è peccatorum morte fuerant ſuſcitati: in quo longè maius à Domino beneficium acceperunt, quàm ſi cum illo à tumulo reſurgerent: grauioribus quippe mortis laqueis, quàm in ſepulchro Chriſtus, tenebantur. Galfridus ad hunc locum apud Tilman. *Duæ ſunt*, inquit, *mortes, & duæ reſurrectiones, prima mors eſt animæ, ſecunda corporis: mors corporis, ſeparatio ab anima: mors animæ, ſeparatio à Deo. hanc operatur peccatum, illam pœna peccati*, &c. Vt quanto fœdior culpa eſt, quàm pœna, tanto mors animæ, morte corporis turpior habeatur: ſic altera infamatur de culpa, imò eſt ipſa culpa: altera pœna eſt, ſolùm extrinſeca quadam denominatione infamata. vnde & Apoſtolus antonomaſticè etiam (cùm Chriſtus nobis vtriuſque reſurrectionis cauſſa ſit) quæ à culpa fit, loco adducto vocanit reſurrectionem, quâ, quæ ſurſum ſunt quærimus, & ſapimus: ſapienter enim nouerat, morti antonomaſticè dictæ contraponi.

987. Peccarat Dauid homicidij reus, libidini obnoxius: tunc veniam oraturus: *Afflictus*, inquit, *ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*, Pſalm. 37. num. 9. Sed cur qui fletum deſerit, metaphoram ab ipſis feris mutuatus, non mugit vt taurus dolens, nec vt lupus vlulat percuſſus, nec vt Elephans barrit vulneratus: ſed vt querebundus Leo, tantum rugit? mortuum leunculum rugientes crebrò ſuſcitant parentes, *Geneſ. 49. n. 9.* qui ergo mortuam culpis animam deplorabat, rugitus

gitus eligit, si fortè valeat illi vitam denuo inspirare. Quis scit an huc alluderet D. Cæsar. Arelat. homilia prima? sin minus, satis rei præsenti fauent eius verba. *Homo*, inquit, *ipse se decipit, si cùm in medullis feruere sibi sentiat morbum, per superficiem corporis, molle deducat vnguentum. hæc itaque principalia mala, ingenti & gemitu, & fonte indigent lachrymarum: atque per lachrymas clamandum est cum Propheta, Rugiebam à gemitu cordis mei, & lauabo per singulas noctes lachrymis lectum meum. nemo despiciat hanc humilitatem: summus Rex erat qui ista faciebat, & dicebat: oportet igitur sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare planctus.* nimirum solemne fuit priscis, summa voce defuncti nomen inclamare, illique nouissimum valedicere, quem deinde conclamatum appellabant: caussa illa, si fortè adhuc retenta esset anima, & vocibus excitaretur. conclamatæ ergo animæ, rugit Dauid, animam, ac si esset mortua, reuocaturus: licèt se ex ore Natham nosceret condonatum, sic in omnibus pœnitentialibus loquitur, ac si adhuc animam mortuam doleret, veniam sollicitans. quod etiam in dicendis obseruа.

988. Nec minus solemne fuit aquâ calida defuncti corpus lauare, non tam ad munditiem, quàm vt fomentis istis etiam, si quis lateret spiritus reuiresceret: notarunt vtrumque interpretes ad illud Virgil. lib. 6.

—Corpusque lauant frigentis & vngunt.

& quidem ideo Propheta feruentibus lachrymis perfusus lauabat per singulas noctes lectum suum, & illis stratum rigabat, *Psalm. 6. num 7.* vt his lachrymarum fontibus & fomentis, Deo auspice, frigidum animæ peccatricis cadauer viuificaret. de hoc expressè D. Cæsareos citatus: *Quomodo*, inquit, *solet mater orbata super amissione vnici filij sui, fracto pectore lamentari: ita conuenit super vnicam suam, sed cum spe reparationis affligi, &c. necesse est super hanc vnicam criminum mucrone confossam, totum pondus doloris effundi, si fortè possit lachrymarum viuificata fontibus, calore fidei viuificari.* itaque velut adhuc mortuam existimabat animam suam ille, qui exemplo nostro, tristia mortuorum ministeria illi apparabat. de vtroque iterum idem S. Doctor homil. 17. *Oportet*, inquit, *vnicuique super se ipsum quasi super mortuum conclamare, & magnos super extinctam animam dare planctus, & quomodo solet mater super mortuum vnicum filium lamentari: sic oportet super vnicam animam nostram criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi, si fortè possit lachrymarum fomentis, calore fidei suscitari.* Pulchriùs & eruditiùs in hoc loco (quem propterea transcripsi) lachrymas fomenta vocat, quàm suprà fontes, cum allusione ad calida fomenta mortuorum.

989. Perceperat Rebecca minas Esau contra Iacob, quem occidendum dirè destinabat: ideoque puerum euasurum fratris furorem, ad Mesopotamiam mittendum curat; & caussam addit: *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* Genes. 27. num. 45. vtroque, inquam, an altero bona mater? altero, vt videtur: quid enim à Iacob contra Esau machinandum, temerè præsumitur? aut quid imbellis iuuenis, contra robustum venatorem poterit in conflictu, vt inuicem occidendi existimentur? respondet D. Thomas ex ore Rebeccæ ad hunc locum, loquentis ad Iacob: *si occiderit te, non reputabo eum filium meum, & sic orbabor vtroque.* credo, quia non minus occisor de innocentiæ, quàm occisus de vitæ iacturâ, mortuus esset habendus: vnde misera mater vtrimque orba diceretur, quia, vt erat pia & sancta, non viuum, ac proinde nec suum poterat reputare, quem de tanto impietatis scelere mortuum ingemisceret. hæc nostra cogitatio, in alio fratrum pari, clarior apparebit.

990. Occidit fratrem Amnonem iniustum pudicitiæ raptorem: iniustior eiusdem pudicitiæ vindex Absalon. audit infausta nuntia Dauid, & in lachrymas profunditur: *luxit ergo*, inquit textus, *Dauid filium suum cunctis diebus.* 2. Reg. 13. n. 37. & vtrum filium? Absalonem, an Amnonem plorabat senex? non exprimitur: cùm tamen doloris epitasis, & tenerior affectus, de nominis expressione excitandus in hoc loco videretur. tacetur tamen vt vtrumuis, imò vtrumque posses intelligere, alterum occisum corpore à fratre, alterum occisum animâ à peccato. Saluianus de Prouidentia lib. 2. *& quidem*, inquit, *nescias quem de filiis duobus tam bonus pater potissimum amiserit illum, qui manu fratris occisus est in hoc sæculo: an illum, qui suâ periit in futuro.* visus enim in hac nostra historia quam tractat, signatiùs ad locum à me citatum respexisse. dicitur autem in futuro periisse Absalonem, qui dum in præsenti sæculo viuus corpore, cadauer animæ gestabat, iam tunc futuræ æternæ vitæ conditioni periisse notabatur.

991. Vocatus dulciter à Deo prodigus, vocationi pœnitens correspondet, de quo proinde Lucas: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo: surgam, & ibo ad patrem meum*, cap. 15. num. 17. ad se reuertitur, qui à se ipso fuerat separatus: reuertitur ad vitam, qui separatione à Deo, mortem incurrerat: iam sentit virtutis famem, quia resuscitatus, qui dum luxuriosè vixit, quia verè mortuus hanc famem non sentiebat, D. Chrysol. *serm. 1.* ad illa verba: *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*, ita scribit: *Mortalis est ista vita, quia moritur virtutibus, qui viuit vitiis: sepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini viuis infamia.* Audis luxuriosam vitam mortem esse: hinc ergo illa vox patris: *epulari ergo & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit*, num. 32. verè enim succubuerat morti ille filius, dum luxuriosæ vitæ incubuerat. Nuntiauit quidam Theseo, obiisse Hippolytum filium eius, quem Pater incestuosum (sed falsò) existimauerat: tunc ille nuntio apud Trag.

Gnatum parens obiisse iam pridem scio
— nunc raptor obiit.

ac si diceret, nunc vltima raptoris pœna affectus est, qui à quo se die vitiis tradidit patri iniurius, pro mortuo mihi filio computabatur.

992. Eleganter igitur D. Eucherius homil. initio Quadrag explicans de animâ, verba illa quæ Apostolus 1. *Timoth. 5. n. 6.* dixerat de viduâ. *nam qua in delitiis est, viuens mortua est*, sic habet: *Diuina sententia est qua dicit, Anima qua in delitiis est, mortua est: tunc planè vera mors est, quando homo anima præmoriente, deteriore sibi parte hominis fit superstes.* ecquod dirius spiritualibus oculis spectaculum hoc præsenti? certè tyrannica est Dæmonis & peccati malitia. dixerat de tyrannide summa crudelissimi Mezentij Poëta:

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Coniungens manibusque manus, atque oribus ora.

hîc autem (mortuâ animâ, viuæ, id est, immortificatæ carni coniunctâ) crudelius longè culpa debacchatur. Sed nec minus Eucherio eleganter Optatus Mileuit *lib 3. contra Parmen.* de parentibus, qui filiolos ad sacrificia impia asportabant: *Ignorans*, inquit, *polluebatur infantia, à matribus parui liberi*

beri perdebantur ad nefas: parentes incruenta parricidia facere cogebantur. quia dum paruuli culpæ destituabantur, eamdem grandiores implerunt, impium licèt incruentum particidium patiebantur.

993. Sed parum erat ſi cadauer foret, niſi iam putridum,& putridum,turpiſſimam mephitim exhalaret. Edocebat Chriſtus fiduciam, qua Deum oraturi accedere debebamus, & poſt diuina ad illam prouocantia exempla, cùm multa videretur apponendus ... bis à Patre concedenda, ſolùm concludit *Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*, ... ac. 11. num. 14. Sed iſte ſatis, tamquam bonorum primas habens, vtpote qui à ſummo malo, morte ... icet animæ nos liberat. cauſſam eleganter exprimit Galfridus apud Telman. ibi. *Et ſi plurimum, inquit, intereſt, inter hominem mortuum & viuentem: longè tamen amplius, inter non habentem hunc ſpiritum, & habentem. mortuus enim homo, iam nec audire, nec loqui, nec aliquid operari, ſed tantùm cadere poteſt, fœtere, diſſolui, & putreſcere: nec diſſimilis eſt mors animæ, vbi deeſt ſpiritus vitæ: non enim bona loqui, aut meditari, agere, vel diligere poteſt qui bonum ſpiritum non habet. peccare autem poteſt, perire, perdere alios, cui iſte ſpiritus defuerit.* Sicut enim corpus mortuum fœtore corrumpit alios infecto aëre, nociuo contagio: ſic peccator & verbis fœtidis & exemplo turpi alios corrumpit. de quo multa alibi congero.

994. Typus Dominicæ paſſionis, inter tot, ſine culpâ, pœnarum pondera Iob extitit: quærat tamen aliquis, vnde in ſterquilinio ſedens, ſcatens vermibus, Chriſto aſſimiletur? Reſpondet D. Zeno Veron. *ſerm. de Beato Iob*, ſic ſcribens. *Iob, inquit, in ſterquilinio pleno vermibus ſedet: Dominus quoque in vero ſterquilinio, id eſt, in huius mundi, conuerſatus eſt: inter ebullientes diuerſis ſceleribus & libidinibus homines, qui veri ſunt vermes.* ne iam ſolum fœtidum, ſed, quod turpius eſt, ſcatens vndique vermibus cadauer, peccatorem miſerrimum agnoſcamus.

§. II.

Et ſuimet ipſius portatile ſepulchrum.

995. Clarebunt dicta magis, ſi magis maius monſtrum oſtenderimus. non ſolùm putreſcens cadauer, & vermibus ſcatens eſt peccator, ſed, quod horribilius, in ſemetipſo miſerè ſepelitur. Eſt hoc, illud D. Cypriani orat. 13. de lapſis: *Si quem, inquit, de tuis charum, mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia mœroris oſtenderes. animam tuam miſera perdidiſti ... ſpiritualiter mortua, ſuperuiuere hic tibi, & ipſa ambulans, funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiſcis?* ſic vbi triumphalem quaſi pompam, peccatoris in hoc ſæculo beati, admiratis, pompam funebrem, & in miſero, portatile quoddam ſepulchrum recognoſco: figura vitæ eſt, quæ foris cernitur: ſed intus viua mors quædam aſportatur.

996. *Nolite*, inquit Apoſtolus, *conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri*, Roman. 12. num. 2. vel, quod alij manolunt ex Græco: *nolite configurari huic ſæculo.* quaſi, quod alibi dixit, mundus ſit figura, cui, dum conformes ſumus, configuramur, id eſt, nihil tam ſolidum, ſed metam figuræ alicuius apparentia, ſortimur conditionem. Sed ita ne, dicat aliquis? & quomodo figuræ rationem ſubeat peccator, cùm reapſe integram naturæ humanæ participet rationem? cur quaſi alterius figura exprimatur, qui ſui ipſius veritat oſtentatur? falleris: figura eſt, quia quod iam non habet, repræſentat, & verè mortuus, ſuique ſepulchrum, ſpirantes vitæ notas manifeſtat. D. Chryſolog. hic ſerm. 120. *Vbi homo, inquit, in vitiis eſt ſepultus, vbi corrupti corporis ſcatent ſcelera, vbi homo hominis eſt ſepulchrum, vbi in homine non homo cernitur, ſed cadauer. Apoſtolus ergo huic formæ, nos prohibet eſſe conformes, & configurari nos huic vetat figuræ, huic ſimilitudini conſimules non eſſe permittit.* Figura ergo peccator, vbi ſub phantaſtico quodam vitæ titulo, verum mortis tropæum deliteſcit: vbi quod oculis exhibetur pulchrum, ſepulchrum perſpicacioribus recognoſcitur: vbi ſub viuendi actionibus beatis, blattis ſcaturigo appataiur.

997. Profudit ad pedes dilectiſſimi magiſtri, alabaſtrum pretioſiſſimi vnguenti Magdalena: interim Phariſæus & piam diſcipulam, & ſanctiſſimum magiſtrum mordens, effutit, neſcias an impudentior, an imprudentior, has gerras: *hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*, Luc. 7. num. 39. Similnec Phariſæorum potius, quàm Chriſti alumnus Iudas, in alio eiuſdem Mariæ actu ſimili exclamat: *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Ioan. 12. num. 4. quantum mirum, vterque ad effuſionem vnguenti inſaniunt maximè, nec valuit tanti odoris fragrantiam ſuſtinere, & crediderim ita factum, quia erat vterque ſepulchrum quoddam fœtens, ſed dealbatum, quod ſi vſque tunc celabatur, non tamen potuit ad contrarij vnguenti appoſitionem, & oppoſitionem non diſrumpi fœtentius. Sic Iudam meritò carpit Drogo Hoſtienſ. *lib. de Dom paſſ.* de Magdalena locutus: *Quid memorem, inquit, de ſepulturæ officio, quod præuenit, de pedibus aſcendens ad vnctionem capitis, cùm in eam fremeret illud auaritiæ ſepulchrum fœtens, odorem pietatis ferre non ſuſtinens?* pertranſiit aliquando (mille habuit huiuſce euentus Vlyſſipo noſtra teſtes oculatos) puer è ſtabulo viliſſimus, & fœtoribus illius aſſuetus, forum vbi indica, & pretioſiſſima aromata congeruntur, & exanimatus ſubitò, collapſus eſt: acceſſit præſtantiſſimus medicus, qui fortè aderat, inquirit illius conditionem, agnitâ, iubet exanimati naribus ſtercora admouere: quibus perceptis, reſpirauit ſubitò puer, & conualuit. Sic Iudas non potuit, ad inſueti odoris præſentiam, non manifeſtari, qui non ſolùm turpiſſimi ſtabuli incola, ſed etiam fœdiſſimi ſepulchri erat baiulus: ſolùm inter fœtores reſpiraturus.

998. *Mortificatum in Deo ad vitam ſepelitur.* Capiunt ex dictis lucem verba illa Apoſtoli: *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto, in Deo*, Coloſſ. 3. num. 3. quanta iuſtorum felicitas, quanta gloria mortificatorum! ſic moriuntur voluptatibus, vt in Deo viuant: ſic viuunt virtutibus, vt mortui huic miſeræ vitæ noſtræ videantur. Sed cur, inquis, abſconditur tam felix vitæ ſepeliatur: tam felici ſepulchro condemnatura, infeliciſſimum ſepulchrum peccatoris? in hoc quippe maximè mortificatorum ob Chriſtum mors vitalis, & vita illa mortua, mortuorum ob peccatum, condiſtinguitur, quòd peccator in ſe metipſo ad fœtorem & contagium: iuſtus autem in Deo, vt ſit bonus odor Chriſti, ſepelitur. Acutè D. Paulinus epiſt. 2. ad amicum: *Tu igitur, inquit, inter mortuos liber, qui in poſſeſſione terrena, terra iam non es, & terreni ſeminis, nec morticinorum contagione pollueris: nec habitas in dormientium prouinciis ...*

illorum sepulchris, quia cælo sepelisti vitam tuam, quam in Christo absconditi. Alludit etiam Paullinus ad illa *Psalm.87.num.6.* vbi iustus se solum vocat inter mortuos liberum, quia non est instar peccatorum, qui culpæ vulneribus confossi, in sepulchris, id est, in semetipsis, ferrei cuiusdam somni compedibus detinentur.

999. Propterea Abraham mortuam Saram, id est, deuotam & mortificatam animam, cupiens inter mortuos liberam conseruare, abnuit illam in electis Chananæorum sepulchris collocare, qui rogabant: *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum,* Genes.23.num.6.& bene Chananæi peccatores dicuntur electa sepulchra possidere: quo enim quis ditior, & illustrior culpis indulgat, eo quidem in semetipso, sibi, imò seipsum reddit electius sepulchrum, ipsaque fortunâ & nobilitate notabilius. quam aliter ab Abrahamo, impij Israelitæ Exodi 14. num.11. qui Ægyptia sepulchra suspitantes illorum frequentiam prædicabant: re enim verâ occurrunt passim in Ægypto sepulchra, quia tot habet mundus sepulchra portatilia, quot sustinet peccatores, huc allusit Drogo citatus, de Abrahamo locutus: *Habet, inquit, mundus electa sepulchra, illos vtique, quos elationis fastigium, vel elationis operositas perspicuos reddit: tota Ægyptus sepulchris plena est, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus: illa sepulchra in deserto desiderabant filij Israel.* Itaque quo illustrior peccator, eo sepulchrum illustrius, sed sepulchrum, de littera huius loci plura in spicilegio nostro congeremus.

1000. Nec miteris inuicem sibi homines, se ipsos pro sepulchris offerre, se inuicem sepulchra suspitare, quasi alij in alijs sepeliantur: re enim verâ, sic se res habet: & mutuo se alij, alijs exhibent sepulchra, vt quod erga corpora in Antropophagis humanæ carnis voratoribus exhorrescis, id in peccatoribus erga animas perhorrescas necesse sit. Gemmâ pro hac re notandus locus ille aliàs tritus ex Psalm. 5. num. 11. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* vbi non solùm sepulchro guttur comparatur, sed & gutturi sepulchrum assimilatur: deuorant peccatores illos alios, quos ad peccandum impiâ suadelâ alliciunt, & tanquam per patens quoddam guttur illos deglutiunt, & in semetipsis miseros sepeliunt. Belle D. August. in hoc loco: *Mendacio, inquit, & blandâ adulatione trahunt in se, quos ad peccata illectant, & eos tamquam deuorant, cùm in suam vitam conuertunt: quod quibus contigit, quoniam peccato moriuntur, rectè illi, à quibus inducuntur, sepulchra patentia dicti sunt: quia & ipsi quodammodo exanimes sunt, vitam non habendo veritatis: & mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus, & vano corde interemptos in se conuertunt.* grauiter cogitatum, nec pulchrius aliquid rantæ gnomi addi potest.

1001. Clariùs tamen eamdem mentem aperit idem regalis Vates Psalm. 13. n. 3. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os maledictione plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* bene enim qui guttura sunt aliis deuorandis, eisdemque sepulchra sepeliendis, veloces ad effundendum sanguinem describuntur. bene etiam simul & dolosè agentes dicuntur, & sanguinem fundentes, vt sic abominabiles Deo reddantur, *Psalm.5.num.7.* qui & seipsos occidunt, & per dolum aliis, quos in se sepeliunt, insidias machinantur: nec solum iu insidiis dolosi, sed etiam, quia se & alios (dum verè sunt mortui) viuentes simulant, morte, vt suprà dicebam, dissimulata, dumque in sepulchris conduntur, aliorum oculis absconduntur. Sed audi eodus Drogo sæpe citatus, locutus de peccatore. *Primus, inquit, in semetipsum manum mittit, primus semetipsum interficit: gladius,* inquit Psalm.36.n.15. *eorum intret in corda illorum: nec satis est semel occidere, & quiescere, millies & millies crudeles in se manus conuertunt: & veloces pedes eorum sunt ad effundendum sanguinem suum, viri sanguinis & dolosi. quomodo dolosi? quia congerunt cadauera mortuorum in speluncam suam, & operiunt aggere terra, ne vel ipsi videant, vel ab aliis videantur: nolunt ipsi videre, ne horrorem, vel pudorem ingerant eis in faciem, morticina fœtentia: nolunt videri, ne forte deprehensi, tamquam latrones homicidæ, ad horrenda supplicia pertrahantur.* Fateor hæc Drogonis verba visa procedere de morticinis suorum vitiorum, quæ quiuis peccator in semetipso congerit sepelienda: haud inuitè tamen de scandalo, quo alios in se sepeliendos transformat, capi possunt: vtcumque sit, titulo faciunt proposito. redeo.

Peccator latro est.

1002. Iuueni illi, qui moris sequendi Christi paternas prætendebat exequias, respondit Dominus: *dimitte mortuis sepelire mortuos suos*, Matth.8.n.22. non officium pietatis, pietatis magister Christus dedocebat, sed monitum volebat iuuenem, ne huius prætexto iterum rebus sæcularibus, & peccati occasionibus immisceretur: prudentissimè que ex iis, de quibus tunc erat sermo, sumpta occasione, peccatores portatilia sepulchra nominauit. Solitâ eloquentia Chrysost. serm.19. *Quomodo,* inquit, *mortui sepeliunt mortuos suos? fratres ipse dixit* Ioan.14. *Ego sum vita: quod est anima corpori, hoc est anima Christus. Sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo. recedente anima, mox corpori fætor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, mox venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo, funus animæ iam sepultum.* Ecquid miserius, quàm se viuum sibi reddere sepulchrum, & totis viribus, in eodem sudare elaborando? quid stultius, quàm in corpore tuo, vero (si fas est dicere) psychophago, curas impendere, quod paulo pòst sarcophago absumendum? nam quod nunc corpus tibi animam deuorat, atque sepelit, breuiter in funesto sepultum tumulo deuorabitur.

1003. Quid? certè dum sepulchro huic corporis tui, sepulta animâ, suauiorem putas vitam impetriri, vitam eidem negas, & sensuum vsu spolias crudelis. Iacebat ad ostium epulonis diuitis, qui totus in curâda cuticula impendebatur, mendicus Lazarus; tot oribus, quot plagis extremam suam miseriam debuccinatus, *Luc.*16. quæ frangerer lapides, ferrum emollitet: & tamen ille lapide [illegible] dior, duriot ferro neutiquam mouebatur: & vide, quæso, diues, Lazari lamenta, & lachrymas, vulnera & putredinem, neque oculis, neque auribus, ad pietatis sensum percipiebat? quia qui animam suam, mortum corruptione mortuam, in suo metipso tam bene curato corpore sepelierat, ipsum quòd vitificate curabat sepulchrum, sensibus omnino spoliarat. Meritò proinde idem Chrysol. serm.121. *Ille, inquit, diues, imò diuitiarum captiuus seruus opum, & ipsis censibus compeditus, tantum pompæ immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique & visus defecerat, & auditus: non iam personam, non pauperem, sed ipsam misericordiam despicit, ad ianuam suam Lazarù sic iacente.* Dum ergo sensibus premitur,

ceu, bonibus spoliatur: ideo solummodo pompæ fuæ & fastus sepulchrum immobile, quia quemadmodum olim in sepulchris thesauri condebantur vbi auare custodit: sic auarus de culpâ sepulchrum, hujus instar diuitias non communicandas retinebat. Sed contra auaritiam, bonorum carcerem & sepulchrum suo loco inuehat.

1004. Et quidem iusta pœna ista: quemadmodum enim, qui ædificium aliquod tentat, malignè abscondītus euertere: solet quandoque collapsâ machina premi, pariterque cum ædificio in suismet ruinis sepeliri: sic qui se ipsum, templum scilicet diuini Spiritus violat sacrilegus, in semetipso ruinoso, sepulchrum miserabile sortitur. *Nescitis*, inquit Apostolus *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*, 1. Cor. 3. num. 16. & quo disperdet? nunquid immisso fulmine, quod sacrilegoa ausus ecœlesti igne consumat? nunquid adacto gladio infamem vitam erepturo? an paratâ ferâ, cuius dilaniatus vnguibus, dentibus laceratos, in eiusdem visceribus tandem computrescat? an denique nouo inuecto diluuio, cuius inondatione suffocetur, qui catnis fluctibus spiritum suffocauit? id subiicet Apostolus, vt in ipsa euersione templi violati, pœnam & sepulturam miseram inuenturus cognoscatur. Nescio an aliquid grauius & acutius vfquam protulerit D. Cæsareus Arelat. quàm istud: ergo homil. 14. *Rogo*, inquit, *vos fratres charissimi, vt si fortè aliquis ex vobis (vt se habet humana fragilitas) calliditate Diaboli fuerit superatus, & capitalibus criminibus inuolutus, secundùm quod ait Apostolus, si quis templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet: sed citò, de malo iniquitatis sua consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat.* ita templi sui euersione peccat or occidit: dumque perseuerat, nouâ & nouâ ruinâ altiùs sepelitur.

1005. Inde capio cur, cùm vtplorimum fures soleant per tecta & fenestras, admotis scalis domos spoliandas ingredi: Christus Dominus tamen, perfodientes domum, id est, ab imis fundamentis euertentes templum animæ, Dæmones describat. huc enim, ni fallor, collineant verba Matth 24. num. 43. & Luc. 12. num. 39. *Quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* vt se ventuto Domino vigiles pararent, exemplo iusti potentiarum suarum, instar patri-fam. moderatoris, qui vigilaret vtique, si horam ventori furis dæmonis præsciret. capio, inquam, ex dictis caussam: neque enim aliò domus, seu templum animæ pertumpitur, sed semper perfoditur, & ab imis radicibus ennoellitur, vt suismet ruinis sepeliatur. Bene Saluianus, licèt non ad hunc locum, *lib. 1. ad Eccles. cat.* sic ad peccatores, quos ab imitatione porcorum, cœno se sæpe & iterum immergentium deterret: *Nonergo*, inquit, *horum naturalem sequantur illuuiem, nec malè blandis lapsibus assuescant, aut in barathro libidinum commorantes, in ipsis se sepeliunt miseri fuit.* sic vnde Deo & Angelis conspicabiles appatebant, inde sepulchra fœtentia, & dum in sæculo degont portatilia infaustissimè tepetiuntur.

1006. Plorabat hos tales Apostolus, cùm de illis, qui sacrilege sanctissimam Eucharistiam tractabant, sic scribit: *ideò inter vos multi, infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, 1. Cor. 11. num. 30. neque enim visua loqui Paulus de fato naturali concedentibus, cùm naturalis mors, solùm ergo istos somni vocabulo soleat appellari. loquitus ergo de mystica peccati morte: quos tamen oppressos, propterea fortasse dormientes appellauit, quia ignauiæ somnum furibus expellendis non excusserunt, in destructi templi ruinis consepulti. Sed quidquid sit de hoc, aliunde peccati mors non immeritò somnus appellatur, quia cùm somnus viua quædam sit mortis imago, qui hominem in semet videtur sepelire: vnde & grauiter dormientem *somno sepultum* dicimus: peccati mors idem peragens, somni vocabulo à Paulo insignitur: sic capio Chrysologum ad hunc locum serm. 34. *Dormientes*, inquit, *mortuos dixit, quos luget in viuo corpore iam sepultos*, Concludo datis verbis Galfridi aliis ad illud Coloss. 3. *Si consurrexistis*, &c. de quo supra. *Sunt alij, qui tanquam omnino mortui, quasi in sepulchris iacent, qui videlicet longa peccatorum consuetudine deprauati, non solùm peccare non desinunt, sed etiam mortifera delectationis dulcedine, in suis sceleribus requiescunt.*

Flores apparuerunt, &c. — VERS. 12.

§. I.

Voluptatis infausta breuis gustus, flos voluptatis prius perit, quàm appareat.

1007. Inuitabat amator iuuenis sponsam puellam ad agrum, quia iam verni temporis, & tepôris accessu, amœna ibi cuncta, cuncta delitiosa: *flores*, inquit, *apparuerunt in terra nostra.* Sed nota, quid statim addat: *tempus putationis aduenit.* quod si de floribus accipias, videbis vix apparere, & amputari statim: sic aliquis putauit de hac putatione; vt inde voluptatum breuitatem expiscaretur? sed, meo iudicio, non satis propriè, cùm carpi, & colligi potius, quàm putari flores dicantur. Illustrandæ ergo voluptatum breuitati solùm arripio illud, *flores apparuerunt.* non dicuntur crescere, non durare, sed solùm apparere: velut phantastica quædam & apparentia, quorum idem est apparere subitò & perire, & meritò. quid enim flore fragilius, quid inconstantius, quid caducum magis? vix dies numerat, & quandoque vix horas supputabit. In terra ergo nostra nihil florulentum, nihil iucundum, voluptuosum nihil, quod vbi egreditur, simul non conteratur. Poteraut (concedamus hoc interim) voluptatum candidati excusari, si hoc venenom, cui hiantibus labris anhelant, & affectu quodam inhiant anhelante, diu sibi concessum experirentur: sed quàm breui cibus absumitur, hauritur potus, flos tabescit: tam breui terrena exhauritur voluptas, gaudium consumitur.

1008. Flammis totpibus incensus Holophernes, Iudith castissimam deperibat. quid tunc? *Iussit*, inquit textus, *eam introire, vbi repositi erant thesauri eius, & iussit illic manere eam*, cap. 12. num. 1. putares amantem principem nitidiores gemmas, gemitarum suorum pretium: lapillos pulchriores, fidei fuæ calculos: pretiosiora monilia, ligari cordis indicia: denique omne aurum potum, omnes vestes, aromata omnia vnius Iudithæ imperio consecratum. audi tamen quid post thesauri ingressum subiungatur, *& constituit quid daretur illi de conuiuio suo.* scilicet ad omnia bona reliqua, turpe pectus torpuit, cibos assignat tantùm: credo, vt tam breui voluptates, ad quas inuitabat, finiendas, quàm breui finitur conuiuium, designaret. ideo postea Vagao infamis leno ad eamdem n. 12. *Non vereatur*, inquit, *bona puella introire ad domi-*

mum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate. quasi ad solidiora, & diuturniora alia nesciat inuitare mundus: qui dum voluptates propinat nocituras, breuissimè exhauriendas protestatur inuitus.

1009. Postquam centum viginti septem prouincias, sub suam potestatem redactas vidit Assuerus, voluit gloriæ suæ potentiam, & voluptatum excellentiam, monumento quodam præclarissimo, vt putabat, exhibere. An igitur vrbem erexit marmoribus perpolitam? Pyramides cœlo obuias, temporis victrices? an tropæum maiestatis insigne, hominum stuporem? an denique Colossæas statuas, aurea simulachra, æuo perenniores, sole pulchriora? minimè gentium: sed conuiuium tantummodo apparauit: *tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclitis, & præfectis prouinciarum coram se: vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet, & octoginta diebus*, Esther 1. à num. 3. quia solùm nouit conuiuij & epularum breuitate, voluptates, & gloriæ suæ diuitias amicis propinare. & bene, *multum tempus* (quibus verbis solent quandoque sæcula & sæcula designari) centum & octoginta dies appellati, quia voluptas nunquam annos, sed vt plurimum momenta numerat, & si quandoque ad dies & menses accedit, iam illos quasi sæcula venditat longissima.

1010. Ipsi id protestantur voluptuosi Sap. 2. à num. 6. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturà, tanquam in iuuentute celeriter.* etenim, quia diu frui non poterant voluptate, saltem celeriter illa vti, imò abuti properabant: vnde addunt, *vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* bene: timent ne flores breuiculi pertranseant, quia fructus diuturnos carpere desperabant; ad summum flores porrigit voluptas, tunc iam oppetentes, quando appetentes: fructuum nescia, durationis ignara: corrumpunt enim sæui Austri flores cùm vix erumpunt: *coronemus*, inquiunt, *nos rosis antequam marcescant.* cùm iam signatius genus aliquod florum essent expressuri, pulchrè rosarum meminere, quia inter omnia breuius, & fragilius: Inquit Poëta,

Quàm breuis vna dies, ætas tam longa rosarum.

Magis emphatica hæc verba apud Vatabl. *rosarum calyculis coronemur.* non spectant purpurea è calathis pandantur folia, odorem spargant, ambitiosam prodant venustatem: sed in ipsis calyculis, (quando vix ambientes de pulchritudine superant spinas) delitescentes adhuc rosæ carpuntur, ne auolet antè voluptas, nisi acerba capiatur; vix enim prodibit, cùm peribit: sic non tam flos, spes fructus, quàm floris spes calyculus, vt saltem durei aliquid, prælibatur, & quod summum est, non calyces absolutè, sed diminutiuè calyculi leguntur: ne si vix protuberantibus non insidientur, ab aliis doleant iam præreptos. concludunt tandem: *nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.* non solùm palatia non ædificant, verùm nec etiam tentoria figenda putant: in perpetuo sunt transitu, quia transeuntibus semper inhiant voluptatibus.

1011. Quid dicam transeuntibus? inhiant volantibus, & ideo bene pertranseunt prata, semper captantes, quod breuissimè perit, & auolat capientibus. est quasi in ænigmate expressum in lege illa Deuteronomij: *Si ambulans per viam in arbore, vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis & ouis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios: vt bene sit tibi, & longo viuas tempore*, cap. 22. num. 6. Vides quam parui, vt videtur, ponderis gesto, felicitas, & vita longior, ac si multum id referret, promittatur? pone mysum, aliud sonat, aliud significat: inplumia nec volatilia, quæque tenenda præcipit Deus, qui volatilium vsum suis interdicit. Clariùs ibi Galfridus apud Tilman. *Videtur*, inquit, *hoc loco, matris speciem gerere præsens vita: pullorum nomine spes futurorum innui præmiorum, & quodammodo patimur matrem auolare, si præsentis vitæ gaudia fugitiua non sequimur, & implumes tenemus pullos, æternæ beatitudinis solâ expectatione contenti.* equidem fugitiua sunt illa & volatilia; ideo Mart. *lib.* 1. *epig.* 16.

Gaudia non remeant, sed fugitiua volant.

An non igitur, vt dicebam, meritò pertranseunda prata luxuriæ dixerunt, quando nihil ibi stabile reperitur? pende adhuc.

1012. Iturus Israël per Edon (cuius regna vt idolis, sic etiam voluptatibus seruiebant) quia tunc iustorum agmen erat, saltem iustos repræsentabat, post longas altercationes, hæc subiunxit: *per tritam gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est, nulla erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus*, Numer. 20. num. 19. ingenuè voluptatis ingenium profitentur: *trita est via*, qui infinito stultorum numero percalcata, nil præter *aquam* exprimunt: quia non citius potus stomacho infunditur, refunditur mari flumen, quàm voluptatis fruitio confundatur, & aquam quidem *pecoribus* communem, quia ex puteis Samariæ, quod ipsa etiam fatetur Samaritana, & homines & bestiæ, eiusdem iam per corporis voluptates, conditionis, viscera non tam irrigant, quàm irritant. hæc tamen omnia Israëlitæ iusti, non tam sibi experiunda, quàm Edonitis voluptuosis proponunt cognoscenda; ideo signatè seu sub conditione apponunt, *si biberimus*, atque de pretio, id est, satisfactione danda statim subiunxerunt. vnde Stephanus Cantuar. apud Godefr. *Hoc est*, inquit, *si per aliquam delectationem titubauerint gressus nostri, dabimus pretium, id est, peccatum nostrum debita satisfactione puniemus: non erit in pretio difficultas, quia non æstimabimus pœnam, donec transeamus ad gloriam.* Sic Edonitis, quam miseris insigantur voluptatibus patefacit Israël, dum pergit promissæ felicitatis terræ comparandæ: concludit tandem, *tantùm velociter transeamus*; quia etsi vellent per voluptatis viam transire aliter non poterant.

1013. Sed nimium adhuc erat in voluptate, si instar escæ & potus, licèt breuissimo spatio duraret, si ab ore ad stomachum delata, paulo pòst absumerent: infelix in ipso ore perit, vix in gustu, nondum in gutture, cùm contabescit; ideo Propheta Psalm. 77. num. 30. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* & signatè voluptatis impleta vota, *escæ eorum* dicuntur; quia licèt cœlitus coturnices demitterentur: non tamen id iam ex intentione Dei factum, quàm ex praua illorum libidine comparatum: pereant ergo in ipso ore, & putrescant, vt pateat, quanto fœdiùs in ventre corrumpendæ, si quandoque infeliciter deglutiantur. Drogo Host. ad illud Numer. 11. num. 33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum*, &c. sic scribit lib. de sacr. Dom. Pass. *Vbi sunt*, inquit, *coturnices? vbi carnes exsiccatæ? certè putruerunt in dentibus edentium: si in dentibus putruerunt, quanto*

magis

magis in ventribus. vt semper voluptatem citissimè penitè intelligas, & quot durat momenta, tot sordioris sumere corruptionis incrementa.

1014. *Gula voluptas breuis, prius perit, quàm appareat.*

Summum autem est illud in hac re, si hoc potandum venenum, hæc absorbenda voluptas tam breui auolet, vt prius euanuisse videatur, quàm accedere. hinc illud Ioëlis: *expergiscimini ebrij, & flete; & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine*, c. 1. num. 5. pende verborum tenorem: loquitur Propheta ad illos, qui voluptuosæ gulæ actu indulgebant: intendere videtur minas instantis iam supplicij: ergo, *peribit hac voluptas ab ore vestro*, additurus videbatur: aut si magnam pœnæ celeritatem exaggerare affectabat, ac si quæ instabat, iam præsens exprimeretur: diceret saltem, *perit ab ore*; audi tamen quid subdat: *quoniam perijt ab ore vestro.* quasi hoc maximè fletibus & vlulatibus, sit peccatoribus prosequendum, quòd cum illis voluptatibus vera virtutis studia commutent, de quibus numquam de præsenti possit esse sermo; quia sic volatiles, vt etiam quo instanti durant, iam sint quasi præteritæ reputandæ. Stephanus Cantuar. citatus, ad hunc locum, licèt vni gulæ attribuat. *Signantius dixit, perijt, quàm dixisset, perit, vel peribit; quia adeò est instantanea delectatio gulæ, vt potius dicenda sit præterita, quàm futura, vel duratura, licèt sit in præsenti.* In hac autem voluptate, reliquas omnes intellectas voluit Propheta de more Scripturæ, quæ vini dulcedinem pro omni deliciarum genere vsurpat: vnde omnes etiam dum sunt, imò priusquam veniant, præteritæ intelliguntur.

1015. Sed cape pro hac re pulchrum exemplar, quo fortasse non aliud signatius vsquam legi. Vitæ, id est, vt aliqui volunt, felicitatis suæ priscæ velocitatem, voluptatisque & gloriæ breuitatem descripturus sanctus Iob, sic habet cap. 7. num. 6. *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* in Sixtianis legitur, *exilior est quàm loquela vita mea*; quia sicut sermo tandiu est, quandiu profertur, nec consistit vsquam, nec poteris efficere vt simul duo verba proferantur, imò nec duæ eiusdem verbi syllabæ: sed necessariò vna post aliam proferenda, ita vt necessariò verbum cùm perficitur, cùm totum esse dicitur, maiori sui parte iam transierit, & penè totum desierit; sic vitæ voluptas, mera est volubilitas. D. Chrysost. ibi in catena Græca: *Ad fluxam*, inquit, *vitæ conditionem potest pertinere, quæ minimè consistat, sed quadam quasi locutia dilabatur, & euanescat.* Prudenter ergo Seneca de vita beata cap. 7. *Voluptas*, inquit, *tunc cùm maximè delectat, extinguitur: nec multum loci habet, ita quo citò implet, & tadio est, & post primum impetum marcet: nec id vnquam certum est, cuius in motu natura est: ita nec potest quidem vlla eius esse substantia, quod venit transitue celerrimè, in ipso vsu sui periturum: eò enim peruenit, vbi desinat, & dum incipit, spectat ad finem.* Huc vsque explicatio ad rem nostram, clara nec iniucunda procedit. illud obscurum, quod ipse Chrysostomus ibi, & Olympiodorus vertunt ἐλαφρότερος δρομέως: *velocior cursore vita mea.* Quid enim in cursore magnum ad hanc rem? quanto velocior aquila alarum remigio præpeti in ictu oculi vastissimam aëris nauigans regionem? taceo præcipitata flumina per caua vallium, naues (nantes aues) maria peruolantes: quanto rapidius fulmen volatus pompa, velocitatis superbia? Quid ergo in cursore, qui dictis comparatus testudo incedit: vt per summam hyperbolem velocissimæ voluptatis gerat symbolum? Iam dicam. Vidisti tu aliquando in stadio cursorem *Pirre nae in Cantica.* cellis carceribus iam iam erupturum, qui vt vehementiores capiat spiritus, feruentiùs cursui insiliat: resilit retrorsum paululum, & ante videtur stadio abesse, quàm adesse: prius deponitur, quàm apponatur? Vidisti ergo puram & putam indolem voluptatis & gloriæ: prius fugit, quàm veniat: non dum prodijt, cùm iam perijt. D. Chrysost. ibidem. *Illud*, inquit, *velocior cursore hanc commodam habet explicationem: vt enim cursores prius quàm insistunt, resiliunt: sic & gloria, non ante accessit, quàm auolauit.* perbellè.

§. II.

Infaustiores voluptatum exitus.

1016. Vidimus infaustos, & perbreues plorauimus voluptatum flores: videamus nunc infaustos earum fines, tristes exitus, & breuissimis gaudij terminis, interminabiles doloris metas respondentes, vt quos dulcis veneni infausta breuitas tenet adhuc, saltem finis miseria deterreat: quid enim de his floribus in terra nostra apparentibus, dum arescunt, dum decidunt, & terræ commiscentur: nisi aut putridum stercus, aut ventorum ludibrium pulueris instar fieri consueuit? hic certè, aut similis, aut peior adhuc finis, omni voluptatum generi reseruatur. Vnde D. Paulinus, de Syrenis, siue voluptatibus locutus, epist. 36. *Has oportet*, inquit, *vltra Vlyssis astutiam canti, non auribus tantùm, sed oculis obseratis, & animo quasi nauigio prætervolante fugiamus: ne sollicitati delectatione lethifera in criminum saxa rapiamur, & scopulo mortis affixi naufragium salutis obeamus.* redeamus ad escas illas infaustas, de quibus superiori tit. diximus.

1017. Nauseantes cælestis voluptatis edulia, manè diuinitus missum remittentes, carnes suspirauerunt Hebræi in deserto, terrenis scilicet voluptatibus inhiantes: indulget Deus iniustæ illorum pariter libidini, & suæ iustæ vindictæ: *Ventus autem*, inquit textus, *egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum: volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram*, Numer. 11. num. 31. Sed cur, quæso, coturnices potius, quàm aues aliæ? si litteram quæris, quia humilis semper volatus coturnicum, vt facilè caperentur: discis experientiâ, disce ex Plinio lib. 10. cap. 23. *Coturnices ante etiam semper adueniunt, quàm grues: parua auis, & cùm ad nos venit, terrestris potius, quàm sublimis.* Si mores vis formatos, quia voluptates nesciunt puro spiritus flatui adspirare, respirare æternitatem, [illegible] terrenæ, fragiles infeliciter expirant. [illegible] Ostiensis lib. sæpe citato: *Nepluas*, inquit, [illegible] *Domine, desideria carnis nostra, qua* [illegible] *cubitis leuantur a terra, quia non attingi*[illegible] *Spiritus sancti.* Solus hic spiritus purus, hic [illegible]us fauus: voluptates cùm eius halitu non adolent, necessariò instabiles, & misere perituræ. [illegible] hoc satis.

1018. Audi qualis Dauid eamdem rem describat: *transtulit Austrum de cælo, & induxit in virtute* [illegible] *Africum, & pluit super eos tamquam puluerem ca*[illegible] *& sicut arenam maris volatilia pennata*, Psalm. 77. num. 26. etiam pro littera intelligendo, cape obiter Plinium citatum: *Aduolant*, inquit, *& non simili modo non sine periculo nauigantium cùm appropinquanere terris, quippe velis sæpe insidunt, & hoc semper noctu, merguntque nauigia: iter est his per hospitia certa: Austro non volant, humido scilicet, & grauiore vento:*

aurâ tamen vehi volunt, propter pondus corporum, viresque paruas: hinc volantium illa conquestio labore expressa: Aquilone verò maximè volant ortygometra duce. Non negat Plinius volare coturnices etiam Africo, licèt Aquilonis præponat ariditatem: at certum est Austrum coturnicibus esse inimicum. Signatius hoc ad mores, inquam ego: diuinus enim Auster turpibus magis infensus voluptatibus: nonit iste virtutum hortum perflare, *Cant.* 4. *num.* 16. vnde fugatur & expellitur Aquilo, quo voluptates sordidæ volitant impelluntur. noctu veniunt coturnices, & mergunt nauigia, & voluptates deficiente diuinâ luce nauigantes animas ad exitium lamentabile, & miserum naufragium deducunt: mirum est mirum, grauissimo sunt corpore & viribus exiguis coturnices, quia voluptas ex se fragilis & imbellis animam grauat, efficit terrenam: meritò ergo Propheta loco adducto, illas arenæ maris, quæ est grauissima, comparauit: de quo grauiter citatus Drogo: *Sicut arena*, inquit, *maris volatilia pennata, gaudet edacitas, pennulas mouet, sed mox in arenam maris conuertitur: gaudet luxuria, paululum volitat, sed mox in arenam maris transit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit: modicum leuant infelicem animam, sed mox aggrauant in arenam.* O miseriam! volatilis & pennata est voluptas, vt citò fugiat, & tamen arena est, vt grauet dū durat; nec quæuis arena, sed marina, sed immixta salsugini, quia tandem amaritudinem importat.

1019\. Concludit tandem Plinius queri volantes coturnices, gemituque laborem exprimere: credo ideo symbolum voluptatis, quia hæc semper, vt diximus, in volatu, semper secum dolorem & gemitum asportat: bene ergo addit Propheta, missas *tamquam puluerem carnes*, quia carnis voluptas, carnea & volans, & in puluerem redigenda: *ne pluat super nos*, addit Drogo, *sicut puluerem carnes; quia caro puluis est, & in puluerem deducit: omne quod intrat in os in ventrem vadit, & in secessum immittitur, talis est omnium voluptatum carnalium finis.* Miser voluptatis finis, misertimus voluptuosi: illa definit in stercus, vt ille à proposito non desinens, in stercore suo computrescat, & iumentorum instar *Ioel* 1. *num.* 17. destinati ad crocea, stercora amplexentur. habes in volatu fugam, in puluere corruptionem, grauedinem in arena, & in arena marina amaritudinem, & concupiscis adhuc, insanus hos amplexus! Audi vlteriùs quales sint.

§. III.

Voluptas Ægyptius Philata: sors abiectissima.

1020\. IN[illegible] Seneca *epist*: 51. Lucillum suum, sic habe[illegible] *præcipuè exturba, & inuisissimas habe latr[illegible]re, quos Philatas Ægyptij vocant, in hoc nos a[illegible]ur, vt strangulent.* Erant perfidi isti latron[illegible]omine ipso fallaciam protestantes, nam cùm ab amore dicerentur, ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, bo[illegible] infensissimi, hospites seductos in amplexu [illegible]abant. haud aliter voluptates. nuntiauerat [illegible]eph Pharaoni suo, quam parentem fratresque [illegible]peteret eò adducere: *Dixitque ad Ioseph*, inquit textus, *vt imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta [illegible] in terram Chanaam, & tollite inde patrem [illegible]strum, & cognationem, & venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ*, Genes. 45. num. 17. post tam ampla, tam generalia promissa, si quid particulare statim depræsenti dandum foret, tale futurum esse videbatur, in cuius excellentiâ & magnitudine, tamquam in manifesto & certo pignore, promissorum data fides splenderet. Vide tamen quid addat: *præcipe etiam, vt tollant plaustra de terra Ægypti ad subuectionem paruulorum, & coniugum.* At cur, inquis, tantâ curâ, tam anxiâ sollicitudine currus tantummodo mittendos contendit Pharao? respondet D. Cyrillus Ierosolymitanus lib. de adorat. in spir. & verit. *Ægyptiorum dux quietem, & delitias illis promisit, & currus insuper addidit, vt demulceret eos, opinor quibus descendere graue erat.* & cur graue dixerim ego, descendere in Ægyptum? veniebant pedes illi imperatam prouinciam calcaturi, &, si fas dicere, super solium gloriæ, super Ægyptij diadematis splendorem collocandi: quid ergo non properant? cur plumbescerent potius, quàm plumescerent? nimirum, vt erant prudentes, timuerunt ne delitiæ & voluptates Ægyptiæ philatarum suorum instar eos opprimerent, ereptâ inter dulces amplexus libertate; & quàm non vanus timor! *At illi*, addit D. Cyrillus, *descenderunt cum tota domo suâ, & vbi in Ægyptum venerunt, posthac sperabant euasuros se laborem, quem domi pertulerant, præsertimque voluptatis sensus eis dulcis erat: verum tempore procedente, ignominiosum seruitutis iugum subijt, illa olim à patribus generosa & libera multitudo.* Verè Israël, philatam expertus est Ægyptiam voluptatem, ideo venit in amplexus, vt strangularetur, ideo tenebrosus princeps illi parat currus, vt demulsus, contra rationis iudicium veniret.

1021\. Ægyptios hos mores hauserat etiam priùs adultera Ægyptia, quæ in vetitos Iosephi amplexus irruebat: *Accidit*, inquit textus, &c. *vt illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret*, &c. Genes. 39. n. 11. ecquid hoc erat, nisi philatico more strangulantes amplexus, insidiosas machinas apparare? Bene D. Ambros. cap. 5. de Ioseph. *Non solùm*, inquit, *lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido: nec habet quod vereatur adultera, quæ dispendia pudoris prima non doluit, insidiatur vt capiat.* Sed si satis videbatur contaminatum iam impudico tactu pallium reliquisse, quid foras *fugit* Ioseph? an cogeretur ad turpitudinem à molli fœminâ iuuenis robustus? quid? an quia irruebat violenta, ideo valentior? minimè. Cur ergo fugâ, calumniæ probabili locum præbet? timuit ne vel leuissimè iterum ab impudica tangeretur: cuius idem erat captare amplexus, quàm collocare insidias, & opportunum tempus sub voluptatis titulo in domo solitariâ, sæuissimis vulneribus apprehendere. nimirum vibrarat iam tela, contorserat venenatas sagittas à longè oculorum coniectu: propiùs è petulanti lingua hastas miserat. potuit hæc illudere Ioseph, vt præuisos è longinquo ictus corporis declinatione facilè vitaremus: nunc autem quando omnino cominus, gladius in mollibus tactibus distringitur, ne occidatur, fugiat necesse est. Hugo de Folieto hic apud Tilman. *Solent*, inquit, *homines tribus generibus armorum vti ad offensionem: telis videlicet, hastâ, & gladio. longè positi vulnerantur telis, in illos, qui cuspide tangi nequeunt, vibratur hasta: cùm pugnant cominus, officium gladius implet.* & postquam de telis adulteræ oculos explicat, sermonem de hasta, sic concludit: *tenuit vxor Domini sui vestem Ioseph: hic est gladius quo confligitur cominus, mollis videlicet adulteræ tactus.* gladius, inquam, quo ne transuerberaretur puer, aufugit: aliàs infelicissima morte, philatæ amplexantis voluptates luiturus.

1022. Explicabis hinc aptiſſimè locum ex libro *Reg. 2. cap. 12.* rapuit Dauid Bethſabee, qua vt liberiùs frueretur, Vriam occidit. Deinde poſt thalamum, ad thronum etiam mulier euehitur: quis non exiſtimaret in tot delitiis collocatam, tot fruentem voluptatibus, tanta dignitate, honore regio decoram, dicendam feliciſſimam? Audi tamen Natham ad Dauid (poſtquam duorum virorum poſuit parabolam, quorum ditiſſimus alter, alter pauper, non tam quòd gregem numeraret, quàm quòd in ouicula vnica, totas delitias, diuitias totas, & ſpem gregis collocabat) de diuite dicentem: *cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe: tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini*, &c. *num. 4.* magis patheticè. Complut. ἐς ἔθυσεν αὐτὴν, *& tamquam victimam mactauit eam*. Sed videu', inquit aliquis, Propheta ſanctiſſime, quid loquaris? mactatam vocas fœminam, regno magis auctam? troncatam capite, diademate redimitam? infectam ſanguine, purpurâ radiantem? occumbentem in cibos, regalibus epulis accombentem? Vrias, Vrias coniux acerbas pœnas tulit occiſus. innocens agnus periit: at ſcelerata Bethſabee, ouis perfida adultero Regi deperitur. quid ergo hanc potiùs dicis interfectam? certè diuino ſpiritu videt, non tam occiſum Vriam, quàm perditam Bethſabee, & inter Dauidicos amplexus, honoris, famæ, iuris, animæ ſeuerim carnificem inueniſſe: acerbiſſimoſque voluptatis fines, concepti filij morte, Regis mariti perſecutionibus, totius populi diris ſubituram. Væ mi eræ oui! quemadmodum enim victima saginari ſolet, deluſa blandè paſcitur pleniori præſepio, duritiem ſtatim ferri receptura: ſic Bethſabee inter regales delitias, infamiæ & infelicitati parabatur. Apto huc verba D. Nili Parænesi 124. ad rem aliam. *Væ*, inquit, *delitias ſectanti, tempore enim exiguo, tamquam vitulus ad mactationem paratur*. Tales voluptatis fines quis non exhorteat? hunc philatam quis non timeat.

1023. Conglutinauit, vt loquitur Scriptura, animam ſuam Dinæ miſer Sichem, & vt voluptate, quam libauerat, diutiùs frueretur, diait puellæ fratribus: *Inueniam gratiam coram vobis, & quæcumque ſtatueritis dabo: augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem*, Geneſ. 34. num. 11. quàm plena affectus verba, tam vacua ratione: quid ſi ſummo dolore vulnerantem à te exigant circumciſionem infauſte Princeps? exigant, inquit, ſubibo, grauiori amoris vulnere iam confoſſus. Subiit: inuaditur ſubitò dolens, & inermis, & pariter cum vniuerſo populo occiditur. Heu quàm ille voluptatis æternitatem ſibi, reconciliatis iam, vt putabat, & ſponſioni annuentibus fratribus, à puellæ complexibus non ſperabat? & tamen gladium inuenit, vbi inueniendum gaudium præſumebat. D. Orientius Epiſcopus Illiberitanus in ſuo poëmatio monitorio.

Te Dinæ ſpecies nimio ſub amore ruentem
Extinxit Sichem cum Patre, cum patria:
Nam male compreſſam fratrum pia turba ſororem
Permittit thalamo, vindicat in gladio.

Quid enim aliud pulchra & voluptatibus inuitans ſpecies conciliaret? aut quid meliea guſtui Cupidinis tela, niſi occultum venenum inſtillarent? Prætereo Iſraëlitam principem in Moabitidis congreſſu ſica Phinees transfoſſum, *Numer. 25. num. 8.* mitto Sanſonem in gremio Dalilæ hoſtibus proditum, piſtrino tra[di]tum, *Iud. 16. num. 21*, nec memoro Amon in fo[r]mia amplexibus inuenta morte, voluptatis illicitæ pœnas dantem: qui omnes experti, quàm breues voluptates, quàm exitus illarum infelices: ob hos enim & his ſimiles dicitur in Prouerbiis de voluptatis, déque Cupidinis vino: *Ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet*, cap. 23. num. 35. de quo D. Laurent. Nouarien. *homil. de Eleemoſyna*, increpans voluptatem: *Deſine*, inquit, *ceſſa, conquieſce: noli mihi ſuadere vt errem, noli me ſubdere vt offendam: cur implicatum tenes & non permittis exſolui? noli me capere saporibus tuis, qui breui dulces, & poſtmodum ſemper amari: tales ſunt ſapores tui, qualia dormientium ſomnia, ſurrexerunt à ſomno, & obliti ſunt quæ viderunt: ſic tuus ſapor, ſic tua delectatio, in delictis parum iungit fauces, & poſtmodum vrit animam delectatio tua*. O te ipsâ ſomnia volatilia, ſed affectum omni ferro grauiorem, omni philatâ habentia duriorem!

1024. Ecquis abiectior ſeruitutis gradus poteſt excogitari, quàm ille, vbi ſic vilis putaris, vt nullo ſtipendio dignus, cibo tantùm viliſſimo tolereris? credat aliquis eſſe ſeruum, cui poſt laborioſiſſimam operam victus denegetur? Certè eſt, ſed is ſolus, qui elapſis voluptatibus ad has incitas prodigos redigitur. habent tamen latentem emphaſim verba illa, quibus id Lucas enarrat: *cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*, cap. 15. num. 16. Ecquem enim expectabat datorem ſiliquarum, qui potiùs porcis ſiliquas emittebat? cur quas parabat gregi ſordido, ſibi non aggregabat? quia qui mancipium fuerat voluptatum, eo vſque miſeriarum neceſſariò erat diuenturus, vt nec etiam cum beſtiis auderet de dignitate circa epulas decertare: viuebat ſolùm vt porcis ſeruiret: ſed trepidus, dominis à communi epulo, illum grunnitu repellentibus, præ reuerentiâ conniuere non audebat. tetigit rem Chryſol. acutè ſerm. 1. *Quàm crudele*, inquit, *miniſterium! quia neque conuiuit porcis, qui porcis viuit: miſer qui porcorum deficit, & eſurit in ſagluam: miſer qui ſqualentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem.* Sic qui vitam ſuam porcorum crudeli miniſterio ſeruos impendebat, victum à ſæuis dominis nec impetrabat, nec de miſerâ ſorte ſua ab inuitis tollere præſumebat.

1025. Dicarunt hanc peſtem, hos exitus exitiales voluptatis Protoparentes; ideo Philo Iudæus *lib. de opif. mun.* in ſerpente voluptatem allegorizans ſic ſcribit. *Continuò mercedem voluptatis habuerunt, qui primùm ſeſe in ſeruitutem dediderunt, moleſto huic morbo & inſanabili. mulier quidem vehementes dolores parturitionis, & in reliqua vita continuas triſtitias*, &c. & meritò hanc pœnam *mercedem* appellauit. nam inſtar mercedis ambitur anxiè, quod poſtea torquet ſæuiſſimè. hæc obiter de Eua à Dæmone ſeducta. Adam tamen non ab illo ſeductus, ſed reuera à voluptate: mille delitias ſperabat ab vxore deinde accepturum, ſi illi in frangendo præcepto (cuius pœnam terrori potius incutiendo, quàm rei ipſi exequendæ, impoſitam ſuſpicabatur) adblandiretur, ſemper hilariori eius vultu deinceps gauiſurum, quem non obnubilandum triſtitiâ de precibus ſpretis, affectabat: gaudens ergo & voluptuosè exultans capit pomum, & ſubitò miſeriâ capitur ingenti. Quid *ingenti* dicam? indicibili etiam, vt ita dixerim, ipſi Deo, dum humanis verbis vtitur illi exprimendæ. hinc illud: *vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei,*

Vbi es. Genes. 3. n. 9. de quo bene Alcuinus quæst. 71. *Non vtique, inquit, ignorando quæsiuit, sed increpando admonuit, vt attenderet vbi esset, & vnde cecidisset.* At vbi, inquit aliquis, miseriarum erat? cur illæ vlteriùs confundendo peccatori, clariùs non exprimuntur, non exponuntur seriatim? credo, quia nulla erant verba quæ id possent attingere. ecquæ sors infeliciot?

1026. Simile quid significatum voluit Christus Dominus, cùm resuscitaturus Lazarum, emphaticè ad fœminas sorores, *Vbi*, inquit, *posuistis eum?* Ioan. 11. num. 34. neque enim tam dubitat æterna sapientia de loco, quàm miseriam loci suggerit. D. Chrysol. serm. 64 *Cùm dicit*, inquit, *vbi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit: hoc est, quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum*, quia nimirum propinatâ voluptate, hominem antè felicissimum, miseriarum pelago fœmina immerserat, vt in ipsis humani generis incunabulis, iam acerbos exitus suos voluptas dedicaret, mœstissimis tropæis, titulis funestissimis erectis. Bene ergo Galfridus ad illud Prouerbiorum: *risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*, cap. 14. num. 13. sic scribit: *Cæterùm si in eiusmodi gaudij perniciosa commixtione perstiterit, luctus sane non mixtus, mixti occupabit extrema: vt cùm dixerit, pax & securitas, subitaneus illi superueniet nunquam effugiendus interitus.* Sic dum durat, doloribus permiscetur voluptas, luctibus lymphatur gaudium: dum perit, meras amaritudines, & nullo bono confinia extrema derelinquunt. hæc habui quæ in materiâ voluptatum nimis tritâ, darem minus tancida: plura infrà.

VERS. 14. Sonet vox tua in auribus meis.

§. I.

Cœlestium delitiarum fruitio, silentio conseruanda.

1027. Celebraturus Propheta in spiritu exitum Israëlis de Ægypto, promissiùnis felicitatem ingressuri, id est, animæ ab affectibus libertatem diuini sponsi thalamum ascensuræ, sic prorumpit: *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem*, Psalm. 64. num. 2. vbi satis nota est versio Vatabli ex Hebræo: *Tibi, ô Deus, silentium laus in Sion: tibi persoluetur votum*, quia nullus aptior hymnus cœlesti sponso gratiis agendis, quàm infantia, & diues de verborum inopia gratulatio: qua eo suauiùs Deo colloquimur, quo profundiùs hominibus reticemus. Hinc D. Augustinus ad hunc locum, ponderans titulum huius Psalmi esse, *Canticum populi exeuntis*; ad cœlestem nimirum patriam tendentis: quærit acutè, quomodo possit anima cantare in Sion beata, quæ adhuc Sionis felicitatem non est adepta? & respondet acutiùs, scilicet, sic adhuc viuentem ibi cantare, quomodo ibi est: vnde, cùm dum in sæculo viuit, in cœlo tantùm sit corde, non carne: tacente ore delitias prægustatas, mutico corde soli Deo psallit. Audiamus eumdem, loquitur de spe iusti. *Qui*, inquit, *secundùm hanc spem cantat, ibi cantat, Te decet hymnus Deus in Sion. in Sion, non in Babylone: sed modò ibi et adhuc in Babylone: ibi, inquit, sum amator ille, & ciuis ille, ibi sum, sed carne, non corde: cùm autem duo dixerim, quia ibi sum carne, non corde: vnde non canto ibi? non enim carne canto, sed corde. carnem quidem sonantem audiunt, & ciues Babylonia: cordis autem sonum audit conditor Ierusalem.* Nec verba solius carnis sine vllo spiritu, Deo audiuntur: nec spirituales cordis hymni, hominibus huius sæculi intelliguntur: ergo esto infans apud homines, vt fandi copiam inuenias apud Deum: si hominibus inaniter, internas communicaras tibi delitias effutis, deciperis planè: sed nec ipsi capiunt, quibus cœlestes hymni hæsitant, balbutiunt.

1028. Quàm prudentes illi, qui insultantibus barbaris, & hymnos, cantionumque verba exrorquere conantibus, respondetunt: *Quomodo cantabimus canticum nouum in terra aliena?* bene: qui enim, vt modò vidimus, in exitu Ægypti cordis hymnos Deo intonant: quomodo possent ad Babylonis ingressum (quæ Ægyptus altera) ipsos concinere? si fantur ob libertatem, quomodo in captiuitate non infantirent? & emphaticè *canticum Domini* appellatur: quasi propterea non sit infimis seruis apponendum: nec spiritus iubilationes, carnis habitatoribus propinandæ. D. Chrysost. ibi: *Cur*, inquit, *eis non permittebatur canere in alienâ? quoniam non oportebat aures profanas audire illa arcana.* & quid tunc si contendas canere? quid si resonet sacra musica in Babylone? certè non percipietur: terra aliena est: his plantis inepta est. Incognitus ibi, licèt rem ad infideles cum Augustino deducas: *Seminare*, inquit, *semen bonum in terra malâ, non fructificat: si enim in partibus illis velis seminare zinziber, vel piper, perdes labores, derisus eris: quia hæc est terra aliena ab illo semine.* Multo adhuc hoc verius in spiritus delitiis, dum carnalibus auribus communicantur, quibus quidem diuina lingua, planè barbara, nunquam intelligenda.

1029. Sed maius est periculum: non solùm non percipieris, sed deciperis etiam: non solùm ipsi non capiunt, sed & tu illaquearis: dumque mysticis delitiis nescis annectere taciturnitatem, admittis verba, sed gaudia amittis. Non vult Deus arcana hæc blandimenta tibi communicata, vt tu alienis auribus, (superiores excipio spirituales, quibus minima, & maxima propalanda) amicisque vt assolet, rogantibus illa insusurres: meritò enim subiungitur statim: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea*, num. 5. quasi idem habeatur cantare profanis, & blandimentorum cœlestium illis reuelatione adblandiri, ac ipsum, à quo accepisti, obliuisci: idemque sit in memoria semper patriam cœlestem, eiusque delitias retinere, ac illi secretum debitum custodire. D. August. hic licèt non solùm de mysticis ista capiat, pulchrè. *Vide, inquit, quomodo verseris inter eos, ô populo Dei, ô corpus Christi, ô generosa peregrinatio: non es hinc, aliunde es: ne cùm illi, qui tibi dicunt, cantate nobis verba canticorum, dicite nobis hymnum, cantate nobis de canticis Sion, quasi amamur à te, & affectas amicitias eorum, & times talibus displicere: incipiat te delectare Babylonia, & obliuiscaris Ierusalem.* Vellem ego has animas sic amoris, vt moris æmulas Ignatij Patriarchæ nostri, & tot illius filiorum, nuperrimique Ludouici de Ponte, qui tot diuinis reuelationibus illustrati, tot mysticis delitiis recreati: aliunde verò tot hominum commercia agitati, nullus ab illis, præterquam solidas virtutes, mortificationem, & abnegationem sui, audiuit vnquam. quid si sint fœminæ, quibus silentium longè difficilius, longè periculosior loquela? habent vnam Teresiam Hispaniæ lucem, Carmeli decus, quam Societas Iesu eodem hoc spiritu enutriuit. pergo.

Quàm tanto Societas in delitijs mysticis reticendis.

1030. Deinde hîc mihi pondera, non simpliciter hue dici,

dici, sed etiam cum iuramento affirmari: tamquam omni sit pondetis, ne Deum obliuiscaris, illiusque amittas gratiam, & blandimenta, horum, taciturnitatem non obliuisci; votum ergo iuistur tenacius, vt in re summè necessaria adimplendum. Grauiter idem D. August. *Passus est*, inquit, *vndique talia interrogantes, & adulatione blandientes, mordaciter reprehendentes, falsò laudantes, quod non capiunt exigentes, & quo pleni sunt fundere volentes, & inter turbas talium tamquam periclitans erexit animum ad recordationem Sion, & constrinxit se talis anima iuramento quodam.* Si interrogaris, periculum est: damnum, si loqueris: astringas te iuratus opus est, ne abiuratus à Deo dimittaris, qui in intima sui communicatione, nouam quandam cordis edocens loquelam, oris visus loquelam retardaru.

1031. *Deus fuit dum eloquentiam interuam docet, dedocet externam.*

Mittebat Dominus Moysem confundendo Pharaoni, Israeli redimendo, & post longas altercationes, quibus se excusauit, penè ad vltimum, hanc rationem, tamquam validissimum clypeum, contra diuinum impetium obiecit: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ego sum*, Exodi 4. num. 10. & cur, inquis, validissimum clypeum hanc putauit? quia arguebat, ad hominem quod vocant, ipsum Deum. q. d. dum per species quasdam indebitas naturæ, menti meæ te nunc communicas, vsum mihi verborum videris dedocere: vt qui Angelorum instar concipio, iam Angelorum linguæ, spreto verborum strepitu, assuescam: quomodo ergo acturum mittas cum hominibus, eum, qui postquam voces tuas didicit, penè dedidicit humanas? Pulchrè Philon in lib. *quod deter.* post multa ad hunc locum de Moyse: *Asseuerans*, inquit, *se non tantùm infacundum, sed prorsus mutum: non quemadmodum brutas animantes, mutas vocare solemus sed quia dedignatus per instrumenta vocis vti sonoro sermone, contentus est impressas animo habere imagines veræ sapientiæ, quæ est fallacis Sophisticæ aduersaria.* & quasi ratione hac, vt more nostro loquar, Dominus conuinceretur, licèt eloquentissimum Moysem posset reddere, vt dicitur *num.* 11. maluit illi interpretem Aaronem assignare: sic proprium commercio mystico verborum silentium, vt iam mihi suspecta illusionis videatur occulta illorum notitia, quæ vulgò non timet manifestari: neque enim videntur audisse veram linguam spiritus, qui carnis linguam omnino non dedignantur.

1032. Assumitur in diuinum colloquium Ieremias, & cœpit puer aliàs iam expeditus infantili quodam more balbutire. *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui*, cap. 1. num. 6. vbi mihi mira (quod minus aduertunt alij) versio illa, quæ in Sixtianis circumfertur. ὁ ὤν participium à verbo substantiuo, significans: *O tu qui verè & solum es*, vt denotetur gloriosus ille titulus, quo se Deus in Exodo appellauit ἐγώ εἰμι ὁ ὤν: *Ego sum qui sum*; etenim, quomodo qui supremum de Deo titulum cognoscebat, balbutiit imò, quomodo erit idem, *A, a, a.* trepidulè hæsitare: quam ὁ ὤν, sapientissimè pronuntiaret? certè, quia indidem loquitur apud Deum scientiam, vnde apud homines prolaturus balbutiem, eligebatur mittendus, & excusat se, summam sapientiam, sublimi prolato nomine ostendens; ac si dicat: qui dignatione tua eò dignitatis euehor, vt tecum alloquar, téque significantiori (si quod est vsquam) nomine appellem: non possum non apud homines hæsitare: illia *A, a, a*, dicam, qui tibi ὁ ὤν iam valeo intonare. quasi sit idem sapere inter mysticas delitias, quàm in verbis desipere erga homines: eò apud hos impeditior, quo expeditior apud Deum, cui in hoc negotio externa communicatio iniucunda omnino.

1033. Referebat aliquando sponsa sodalibus suis, quantum in quærendo Christo dilecto laboraret: *Quæsiui*, inquit, *illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis? paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, Cant. 3. num. 3. Sed siste gradum anima purissima; dum quæris dilectum, sine de custodibus istis querar ego, qui nihil ardentissimis votis tuis responderunt, & ingrato silentio pissimum postulatum exceperunt. Sed cur increpem, quos ipsa sponsa non accusat? quid ergo? nimirum hi custodes aut homines sancti, quibus proinde obuenienti forte animæ silentium non aperire, visum est iustum: aut Angeli, quorum illa sibi secreta vult reseruata, & nec etiam fidelissimis sodalibus, quæ mysticè de dilecto gaudens audierat, sentit commemoranda. Fauet hic Gilibert. serm. 6. *Dulce*, inquit, *puto susurrium, quod inter sponsam, custodesque versitur, & grata collatio: si tamen collatio, nulla enim illorum hic responsio memoratur: secreta valde est, si qua est, quam alto tegendam putat silentio: secretum suum sibi, secretum sibi: nec audemus hic aliquid inde conijcere, quod sponsa curauit reticere.* imò & ideò, dixerim ego, inuenit quem quærebat, quia talis erat ingenij, vt arcana cœli casto premenda silentio iudicaret.

1034. Ast neque mirum, si in his custodibus, animas Ecclesiæ perfectiores intelligas: sponsæ fortasse ignoræ, nihil de viso dilecto respondisse: audeo dicere, etiam si familiarissima foret, nihil de mystica reuelatione sibi factà responsuros, & ideo fortè de illis sponsa non queritur, quos scit ad normam veræ virtutis, & ad sponsi Christi voluptatem operatos. *Quæ habitas in hortis*, inquit Christus ad hanc ipsam sponsam: *amici auscultant te, fac me audire vocem tuam*, Cant. 8. num. 14. si ponit tamquam præmissas auiditatem amicorum auscultantium, legitima videbatur inferenda consequentia: *fac illos audire vocem tuam.* quorsum enim auscultaturi memorantur, nisi insipirata vocis dulcedine fruituri? suspirabant, credo, illi, rogabant sponsam aliqua propalaret: sed propterea tunc maximè, sibi vni inspirandam suauitatem colloquij cauens præmonebat sponsus? vt vox etiam amicis auscultabundis denegata, alienis æternam silentij non rumpendi, arcani non propalandi sententiam intimaret.

1035. Vt ergo iam veniamus ad id, cuius caussa hæc omnia dicta volui, hoc sibi vult Christus in præsenti loco: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quàm rara zelotypia! eâdem lege facies alijs exhibenda, & edenda vox interdicitur, ac si non minor sit labes pudoris faciem alijs comere, quàm vocem commodare. Adhuc tamen ly *in auribus meis*, aliquid sonare maius mihi existimatur. quasi dicat Christus, loquere tantum mihi, sed id in aurem, sed secretò, sed dulci murmure vox insonet: non clames, nec quouis modo vocem extollas, ne aëris eandem transmissuri corripiat zelotypia: fauet versio quæ hic apud Ambrosium circumfertur: *insinua mihi vocem tuam.* quis enim ita naris obesæ, qui in verbo *insinuandi* latentem, & occultam, & penè furtiuam vocis conditionem non subodoretur? tam profundo silentio commercium suum peragi Christus imperat.

Virtus

§. II.

Virtus quo apud Deum profusior, eo sibi de humilitate confusior.

1036. SEd adhuc versiculo 14. aliud ponderandum: vides enim gratissimam sponso columbam tam impensè laudatam, cuius vox, vt dixi, cuius facies auidissimè ab ipso captabantur: cauernis nihilominus inclusam, septam macerià. nimirum vix audebat comparere, & quo profusior de amore Deo seruiebat, eo sibi de humilitate confusior delitebat, scilicet id de innata semper Iustis consuetudine. Dormiebat Iacob corpori, vigilans mysteriis, & ecce tibi, *Vidit*, inquit textus, *in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*, Genes. 28. num. 12. emissa tunc primum scala, vtramque cœli, terræque curiam quasi apposito ponte coniungebat: præbebat Angelis è cœlo descensum, vt postea cum hominibus ascenderent: quid est ergo, quod priùs dicuntur Angeli ascendere, quàm descendere, quasi magis è terra irent, quàm venirent è cœlo? visus respondere sibi Galfridus apud Tilman. *Gradus*, inquit, *scalæ, profectus vitæ: ascendunt per eos Angeli, & descendunt: dum sectatores angelicæ puritatis, & æmulatores societatis eorum quanto magis proficiunt, tanto humiliores existunt.* vt iam ascensus iste de mysterio, secum necessariò humilitatis descensum ferre intelligatur: vt qui ascendere altiùs ad cœlum videatur, profundiùs postea descendere ad terram humilitatis suæ videantur: quod vt docerent Angeli (aliâ credo viâ illuc venientes) priùs dicuntur ascendere, vt iam in vertice collocati, humilitatis descensum insinuarent.

1037. Iam verò in hoc loco terra illa promittitur Patriarchæ, in cuius semine omnes generationes benedicendæ prædicantur, omnes felicitatodæ prædicantur; & quod caput est: *Ego*, inquit Deus, *ero custos tuus, & reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi compleuero omnia quæ dixi*, ibidem num. 15. Quid vnquam ad securitatem robustius, quid ad fiduciam firmius Iacob audire poterat? Audi tamen quid in illius reditu enarretur: *Reuersi*, inquit textus, *sunt nuntij ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum, cum quadringentis viris: timuit Iacob valde, & perterritus diuisit populum*, &c. *cap.* 32. *num.* 7. Sanctissime Iacob, si Deus pro te, quis contra te? pugnet cuiusuis manus, certè non expugnaberis: nequit tantum præsidium labefactari: ipse te reducet, ingredieris terram absque dubio etiam inuito fratre, orbe contrà stante: quid ergo trepidas, quid terreris? Lyranus ibi: *Habitaueras*, inquit, *cum Laban idololatra diu, ex cuius cohabitatione poteras aliquam offensam incurrisse, & ideo timebas, quia tales diuinæ promissiones communiter intelligendæ sunt sub conditione.* Ad apicem sanctitatis euaserat, qui sic cum Deo agebat familiariter, vt eum dum it habeat conuiatorem, & pariter vt redeat consiliarium, *cap.* 31. *num.* 2. & tamen nullius noxæ conscius adhuc trepidat: de leuissima culpæ suspicione, timet diuinam repulsam, quia nescit tanta virtus, siue humilitate tanta reperiri.

1038. Didicerat ab auo suo Abraham: quid enim altius, quid sublimius de diuinà familiaritate poterat comprehendi, quàm Deum hospitio excipere, appropinquare eunti, colloquia longa miscere, & multa illaque maxima inter loquendum impetrare? & tamen in vltima sermonis periodo: *Loquar*, inquit, *ad Dominum, cùm sim puluis & cinis*, Genes. 18. num. 27. nusquam credo humilior Abraham, quia nusquam fuerat altior: sic quo illi Deus largior in donando, eo ipse sibi confusior in accipiendo. Olympiodorus in catena Græca Iob ad cap. 42. *Quænam sit*, inquit, *sanctorum hominum ratio agnosce, quemadmodum cum maioribus ipsi honoribus, amplioribusque ornamentis cumulantur, de se tamen modestiùs sentiant, & loquantur: ita Abraham, postquam Dominum vidit, dixit: Ego sum puluis & cinis.* ita est: numquam perspicacior humilitas abiectæ humilitati contemplandæ, quàm dum natura, altior dotibus gratiæ suspenditur.

1039. Lamentatur sanctus Iob miserias suas, enarrat calamitates, ex ipsis verbis solatium si forte capturus. Sed quibus enarrat? certè paucis qui ibi consederunt, ipse enim vrbem reliquerat, *sedens in sterquilinio*, cap. 1. num. 8. quasi si sibi relinqueretur, mutis truncis, volantibus ventis, feris non responsuris verba daturus; & cur dicat aliquis, qui conuiuiorum turbâ aliquid poterat leuaminis sperare, ciues fugit, euitat societatem? respondet Apollonius in catena Græca: *Erat*, inquit, *in eo morbo Iobus, neque casus illos tentationes esse, sed supplicia constituta diuinitus arbitrabatur. idcirco à vulgi communione abstractus, cùm inuisum se cunctis esse crederet, solitudinem delegit: in sterquilinio, quod in conspectu vrbis erat, considebat, Deumque exorabat, ob ea fortasse, quæ per inscitiam peccarat: cupiebatque sibi vindicem in his sordibus iacenti fore propitium.* hæc est vera humilitas: irreprehensibilem à Deo dici, & se conuictum scelere pertimere. O quantum est ipsas tentationes, (quæ innocenti cordi patientissimè toleratæ, ipsum ad summum sanctitatis gradum euehebant) supplicia peccatis condigna reputare! sed tamen non poterat aliter euenire illi, qui in tantam deuenerat sanctitatem.

1040. Seraphini illi, qui Deo assistebant, typum iustorum gessisse voluit Galfridus ad *cap.* 6. *Isai.* illorum scilicet, qui in hac vita, clarissimo quantum mortalitas patitur, contemplationis genere perfruuntur, & tamen sedulò alis sibi oculos obuelabant: *Duabus*, inquit, *velabant faciem eius*, Isai. 6. num. 2. in Hebræo, *faciem suam.* Sed cur velant? vt quando magis vident, tunc maiorem protestentur cæcitatem, & in summo honore constituti appareant humiliores. Galfridus ibi post multa, etiam in velata Dei facie idem mysterium acutiùs agnouit: *An magis*, inquit, *velant faciem, dum sibi velatam esse agnoscunt, & non valent vt optant videre interim reuelatam?* vtcumque sit, ipsi se traducunt, & produnt: pudeat incipientes alios, imò insipientes cæcitatem suam protestari. perfecti, tunc verè sapiunt cùm illam protestantur & dum alta vident, vident sibi deesse altiora: dum cognoscunt profundiùs, profundiora ignorare, non ignorant: vnde tunc maximè perspicacissimos quos habent Rachelis oculos, magis quàm Liæ lippos de defectuum suorum nebulis agnoscunt.

1041. Optimum huiusce rei testimonium Moyses præbuit, tunc magis fœditatis suæ conscius, cùm cœlis decorior videbatur. Nihil quidem potentius esse potuit, nihil de robore charitatis violentius, quàm sic Deum reprimere, vt valeas de armatâ iam dexterâ, sitientem vindictas gladium extorquere: fecerat id iam legislator, *Exodi* 32. *num.* 14. & tamen diuinæ iræ reliquias suis præcauens, addit num. 31. *Obsecro Domine, peccauit populus iste*

peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos : aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. putares creuiſſe paululum tumorem de amicitia, déque Domino humanis precibus facillimo, auſum Moyſem minas quodammodo illi intentare : certè enim ſpeciem minarum viſa verba gerere : ſi illos reſpuis amicos meos, & me pariter poteris reſpuere: nolo te amicum, ſi meis fueris inimicus. Sed abſit hoc nefas à ſancto viro : non ſolùm de ſuperbiâ non tumidior, quin potiùs nunquam de humilitate timidior viſus eſt. cùm maiores à Deo capit gratias, tunc maiores defectus ſuos proteſtatur, indeque ad populi peccantis veniam facit argumentum; eius vim aperit hîc Rupertus: *Dimitte*, inquit, *illis, aut dele me. quare? videlicet, quia homo peccator ſum : ſi enim non eſt apud te propitiatio, ſi iudicium apud te eſt ſine miſericordia, conſequitur vt me de libro tuo deleas.* ac ſi diceret : qui ergo mihi grauius delinquenti ſæpiùs pepercisti, cur leuius offendenti populo non parces? tunc humilis ſe fatetur reum, cùm rei diuinæ diſpenſator aſſumitur, cùm vberiores virtutum poſſidet theſauros.

1042. Quæritabat ſponſa tota anxia dilectum ſuum, incidit in vigiles, quæ ſemper illorum Domino aduigilarat : *Nunquid*, inquit, *quem diligit anima mea vidiſtis?* Cant. 3. num. 3. Sed hem! quæris tu, neque iuuenis deliciarum apex, amorum ſphæra, curarum centrum, diuinæ voluptatis domicilium, ſponſa ſcilicet; & quomodo aliis, qui tantummodo ſerui ad nuntia ferenda, & ad inferendam cuſtodiam conducti famuli, te deſerens comparebit? reſpondere videtur Gilibertus ſerm. 6. *Vides*, inquit, *illam non tam fatigatam, quàm exercitatam ſtudijs ſpiritualibus? intellexiſti pertinaciam eius in quærendo dilectum? Vide nunc humilem prudentiam : neſcit cuſtodes contemnere; nec enim tutum arbitratur inconſultos præterire, quos ſcit dominici & conſcios ſecreti, & nuntios mandati.* quid humilius? ſeruis conſedendum putat, quod ſibi plorat denegatum: perſpicaciores in eis oculos non ſuppudet exiſtimare, quæ in virtutum cumulo conſtituta, oculos ſuos tantùm in ponderandis propriis defectibus impendebat.

1043. Eodem affectu poſtea (inter quærendum dirè vulneratis) accurrentibus fortè ſodalibus : *Adiuro*, inquit, *vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, Cant. 5. n. 8. pende verba, *amore langueo*, id eſt, deliquium patitur charitatis, id eſt, ſupremæ, reginæque virtutis, ſupremum attingit gradum, & tamen interim plura aliis defert humilis, quàm ſibi aſſumit arrogans. Gilibertus ſerm. 46. *Adiuratio*, inquit, *vehementiam precandi manifeſtat : anxia vota ſuis neſciunt eſſe contenta meritis, ideo aliena precis mendicant ſuffragia : perfecta humilitas, de meritis ſemper alienis præſumit.* graphice. En de humilitate orat ſodales, quæ de excellentiâ, ab ipſis penè adoratur : rogat ſuffragia, quæ munera irrogat, quia non frueretur ſponſæ prærogatiuis, quæ ſodalium rogatiuis indige e humilis non putaret.

1044. Sed quid? quò ſpectat conditio illa, primo ſtatim aſpectu (dum ſub dubio tendit) minus decora? non dixit, *cùm inueneritis* : ſed, *ſi inueneritis*. an quia ipſa non inuenit, dubitat an ſit aliis inueniendus Christus? at id iam tumidum. an ipſius culpâ, ſodalibus etiam putat obuelandum dilectum? hoc nimis timidum. an de ſodalium diligentia, piâque ſibi præſtanda cura hæſitat? hoc impiè ſuſpicioſum. cur ergo quod pro certo ſupponere debebat, ſub dubia propoſuit conditione? ne ſodalium ſcilicet offendere humilitatem videretur. huc vſque grauis, nunc grauiſſimus idem Gilibertus ſerm. proximè citato. *Conditio*, inquit, *iſta non dubitantis eſt, ſed cum temperamento rogantis. ac ſi diceret : Si inueneritis, hoc eſt, cùm inueneritis : conditionaliter ſuſpendo, non ambigens de inuentione veſtra, ſed magis conſulens verecundiæ. nam ſub conditione ancipiti hoc vobis dici temperantius auditis, quàm ſi dicatur præciſè, cùm inueneritis. non veretur ne ſuſpenſiuam rogationem, ad iniuriam trahant : nouit verecundiam filiarum Ieruſalem, nouit humilem ſpiritum, & quòd tenerent pudorem.* nimirum ſodales iſtæ iam proficientes ad ſponſalem gloriam anhelabant. hæc autem gloria, hic tantus decor de humilitatis rubore vermiculatur.

Capite nobis vulpes paruulas. VERS. 15.

§. I.

Deus auertendis homini culpæ occaſionibus, excubans incumbit.

1045. QVàm ſollicitus ſponſus, quàm ſedulus amator, Paſtor Salomon : inuitabat ad hortos ſponſam, & ne quid ibi, quo perturbaretur, inueniret, vulpes imperat amouendas : ideo figura dulciſſimi Saluatoris noſtri Dei, qui ſedulus præoccupat occaſiones, quibus anima ad culpam turbari poſſet, vt illis ſublatis, in virtutis quiete degat placidiùs. hinc illud Cant. 1. num. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* quod L X X. ſic vertunt : *ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς ἀδελφιδός μου : ἀνὰ μέσον τῶν μαστῶν μου αὐλισθήσεται. Faſciculus ſtactis fratuelis meus, in medio uberum meorum caſtra metabitur.* vel, *in ſtatione perſtabit*. Verbum enim *αὐλίζομαι*, licèt abſolutè ſignificet *commorari*, tamen frequenter etiam apud bonos auctores militare aliquid ſonat, idemque eſt atque *caſtrametor, caſtra loco, in ſtatione perſto*, quod ab interpretibus non video obſeruatum : adde has bellicas ſtationes, non ſolùm diurnas videri intelligendas, ſed etiam nocturnas, quod, ni fallor, Hebræa voluit ſignificare, vbi legitur *pernoctabit* : fortaſſe vt excubias nocturnas explicaret. quemadmodum ergo miles in ſtatione interdiu perſtans, vigilans noctu, omnes patefacit ingruentium hoſtium inſidias, omnibus periculi occaſionibus euitandis : ſic Christus Dominus, per inhabitationem cordi infixus, ibi quaſi in ſtatione nos cuſtodit, & occaſiones culpæ è longè proſpiciens auertit.

1046. Et quàm id ab initio, quâ Deus produxit Dominos, tamquam rerum cæterarum protopatentes, in principio cœlum & terram : ſed illos quidem informes, nudos, inuenuſtos : tandem poſtea, *& ait*, inquit textus, *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus ſuum*, Geneſ. 1. num. 11. tertia die terra variegatur, & depingitur prior : cœlum verò ſpecie nobilius, naturâ excellentius fœdum relinquitur, & incomptum ad quartam vſque diem perſeuerat. quæris cauſſam? dedit multis, ſed pulchrè Philo Iudæus *lib. de opif. mun.* ad rem noſtram : ne graueris legens, dum tibi non grauor etiam tranſcribens. *Quarto*, inquit, *die cœlum picturis exornauit; non quòd terra id poſthaberet, dans inferiori naturæ priuilegium, potiorem verè ac diuiniorem ſecundo loco ponens : ſed vt euidentiſſimè imperij ſui potentiam* oſtende-

ostenderet, quippe qui peruidens opiniones nondum creatorum hominum, coniecturas verisimiles & credibiles libenter sequentium, qua multam quidem speciem rationis habent, non item syncerum veritatem, & quod suis oculis magis crediturі essent, quam Deo, admiratores sophistica potius, quam sapientia: quodque Solis ac Lunæ cursibus, tum æstiuis hybernis vernis autumnalibusue mutationibus, annuorum terra prouentuum, omniumque nascentium caussas, acceptum laturi essent siderum cælestium motibus: ne cui creatura adscribere primas auderent, siue per imprudentiam, siue per ignorantiam nimiam: recurrant, inquit, mentibus ad primam huius vniuersitatis generationem, meminerintque ante Solem & Lunam, omnigenas stirpes, omnigenosque fructus è terra prodiîsse: atque ita sibi persuadeant & in posterum eam prolaturam eos, ex cælestis patris arbitrio quoties ei placuerit, non expectato cæli fauore: cui dedit potentiam, sed non liberam. peccaret quidem homo si cœlo astrorum virtutibus roborato, si astris ipsis liberam omnino in terras tribueret potentiam, & quidem esset aliquis, qui obstinatus sic fieri contenderet: cui tamen occasio tam perfidi, tam ingrati ethnicismi præciditur, dum terram in principio, fine cœli influxu fertilem agnoscit.

1047. Et sanè, cùm omnia Dei opera, præcipuè diuinæ gloriæ ostentandæ, deinde secundariò ministrandæ hominum villitati sint producta: quis non addubitet, cur in productione cœlestium luminarium, tacito primario, & nobiliori, secundarius tantum & ignobilior finis exprimatur? *fecitque Deus*, narrat Scriptura, *duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas*, &c. certè nobilissimæ & splendidissimæ creaturæ istæ plusquàm cæteræ omnes insensibiles in pompam diuinæ gloriæ producuntur, quam pulchriùs repræsentant: cur ergo id subticetur? præcidendæ scilicet peccati occasioni: optimè Lyranus ibi, *Considerandum*, inquit, *est quòd luminaria cœli, sunt facta principaliter propter gloriam Dei: tamen facta sunt consequenter propter vtilitatem hominum: verumtamen, quia populus Iudaicus erat pronus ad idololatriam, ideo Moyses vt reuocaret illum à cultu luminarium, tetigit tantùm secundam caussam.* vix audirent Iudæi in astris apparere Dei gloriam, cùm astris ipsis ipsissimam Dei gloriam attribuerent: discant ergo solùm, esse sibi mancipia, vt seruilis illorum conditio, (licèt interim quodammodo, diuinæ gloriæ splendor videatur taciturnitate obnubilari) his occasionem adimat peccandi. de quo clariùs *Deuter*. 4. *num*. 19.

Deus gloriam suam de vtilitate nostra visus dissimulare.

1048. Ne autem ab stellarum seruitute, ad alia eiusdem incipientis orbis occasionum prauarum auerruncamenta transeamus, quin priùs de eisdem perficiamus; pondera stellam illam, quæ Magos duxit *Matth*. 2. *num*. 2. antecedebat quidem eos, & tamquam cælestis facifer, nocturnas in medio die, ignotatæ viæ tenebras propellebat, *num*. 9. stantibus adstabat: itineri iterum accinctis, concingebatur: viatorum nutui obediens, tantùm viæ ducatum exhibebat. caussam aperit Chrysol. postquam elegantes obsequia huius sideris apud Magos, contestator: *Sic semit Magos, inquit, vt quibus viandi par conditio est, par sit necessitas seruiendi, & stellam iam non Deum credit, sed indicat esse conseruam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam.* nimirum gentes olim sidera colebant, in quibus delusæ præcipua diuinitatis numina agnoscebant: mancipatur ergo stella humano obsequio, vt peccandi vlterius occasio euertatur.

1049. Redeamus nunc ad Genesim, & consideremus hominem protoplastum, qui dominandis astris, atque cœlo producitur imperando: quis huius corpus non crederet è potiori cœli parte, è defœcatiori Solis massa producendum? & tamen è viliori terra, è putrescenti limo conformatur: *formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, Genes. 2. num. 7. Papæ! quàm vile plumbum pretiosissimæ gemmæ, excipiendæ apparatur, & non reclamet anima, imagò diuinitatis viua, indignum tantæ dignitatis hospitium fabricatum? non doleat ingentes diuinæ dignationis diuitias corruptibili in arce quodammodo strangulatas magis, quàm custoditas? certè non reclamabit, si sapit: ni desipit, non dolebit: scit se ibi securiorem, scit de adhibito socio limo tomentes sibi spiritus repressos, & iniustæ superbiæ euersam occasionem. Pulcherrimè Theodotus Episcopus Ancyranus in Concilio Ephesino homil. de Natiu. *Cur*, inquit, *quem tanto ornatu decoraturus erat, ex substantia adeò abiectâ composuit? cur materiâ ex Solis splendore sumptâ hominem non condidit? pertinebat itaque & hoc quoque ad creationis benignitatem, vt natura qua Dei imagine decoranda erat, vnde vtique magnam superciliy occasionem concipere poterat, formaretur è terra.* Benignitas igitur est creatoris, quod creaturæ fortè putaretur iniuria: qui superbienti animæ retundit occasionem, & humilis soliditate terræ fundat virtutem.

1050. Puniturus Deus teterrimum eiusdem naturæ humanæ deceptorem, serpentem: *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius*, Genes. 3. num. 15. vbi D. Thomas post multa: *Dici potest*, inquit, *quòd mulier ex naturâ habeat sicut sexus infirmus, quòd illa venenosa horreat, quæ antè non horrebat in statu innocentia, & tunc hoc habebat ex speciali dono diuinæ gratiæ.* Bene. sed quomodo, quæso, horror ipse, quo fœmina & illius generatio serpentem timet, potest pro eiusdem serpentis pœna computari? credo, quia dum horretur, abhorretur? quod similiter Dæmoni euenit, qui dum timetur, euitatur: idque illi amarissimum est, sic enim homini frequentius, in illius fallacias incidendi præciditur occasio: adducet Iobius Monachus apud Phot. *cod*. 222. explicans cur in baptismate Dæmoni renuntietur: *Quòd ab initio, inquit, saluator, & securitatis nostra curator, terminum inimicitiarum immobilem, dæmones inter & homines præfixerit: vt aduersus cum odium immortale inter nos ipsos seruantes, nunquam amplius oblatam ab ipso fraudem excipiamus.* Præripitur occasio culpæ, dum odium, & inimicitia horrens concipitur: nec poteris iam, nisi per summam malitiam, habere præceptorem, quem times, quem odisti deceptorem.

1051. Ostenditur idem humanæ salutis procurator Moysi, quem delegatum sibi, & Deum Pharaoni constituere decreuerat: præterea ad tanti ponderis commissionem non in throno descendisse, vt assoler, Cherubico, non cœli sapphiros solium in sceptrum elaborasse: verumtamen, quandoquidem è planis thronum affectabat terrenum, cur non vmbrosa abies prati tegumen? cur non amœna populus, vetis delitium? cur non robusta quercus, montis arrogantia? cur non fertilis oliua, fructuum gloria? cur non iucunda laurus, viroris æternitas? cur non procera palma, phœnicis nidus? cur denique non incorruptibilis cedrus, æta*sum* stupor designatur: sed tenuis rubus, fragilis spinetum, senuis debilia, vnde nec ligneus clauus poterat efformari? *Apparuitque ei*, inquit Scriptura,

Dominum in flamma ignis de medio rubi, Exodi 3.0.2. teſpondet pulchrè D. Athanaſius quæſt. 20. *Quare*, inquit, *in rubo Deus conſpectus eſt Moyſi, & non aliqua planta alia? reſpondent quidam, id ideo factum, ne Iudæi ex lignis eius, idolum ſibi facere poſſent.* Cedit itaque Deus gloriæ ſuæ, & auguſtiori throno renuntiat, ſpinarum anguſtiis, vt ita dicam, deiectus, vt peccandi occaſio adimatur? ſpina quippe prorſus inutilis ſtatuæ formandæ, imò &, addo ego, aſpera tractando: vt ſi adhuc ita rudem illam colere ſtuderent, horrore ipſo pungenti retardarentur.

1052. Comparatur peccator fœno, nec immeritò, quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: ideo Propheta de Hebræis idololatrantibus, *& fecerunt*, inquit, *vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, Pſalm. 105. num. 19. quia ſicut vitulus fœnum comedit, & in ſe mutat: ſic illos fœno fragiliores, vitulus adoratus viſos denoraſſe, & in ſe mutaſſe. quid tunc Deus? dum partem vindictæ putares, remedium inſpirat Moyſi: *Arripienſque vitulum quem fecerat, combuſſit & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filys Iſrael*, Exodi 32. num. 20. de quo ibi Bruno apud Tilman. *Sed quare*, inquit, *miſit in aquam, & quare ex eo potum dat filys Iſrael? fortaſſe vt fœnum biberet vitulum, quoniam vitulus comedit fœnum.* quæ ex Pſalmiſta dedi, faciunt intelligendo Brunoni: fœnum erat miſer populus, quem idem infamis vitulus iterum atque iterum deuoraret: abſorbeatur ergo vitulus à fœno, vt ſublata occaſione, non iterum infauſtus vitulo paſtus præbeatur: impudentiſſimè enim recurreret ſeſe paſtum obiiciendo Ægyptio Apidi, dum ipſe paſturus vitulus, ſibi priùs in potum administratur.

1053. Simile eſt illud eiuſdem Domini, ad paralyticum ſanatum: *Surge*, inquit, *tolle lectum, & vade in domum tuam*, Matth. 9. num. 6. de quo D. Chryſol. ſerm. 50. *Hoc eſt*, inquit, *porta portantem te, omnes muta vices, vt quod eſt infirmitatis teſtimonium, ſit probatio ſanitatis.* turpe enim foret vitiorum lecto, languentis inſtar, iterum coniacere: quod dum attolli iubetur, reincidendi tollit occaſionem, & bene in domum ſuam abire præcipitur: *Ne*, addit Chryſologus, *Chriſtiana fide curatus, in viis Iudaica perfidia iam moreris.* Certè enim hæc mora mores corrumperet: Chriſtus autem homini euellere radicitus occaſiones conatur relabendi. Sicut ergo vitulus à fœno abſorbetur, ne ſorbeat iterum: ſic ab ægroto lectus tollitur, ne iterum ægrotum tollere præſumat.

1054. Sed hic ægrotus ſanatus, mihi in memoriam reuocat illum alium, quem Chriſtus curauit Ioan. 9. num. 6. *Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius.* quærit huiuſce geſti cauſſam D. Aſterius apud Phot. cod. 271. & poſt alias, hanc ſubiungit rationem. *Si verò*, inquit, *& hoc ſcire libet, vt deteſtari aſſueſacias eos, qui illum paulo pòſt ſputis fœdabunt, & ſi furioſorum audacia maior fuit omni prouidentiâ, & correctione.* patet inſinuatum myſterium, ſed tamen obſcuriuſcula verba: ergo id meo iudicio vult Aſterius, voluiſſe verbum incarnatum ſaliuâ ſuâ id mirum operari, vt aſſuefaceret hominum corda duritiem deponere, peccatum meditatum obliuiſci: ducentes nefas, & tamquam ſummum ſcelus deteſtantes, illum in paſſione ſputis fœdare, cuius ſputum cæcos illuminabat. Sed ea fuit eorum audacia, vt omnem illam ibi impenſam prouidentiam ſuperaret, id eſt (vt terminis vtar Scholaſticis) ſufficiens illud auxilium, irritum per ſummam redderent impudentiam. Sic, vt ſuprà notaui, in prægustato pane oſculum porrexit Iudæ, vt ſenſum proditorij oſculi auerteret. Vtrobique quantum eſt ex ſe, peccandi occaſiones remouendo. illud, *vt deteſtari aſſueſacias eos*, &c. aliter fortaſſe alius explicet; ac ſi dicat: *vt nos deteſtemur eos, qui tale nefas commiſerunt.* non tamen video quomodo ſequens, *& ſi*, commodè inferatur, niſi de illis dicatur, aſſuefactos fuiſſe ad deteſtandum, ſcilicet præmeditatum nefas.

Pinus in Cantica.

1055. Ideo bene Iobius citatus, expendens, cur Deus non per aliam creaturam, homines redimeret, ſed per ſe ipſum, ſic ſcribit. *Argumentum enim hoc eſt euidens, quo qui Manetis inſania adhærent, redargui poſſent. nam ſi impia illa Manichæorum turba (cùm ab eodem vtrumque ſancta Scriptura perfectum ſcribat) tamen vniuerſi opificium, neſcio cui ſily aduerſario attribuit: ad quæ non putas maledicta deuenirent, ſi ab altero factum mundum, ab altero refectum ſacra littera pronuntiaſſent?* ac ſi nihil Deus magis quærat ſollicitè, quàm homini omnes errandi tollere occaſiones, omnia amouere labendi offendicula.

§. II.

Harpagones occaſionum, robur ad culpam, non vincuntur, niſi fugiantur.

1056. NEc ſine myſterio vulpes paruulas, id eſt, leues etiam occaſiones auertendas curat: quoniam quæuis ſit occaſio, dummodo occaſio ſit, immenſum habet robur ad deſtruendum. Hinc illud Eccleſiaſtici: *quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te*, cap. 21. num. 2. Parum quidem videbatur acceſſiſſe, dummodo non tractarentur, dummodo in illorum conſpectu non morareris, ne motereris: ſed eam de accedendi occaſione vim habent, vt in ipſo acceſſu mors conſtitui viſa. & bene, *ſuſcipient te*, dicitur, cùm potiùs *attrahent*, vel *harpagabunt*, videretur dicendum: ſic enim alliciunt violenter, ſic blandè cogunt, vt ipſe ab eis ſuſcipiendus potius quaſi rogans, quàm attrahendus togatus intelligaris: meliùs Galfridus ibi apud Tilman. *Noli*, inquit, *ſuſtinere, donec mordearis, mox vt videris fuge: fuge à facie eius, nec expectaueris morſum eius. neu dicas, Quid mihi nocet ſi proximus eſt coluber tantùm, & me non mordeat, non occidat? imò verè quod de colubro non diceres, non dixeris de peccato, nec accedentis lenocinia feras: ſed vt fugeres à facie colubri, etiam longiùs poſiti, ſic multo magis à peccati, & faceres hoc, ſi tibi charior foret animæ vita, quàm corporis.* quaſi accedentis lenocinia occaſionis, neſciant non conſenſum extorquere.

1057. Hos dulces occaſionis harpagones luxit ſtatim natura infans in protoparentibus: *Vidit*, inquit Geneſis, *mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo qui comedit*, cap. 3. num. 6. vt vidit, vt periit: quis non miretur? quis primo occaſionis iactui, tantæ gratiæ iacturam connexam non obſtupeſcat? qui nouerit occaſionis retinacula: cape pulchra verba Germani Conſtantinop. apud Gretſ. Orat. 1. de Cruce. *Extendit ergo*, inquit, *lignum ſcientia velut manus quaſdam ad manubrij apprehenſionem, ſuauitatem, & pulchritudinem fructus: hominemque & oculis,*

& linguâ traxit, vt illo fructu frueretur. Sicut enim prostrandæ arbori, manubrio securis manus iniiciuntur: sic è contra hæc scientiæ arbor, prostrandia sanctitatis cedris protoparentibus, tamquam bipenni armatas manus, pulchritudinem & suauitatem iniecit: inde, quia non fugerunt, non potuerunt ictui non succumbere, aspectusque & gustus vehementiâ harpagari: vbi viderunt, & fugere debebant: ipsa fugæ cessatio, fuit occasionis harpagatio:

1058. Eleganter D. Chrysol. ad rem aliam, sed totus in hunc scopum serm: *Quod ignis*, inquit, *arida segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ solâ securitate separatione vincuntur, necantur ignorantiâ, & nescita feliciter euanescunt. nam si ad mentem & sensus peruenerint, si contigerint animos, si semel membra penetrauerint, inextinguibile gignitur, & excitatur incendium, & nisi vnda cælestis corda rigauerit, mentes infuderit, membra madefecerit, totum quod est roboris humani, subditur, & redigitur in fauillam.* Ecquid periculosius, quàm arida fomenta igni applicare? aut quid effrontius, quàm ibi sibi promittere immunitatem?

1059. Postquam Apostolus *Rom. 7. num.* 6. sub lege prisca, tamquam sub morte homines peccasse scribit, qui tandem viuificanti Christi Domini spiritu resurrexerunt, sic statim subiungit: *Quid ergo dicemus, lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui, nisi per legem.* Sed ita ne? satin quòd legis verbis peccata monstrarentur, & dum ibi quædam prohibentur, in hominum notitiam deuenirent, vt prisca lex, *lex mortis* appelletur? satis: quia ipsa notitia peccati per legem (quæ aliàs robore gratiæ ex se non muniebat) animum harpagabat, non sinebatque vitia fugere, quæ ostendebat: è contra Christi gratia ideo liberauit faciliùs, quia docuit & iuuit occasionis caput supplantare, vt culpa priusquàm impeteret, oppeteret. Clarebunt hæc ex Chrysologo ad hunc locum serm. suprà citato. *Vitia*, inquit, *non nosse felicitatis est, nosse periculi, vicisse virtutis est: Rex nobilis & fortis hostibus suis longiùs occurrit, & ita præuenit ingruentium dolos, vt deyci nequeat fides militum, ciuium nequeat conturbari constantia. Sic modò generosus animus per Christi gratiam, corporis sui transgreditur miserandas angustias, & ita totus delicta præuenit, proculcat vitia, & crimina totâ internecione prosternit: vt nequeant fucis sensus fallere, dolis ingenium deprauare, tumultuationibus misera, imbecilla corda dissoluere ardere, sanguinibus fumantes occasiones incudere, vario passionum genere membra naturaliter infirma vexare.* quia ni animus diuinâ gratiâ instructus, quasi rex fortis pericula præueniens, fumantes occasiones supprimeret, necessariò quodammodo inextinguibilis inde flamma desæuiret: lex ergo dum per notitiam occasiones aperit, non fugat: de culpabili hominum abusu, magnam naturæ induxit vastationem.

1060. Clarè iam hoc Apostolus ibidem. *Nam concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* de quo iterum ibidem sæpe citatus Chrysologus: *Ac si diceret*, inquit, *aurum auaritia non est, sed auaritiam non cognoui, nisi per aurum: vinum ebrietas non est, sed ebrietatem non cognoui nisi per vinum: pulchritudo corporis non est concupiscentia, sed forma decus concupiscentia me rapuit, & perduxit ad lapsum: sic ergo ipsa per se mala non sunt quæ ad Deum, ad vtilitatem, ad salutem, ad gratiam sunt creata: sed per ea delinquendi datur occasio, &c. ita & lex quæ à Deo data fuerat ad salutem, quæ erat per se cælestis & sancta, facta est per hominem, miseri hominis in ruinam.* nimirum exhibita per legem occasione, & ab hominibus acceptâ, abutentibus legis sanctitate. nihil potest aut de homine miserius, aut robustius scribi de occasionibus: vt penè sit idem in fragilitate nostra præceptum videre, quàm inuidere præcepto: nec differat occasionem habere, ab haberi.

1061. Hinc viri sancti nihil attentius curant, quàm sibi suisque omnem occasionis ansam amputare. Excepit Abraham Angelos, quos initio iuuenes, de habitus & formæ decore nobiles & peregrinos fortè existimabat: hos ergo dum cupit lautâ excipere liberalitate, *Tulit*, inquit Scriptura, *butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis*, Genes. 18. num. 8. & vbi inquis, hilarans conuiuia vinum? quid si officij curtâ, hospitij inofficiosi notaretur? malebat denotari curtus, quàm videri non cautus, si adolescentibus & æstu & ætatis ardore sitibundis vinum apponeret, ne fortè incautiùs occasioni exhibitæ indulgerent. Quòd si Ambrosio consentiens putes Angelos Abrahamo notos, quibus proinde non tam de necessitate, quàm de mysterio appositum conuiuium: audi quid ille scribat lib. de Helia & ieiunio cap. 5. *At non*, inquit, *Abraham vina in suo conuiuio ministrabat, sed immolabat vitulum, butyrum & lac etiam Angelis hospitibus exhibebat: colit Dominum, mundi agnoscebat auctorem; vinum ergo exhibere non poterat: sed illi rectè deerat materia peccati, vbi erat remissio peccatorum.* quasi vix posset constans virtus de Abrahamo prædicari, si à materia & occasione peccati non esset alienus. Vltima verba sunt obscura. ego putabam corrigenda: *sed illic rectè deerat*, &c. & tunc optima gnome ad rem nostram, de qua in sup. titulo, q. d. cùm Domini tota cura sit occasiones peccati propellere, meritò vinum, quod est ebrietatis & luxuriæ occasio, *illic* in illa mensa deerat, cui dominus aderat, qui est remissio peccatorum. Sed pergamus.

1062. Hoc erat quod de iusti constanti patientiâ, & virtute firmâ protulit Ieremias: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se: ponet in puluere os suum, si fortè sit spes*, Thren. 3. num. 29. pro illo: *ponet in puluere*, legit Theod. apud Sixtian. *δώσει ἐν χώματι.* est autem *χῶμα, congestus puluis*, siue *tumulus*, vnde quandoque pro sepulchro vsurpatur. Sed quid sibi, inquis, vult os viui adolescentis iam sepultum? proposuerat nimirum ille, ingens patientiæ tropæum, æternitati erigere litaturum, ita vt non dicam sermone querulo, verùm nec leui gemitu, nec susurranti suspitio, animum ad patiendum minus fortem indicaret: sed cùm aliunde occasionum sibi offerendarum robur pertimeret, non aliunde se melius contra illas armandum putauit, quàm si sic easdem fugeret, vt os, quod ad querelas tentandum erat, sepeliret: quæ autem aut laborum, aut iniuriarum occasio erga sepultum, fundendis questubus, operam non ludit? aut vnde melius occasionis vires declarantur, quàm prædicto sancti adolescentis timore? sed præstat audire Ambrosium, qui dictis annuit *serm.* 10. *in Psalm.* 118. ad hunc locum. *Ostendit*, inquit, *quandam supra modum patientiæ taciturnitatem: vt tamquam sepeliat os proprium, ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat: tantum pondus afferens patientia, quam spes fouet, vt vocem ipsam velut busto quodam & tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare posset iniuria.* extorqueretur autem fortasse, &

excitare

excitaretur, ſi tentanti occaſioni ſepulchri ipſius latebris non reſiſteret, & quodammodo illius lateret harpagones.

1063. Ideo Salomon ſub meretricis allicientis habitu, lenocinantis ad culpam occaſionis vim deſcribens, poſt multa ſic habet Prouerb. 5. num. 8. *Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius: ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Sixtiana editio, *vt non prodas aliis viam tuam.* quaſi, vt plurimum non daremus vitiis, neque dæmonem crudelem Dominum coleremus, niſi occaſione proderemur: vnde cùm videmur nos noſmetipſos dedere, certè prodimur, ab occaſione, quam arripimus, correpti. & bene *prodas.* eſt enim hîc ſpecies quædam hoſtilium inſidiarum, in quas non tam incidimus, quàm adducimur, & quidem à proditrice illaqueati. Prudenter Seneca *epiſt.* 22. de prudentiâ, qua hi laquei ſunt euitandi, monens Lucillum ſuum, qui adhuc reip. tumultibus inſerebatur: *Cenſeo*, inquit, *aut ex iſta vita tibi, aut è vita exeundum: ſed illud idem exiſtimo lenendum via, vt quod malè implicuiſti, ſoluas potius, quàm abrumpas: dummodo ſi alia ſoluendi ratio non erit, vel abrumpas, nemo tam timidus eſt, vt mallet ſemper pendere, quàm ſemel cadere.* quia non poterat liberum liberali philoſophiæ animum applicare, dum ſe negotiis publicis, idem perturbationis occaſionibus immiſcebat: nec his immiſceri, quin implicaretur laqueis, & è miſero ſuſpendio, iam iam in miſerrima vitia lapſurus.

§. III.

Bona, aut mala noſtra, de amoris genio, Chriſto Domino propria putantur.

1064. NEque caret emphaſi, quod Chriſtus dicat, *capite nobis*, cùm ſolùm in ſponſæ gratiam eſſent auertendæ periculi occaſiones. Verè pius Dominus: immiſcet ſemetipſum ſeruis, quaſi etiam ipſe eodem egeat præſeruatiuo: quia bona, aut mala noſtra, de amoris conditione, reputat tamquam propria: *capite*, inquit, non in ſponſæ tantùm, ſed etiam in mei gratiam, quia nihil illa damni patietur, quod ego tamquam proprium non doleam: nihil emolumenti reportabit, de quo mihimetipſi non congratuler. Piiſſimè in hanc rem D. Paulinus epiſt. 4. *Et quàm*, inquit, *dignè vicem huic Domino referre poterimus, in quo & mortui, viuimus? qui viciſſim nobis hoc eſſe dignatur, quidquid illi fuerimus ſeruuli ſui? ita enim ſe immiſcet nobis, ac nos ſibi conſerit, vt quod ipſe accepit, nobis proficere faciat: qui quod nobis, id eſt, minimis eius tribuitur, ſibi acceptum ferat.* alludens nimirum ad illud Chriſti Domini apud Matth. *Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, cap. 25. num. 40. quod iam paucis illuſtro.

1065. Integrum Pſalmum vigeſimum ſecundum, de Chriſto intelligendum, nulli planè fidelium addubitatur, & tamen ibi audis loquentem Dominum, *longè à ſalute meâ verba delictorum meorum*, num. 2. Ecquæ delicta vnquam in illo reperiri potuerunt, qui impollutus, ſegregatus à peccatoribus, ſublimior cœlo factus? noſtra: vt quemadmodum tunc maximè iuſtitiam gratiaſque quibus ornatur, ſuas reputat, cum nobis ad ſalutem communicantur: ſic delicta quibus fœdamur, ad remedium ſibi voluit attributa. D. Auguſt. ibi, *quorum delictorum*, inquit, *de quo dictum eſt, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius?* &c. *Quomodo ergo dicit, delictorum meorum, niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra ſua delicta fecit, vt iuſtitiam ſuam, noſtram iuſtitiam faceret.* ecquæ humanæ naturæ gratior commutatio?

1066. Factus in agonia Chriſtus, ſic Patrem orat: *Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*, Matth. 26. num. 39. prætereo propugnatoris noſtri voces timidas, minus fauſtum homini videri omen: prætereo ornatam ſpoliis priſcis mortem, & nunc armatam cruce conſpecto iam ante certamen æmuli pauore exultaturam: aliò tendo. Ecquot inuenti ſunt qui vitam ſuam animosè & hilariter fundere non dubitarunt? quot qui mortem omnium tormentorum genere horridam, ceſſantem adhuc interpellarunt pro ipſo, concupierunt? quanta vota Pauli, vt per ferrum, aut ignem diſſolueretur Chriſto fruiturus? vnde ergo membrorum vigor collapſo capite? vnde hominum fortitudo infirmo Deo? Reſpondet D. Auguſt. loco ſuprà citato. *Putatis*, inquit, *fratres, quia quando dixit Dominus: Pater ſi, &c. mori timebat? non eſt fortior miles, quàm Imperator: ſufficit ſeruo, vt ſit ſicut dominus eius, Paulus enim dicit miles Regis Chriſti: Compellor è duobus, concupiſcentiam habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. ille optat mortem, vt ſit cum Chriſto, & ipſe Chriſtus timet mortem? ſed quid niſi infirmitatem noſtram portabat, & pro his, qui adhuc timent mortem in corpore ſuo conſtitutis, iſta dicebat.* nimirum prænouerat amator hominum Chriſtus futuros aliquos iuſtos, qui inſigni aliunde ſanctitate præditi doleant maximè, quod non inſtar Pauli mortem appetant, ſed naturali, non libero, eius horrore detineantur: hos ſolatur, dum concedit portioni ſuæ inferiori in timoris non debiti affectus mœſtos prodire: ſed ita ſolatur, vt ipſam illorum infirmitatem in ſe transferat, & diuinizatam iam, vlteriùs non nocituram.

1067. Hinc lætus & exultabundus Dauid, *Feciſti iudicium meum, & cauſſam meam: ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam*, Pſalm. 9. num. 5. de quo Incognitus. *Chriſtus*, inquit, *pro nobis certè cauſſa fuit, quando pro nobis accuſatus coram Pilato: iudicium verò, quando poſt ventilationem cauſſæ, pro nobis morti fuit adiudicatus.* Sed ecce nunc, haud facilis inſurgit dubitatio: ſi nulla magis Chriſti actio erat, quàm dum per tribunalia verſabatur: nullum iudicium magis proprium, quàm illud vbi ſententiam capitis ſubiuit: cur humanum genus Dauidico ore, ſuam, & non Chriſti, hanc cauſſam, hoc iudicium appellauit? ſoluit idem auctor: *& nota*, inquit, *quod dicit, iudicium meum, & cauſſam meam: meum, inquit, quia iſta mihi ſeruierunt, & ad vtilitatem meam fuerunt: qualiter nauta dicunt illum ventum ſuum, qui eis valet ad bene nauigandum. Vocatur ergo illud iudicium, & illa cauſſa Domini, & noſtra: Domini, quia in corpore ſuo illa ſuſcepit: noſtra autem, quia pro vtilitate noſtra ſunt facta.* ac ſi ita cauſſam hominis ſuam feciſſet Chriſtus, vt ſi vtriuſvis diceres, perinde diceres atque vtriuſque: ſic alter ab altero de amoris genio, viſus non diſcerni.

1068. Quis non miratur exhortationem illam qua Chriſtus Dominus, ſuos animabat ad pugnam? *Confidite*, inquit, *quia ego vici mundum*, Ioan. 16. Ecquid tunc enim, vt Apoſtoli vincerent? viciſti tu mundum, & huius mundi principem, fortis Ieſus in bello, maximus ad ſalutem: nos autem imbelles, minimi ad robur, quid poterimus ad hoſtes tam ſtrenuos? nimirum ſuſceperat in ſe cauſſam noſtram, & pugnam noſtram, & ſic illas ſuas fecerat, vt dum pugnans pro nobis vicit mundum, nos etiam in illo pugnantes viciſſe videremur.

D.Paulinus clarior epist.28. *Exultemus*,inquit,*itaque,& gloriemur in ipso, qui nos & pugnam,& victoriam suam fecit,dicens : Constantes estote, quia ego vici mundum;& in regnorum libro similiter audio, Prophetam dicentem Regi Iosaphat ,cùm ingenti mole belli, magna hostium multitudine terreretur : Non vobis est hæc pugna,sed Domino*.quasi dicat Christus ex mente S.Doctoris : Bella vestra,pericula vestra ô discipuli,me inuadunt : quid ergò dubitetis de vincendo à me mundo,quem iam dudum iterum superaui?vel teneriùs adhuc : Confidite,ne timeatis,quia iam ego superaui mundum , & eius victor appellor : non autem talis viderer,ni vos , quorum pugnam & victoriam meam existimo , illum pariter vinceretis. Itaque formalis est consequentia de vincendo à nobis mundo , quia Christus pugnam nostram suscipiens eumdem fregerat, vt nos illius pugnam suscipientem fragiliorem hostem , imò iam à nobis in illo superatum inueniamus. Sed nouo tenore idem firmo.

1069. Quàm impensè à Christo laudatur Magdalena, quàm propugnatur sollicitè apud *Luc.7.* blasphemiis pharisaicis retusis ! *Hæc*,inquit, *lacbrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit : osculum mihi non dedisti,hæc autem ex quo intrauit,non cessauit osculari pedes meos* , num.44. Sed ecquis, quæso , inde lautior,ecquis mundior,Christus,an Maria?calculus sacro igne candens prophetica emundat labia, & pedes Christi, viui & electi lapidis diuinitatis igne flammati , attingentem Mariam , os suauians non purificarent ? bene D.Paulinus *epist*.4. piè inuidens illa , quæ hìc accepit Maria. *Quis mihi* , inquit , *misero os adureret, & linguam meam cœlesti illo carbone purgaret , vt vel calcaneum Christi mererer summo tenus ore contingere,& subdito capite sola sancta tergere : vt caput meum potiùs Christi pedibus tergeretur, & dum pedes lambo diuinos , piarem castis labia immunda vestigiis*. ac si dicat , magis tersum Magdalenæ caput diuinis pedibus , quàm eius capillis sacros pedes abstersos; & tamen pius Dominus obsequium sibi præstitum,præbitum sibi officium vult haberi, quod Maria summi beneficij loco reponebat , (hæc est diuini amoris ars diuina nusquam,vt alibi dico,beneficia sua venditantis)quia huius bonum,tamquam proprium reputabat.

1070. Non omnino similius , quàm ille alius locus Baptistæ , huic prædicto similis. obsequium commendatur præcursoris , & totius dum baptizat Christum, iustitiæ impletor celebratur :*sine modò*, inquit Dominus reuerenti præ stupore seruo ;*sic enim decet nos implere omnem iustitiam* , Matth. 3. num. 15. tu scilicet baptizans de munere , ego de humilitate baptizatus. ecquid tamen illo baptismate intendit suscepto Christus ? planè, maximè suum illum Baptistam baptizare : cur enim non aqua è fluuio hausta lauatur Christus , sed vt clarcet ex Marco *cap*.1.*num*.10.fluuium ingreditur:nisi vt ingressus pariter Ioannes, à qua iam Christi tactu sanctificatà ampliùs purificaretur ? intrat ergo Iordanem,aquisque nouam gratiam instillans verè baptizat Ioannem,à quo tamen maluit dici baptizatus.D.Maximus *in vigilia Epiphaniæ*,habetur tom.1.*homil.* sic de illo : *Susceptio* , inquit , *à Ioanne baptismo , consecrasse fluenta Iordanis , suumque simul purificasse Baptistam*. Vt quod amico conferebat beneficium , in se ipsum sub titulo obsequij insinuaret translatum, attende.

1071. Victoriam Christi Domini celebrans Propheta,& sacri gloriam triumphi : *Ascendisti*, inquit,*in altum : cepisti captiuitatem , accepisti dona in hominibus*, Psalm.67. num. 19. ad quod alludens Paulus, sic habet : *propter quod dicit ; ascendens in altum , captiuam duxit captiuitatem , dedit dona hominibus*. Ephes.4. num.8. Sed hæccine fidelis citandi forma,Apostole fidelissime?quid ? idem ne dare dona hominibus , quàm accipere dona in hominibus? idem,licèt primo aspectu aliud videatur : quia licèt Christus,qua Deus, dona nobis diuideret : tamen ipso , qua homo , sic inopiam nostram, suam fecit : vt eadem dona, in nobis sibi collata testificetur. D. Anselmus ibi , post multa de Christo, prout Deus,de quo Paulus,sic de Dauide : *Propheta verò*,inquit,*secundùm illud,quòd idem Christus intelligitur in corpore suo quod est Ecclesia, vnde & fideles cuncti eius membra sunt : dixit enim accepisse dona in hominibus,quia ipse accipit , quidquid beneficij, eius membris impenditur*. neque mirum , cùm quæ nobis præbentur ab ipso beneficia , eadem esse obsequia illius benignè affirmet , vt duobus superi num.probaui. Sic enim nostra,sua fecit : vt quando beneficia quæ nobis confert , sub hoc nomine à nobis illi conferri dici nequeunt, saltem variato titulo præstita obsequia dicantur : sicque ipsa beneficia,& obsequia, & nostra sint , & sua dissimulatis phrasibus appellentur.

§. IV.

Christus Dominus id gloriæ defert diuinæ, quod humanæ confert vtilitati.

1072. EX eadem affectus pietate oritur, vt statim vineam,id est,cor iusti florescens , communem vocet : *vinea nostra floruit*. eodem versiculo , quem explicamus : quasi id gloriæ diuinæ deputaret, quod humanæ vtilitati conferebat. *Nostra*,inquit, quia non solùm cor sponsæ his floribus ditatur, sed & ipse ego in iis glorior iucundissimè. hinc illud *Lucæ* 10. vbi Dominus ad discipulos : *Messis quidem multa, operarij autem pauci ; rogate ergo dominum messis,vt mittat operarios in vineam suam* , n.2. si enim fatetur messem & vineam esse patris , cur de vineæ & messis propriæ rogandus præcipitur ? ecquis dominus ita iners , ita diuitiarum suarum oblitus , vt stimulis curando patrimonio egeat alienis ? at messis erat saluandorum ad Dei gloriam : quæ quia nunquam sine vtilitate nostra stare consueuit ; ideo dum rogamus vt curetur , nostri cura habeatur postulamus : bene ergo præcipimur rogare , quod dum gloriæ diuinæ defertur, confertur nobis. Vnde pariter explicabis verba aliàs obscurissima Isaiæ , de iusturum felicitate: *Multiplicasti gentem , & non magnificasti lætitiam, lætabuntur coram te , sicut qui lætantur in messe , sicut exultant victores capta prædà quando diuidunt spolia*, cap 9.num.3.Solent res magnificari pretio , & cariùs stare , cùm multiplicantur emptores : non ita in merce & messe Dei , qui cùm gloriam habeat infinitam, vtilitati nostræ quoad fieri potest commensuratam, licèt crescat emptorum numerus , at mercis,& messis copia non decrescit:omnes exultamus , omnes lætamur , nec tamen lætitia percepta,quia Dei gloriæ connexa penè redditur infinita,exhauritur, aut cariori venditur labore : exhaurienda planè,& emenda cariùs , nisi infinitæ illius gloriæ copularetur.

1073. Tota lætabunda cogniti Christi pedibus die resurrectionis prouoluitur Magdalena, cui tamen Christus : *Noli* , inquit , *me tangere , nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Ioan.20. num.17. præcipiens

piens ſedulò vt aſcenſionis ſuæ nuntia deferat fratribus: quaſi ſic eſſet ſollicitus de aſcenſu parando, vt etiam breui caſtiſſimi amoris amplexu detineri, non ſuſtineret. ſcilicet erant ardentia nati vota aſcendere ad Patrem, & Patris ardentiora natum amplecti, & tamen ſub his mediis deſideriis, vlteriùs *per quadraginta dies*, Act. 1. num. 3. in terra commoratur, & ardentibus optatis finis ſuſpenditur: ecquæ cauſſa? Chryſol. ſerm. 85. *Quidquid*, inquit, *ſublime, quidquid ad cælum tendens in cordibus habebatur humanis, vſque ad infernum dominica pondus incuruauerat paſſionis: id namque eſt quòd Chriſtus quadraginta diebus reſidet, & commoratur in terris, &, ſi dici fas eſt, patris occurſum differt, patris ſuſpendit amplexum, donec ſe totum releuet, & reformet ſua aſcenſionis in gloriam.* quaſi non totus releuaretur reſurgens adglorioſè aſcendendum, dum fideles iacebant: detinet ingreſſus gloriam, ſuſpendit amplecturientia æterni Patris brachia, donec diſcipulos erigat, quia vtriuſque gloria & voluptas ſine fidelium vtilitate, miſericorditer manca ſibi quodammodo exiſtimatur. Sed hic locus Chryſologi adhuc altiùs tendit alibi ſcrutandus.

1074. Aſcendit tandem, & qui gloriam paternæ confeſſionis dexteræ, tamquam tanti obſequij ibat conſecuturus, ſtans adhuc quaſi ſollicitus Stephano exhibetur: *vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei*, Act. 7. num. 55. & cur non ſedet Cherubico excipienti throno id gaudij præſtiturus? an vt decertantem Stephanum adiuuaret? at ſedens vel nutu poterat? quid ergo angelicam ſedem conſeſſu non exhilarat? quid gloriam ſuam viſus retardare? quia gloriam ſuam humanæ vtilitati connectebat: vix noſtro dicendi modo quieſcebat, quia non dum ſui eâdem gloriâ perfruebantur: præiuit Bernardus ad hunc locum in ſerm. *Ecce nos reliq.* vbi ita de Chriſto ſtante: *vtpote cuius nec dum ſedes conſummata videtur, nec dum pedibus eius ſcabello ſuppoſito, quod à Patre promiſſum eſt: non quòd illi plenitudini quidpiam deſit, ſed quòd membra caput expectet.* itaque iam plenitudine gloriæ fruitur Chriſtus, & tamen adhuc ſatagit, donec illi vtilitas noſtra copuletur, & quaſi è longè emiſſo aſpectu venientes fideles expectabundus dominus, & vix quieſcens intuetur, & id quidem amoris potius pondere, quàm doloris ſenſu. nam ſicut beata anima corpus auidiſſimè cupit, nec tamen dolet: ſic amabile caput noſtrum membra ſua.

1075. Annuntiaturus Angelus paſtoribus feliciſſimam humani generis libertatem nato Ieſu, ſic dixit exultabundus: *Natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus*, Luc. 2. num. 11. Aſt quorſum prudentiſſime conuocator, timidas paſtorum aures, pauidos vpilionum animos titulo terres maieſtatis? an vt inquirendo deterreas? ſatis viſum, ſi Ieſum & ſaluatorem mellifluo & alliciente nomine exprimeres: quid Chriſti immiſces vocabulum, quo gloria & maieſtas denotatur? quid enim aliud *Chriſtus*, quàm homo Deus, vnctus diuinitatis oleo inhabitantis? nonne obſtupeſcent abiecti paſtorum ſpiritus tantâ gloriâ? nonne corruent? imò animabuntur, cœleſti quippe iam loco præditi, gloriam huius tituli, non minus ac Ieſu, vtilitati ſuæ agnoſcunt copulatam. huc apto elegantiſſima verba D. Chryſol. ſerm. 57. *Sicut*, inquit, *Reges triumphorum ſuorum titulis nuncupantur, & ſubiectarum gentium nominibus conquirunt numeroſiſſima cognomenta: ita & Chriſtus honorum ſuorum titulis nuncupatur; à chriſmate enim vocatus eſt Chriſtus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator infudit. & vt à chriſmate Chriſtus: ſic Ieſus vocatus eſt, à ſalute: qui ob hoc nos diuino infudit vnguento, vt agris certam ſalutem, perditis perpetuam redderet ſanitatem.* ac ſi non ambitioſiùs Romani duces ab Africa, aut Aſia ſuperata, Africani, & Aſiatici titulos affectarent, quam Dominus ab effuſo vnguento, ab infuſa ſalute, Ieſu Chriſti nomen vſurpauit: non minus bona ſua reputans, quæ erant commoda noſtra, quàm Duces bona ſua, comparatas victorias exiſtimabant: hoc tantùm diſcrimine, quòd iſti damno aliis illato, ille aſportato ſuis commodo id peragebat: hoc enim maximè voluit Chryſologus. Solus ergo is dulcis Chriſto Ieſu triumphus, qui nobis vtilis, in eiſdem nominibus & gloriam ſuam & ſalutem noſtram meditatus.

Pintus in Cantica.

1076. Do apertum pro huiuſce veritatis notitia teſtimonium. Cœpit Dæmon perterritus aliquando, ingentes præſente Chriſto clamores excitare: *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene: veniſti perdere nos: ſcio qui ſit ſanctus Dei*, Marc. 1. n. 24. ad quem tunc ille, poſt comminationem dixit, *Obmuteſce*, num. 17. & cur impediatur vſus linguæ Dæmoni, quæ nunquam viſa loqui veriùs, nunquam meliùs occupata? quia inuidus ibi dæmon, quia maleuolus: quandoquidem in nomine Ieſu quem fatebatur, quem exprimebat, ab humana vtilitate ipſius Chriſti gloriam ſeparabat, & nomini auguſto, quod ſublimitatis ſuæ, ſalutem noſtram baſim ponit, inferni euerſi baſim apponebat peruerſus: non is eſt Chriſtus qui inſtar profanorum ducum, à deſtructis aliis etiam dæmonibus, ſed à ſaluatis nobis titulos aſſumat. Clarebit nunc Tertullianus non dum ſatis excuſſus, loco aliàs trito lib. 4. contra Marc. cap. 7. *Increpuit*, inquit, *vt inuidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem: quaſi hac eſſet ſumma Chriſti gloria, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum ſalutem.* quaſi dicat Chriſtus: Quid garris inuide, petulans quid effutis? noſti Ieſu & ſaluatoris nomen ab humana ſalute efformatum: quid ab euerſione dæmoniaca compoſitum mentiris? quid gloriam mihi defraudas, ſine hominum vtilitate, amori meo viſam decurtatam?

Ieſu nomen dec. & eius, & vtilitatis noſtro.

1077. Benignam æterni Patris potentiam commendans Chriſtus: *Pater meus*, inquit, *vſque nunc operatur*, Ioan. 5. quæ tamen quis non videat, viſa repugnare illis, Geneſ. 2. *& requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* quomodo enim requieſcit ab opere, qui adhuc operatur? Reſpondet D. Auguſt. lib. 1. in Geneſ. cap. 22. contra Manich. *Requieuiſſe*, inquit, *dictus eſt ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit valde bona, quia in illo requieſcimus ab omnibus operibus noſtris ſi opera bona fecerimus.* S. Doctor, vt docti norunt, non tam id amori tribuit, quàm metæ metonymiæ, & ὑπαλλαγῇ, quâ cauſſa pro effectu vſurpatur: non tamen video, cur non dandus amori is ipſius figuræ vſus, quo tunc requieſcere dicatur creator glorioſè, cùm in illo creatura vtiliter requieſcit. Eâdem tropi ratione explicat ibidem illud Pauli: *Quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Roman. 8. num. 26. de quo ita ſcribit: *Non enim Spiritus ſanctus gemit quaſi indigeat, aut anguſtias patiatur, qui ſecundum Deum interpellat pro nobis: ſed quia ipſe nos mouet ad orandum, quod ipſo mouente nos facimus, ipſe facere dictus eſt.* Non indigere ipſum ſpiritum, fides tenet: ſed tamen cur non amori tribuatur, vt vtilitati noſtræ

consulens, gloriæ suæ diuinus spiritus gemitum assignet? Deum laborantibus quodammodo collaborare, & cum afflictis affligi de illius charitatis excellentiâ, latè alibi demonstrabo. tenerior ad hunc Pauli locum Bernardus: puude paululum.

1078. Ecclesiæ sponsæ dulces gemitus, suspiria susurrantia, omni sibi melodiâ gratiora, celebraturus Christus, gemebundam & querulam auiculam auocat in comparationem: *Vox turturis*, inquit, *audita est in terra nostra*, Cant.2. num.12. Sed quid? tot chori sanctarum Virginum, perfectorum religiosorum, fidelium integrorum, qui assiduè orantes, gemitus cœlo fundunt, iactant suspiria, cur vni tantummodo turturi, & non potiùs pluribus comparantur? respondeat Bernardus serm.59. *Cæterùm*, ait, *si multi gementes, quid sibi vult vnius expressio? vox turturis, inquit, quare non turturum? fortè Apostolus id soluit, vbi ait, quia ipse spiritus postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus: ita est, ipse inducitur gemens, qui gementes facit, & quamlibet multi sint quos ita gemere audias, vnius per omnium labia vox sonat.* & post pauca, vbi vota huius gemitus à Deo impleta memorat, sic concludit: *quomodo enim sui spiritus vocem irritam faceret Deus?* quasi Deus tam, ob amorem, proprias iudicet voces illas & gemitus esse Spiritus sancti: vt vtilitati iustorum putet necessariò annuendum, ne quodammodo videatur spiritus sui gloriæ derogari. Venio ad alia, sed de eodem amore etiam tenerrima.

§. V.

Idem peculium Deo, hominique commune.

1079. CLarebit hoc magis quod de communi vinea scripsimus, si ostenderimus vnum atque idem peculium, Deo, hominique commune semper fuisse. Precaturus fausta Iudæ, siue iusto Moyses, vt post labores requie frueremr, hæc effudit: *Audi Domine vocem Iuda, & ad populum suum introduc eum*, Deuter.33. num.7. in Siatianis legitur, *& ad populum eius venias vtique.* quia idem erat, introduci iustum, quàm adduci Deum: erat vtriusque requies communis, quorum fuerat communis peregrinatio: peculium Dei vincentis, terramque promissionis subiugantis, homini cedit eandem possessuro.

1080. Virtutes adornantes castissimæ sponsæ pectus, sponsum in sui laudes egregias rapuerunt: tunc è re pectoris sumpta similitudine exclamat; *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino*, Cant.4. num.10. Alij clariùs, *meliora vino.* vtcumque sit, dulcedo illa lactis de sacra stillans mamilla, vino cuiuis etsi generosissimo præponitur. Sed amator qui castigatas potius mamillas, & de virginitate duriusculè protuberantes laudare posset, quàm de lacteo flaccidas humore: quid sibi voluisse intelligetur? peculium amorum suorum commune fecerat hominibus, qui paruulorum doctrinæ lacti inhiant suspirántes; ideo in sponsâ, virtutum pulchritudinem sibi, vtilitatem lactis, suis commendat: nec aliter illi adeò placeret sponsa, nisi vtrumque coniunctum exhiberet, Gilibert.serm.31. *Duo*, inquit, *quæ ponis in laude vberum istorum pulchritudinem & virtutem, alterum conuenit amanti, alterum lactanti: quid enim lactantis refert, si pulchra sint vbera, dum sint vbera, & redundantia lacte salubri? pulchritudinem pro se commemoras, & lactis copiam pro suis*; quia non esset Dei peculium & voluptas illa pulchritudo, nisi aliunde vtilitati hominis deseruiret, quod enim isti vtile, id illi pulchrum esse iudicatur.

1081. Hinc intelligo eiusdem sponsæ vota, ad Christum (ex mente Philonis Carp.) iam conculcatâ morte astris insidentem, & paternæ dextræ assidentem: *Quis mihi det, te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te*, Cant.8.num.1. quis enim non miratur sponso iam viro, lactentem iterum infantiam irrogari, & solido paterni conuiuij cibo educatum, parthenico iterum materni vberis lacti reuocari? quorsum nouum præsepium, arctæ fasciolæ, vagitus tener, & pastorum cantiunculæ obtruduntur illi, quem cœlestis regia, aurea zona, vox tonitrui, Angelorum musica iam condecorant? *Quomodo*, inquit ibi Carpathius, *potest fieri, vt frater ipsius sponsæ homo iam factus ad vnguem, iam ætate perfecta: quasi infans rursus, vbera lactare queat, & sugere?* & post alia, vbi Ecclesiæ sapientiam matrem explicauit, aptissimè rei nostræ sic respondet: *cùm ad nuper illuminatos homines, Christus ipse velut ad infantes Ecclesiæ gratiâ suæ visitationis accedit: tunc per illos incipientes Deum agnoscere, & cœlestia gustare, vbera lactare dicitur.* Sic enim Deo hominis vtilitas pro peculio proprio reputatur: sic negotiatio ista est de communi, vt quod de vno dicitur, id etiam de alio veniat intelligendum, & vnde homo proficit, inde etiam Christum quodammodo proficere intelligatur.

1082. Res omnes Dauidis, per ordinem ad Christum, cuius figuram gessit, explicatas, passim legimus, quarum multa huc faciunt: illud certissimum, pleraque Dauidis & illa insigniora in symbolum venturi Christi contigisse. quod si verum, nemo iam negabit, lachrymas illas Regis, filium & animo patricidam, & regni violatorem Absalonem, morti traditum iustæ, deplorantis: lachrymis illis respondere, quas sæpe pro peccatore patricida, regni & sponsæ violatore verus noster Dauid Christus plorauit: sed pende iam lamentationis verba mysteriosa: *Contristatus itaque Rex ascendit in cœnaculum portæ, & fleuit, & sic loquebatur vadens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te*, 2.Reg.18. num.33. Sed si pater pro filio moreretur, vt reipse pro peccatore mortuus est Christus: nónne id potius è re filij erat, quàm patris? planum: cur ergo non, *quis tibi daret*, conqueritur, sed, *quis mihi daret*? deuotissimè D. Anton. de Padua Dom.4. post Trinitat. *Christus*, inquit, *ascendit cœnaculum crucis, & ibi Adam cum omni posteritate sua à Ioab, id est, diabolo tribus lanceis, scilicet gula, vana gloria, & auaritia interfectum plorauit, dicens: Fili mi Adam, quis mihi det, vt ego moriar pro te, id est, vt prosit tibi mors mea. quasi dicat: nullus voluit mihi dare, vt ego pro illo morerer: magnum enim donum reputat, quando peccator dat ipsi, vt sua mors prosit ei.* Cùm enim peculium commune tractetur, nihil homini vtile venit, quod sibi Deus collatum non testetur. Nota autem dixisse Antonium, *nullus voluit*, &c. vt designaret paucos, si reprobis comparentur, quibus mors diuina quoad efficaciam prodest. pergamus.

1083. Scilicet proprium est illorum, quibus negotiatio agitur societatis, minus sentire iacturam rei alicuius, quàm sciunt in lucrum socij certissimum prouenire. nam cùm huius lucrum habeant pro suo, satis ibi iudicant iacturam compensatam. hinc est quòd Deus, non imminui sibi gloriæ peculium

iudica

iudicaris, dum ad vilem hominis assumendam naturam visus abiici, maiestatis, si fas dicere, iactură, quia ipse homo hinc ad diuinitatis dignitatem: in communi enim peculio, non tibi decrescere dicendum, quod socio, cuius es particeps, accrescit: rem notam grauissimis verbis asseruit Nicetas ad Gregor. Orat. 1. de Paschs. *Hoc enim,* inquit, *consilij, id quod sumus factus est, vt nos id quod ipse est, efficiamur: compensatá nimirum ipsius inanitione, quemadmodum ipse venit, eùm eorum, qui per gratiam salutem consequuntur, deificatione.* Non amittitur, quod sibi, licèt in altero committitur, non impenditur, quod eidem peculio compensatur. hæc illa vox psaltis regij: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*, Psalm.83. num. 6. Chrysologus *serm.*85. legit: *Ascensus tui, in corde eius.* quasi non posset homo ascendere, neque proficere, quin ascensus ille & profectus in Dei etiam cedere peculium intelligatur: *Ascendit homo ad cor altum, & exaltatur Deus.* quia communis merx, eiusdem sit commodi, sit iacturæ non immunis.

1084. Ex dictis proximè capies vnitatem significati, in longa significantis diuersitate. Helias quidem suscitaturus puerum, *expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus*, 3. Reg. 17. num.21. è contra verò Elisæus, idem erga alium facturus, non tam expansus dicitur, quàm contractus & incuruatus: *incuruauit se super eum*, 4.Reg.4.num.34. Sed si in vtroque Christus tamquam in typo suo, homines viuificabat, cur tam diuerso tenore nunc contrahitur in angustias, nunc augustior dilatatur? Soluit Gilibertus serm.16. *Ille*, inquit, *expandit se super mortuum, iste incuruauit: vnus in vtroque Christus, ille exinaniuit se, vt formam serui susciperet, & æternitatis suæ longitudinem, intra breuitatem temporalis naturæ contraxit: ipse expandit se, cùm spiritum sanctum abundè nobis infundit.* quia scilicet dum hac infusione extendimur & dilatamur, ipse visus in nobis Christus dilatari: quasi ex augusta hominis deificatione, angusta Dei inanitio suppleatur, qui semper peculium suum ex hominis vtilitate ponderauit. non ergo sibi contrarius typus in dilatato Elia, & Elisæo contracto, dum vnum significat Christum, in se & in suis perinde existimatum.

1085. Nullibi res clarior apparet, quàm in illis Christi verbis ad Ecclesiam: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, Cant.5.n.2. Certè non esset soror de affectu, amica de gratia, columba de gemitu, de munditie immaculata, nisi intima quadam sponsi purissimi vnione frueretur: iam intus erat, qui de foris pulsabat: quid ergo sibi rogat aperiri? quia dum homines Ecclesiæ gremio cupit introductos, qui foris adhuc detinebantur, sibi in illis postulat aperiri, pro quibus, ô amor! uenerat petere: sine quibus non vult peculium peculiare. Gilibertus acutior serm.42. *In carne*, inquit, *soror: in Sacramentis, sponsa: in spiritu, simplex: in sanctitate, immaculata: in his omnibus mea, aperi mihi: age quod agis, aperi mihi: tibi intus sum, sed aperi in illis, in quibus adhuc foris commoror: aperi illis, inuita, introduc in domum tabernaculi admirabilis.* quod in his tribus titulis illustrari, gratius adhuc aliunde patebit, vbi de homine Dei thesauro plura congero.

Dilectus meus mihi. VERS.16.

§. I.

Spei iustorum in Deo collocatæ tuta basis.

1086. **D***ilectus meus mihi*, inquit sponsa, in auxilium scilicet, *& ego illi*, scilicet in tutelam. & meritò, neque enim iusti alibi norunt spem suam collocare, nec aliunde opem sperare. Celebrauit Ægyptius Poëta prouinciam suam, quòd Nilo fœcundata, cœli imbribus non indigeret: beatos putauit agricolas, quorum fastidiosa nubium speculatio segetibus, non erat necessaria, ideo in Epigr. Nili sic scribit:

Fœlix qui Pharias proscindit vomere terras,
Nubila non sperat tenebris condentia cælum,
Nec grauiter flantes pluuiali frigore choros
Inuocat, aut arcum variata luce rubentem:
Ægyptus sine nube ferax imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Sed sibi habeat Ægyptus has felicitates, quæ etiam in hoc genere, vt statim dicemus, ab hyperbolico Poëta, fortè vltra verum extolluntur. Deus longè aliter segetes suas voluit irrigaras: vnde illud, *terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorũ morem aqua ducũtur irrigua: sed montosa est, & campestris, de cælo expectans pluuias, quã Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sũt à principio anni, vsque ad finem*, Deuter.11.num.10. quod enim aliqui volunt, in hoc loco fœcunditatem Ægypti declarari, aliis non placet, quasi sterilior sit promissionis terra; cum his Lyranus ibi: *Hoc*, inquit, *non videtur consonum Scripturæ pluribus locis, quæ describit terram promissionis, tamquam melle & lacte fluentem, & abundantem omnibus bonis, & ideo aliter exponunt Hebræi, non est sicut terra Ægypti. q. d. multo melior est quàm illa, quia ad fœcundandam eam, non sufficit pluuia de cælo descendens, & ros: sed requiritur quòd cum magno labore, aqua de fluuio Nilo per alueos deducantur, sicut solet fieri in hortis.* quidni maneat lacte & melle beata terra, quæ à solo cœlo pluuias expectat? quidni tamquam ab extrema inopia ab Ægypto discessurus Israël, hilari canteret Moysi: si à terreno fluuio capiat fœcunditatem Ægyptus? docere quidem suos voluit Deus, solius diuinæ gratiæ fauorem suspirare, semper cœlum intueri, diuinos imbres expectare, vt in nullâ inferiorum creaturarum ponerent spem, fiduciam collocarent, ne relicto viuo fonte, confractæ vndique cisternæ perquirantur.

1087. *Arcus, pro refugio.* Vsitatissimum armorum genus olim arcus, & sagittæ: vnde vsitatissima pariter dicendi ratio illa, qua in sacris litteris, arcus pro tutela & refugio vsurpatur. huc facit illud de Ioseph dictum: *sedit in forti arcus eius*, Genes.49. num.24. & Dauid: *non enim in arcu meo sperabo*, Psalm.43.num.7. hinc capies cur finito bello contra mortales inundante, cùm Deus signum fœderis, pacis symbolum humani generis reliquiis voluerit exhibere, eumque potiùs conterendum arcum, arma confringenda, & comburenda igne scuta, vt alicubi loquitur psaltes, dicendum videretur: arcus, instrumentum bellicum, in amicitiæ signum assumatur, vt in illo tamquam in tutela fiduciam haberent: *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram*, Genes.9. num.13. Sed cur inquis, si arcus eligendus contra pluuias signum,

non aliunde componitur, quàm è nube torida, pluuiis grauidâ, & amica diluuij? quia arcus cœlestis, quia arcus Dei: vt quoties posteri, de antiquo fœdere animati, opem ad similia infortunia optaremus: non aliò respiceremus, non alibi positum arcum intueremur, sed suspicientes in cœlum, inde solummodo spei nostræ captaremus implementum: fortè è terra putandum, si in terra arcus aliquis fœderis poneretur. Fauet D. Ambros. ad locum Psalmi citatum: *Si in arcu*, inquit, *sperandum, in Dei certè arcu sperandum est, quem posuit in nube, vt à diluuio genus humanum timere desineret: iste enim arcu nos protegit, quo & iaculatur sagittas, quibus percutiat inimicos, & aduersarios nostros.* Si ergo hinc solummodo hostes nostri debellantur, iam non poterimus auxilium sperare & tutelam, nisi è cœlo, vbi Deus arcum auxilij efformauit: vbi spei basis, tuta est.

1088. Postquam per nuntium primum greges & pastores, illos abreptos à latronibus, hos ab eisdem percussos Iobo propalauit Satan, *cap.* 1. *num.* 15. vt vehementiùs angeret Iobum, & in desperationem perduceret: statim per nuntium alium subdit, *ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, puerosque consumpsit*, num. 16 Sed quid magnum affert iste, Iobo, aduersùs primum ictum constanti, prosternendo? certè affert. quasi diceret dæmon: Quidquid damni ferat Iob, feret patienter, dummodo spem suam in cœlo sibi, iustorum more, positam crediderit: cœlum ergo ipsum sibi credat contrarium, vt spe Sanctorum amissâ, confundatur. Polychronius ibi in cat. Græca: *Ignem*, inquit, *de cœlo delapsum esse. commentitus est diabolus, vt non cum hominibus solum, verum etiam cum Deo, quem colebat, bellum sibi esse arbitraretur: eâque ratione, iusto spem omnem præsidij eriperet, atque in laqueos eumdem desperationis induceret.* Certè si iustos, nôn poterat alibi ponere spem suam: imò, quia iustus in cœlo spem suam collocarat, etiam ruente cœlo impauidum ferirent ruinæ: intrepidus persistit Iob, securus permanet, & adhuc in ipso cœlo, in Deo viuo, viuas spei radices nutrit sedulus. Vide aliam similem huius loci explicationem suprà *n.*687.

1089. Propterea idem Sanctus, & patientiæ spem fouentis thesaurus, inter alia, de quibus se diligenter purgat, ita habet: *si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum*, cap. 31. num. 27. Putarunt aliqui ab astrorum idololatria se purgare Iobum, quibus nunquam manus osculo exhibuerit reuerentiam: sed, vt bene ibi D. Gregor. qui nec etiam in minimis se deliquisse dixerat, quid magnum subderet, si quod est extremæ perditionis, idololatriam se negaret? meliùs ergo Gregorius idem putat inde se purgare, quòd, non naturæ, & dexteræ suæ viribus, sed gratiæ diuinæ opera assignanda, sibi non arrogaret: sed adhuc id non satis visum, cùm post minuriora scelera euitata, maximum hoc expulsum, extra locum adduci videatur: clariùs ergo, & rei nostræ congruentiùs D. Nilus in Ascet. *Cur à Deo*, inquit, *deficientes, spem, brachij carnem firmamus? dominique prouidentiam manibus nostris adscribimus? quod sibi Iob maximo crimini verti existimabat, si manum ori admotam oscularetur, id nos facere non veremur: mos enim apud antiquos erat, vt manus oscularentur, cùm sibi rerum copiam ab illis dicerent subministrari.* Equidem dum imperfecti sumus, spei partem in nobis videmur collocare: vnde de successu prospero, quasi proprias manus osculantes, diligentiæ nostræ congratulamur. hoc à se factum negat Iob, ne putaretur negasse Deum, qui bona mittit, & spem alibi ponere, non permittit.

1090. Opem populo suo implorantra Esther, *Deprecabatur*, inquit textus, *Dominum Deum Israel, dicens: Domine, qui Rex noster es, solus adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius*, cap. 14. num. 3. In mediâ regiâ, inter mille adstantium famularum cateruas, se vocat solitariam: quantum mirum! nullus Persarum foret princeps, nullus aulicus, qui non ambiret summopere, indicata sibi vel leui nutu obsequia Reginæ non præstare, vt inde Regis gratiam consequeretur: quid? deperibat illam Assuerus, à quo postularet nihil, quod innumeras inter blanditias non facilis impetraret, & tamen sibi dum orat, nullum auxiliatorem adesse, protestatur. Si petees veritate fundandæ, vbi veritas? certè maxima. erat perfecta Esther, & ideo tot paratis auxilij occasionibus, quia nec leuissimam spei, & minimam particulam in illis collocarat, sed totam in Deo posuerat: verissimè se in curia solitariam, & ab omni humano auxilio profert destitutam. ita Rupertus statim dandus. maius est quod addo. Quis putaret beatam illam sponsam, quæ mille odoramentis delibuta, mille perfusa aromatis describitur, non ex amœnitate pleni agri, ex odorum areolis erumpere: audi tamen vnde dicatur processisse: *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Cant. 3. num. 6. quia nimirum essent quantumuis feraces & opimi agri vnde ascendebat, vernantia prata, & germina florentia: hæc omnia, sterilem desertum reputabat, quæ in supernis tantummodo spem fixerat: adessent licèt multi, qui fauerent, ipsa sibi sola videbatur, quæ in cuiusuis rei prosecutione, solum Deum spei suæ vindicem vendicabat. Rupertus *lib.* 3. *ad hunc locum*, in hac sponsa, Deiparam intelligens: *Ascendisti*, inquit, *per desertum, id est, animum habens valde solitarium: si enim vera cuiusque animi humilitas, etiam inter turbas potest esse solitaria, ita videlicet vt in nullo alio, præterquam in Deo spem habeat: quemadmodum Esther cum esset Regina, veraciter tamen dicebat: Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te, nullus est auxiliator alius: quanto magis tu*, &c. imò ausim dicere, ideo ad diadematis fastigium Esther euectam, quia semper spei suæ rationes Deo commisetat, semper solius opem implorarat.

1091. Sed neque mirum, sponsa solitudinis tantæ commendetur, quæ paulo antè in eodem *c.*4. *num.* 3. de se ita: *inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis? paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* quis enim non miretur hîc factæ interrogationi, responsum non sperasse? si nuntiis suspitas, cur non speras? pœnituit nimirum illam interrogationis, quasi aliquid ab hominibus sperandum insinuaret: vnde sibi indignata, dedignata responsum, abiit. tenerius aliquid dixerim: humanæ sibi creaturæ velut mutescentes existimabantur, & quemadmodum qui in locis desertis, præ dolore, rupes, & truncos quandoque alloquitur, responsa (nisi fortè resonantis Echo inania) non expectat: sic & sponsa, nimirum, ne videretur in illis spem aliquam posuisse, vnde statim ad spei suæ & finem, & auctorem quasi interrogationis pœnitens conuolauit. adlucet aliquid D. Bernardus serm. 15.

in

in Pſalm. *Qui habitat*, vbi multa de ſpe diſſerit eleganter. *Meritò*, inquit, *proinde ſponſa in Cantico deſcribitur, inuentis licèt vigilibus (imò ab ipſis magis inuenta, nec enim eos ipſa quærebat) non ſubſtitiſſe, nec contenta fuiſſe vigilibus, ſed in Domino fiduciam habens:* vnde meritò cùm eos paulùlum pertranſiſſet, ſponſum inuenit, quæ nec paululum in conſiderando aliis fuerat immorata.

1092. Celebratur per totum Pſalmom 90. illius felix ſecuritas, & ſecuta tranquillitas, qui in adiutorio Altiſſimi, & in protectione Dei commoratur: tandem Angelorum præſidium & cuſtodia ſupponentium manus laqueis & lapſibus euitandis, commendantur: hine conculcatæ aſpides & baſiliſci, perambulati dracones & leones deſetibuntur, quaſi eiſdem deuictis, ſolùm tamquam lapidibus ſterneretur: vt in ſingulis greſſibus iuſti noua victoriæ pompa, noua triumphi exhibitio proderetur. Quis non putaret, iam ad exitus veniſſe hunc talem feliciſſimos, & iu Angelorum cuſtodia, quorum operor confecerat, totum requieſcere? Attamen audi ſtatim Deum: *quoniam in me ſperauit, liberabo eum*, num. 14. promittit illi ſcilicet maiora auxilia, quia ſublimius adhuc in ipſo Deo ſpem collocandam curabat; quia licèt ob tanta beneficia gratias Angelis haberet, tamen illorum, vtpote creaturarum, auxilio non fuerat contentus, qui ſolius creatoris curæ ſpem tradiderat. D. Bernard. ſerm. citato, *Angelus, inquit, ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: quid vltrà potuit tibi facere, & non fecit? noui quid cogites ingenua creatura: habes gratiam Angelis Domini, ſed ad ipſum ambis Dominum Angelorum.* & poſt multa, de ſpe in Deo ponenda, ita concludit: *Non enim dedignatur eſſe ſpes miſerorum miſericors, & miſerator Dominus: non ſe ipſum liberatorem ſimul & protectorem in ſe ſperantibus exhibere recuſat.* & ſcitè ſic ſpeantem vocanit ingenuam creaturam Bernardus: amittit enim ingenuitatem ille, qui ſe in auxilio creaturæ mancipat ſperaturum, imò confundendum.

1093. Hinc Propheta poſtquam incredulos, & in Deo non ſperantes, tamquam infauſtum omen auerruncat, ſubiungit: *ſuſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea*, Pſalm. 118. num. 116. q. d. ne tollas mihi ſpem in te fundatam, ne fortè in creatura illam fundans, confundar: ſciebat quippe ſolum ſic ſperantem non confundi. Scio quàm altiter hic locus ab aliis capiatur: ſed ſic etiam capi poſſe docet multis D. Ambroſ. ibi ſerm. 15. ſic concludens. *hoc eſt: frangimur frequenter laboribus, fatigamur: ſed ſi ſpes deſit, confundimur, & totâ mente turbamur.* ſcilicet, quia præſente ſpe io Deo collocata, neque turbatio inuenitur, neque confuſio, quas humanis ſperantes inoeniunt miſeri. ideo priùs dixerat idem Propheta ibidem: *adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuum ſuperſperaui*, num. 114. de quo citatus Ambroſius: *Deus, inquit, dicitur, qui ſemper addis ad ſperandum, & cùm ſperauerit aliquid, iterum ſperat, & ſpe proficit, extendens ſe ſemper ad ſuperiora, & ea, quæ prateriit, obliuiſcens.* Sic enim in Deo ſperandum, vt pendeatur ſemper, ſemper ſpes ſpebus concatenentur, à quo ſolùm etedantur bona derinari. Sic olim finxerunt veteres à Iouis dexterâ catenam deorſum verſus mittendam, vbi rerum omnium natura colligeretur: pro vt ſpes omnium in vltimo ſoſtentante Deo poneretur. ideo bene Poëta poſt mille narratas Troianorum diligentias, nihil proficientium, addit:

Heu nihil inuitis fas eſt confidere Diuis.

ne dum æternò Numine non aſpirante. non ergo ſolum ſperat Propheta, ſed ſuperſperat; quia ſic fidebat humanis diligentiis, vt inſuper ſtante Deo præcipuè ſperaret: ſic vt etiam addam Ambroſio, infima & media obliuiſcitur, vt tendat ad ſuperiora, donec in ſupremo Deo, ſpe firmus conquieſcat, in quo ſolum intelligit ſpes non confundendas. Concludo hoc ſecundum caput verbis D. Nili ſuprà citati, qui ad illud Leuit. 11. num. 27. *quod ambulat ſuper manus immundum erit*, poſtquam illos abominatur, qui, vt ſuprà dixi, manus ſibi oſculantur, quaſi in illis ſpem ſuam collocauerit: hæc ſubdidit. *Hos ænigmate lex deſignat: quod manibus, inquit, incedit, immundum eſt: manibus incedit, qui manibus innititur, quique ſpem in illis omnem ſitam habet.* & bene ænigmatis huius corpus, è quadrupedibus ſumitur: vt indidem ſumat figuram, qui mores ſumpſit; ſtolidiſſimum quippe ſibi homunculo fidere: nec ſemper ſuperni Numinis auxiliis ſuſpirantem anhelare.

CAPVT TERTIVM.

Per noctes quæſiui, &c. VERS. 1.

§. I.

Culpæ, inſeparabilis comes timor venit.

1094. Per noctem, & ſola circumcurſat vrbem puella, hæc vmbras trepidat, nec cuſtodes metuit. grande miraculum, dices: immo nullum: innocens erat, & ideo intrepida. Væ animæ peccatrici, quàm vnicè verus timor, & vrgens pauor vbique comitatur: cauſſa illa, quia quemadmodum profugi, & proſcripti homines perpetuò anguntur timore, vbique trepidant, ad vmbras expaueſcunt, quouis moto turbantur, ſic & peccatores, à Deo profugi, proſcripti inferno, inſeparabili metu concutiuntur. D. Chryſoſt. homil. 8. ad popul. *Multos, inquit, ſæpe conſpicati peccatores, ad aliud miniſterium occurrentes, ad ſe venire cogitantium, & aliis alia inter ſe differentibus, peccati ſibi ipſis conſcij putant illos de ſe ſermocinari: talis enim res, peccatum eſt, nullo prodit argumento, nullo condemnat accuſante: pauidum facit, & timidum peccatorem.* Videamus hoc latiùs.

1095. Dedicatur hæc pœna tamquam culpæ congenita, in prima culpa. peccat Adam, & vix audit *vocem Dei deambulantis in paradiſo*, Geneſ. 3. n. 8. cùm ſe, fugam proripiens, abſcondit: nimirum de culpa timidus, trepidus de peccato, vt paulo pòſt fatetur, *vocem tuam audiui, & timui.* Sed pende mecum fugiſſe & abſcondiſſe ſe Adamum, non quòd adhuc oris vocem, & verba Domini audiret, quod poſtea euenit: ſed ſonus greſſuum deambulantis Domini tantùm, vox in hoc loco appellatur, vt multi volunt: cur ergo ſi nihil cernebat, ſed tantùm motos ſtrepitum ſentiebat, non aliquam è feris circumcurſantem exiſtimat fortuitò, ſed Deum ex induſtriâ ad vindictam venientem? quia innatus timor iudicem, & inſtantes pœnas facilè ſuſpicatur. Chryſoſt. ſuprà citatus ad hunc locum: *Quòd aliquis, inquit, deambularet, ſenſit: vnde verò cogitabat, quòd Deus deambulabat? talis eſt peccantium conſuetudo, omnia ſuſpecta habent, vmbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, & quoſque putant ad ſe venire* Sic vocem Dei deambulátis, id eſt, greſſus pedum expaueſcit

E:

1096. Et quidem si motu celeri, perstrepenti pedum sonitu adueniatet, posset quidem cum timidus tamquam iudicem suspicari, & ab irato postulandas pœnas expauescere: sed compositus erat incessus, lenis motus, amica deambulatio, & tamen conturbatur, quia misero timoribus correpto, deambulationis lenitas, strepitus sæuissimus videbatur. D. Leontius Arabissinus apud Phot. *cod.* 272. ex ore Adam: *Vocem tuam*, inquit, *audiui deambulantis, & abscondi me, & cur timerem, satis erat vel pedum tuorum strepitus: tanti enim indicis, omnia clamant membra.* expressit quidem ipsissimum timoris affectum, & effectum: qui quædam vel minutissima, magna reddit, & alia mitissima, horribilia; muscam in elephantem, in lupum ouem transformans: sic deambulatio lenis iudicis, serenus gressus, fit horribilis reo, quasi super tumentes ventorum procellas, & strepentes pennas, pœnas exacturus irrueret. hinc & sonitum pedum gradientium *vocem* appellat: quasi vel etiam pedes quot gressibus, tot oribus verba ità spumantia efformarent, & voces vindictam proclamantes intonarent.

1097. Quid Cain? *Ecce*, inquit ad Deum, *eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*, Genes. 4. n. 14. ecquis omnis? Adam tantùm, & Eua, parentes erant: an ergo filicidas, vt ita dicam, timebat, qui fuerat fratricida? non hos solùm, sed omnes, id est, omnia pertimebat; bestias, frondes, vmbras, flumina, ventos, elementa, cœlum: atqui non illa vider se insequentia, non sa persequentia experitur: cur ergo non solùm *vagus*, sed etiam *profugus*? quia interno timore adigitur, & pauore semper panico conturbatur. Vide de Cain titulum sequentem. Est ergo hoc illud Prouerb. *fugit impius nemine persequente*, cap. 28. num. 1. de quo grauiter D. Chrysost. citatus: *Audi*, inquit, *quomodo huius pauorem* &c *Scriptura designauit: fugit impius, persequente nemine*, inquit. *Quomodo persequente nemine fugit? intus habet agentem conscientia accusatorem, & vndique circumfert, & sicut se ipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agentem: sed quocumque abeat flagellatur, & vulnus habet immedicabile.* & quid miserius, quàm pauore perpetuo cruciari? semper præsentem experiri carnificem timorem, qui futuras pœnas alias minitatur?

1098. Rapit Dauid vxorem militis sui, Vriæ scilicet, & cognito fœminæ conceptu totus trepidat, inde mille technis maritum de medio satagit tollendum. Sed quid tunc, dicat aliquis, si miles regem adulterum intelligat? quod homuncio plebis ad Monarcham? sed esto, non esset Dauid rex, deponeret sceptrum, amitteret coronam: par parem componamus: quid Vrias ad Dauid? iste certè manu fortis lantandis leonibus, vrsis prostrandis, giganteo capiti detruncando: quid tale de Vria legitur ergo timet Dauid? quia ipse quidem, qui si virtute constaret, si sanctimoniâ floreret, integrea Vriarum exercitus irrideret, & leonis instar leonibus insultaret: dum peccauit miser, non solùm Vriam, sed vmbram trepidat homunculi: pauet culpæ conscius, & spectata pallescit conscientia; vnde anxiè 2. *Reg.* 11. liberandos periculo curat occidendum. huc iterum Chrysost. homil. 1. in Psalm. 50. *Videte*, inquit, *admiramini fratres, quantum malum sit, delictis & peccatis obnoxium fieri: Rex militem timet, & formidat subditum: Imperator coronam capite gestabas, & confusionis opprobria metuebat. Nonne tu Imperator, nonne gladij potestatem habes? habeo*, inquit: *sed conscientiam peccati mei timeo formidinis matrem.* filiolos sicut mater fouet, sic scelerata conscientia timores: qui animum eneruant, emolliunt, effœminant.

1099. *Rex de culpa infamis trepidat, depon... coronam...* Sed Dauid vnus erat, nec mirum si princeps aliàs bellicosissimus, de propriâ culpâ timidus ignauescat. maius est integrum quendam exercitum, de vnius tantùm culpâ emolliri, & trepidos à paucis fugere, qui pauciores, innumeros fugauetant. In promptu est exemplum Acham, contra Dei præceptum spolia suffurantis, *Ios.* 7. cuius peccatum tribus hominum millibus, ignauiam indidit, timorem adiecit, vt fugæ pedes, & hostibus terga darent fœdissimè *num.* 5. vnde querulo duci, & infamiæ nouitatem deprecanti respondet Deus: *Peccauit Israel, & præuaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua, nec poterit Israel stare contra hostes suos, eosque fugiet*, num. 11. vnius tantùm Acham sceleri obnoxia conscientia, inuisibiles partu solito peperit, aliorum etiam cordibus, pauores, & fortasse ideo omnes furati, omnes mentiti à Deo infamantur, qui si minus culpâ, certè effectibus culpæ laborabant, scilicet timore. Tertullianus ad tem aliam Apol. cap. 1. *Omne malum*, inquit, *aut timore, aut pudore natura perfudit: denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi* Sed tarius est quod Israël ob vnius culpam totus trepidet timore, & quasi pudore confusos auertat vultus.

1100. Pulchrè Dido regina apud Virgil. *Æneid.* 4. tot bella intrepidè exhausta ab Ænea, tot fortiter superata pericula examinans, inferebat:

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum
Degeneres animos timor arguit.

Sic quidem verè, veros Dei filios probat securitas, vt timor, peccato genitos protestatur. bene D. Zeno *serm.* 2. *ad Neophitos*, quos per Baptismum Christo regenerabat. *Rectè*, inquit, *sanctissimus Dauid ait: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, Psalm. 31. num. 1. *quia beatus esse non potest frater, in prima natiuitate persistens: quem æstuantium delictorum fax incensa omnibus momentis exurit: qui pudorem sui secum carceris portat: qui carnificem sentit, antequam videat: qui nomen Iudicis pertimescit: qui si vnde susurrus ingruerit, se queri, se æstimat inueniri.* vt ita renatorum per gratiam stemma foret securitas, quia natorum in peccato, stigma erat formido. & fortasse ideo Propheta in loco Psalmi citato, iustificatos, non solùm felices dixit, sed beatos: quia iam æternæ gloriæ gustum delibant, nil timere.

1101. Nec sine pondere dixit Zeno: *se queri, se æstimat inueniri*, quia renera profugus peccator licèt trepidet semper, quandoque subterfugere videtur: at interim quæritur, vt *sic tic.* dicam, à quouis creatura ad vindictam, & inuenitur tandem. cui quantumuis vilissimæ, peccator aliàs potentissimus, compedibus timoris impeditus cedit, & constrictus formidinis manicis, dat manus ignauissimus. Defendebat Achab Rex vineæ occisi Naboth insultaturus, purpura radians, decorus diademate, solito quis dubitat? satellitio constipatus, & vix Heliam pelle hirridum, incomptum cæsarie, solum videt, cùm exclamat: *Num inuenisti me inimicum tibi? qui dixit, inueni*, 3. Reg. 21. num. 20. *iuxta* LXX. *si inuenisti me inimicus meus? & dixit, inueni.* Siste satellitium, & si forte curru vehitur princeps, auriga siste; accedamus non tam visuri Regem, quàm audituri mysterium: *si inuenisti*, inquit,

quit, *me, inimicus meus*: anxia vox, & plena timoris: ſtatim ſe ſuſpicatur quæſitum: ſed quid tunc ſi inueniatur ab homine inermi, & vulgari? reſpondet Ambroſ. lib. de Nabuthe cap. 12. *Toto mundo*, inquit, *fugit, qui conſiderans conſcientiam ſuam metuit deprehendi: & ideo Achab ad Eliam: Inueniſti me inimicus meus: quàm miſera conſcientia qui ſe proditam doluit? & dixit Elias ad eum, inueni. Rex erat ille, & Rex Samariæ Achab, Elias pauper & indigens pane, cui victus defeciſſet ſubſtantia, niſi corui alimoniam miniſtraſſent. adeò deiecta erat conſcientia peccatoris, vt nec regalis potentia faſtu attolleretur: ita quaſi vilis & degener: inueniſti me, inquit, inimicus meus.* ſcilicet, degeneres animos timor arguit: generoſos Regis ſpiritus amiſerat, & armatus, inermi cedit homunculo, qui de peccati torpore rigeſcebat: nec ab Elia tantùm, ſed à quocumque priùs inueniretur, ab illo aliàs imbelli debellaretur ignauior.

1102. Hanc vim puto, habent illa Ieremiæ: *Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui: omnes qui inuenerunt, comederunt eos*, cap. 50. num. 6. quia nulla creaturarum ita mollia, nulla ignaua ita, quæ timidiorem longè, & ignauiorem, non reputet peccatorem? quæ ſi irruat, ſtatim illum non videat corruere. Sic, vt ſuprà dicebam, omnes trepidat Cain, qui ſcit ab omnibus quæri: adde, & ſcit, ab omnibus, aut à quouis inueniatur, ſuperandum. ideo Dauid ſub vineæ metaphora de his locutus ad Deum: *vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam*, Pſal. 79. num. 13. etiam vilioris formicæ, abiectioris muſcæ ora, in falces detruncandis peccatoris compitibus ſufficiunt. Timet ergo peccator omnes, ab omnibus ſe putat inueniri, & quia non talis ſponſa, etiam à cuſtodibus inuenta, pergit ſecura.

1103. Hinc illa vox Archangeli ad Mariam: *Ne timeas Maria*, Luc. 1. n. 30. ad Angeli conſpectum horret Dauid: Aſſiorum exercitus eneruatur: quid ergo non timeat virguncula? vide quid ſubdat: *inueniſti enim gratiam apud Deum*, ibidem, nimirum & cum gratia ſecuritatem: peccator inuenitur, Maria inuenit; ille ad vindictam, iſta conſtantiam: ille, quia gratiam perdidit, concipit pauorem: iſta pauorem perdit, quia gratiam inuenit. Chryſol. ſerm. 144. *Ne timeas*, inquit, *Maria. quare? quia inueniſti gratiam. timet, non qui inuenit, ſed qui perdit.* & quidem meritò, quia ſicut iuſtus qui iam gratiam inuênit, illa perſiſtente, omnibus robuſtior à nemine poteſt inueniri ſuperandus: ſic peccator, à nemine non proſtrandus inuenietur: vnde ille ſine timore permanet, hic perpetuâ premitur formidine: virguncula delicata ad Angeli occurſum impauida eſſe iubetur & armata Ægypti potentia muſcas, ne dum graſſatorem ſpiritum trepidans perhorreſcit.

1104. Inluſtre ad hanc rem teſtimonium illud Matthæi de Angelo reſurrectionis de fulguribus vultus venerabili: *Præ timore*, inquit, *eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui: reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos*, cap. 28. num. 4. Sed quomodo reſpondens qui nihil interrogatur? quia interrogantibus tacitè fœmellis viſus reſpondere: quæ addubitare videbantur, quomodo ad iuuenis inermis aſpectum integra armata cohors proſtraretur: ac ſi reſponderet Angelus: proſtrantur timidi, quia priùs ſe peccato ſubmiſerunt: vos autem, quarum vita innocens, & ſi imbelles, excutite pauorem, quem ſolum affectatè volentes capere poteſtis, ideo *nolite*, dico: trepidet de more culpa: vos autem ſitis de amore ſecuræ. fauet idem Chryſol. ſerm. 75. *Quare, inquit, territi? quia cuſtodiebant crudelitatis ſtudio, non pietatis obſequio. ruit, deſtruitur, ſtare non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus: hinc eſt quòd Angelus percellit impios, pios alloquitur, & ſolatur: nolite timere vos, hoc eſt, timeant illi: quærentes non timeant, timeant perſequentes.* quia virtus inermis ſemper præualet, ſemper armata etiam culpa debellatur: vnde illa animo conſtans, iſta animo deficiens miſerè collabitur?

§. II.

Muteſcentium, non locutio ſolùm, ſed elocutio, aduersùs culpam.

1105. SEd miraberis cur, etſi ſecura puella noctu perambulet, pericula non metuat: at ſaltem linguas maledicas non pertimeat: certè puella pulchra & ſola intempeſtiuè circumcurſans, minus cuſtoditæ, moueret ſuſpicionem. nec euadam ſi dixero, nocturnis tenebris rectam ne noſceretur, ſeduló que curaſſe inſuper, ne aliquibus offenderetur; quia, vt bene vulgus iactat, in ſimilibus euentis etiam lapides viſi loqui, nec fora nec plateæ obmuteſcunt. fateor: ſed vel inde puellæ innocentia comprobatur: timeret quidem muteſcentium linguas, ſi quid perperam ageret: ſed dum ſubiratum meritò, anxia quærit ſponſum, laudandam potius rem tractat, quàm arguendam: non ergo mutorum voces timet, quæ ſolummodo contra culpam, loquelam formant, vibrant eloquentiam. innocens ergo ſponſa, quam in actu aliàs ſuſpicioni obnoxio, non tamen legis à mutis creaturis accuſatam, non ſanè tacituræ, nec innatam aduersùs culpam repreſſuræ eloquentiam, ſi quid in puella prauum, ſi quid reprehenſibile inſpexiſſent.

1106. Nihil Cain infauſto miſerius, vt paulo antè dixi, potuit euenire, quàm creaturas omnes trepidare, & diuinæ iræ vindices perhorrere: vnde illud in tanta humani generis paucitate, *omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*, Geneſ. 4. num. 14 quaſi mille ac mille eſſent homines, qui ſceleris ſui ſumerent vindictam: ſed quidem etſi hos non timebat, timebat quidem beſtias, quas ſe contra, peccato ſubditus obarmarat. D. Ambroſ. lib 1. de Cain cap. 9. ad finem: *potuit quidem*, inquit, *& incurſus beſtiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præſumere, de ſubiectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi.* ſic prauo exemplo, beſtiæ occiſorem didicerant contrucidare, indidem diuinæ adminiſtras vindictæ ſe præbentes. eſto: diſcerent beſtiæ illæ quæ fortè occiſum Abel, & impium fratricidam aſpexerunt: has timeat, ſed cur alias? imò, cur omnes? *omnis qui inuenerit me occidet me*; vnde noſceretur? viſum ſpectatrices beſtias ſumpta loquela abſentibus aliis facinus inſinuaſſe, & ſic breui nullam fuiſſe creaturam, quæ reum ignoraret: fauet Lyranus ad num. 16. huius capitis de Cain locutus: *quocunque*, inquit, *ibat terra, ſubter illum mouebatur: dicebantque creaturæ, Recedite, hic eſt qui fratrem ſuum occidit.* quaſi muteſcentes omnes, in vindictam & horrorem culpæ verba formarent, reum accuſaturæ.

Beſtiæ peccatorem quærunt ad vindictam.

1107. Sed quis neſcit terram, quæ hîc motu horrido dicitur concuſſa, priùs in illum verba conformaſſe? *Vox*, inquit Deus, *ſanguinis fratris tui, clamat ad me de terra*, ibidem num. 10. vbi nota pueris verba Ambroſ. citati: *non dixit*, inquit, *de fratris clamat corpore*,

re, sed de terra clamat: & si frater parcit, terra non parcit. Immoremur paululum, aliquid nouum adhuc examinaturi. *Nunc igitur*, addit Deus, *maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua*, num. 11. Solent in iudicium sanguinolenta occisi alicuius spolia asportari, vt ipso aspectu iudicum oculos moueant ad vindictam: vnde & amici Cæsaris, sollicitandæ aduersùs patricidas iræ populi Romani, ad caput funebris lecti tropæum erexerunt, *cum veste, in qua fuerat occisus*, vt refert Suet. *cap.* 84. quò esset, sic sanguine respersa incitamentum. longè prudentior terra aperuit os sanguini suscipiendo, vt quæcumque verba clamore funderet, effusum sanguinem saperent, & redolentia mortem, viua forent vindictæ simulachra: *inter ludos*, inquit, Sueton. citatus, *cantata sunt quædam, ad miserationem & inuidiam necis eius accommodata: ex Pacuuij armorum indicio: men' me seruasse, vt essent qui me perderent: & ex Electra Attilij, ad similem sententiam.* pende iam terræ rhetoricæ artem ad persuadendum: quanto enim maiorem miserationem occisi, quanto maiorem occisoris inuidiam commouerent verba illa, quæ ipso illius sanguine, in ore sanguineo formata, tingebantur? quomodo testis illius, in homicidio, verba putarentur mendacia: qui verba occisi sanguine inficeret? & quidem cùm tantùm dicat Scriptura terreno ori sanguinem immissum, fortè cogitabat hæc Ambrosius cùm subdidit: *ipsa est in te testis, & iudex: testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet: Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est.* si enim os terræ tantummodo madet sanguine, dum madens testis dicitur, infectum testimonium sanguine, & propterea acre & eloquens conijcitur perhibuisse.

1108. Nisi fortè dixerimus non aperuisse terram os suum ex industria sanguini suscipiendo, sed aperto ob rem aliam, sanguinem iniectum inuitè suscepisse: ac propterea inde maximè excitari, tamquam indoli, quem passa est vindictam. Pendebat aperto, vt aiunt, ore terra, cùm fratres colloquentes vidit, quasi pietatis verba, semina charitatis esuriens perceptura: quorum loco, dum sanguinis sentit imbrem, sitit iam vindictam: & eodem aperto semper ore, (ac si fugeret illud claudere, ne deglutito sanguine, impiæ immanitatis particeps videretur) acerbissimas reo pœnas exorat clamans: Vide qua energia os perorатet, quod non aliùs membri, sed suam ipsius iniuriam caussabatur. Adhuc pergit Ambrosius: *& illa*, inquit, *aperuit os suum, quasi exceptura de fratribus verba pietatis: nihil timens cùm fratres videret, quæ sciret ius germanitatis, amoris incentiuum esse, non odij: nam quomodo poterat parricidium suspectare, quæ adhuc non viderat homicidium? sed tu effudisti sanguinem, cuius dolens ipsa contagium, non augebit*, inquit, *virtutem suam dare tibi.* imò, addam ego, totam virtutis suæ potentiam in te vno accusando offensa & infensa collocabit.

1109. Idem certè, si minus aliunde accepto sanguine, at se ipso in sanguinem mutato, punitorus Ægyptios fecit Nilus, *& eleuans*, inquit Scriptura de Aarone, *virgam, percussit ad aquam fluminis, coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem*, Exodi 7. n. 20. neque enim caret mysterio, quòd si sanguis sumendus erat ad vindictam, ex flumine tantummodo peteretur: aut si flumen instrumentum nouis pœnis erat ministraturum, sanguinea id præstaret conuersione. scilicet ad flumen iubebantur infantes proijci, ibi innocentulus Hebræorum sanguis peribat: sumitur ergo flumen in plagam, idque in sanguinem conuersum: vt innocentem illum repræsentans, testis acerrimus, feruidus orator extremam vindictam sollicitaret. Macarius Chrysocephalus *orat. de cruce* apud Gretſ. post alias huiusce rei caussas: *Tum*, inquit, *propter Hebræorum infantes in hunc fluuium abiectos, nam mutatus in sanguinem, tam crudeliter effusum, ad Deum vindictæ caussâ clamantem, quodammodo repræsentabat, & ob commissa in infantes piacula, eos redarguebat.* & bene *redarguebat*; quasi excusatiunculas reuincens: ergo quot vndas voluebat, tot processus paginas complicabat: quot edebat murmura, tot vindictæ suspiria animabat.

1110. Neque id satis: nouam ex eisdem aquis plagam format Deus: animat illas, animosè contra Pharaonem decertaturas. putabis iam frequentes Nili crocodilos assumendos. crocodili amphibia animalia, nunc fluminis habitatores, nunc terræ incolæ, homines si inuaderent, terrerent penitus, conficerent omnino. adde Deorum instar barbaris Ægyptiis cultos crocodilos: quid ergo maius quàm si percutientis virgæ potentiâ, in Hebræorum fauorem, Deos suos contra se dolarent sæuientes? & tamen abstinet ab horribilibus his bestijs Deus, eligit bestiolas, ranas format: *& extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram*, Exodi 8. num. 6. Et quid, inquis, magnum in ranis ad mysterium? vt non solùm decertarent contra insensatos, sed etiam disertè illos coarguerent. Idem Chrysocephalus citatus: *Idcirco*, inquit, *pro altera plaga eadem aqua ranas submiserunt, ob infantes qui in illis vndis expositi, suffocatique perierunt. nam infantes cùm gradiuntur, imitantur quodammodo ranas, similemque vocem edunt.* Serpebant ranæ, & ipso incessu, reptantes neci deditos infantes referebant, & quoties mouebantur, toties nouas faces admouebant vindictæ: sed, quod maius est, dum darent coaxatus solitos, vagitus tenellorum dolentes exprimebant, & sic in cunctis coaxatibus eloquens ad pœnas repetendas oratio detonabat.

1111. Abstraxerat boues Herculis, (res est non vndique fabulosa) per summum scelus Cacus fur teterrimus, insignis plagiarius: quæsierat illos Hercules diu, & non inuentis, discedere cogitabat: cùm ecce tibi repentè ipsimet boues mugitu edito furtum produnt, & furem manifestant. Virgil. *Æneid.* 8.

Reddidit vna boum vocem, vastoque sub antro
Mugijt, & Caci spem custodita fefellit.
Hic verò Alcidæ furijs exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu nodisque grauatum
Robur, & aerij cursu petit ardua montis.

fortasse vt innueretur, ipsa bruta plagiarium accusasse, mugituque vindictam ab Hercule, vt euênit, sollicitasse. Sed quidquid sit de hoc, habes simile aliquid diuinizatum in libro Regum: vbi boues ex prohibita præda reseruati, auarum Saulem, & nefarium Regis furtum quasi à Samuele vindictam postulantes, mugitu prodiderunt: hinc illa vox Prophetæ Regem arguentis, *& quæ*, inquit, *est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio*, 1. Reg. 15. num. 14. quasi in testes veridicos & acerrimos boues contra peccatorem adduceret: vbi mihi nota, bestialem sonum & mugitum *vocem* appellari, quæ propriè humana est: quia nimirum mugitus in vocem quasi verba formaturam conformabatur. Viderint interpretes, an eâdem emphasi Virgilius adducto loco vocem boui attribuisset. Audi nunc

D. Gregor.

D.Gregor. ad hunc locum *lib. 6.* rem myſticè explicantem. *Vox*, inquit, *gregum & armentorum Amalech, fama turpitudinum eſt : quando de minoribus luxuriæ culpis quilibet diffamatur, vox gregum reſonare dicitur : quando item de crimnoſioribus, & obſcœnioribus accuſatur, vox armentorum. quaſi ſub falſa virtutis ſuæ ſimulatione reconditum, nudet dicens: Tu te proprio ore iuſtificas : ſed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant.* Fortè legendum *tubæ*, non *turbæ*: ſed, quidquid ſit, ipſos boues audis, & ipſas culpas vindictam poſtulare peccatori. ecquid infelicius, quàm ipſamet peccata quibus ſeruiiſti, contra te diſſerere? parum id : ſic diſerta eſſe, & eloquentia, vt oratione habitâ, dictâ inuectiuâ, creaturas inſenſibiles & ſurdas, pœnis poſtulandis reddant auritas? mentiar ſi non probem manifeſtè.

1112. Iuſtam vindictam de Sodomis ſumpturus Deus, putidiſſimâ ſulphuris flammâ, putidiores flammas libidinis extinxit : *igitur Dominus*, inquit textus, *pluit ſuper Sodomam & Gomorrham, ſulphur & ignem à Domino, de cœlo*, Geneſ.19.num.24. Sed ſi à Domino tædæ ſulphureæ in Sodomam expreſsè vibratæ deſcribuntur, cur additur è cœlo miſſas, cùm id ſuperfluè dici videatur? credo vt cœlum vindictæ particeps & inſtrumentum agnoſcatur: dixerant priùs Angeli ad Lot, *quòd increuerit clamor eorum coram Domino*, ibidem num. 13. dum ergo clamor peccatorum ad Dominum eloquens aſcenderet, cœlum pertranſiens, ipſum pariter admonuit, & auritum reddidit : quo illud vix percepto, apparauit ſtatim è meteororum theſauris iacula ſulphurea, profligatiſſimis hominibus euertendis: fauet Alcuinus in Geneſ. quæſt. 185. *Quæritur*, inquit, *quare de cœlo vindicta data eſt, ſuper habitatores impios ciuitatum illarum? Reſpondetur, quia clamor peccantium in cœlum aſcendiſſe dicitur : idcirco de cœlo puniendi erant.* quàm eloquens perſuaſio, quæ etiam ſurdos armat in vindictam.

1113. Et quidem ſi peccata clamant, ſi ſurdis in pœnam præbent aures: iam non temere crederem, protoplaſti culpæ clamores terram audiſſe, irritatamque, in illum ſpinas obarmaſſe. Mille ſunt ſpinarum genera, vnde multum vtilitatis in eſcam animalium, multum in hominum ſalutem eruitur medicaminis, quod nemo ex plantarum ſcriptoribus non agnoſcit: ideoque ſpinas tertia item die cum cæteris plantis productas fuiſſe, communis eſt ſententia Auguſtini, & poſt Adæ culpam, loco pœnæ dicitur de terrâ : *ſpinas & tribulos germinabit tibi*, Geneſ.3. num.18. Sed quomodo poſt culpam dicitur germinaſſe, quod à prima plantarum productione, ante culpam fuiſſe, creditur probabile? quia nimirum peccati clamore in vindictam perſuaſa terra, quas priùs in alios vſus germinabat, denuò in hominis nocumentum, gladiorum inſtar, vt potuit exacuit: ideo non ſimpliciter germinatura dicitur, ſed *tibi* additur : hoc ſecundum voluit D.Auguſt. *lib. 3. de Geneſi ad litter. cap.* 18. ſic concludens: *Priùs*, inquit, *non homini, pòſt autem homini : vt hoc ſignificetur quod additum eſt, tibi, quia non eſt dictum, ſpinas & tribulos pariet, ſed pariet tibi, id eſt, vt iſta iam tibi naſci incipiant ad laborem, quæ ad paſtum tantùm aliis animalibus antea naſcebantur.* quaſi iam terra peccati horrore, horreſceret ſpinis in vindictam, quibus priùs ad vitam germinans reuirebat, & vteretur ad arma, quibus in veſtem antea vtebatur.

1114. Ponat dictis coronidem mare : non ſolùm non obſurdeſcens contra culpam, ſed & eloquens:

Pinus in Cantica.

ipſum quippe, quo ad peccatum, abuſus Ionas, Ionæ fuit flagelli adminiſtrum : bene de illo D.Paulinus *epiſt. carm.* 42.

O digna ſancto clauſtra fugitiuo Dei,
Capitur mari quo fugerat.

hinc illud : *mare ibat & intumebat*, cap.1.num. 11. vbi D.Hieron. *Ibat*, inquit, *in vindictam Domini ſui perſequens fugitiuum Prophetam : intumeſcebat autem per ſingula momenta temporum, & quaſi nautis morantibus in fluctus maiores ſuſcitabatur, vt oſtenderet vltionem peccatoris ſe differre non poſſe.* & quid maius, quàm relicto curſu ſolito, quo præceps mare fluit, eò tantummodo dirigi, vbi Prophetam vindex abſorberet. Sed mihi ſemper dubium, vnde noſcerent nautæ ſe non de temporis iniuria, ſed de iure & occaſione peccati fuiſſe præoccupatos, cui dignoſcendo ſortes immittebant : crederemque intumeſcentium fluctuum ſonitus, reboantis æſtus fragores, maiores ſolito, illis quodammodo humanas, viſas voces ſceleratum reum expoſcentes: bene D.Chryſoſtomus hom. de Iona : *Mare*, inquit, *conſeruum agnitum, non alieno patrocinio, nullius poſtulato ſubſidio : ſed propria virtute commotum, vt ſibi redderetur, expoſcit.* Sed hunc locum integrum dedi ſuprà *num.* 661. vbi de inſenſibilitate peccatoris, & ibidem obiter non pauca, de creaturarum in illum eloquentia : de qua etiam alibi plura congeram.

§. III.

Ignis virtutem probans, aut amœnat irriguus, aut diuinus exornat.

1115. IN his ſponſæ noctibus explicantur etiam afflictiones ſpiritus, corporis tribulationes, quibus anima ſancta examinatur, cùm ſemoto felicitatis die, ſerenitatis luce, moleſtiarum ingruunt tenebræ, cordi nox incubat atra. nec tamen audis querulam ſponſam, non tot noctis anguſtias deprecantem : vnum dilectum ſuſpirat, cætera nihil curat, nimirum prudens nouerat ignem tribulationis à creaturis ſibi occurrentibus (noſti ex *cap.* 5. immanitatem cuſtodum) immiſſum: non tam vrere, quàm irrigare; & grata metamorphoſi, ardentes alibi flammas, nutriendis virtutibus, in amœnantes vndas commutatas. Nouerat afflictiones ab ſponſo Chriſto abſentiam ſimulante, examinantem eſſe ignem, quo non tam conſumenda, quàm comenda foret. quidni ergo tribulationes aut ab homine, aut à Deo ſibi paratas ferat patienter? vtrumque inluſtro breuiter.

1116. Paſcebat Moyſes gregem ſoceri ſui, dumque obediens quæcit terrena paſcua, inuenit felix cœleſtia : *Apparuitque*, inquit Scriptura, *ei Dominus in flammâ ignis, de medio rubi*, Exod.3. num.2. quia nimirum pius Dominus ipsâ illum, de liberando populo, viſione voluit edocendum. Eleganter Philo Iudæus lib. de vita Moyſis : *Rubus*, inquit, *frutex debilis eſt, & ſenticoſus, vt vel ſolo contactu vulneret, nec abſumitur ignis voraci materia, imò conſeruatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeò nihil amittens, vt niteſceret etiam. hæc omnia deſignabant exhortationem quandam, tantùm non inclamantem preſſis calamitate : nolite ſuccumbere; hæc veſtra infirmitas, eſt potentia, quæ punget, vulnerabitque plurimos : qui delere cupiunt, vos inuiti ſeruabunt : mala illæſi euadetis, & cùm maximè vaſtari videbimini, tunc maximè enitebit veſtra gloria.* Roſæ ſunt iuſti Deo, qui tamen ſpinarum inſtar pungentes, & armati pungunt &

contrueidant nequitiam aduersariam, & tribulantium se ignem superant illæsi, vtentem non experiuntur. Sed adhuc istud titulo proposito non satisfacit.

1117. Et mihi quidem nullum mirum, si rubus iustorum typus conseruetur inter flammas illæsus, intactus perennet, &, quod magis est, nitorem ab eisdem mutuetur. illud rarum, quod inter flammarum splendores, rubus viridis & cognoscendus Moysi relinquatur: *& videbat quòd rubus arderet, & non combureretur*, ibidem. Solent materiæ quæ igni iniectæ, illius vim euadunt aliquandiu, sic circunstantibus flammis penetrari, sic ignis cum calore colorem induere, vt nullatenus ab spectantibus discerni possint: sic ferrum candens, nisi præscieueris, ardentem prunam iures. Vnde ergo rubus flammatus vndique viridis perseuerat, & signa fruticis, oculis Moysis relinquit agnoscibilia? mutauerat ignis naturam, non solùm non vrebat, quod parum, sed quod maximum est, etiam irrigabat. Alebatur in momenta rubus flammis, tamquam aquis, quidni ergo viridem adhoc colorem retineat vernantior, figuram conseruet amœnior? Philo citatus: *Subitò incensus est*, inquit, *correpusque totus à radice vsque ad cacumen, flamma in morem fontis scatente: manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur.* nescit enim tribulantium hostium ignis virtuti non irriguus aduenire.

1118. In ignem detruduntur tres pueri Hebræi ligatis pedibus, Dan. 3. num. 23. & tamen additur statim num. 24. *& ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* quia, vt passim notant Patres, fidelis ignis dum corporibus parcit, vincula consumit. nimirum tribulationes ab impiis illatæ iustis, hos expediunt, vt celeriori gradu perfectionem consequantur. pende tamen quod addit de Angelo descendente: *& excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*, num. 50. visus succedere igni ros, incendio pluuia, fitque fornax flammarum nutrix, cœlestium iam imbrium administra, idemque fornacis medium, in Paradisi medium commutatur: vt vbi consumenda virtus videbatur, ibi irrigata amœnior appareret. hucvsque res plana procedit. illud arduum explicatu, quod accedens Rex miraculum contemplaturus exclamet: *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis*, num. 92. si enim excusserat Angelus flammam ignis de medio fornacis, quomodo adhuc in medio ignis cernuntur ambulantes? ambulent quidem in medio fornacis vnde excussa flamma: sed si amota illa, quomodo adhuc in ignis medio dicuntur ambulare? parum putauit Deus, ni ego fallor, ita flammam excutere, vt eius loco pluuia succederet: ni id fecisset, vt tribulans inimicorum ignis, ipsissimus in ventum roris flantem, amœnando, & augendo virtutis splendori, commutaretur. Dicerem ergo amotum ignem ab Angelo quoad effectum vstionis tantùm: verùm adhuc admotus pueris cernitur à Rege, quia remanserat in roris conditionem transformatus.

1119. Hinc capies quid sit illud, quod in ereptis iam pueris conuenientes admirati Satrapæ contemplentur: *Contemplabantur viros illos*, inquit textus, *quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & Sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos*, num. 94. in vltimis ponunt, Sarabala non immutata, & odorem ignis nil potentem: quasi hic esset admirationis apex, non quòd incorrupti perseuerent, sed quòd nec vestes leui fauillarum & cinerum respersu coinquinarentur: quòd odor ignis, & fumosa congeries ex naphtha, & stupa, & pice, *num.* 46. turpiter exhalantibus, emissus, iuuenes olidos, & decolori aliqua macula fœdatos non redderet? quid enim, etiam parcente igne, de malè olente fumo non fœtet, non denigratur? sed habebat iam ignis, vt dixi, aquæ conditiones, & si quas forrassis maculas vestibus, aut corporibus circunstans fumus irrogabat; vix irrogatas, omni humore potentior, mundans abluebat. Sello de his pueris apud Godefr. licèt taceat de vestibus: *Contemnentes*, inquit, *statuam, in fornacem mittuntur: quicumque enim volunt piè viuere in Christo, necesse est vt ab impijs multa patiantur. in hoc igne tantùm vincula eorum comburuntur, non corpora, quia si quæ sunt in eis maculæ, abluuntur, & eorum animæ expurgantur.* Audis maculas lauantem ignem? quid ergo odor ignis, id est, fumus, nigredinis, aut durationi fœtoris asportaret?

1120. Sicut tribulatorius ignis ab hominibus fulminatus irridetur iustis: sic & ipsum, quem Dæmon ipsissimus fulminat, solent irridere. Id Satan erga Iobum catena (postquam illum ad primam armentorum plagam, à Sabæis illatam constantem obstruit) sic commentus est: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerosque consumpsit*, cap. 1. num. 16. cur enim ab se missa fulmina, è cœlo delapsa iacula ardentia, expresè *ignem Dei* appellauit: nisi vt probaret an Iobus qui creaturarum ignes illudebat, & pluuias irrigandis virtutibus existimabat, igni Dei putatiuo succumberet, cui exurendam traderet sanctimoniam? vide quæ ad hunc locum suprà *num.* 687. dedi ex Olympiodoro, & item ex Polychronio *num.* 1098. Adde ad rem præsentem bona verba Chrysost. in cat. Græc. *Vt eius cogitatio*, inquit, *ab hominibus ad Deum traducatur, ait: Ignis de cælo cecidit: hostes iam caussari non potes, quasi illi è supernis locis ignem proiecerint. infligo contumeliam ei, qui tibi iniuriam intulit: eum, qui te oppugnauit, maledictis incesse. Cur illi seruis, cur eum adoras, qui tuas opes euertit? noli putare ab hominibus tibi infligi vulnera, cùm audis captiuantes captiuauerunt: è supernis regionibus, atque è cælo, facit tibi bellum Deus.* Addo non ausum dicere hunc ignem suum, quem re vera ab aëre, (vbi testante Paulo tamquam aërea imperat potestas) qui similiter à Iobo irridendum agnoscebat: qui cuiusuis creaturæ ignes, pro roribus amœnando cordis viridario, reputabat. Sed fallebatur Satan impudens, & imprudens, dum credit Iobum animo casurum, si hunc ignem creatoris esse crederet, quin potiùs tunc libentiùs exciperet tribulationes: vnde omnes plagas, etiam quas expresè ab hominibus sibi illatas audiuit, vtpote meras pœnas Domino attribuit: hinc illius verba post omnia infausta nuntia: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, num. 21. sic suauius ferendos tribulationis ignes, si referrentur, intelligebat: ignis enim à Deo missus, non exurit, sed exornat. hæc iam secunda pars tituli, seorsim, sed etiam breuiter exornanda.

1121. Non igitur tantummodo permittit Deus, vt iusti à creaturis tribulentur: sed ipsemet interioribus stimulis scrupulorum, nebularum spiritualium, charitatis dulci sæuitie vulnerantis, desiderantis auxiè solitudinis, & similibus, quos memorat mystica, quosque propriè noctis nomine intelligit hic Sponsa: tamquam immisso igne illos

exami

exurimur. & planè mirum in his omnibus animæ doloribus, tamquam absentem dilectum quæri, suspirari: cùm tamen nunquam præsentior assistat animæ, nunquam illam intimior amplectatur, scilicet vt dum absens creditur, tamquam ignis tribulet purgans: & dum re vera adest, tamquam ignis diuinus illustret & exornet. quid enim maius quàm diuino igne, imò ipso Deo igne sic flammari, vt non tam consummari in fauillas, quàm in perfectionem consummēris? hoc quidem igne non sumitur virtus, sed consummatur: exornatur Deo ardens, non exuritur.

1122. *Spiritus diuinus ad iustorum fornacem dulcis ignis.* Postquam momentanea iustorum tormenta immortalitatis spei plenitudine compensat sapiens, ita subdit: *tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos*, Sap. 3. n. 6. vbi mihi semper dubium vtriusque comparationis coniunctum: aurum in fornace sic probatur, vt fæcibus consumptis illæsum, sed purius conseruetur: holocaustum verò (vt ipsum nomen præ se gerit, ὅλον τὸ ὅλον ἐκ τοῦ καίω, id est, *à toto vsto*) sic hostiam consumebat, vt nihil penitus illius in fauillam & cinerem non redigeret: quomodo ergo si iustus instar auri purgatur, tamquam holocaustum dicitur oblatus? pende quàm nobilis sit ignis huius tribulantis fornacis: ipse est ipse Deus, qui aurum suum probat: & dum illæsam seruat naturam donis gratiæ iam purificatam: sic iustos per amorem absorbet in se transformans, vt holocausti tenore nihil in illis humanum relinquere videatur. celebrat Statius *lib.* 1 *syl.* 5. Veneris indulgentiam, quæ in Hetrusci balneo ignem amoris impendit.

——*nec vilis flamma caminos*
Vreret, ipsa faces volucrum succendit Amorum.

& maiori adhuc teneritudine Hetruscæ matris obitum deplorans, sic habet *lib.* 3 *syl.* 3.

Illa sagittiferis circumuolitastu Amores
Funera, maternoque rogum vnxistis amomo:
Nec modus in pennis lacertis, aut crinibus ignem
Spargere, collectaque pyram struxere pharetra.

Vana ista & fabulosa: in camino quo probantur iusti non solùm diuinæ faces, sed ipse Spiritus sanctus, ipse Deus essentialiter Amor, ignis est, abiecta quauis aliâ flammâ viliori. in mystica iustorum morte, non sacras Pharetras, sed se ipsum accendit.

1123. Monebat suos Moyses, cauerent sedulò ne sibi idolorum vllam formarent similitudinem, *Deut.* 4. *n.* 23. & subdit statim: *quia Dominus Deus tuus ignis consumens est Deus æmulator*, n. 24. putares minas intendi violatoribus: sed mitior procedit legislator: non metu, sed amore voluit coërcendos. q. d. quid Deos alienos sequamini, summo & summè bono relicto Deo vestro? quis illorum tale gesserit? quis tantum pietatis exhibuerit monumentum? at vester ignis consumens sit, vt iustorum virtutes tanquam aurum in fornace probet, & peccatorum scelera misericordiæ venia consumat. Stephanus Cantuar. hic apud Godefr. *Deus*, inquit, *dicitur ignis, quia sicut igni nulla materia, sic nec Domino vlla malitia resistere potest.* quam scilicet misericordiâ non consumat, non superet pietate. clarius idem statim. *Vel sic: Deus consumit bonos sicut fornax aurum; & consumit peccatores, id est, peccata eorum.* at fornax, vt dixi, consumens viliora, aurum perficit, & consummat: sic Deus tribulatione opprimens, virtutis exprimit excellentiam. quis ergo frigidis & emortuis diis insistat: Deo verò ignito, & verè igne spreto? ah nefas.

1124. Didicerat id quidem Moyses ex rubo prædicto, *Pintus in Cantica.* si nouam aliam interpretationem admittamus: veniebat Deus Moysem missurus liberando Israeli: in sui scilicet figuram, qui factus homo, humanum foret genus in infernali Pharaone liberaturus: prætereo quòd relictis aliis plantis, rubum eligat in thronum: admiror illud, quod cùm tot alias formas, in mysterium, & ministerium posset sumere, ignem maluerit: quodque sic vreret, vt non comburetet, videbat enim Moyses, *quòd rubus arderet, & non combureretur*, Exodi 3. n. 2. Quid igni cum libertate, qui solet candentibus laminis adnotus rebelles seruos in tergore punire: aut fugitiuos per summam ignominiam in fronte stigmatibus denotare? sed esto ignis: cur non comburat rubum spiniginæ naturæ nostræ typum, cur illum non redigat in fauillam, qui Abrahamum inuisens propriij pulueris & cineris fecit memorem, *Genes.* 17. *n.* 27. qui Iobum visitans *cap.* 42. *n.* 6. ad pœnitentiam redegit cineris & fauillæ? quia sub forma ignis, seipsum, ignem futurum edocebat: Deus autem ignis, non punit & stigmatizat, sed probat & exornat: ideo non incineras rubum, prætermisso enim interim humilitatis affectu, quem Abrahæ, & Iobo intimauerat, effectum aduentus sui alium volebat edoctum, scilicet illuminaturum venire, non perditurum. D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. *vrebatur*, inquit, *rubus, & non exurebatur, eo quòd illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret, non consumpturus ærumnosos, sed mitigaturus ærumnas: qui baptizaret in Spiritu sancto & igne, vt gratiam tribueret, peccata consumeret.* sic nescit ignis Deus dum hominibus admouetur, consumptis aut peccatorum culpis, aut iustorum imperfectionibus suos non pulchrè comere, non venustè exornare. meritò ergo sponsa nihil queritur, tribulationis noctem non deprecatur, quæ nouit eius ignes aut à creaturis, aut à creatore prouenient, sibi cessuros in vtilitatem.

§. IV.

Iustorum spoliatio, comptus est: vulnus, in fenestram, cernendis intus thesauris aperitur.

1125. Hinc oritur quòd spoliata à custodibus, & vulnerata insuper (suppono ex dramate hunc exitum eumdem esse cum illo capitis quinti) constans in quærendo dilecto perseueret: nihil securitatis amisisse rata, quæ mala pœnæ vtilia reputabat. quid? dum spoliatur, comptior apparet: quæ vulnera patitur, tot in corpore aperiuntur fenestræ, interioribus spiritus diuitiis propalandis. bene lib. de Prouid. *Prospera*, inquit, *in plebem ac vilia ingenia deueniunt: at calamitates, terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. semper verò esse felicem, & sine morsu animi velle transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. magnus es vir: sed vnde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis?* & benè facultatem dixit, quasi arridentis fortunæ gratiam: occasio enim ostentandæ virtutis, in infortuniis, à fortuna viro magno præbita, in gratiis computanda: de quo postea latè. Bona ergo spoliatio, quæ robur exhibet: felicia vulnera, quæ interius decus manifestant, vtrumque iam ostendamus: primum prius.

1126. Postquam sanctus Iob bonorum omnium passus spoliationem, scidit vestimenta sua, qu[illegible]

etiam cederet libenter: corruens in terram, & adorans ſubdidit: *nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*, cap. 1. num. 21. & cur qui vſque hoc tacuerat, nunc Dominum benedicit? cur, ſi plagas ſibi à Dæmone, permittente Deo, immiſſas, gratas habet, ſingulas benedictionibus non proſequitur? proſecutus abſque dubio fuerat corde tacito: nunc autem, cùm iam nihil ſibi cerneret relictum, ſic exultat, vt gaudium ab ſpiritu foras erumpens, os neceſſariò in laudes aperiret. ſcilicet nunquam ſe comptiorem, nec prudentium oculis viderat ornatiorem, quàm dum perfectè rerum ſpoliatione nudus apparet. D. Chryſoſt. *in cat. ad cap.* 2. de Iobo ſic ſpoliato, & dæmone ſpoliante: *Niſi*, inquit, *illum diſpoliaſſet, victoris bonam habitudinem minimè cognouiſſemus.* Quemadmodum enim athleta ad colluctandum palæſtram ingreſſus, ipſo inceſſu, & corporis compoſitione, primo ſtatim aſpectu vires indicat: verumtamen poſtquam ſe, ex agonis legibus, denudat: tunc perfectius compacta ad amuſſim membra, ſalientes venas, nodoſque neruos oſtentans, viribus comptior commendatur: ſic Iob ad ſpiritualem luctam niſi omnino ſpoliatus accederet, egregiam virtutis habitudinem occultaret: nec exinde comptior, in exemplar mortalibus appareret.

1127. Iam iam gladium adacturus filij ceruicibus, dexteram erexerat Abraham, cùm ictum ſentit à Domino ſuſpenſum, & ſuſpendentis pariter vocem audit: *nunc cognoui quòd times Deum.* vbi bene D. Thomas ibi, ad cap. 22. num. 15. *Magiſter volens aliquando, diſcipuli ſui ſcientiam & ingenium, ſibi notum, alijs propalare, quæſtionibus & obiectionibus tentat eum, vt reſpondendo obiectis eius ſcientia perfecta euidentia cæteris commendetur.* itaque non tam denuo cognouit Deus, quod ſatis antè nouerat, quàm nobis cognoſcendum Abrahami ſpiritum patefecit, vt tanti exemplaris ornatum admirati commendaremus. Sed quid, inquis, in vno Iſaac immolando tam magnum apparebat, vt id tamquam ſummus comptus, & perfecta Abrahamicæ virtutis commendatio habeatur? taceo Iephthe, non affectu ſolo, ſed & effectu dilectæ natæ, innocentis victimæ, pium (vt multi volunt) Sacerdotem, nec tamen tam impensè commendatum: quot Ethnici filios ſuos & filias, dæmoniis, teſtante Prophetà, immolarunt? cur ergo ſummum habeatur Deo vero ſemel offerre, quod paſſim dæmoniis noſcimus oblatum? quare adeò commendandus Abraham, quaſi tunc eius fides & comptior, & fortior, quàm in tot aliis geſtis eiuſdem glorioſiſſimis appareret? ſcilicet, quia immolatores cæteri, tantùm filio, Abraham in filio, maximarum rerum ſplendore penitus ſpoliabatur: vnde non poterat ſic affectu ſpoliatus, comptior atque fortior non videri. D. Zeno Veron. *ſerm.* 3. de Iſaac nato: *Igitur*, inquit, *Iſaac vnicus filius, ſpes populorum gentiumque, origo tot rerum, chari genitoris amplexibus inhærebat. ſtrinxerat in ſe patris pietatem, quòd vnicus, quod ſero, quòd promiſſus, quòd ſola vnica ſpes, totius præteritæ ſterilitatis damna ſarciret: inuenta eſt cauſſa, vbi Abrahæ fides tentatione fortior militaret.* Vide quot infulis, quot coronis ornatam victimam, ſpoliandus omnibus patens immolabat, & mireris, ſi dum militat fortior, rutilet ſplendidior?

1128. Quàm ſunt amœnæ, quàm feſtiuæ comparationes aliquæ, ſub quarum cortice in hoc cantico Chriſtus ſponſæ virtutes declarauit! ſcatent melle paſſim: videbatur ergo vt ſi quandoque aquæ in comparationem aſſumerentur, è riuulo gratiſſimo venirent. quàm feſtiuus inter glaream fluit riuulus! fundum oſtentat nitidus, pura viſcera; ni pigeat lapillos numerabis: ſerpit pirata florum, fruticum cryſtallinus compes, limbus viridantis prati argenteus; ad ſaxa ſi fortè alliſus, ſiſtit iratulus, querulus murmurat, & è labellis tremulis deſpumat margaritas. longè ergo amœnioris aſpectus illum putes, cui anima inter amoris delitias, in ſummis epithalamij blandimentis aſſimiletur: at pende, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, Cant. 4. num. 15. Proh præcipitem inundationem, proh impetuoſam tempeſtatem! & cur hinc, inquis, quàm inde petatur ſimilitudo? quia riuulus impeditus via, commeatu ſpoliatus cedit obici: in venas ſcinditur, quæ aliis fortè obicibus cedentes, ſciſſæ denuo & attenuatæ ſuguntur pulueri, arenæ combibuntur: ſic vt iam pulcher ille riuolus penè ignotam cunam inuenerit ſepulchrum. Aſt impetuoſus torrens, è monte præceps, è vertice rapidus: dum ſpoliatur viâ, ad ſpoliantes obices creſcit audacior, fortior prodit, & plenioribus vndis comptior perrumpit obſtantes, eo gratior & vberior vehendus curſu, quo diutiùs curſu ſpolietur: donec mari non tam laturus tributa, quàm illaturus bella inuehatur. Gilibertus ibi ſerm. 37. *Magni*, inquit, *obices, ſed maior impetus: ſi coneris compeſcere, plus creſcit, & perrumpit obſtantia: repulſus exſurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirens ſe diffundit vberiùs. pro ſe amori, etiam ipſi obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus iniurijs.* neſcit virtus iure ſuo, per iniuriam ſpoliata non comptior apparere, & in Iobo valentior, in Abrahamo fortior non militare.

1129. Venio ad alteram partem tituli. Spoliarat iam Dæmon Iobum, vt vidiſti: tunc comptiorem miratus, nouâ extortâ, vt ſic dixerim, à Domino facultate, eumdem inuadit: *percuſſit Iob*, inquit textus, *vlcere peſſimo à plantâ pedis, vſque ad verticem eius*, cap. 2. num. 6. deturbatur Iob è throno in ſterquilinium, mutat ſceptrum in teſtam radendis vermibus è corpore, olim conſpicuo purpurâ, tunc ſanguineis cruſtulis ſuppurato. Heus ergo Satan, huc ades: adeſt imbellis hoſtis, non ſtans ad pugnam, ſed tibi iam proſtratus ad victoriam: Veni, vide, vince; & tamen fugit, nec amplius poſt hanc plagam auſus cum Iobo decertare. crederem; quia quot vulnera iuſti corpori inflixerat, per tot feneſtras interiores virtutis theſauros inſpexit: tot ianuas erupturis ab intus lucis radiis aperuit: quorum fulgore perterritus, deſperans victoriam, timens infamiam protinus aufugit: præiuit mihi in hanc cogitationem Chryſoſt. *in cat. ad hoc caput*, de dæmone locutus: *Qui gladiatorum*, inquit, *certamen experiuntur, vbi aduerſariorum caput præciderint, tunc ob victoriam corona donantur: Iobi verò aduerſarius, vbi illius corpus conſcidit, atque omnis generis vlceribus perterebrauit, & languore confecit, tum demum ſuperatus eſt, ſeque ſe dedit.* & poſt pauca: *Poſtquam latera vndique perfodit, ipſe quidem nullum quæſtum lucrumve fecit: nec enim theſaurum obrutum prædari potuit: nobis verò illum in clariore luce collocauit, fecitque nobis ex ea laterum effoſſione, vt eſſet in viri interiora proſpectus, illiuſque opes vniuerſas cerneremus.* & iterum inferiùs: *niſi corpus eius plagis perforaſſet, qui intus latebant radij, minimè enituiſſent.* quis ergo non videat ideo fugiſſe, quia per

eaſdem

easdem fenestras, quas nobis aperuit, videat vnde amplius terreretur?

1130. Transeamus à Iobo ad Iesum nostrum, cuius in hac re etiam typum gesserat: obstinato Thomæ se exhibet, & duritiem mollienrus amica voce compellans: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, Ioan. 20. num. 27. vbi nota non solùm tactum præcipi, sed & aspectum, quæ fuerant Thomæ vota *num.* 25. quia licèt hîc non altius collinearet, quàm in materialem vulnerum aspectum, indulgens Dominus maius intendebat: vt nimirum per vulnerum fenestras, interiores diuinitatis thesauros, prout status mortalitatis ferebat, intueretur: ideo exclamat, *Dominus meus, & Deus meus*, num. 28. visis humanis vulneribus, diuinitatem fatetur; quia scilicet per illa, in istam fecerat prospectum. D. Bernard. *serm.* 61. *in Cant.* ad illud, *de foraminibus* petræ, vbi vulnera Christi intelligit: *Bona*, inquit, *foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi diuinitatem: Dominus meus, inquit, & Deus meus: vnde hoc reportatum oraculum nisi ex foraminibus petræ?* & post multa de commendatione vulnerum Domini, sic subdit claré ad rem nostram. *Clauis reserans, clauus penetrans factus est mihi, vt videam voluntatem Domini, quidni videam per foramen. clamat clauus, clamat vulnus, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi*, &c. *patet arcanum cordis, per foramen corporis: patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto: quidni viscera per vulnera pateant?* nimirum putarunt Iudæi diuinitatem Christi obnubilare si vulnera corpori durissima infligerent, & instar Dæmonis in Iobo, in vulneribus Iesu aperuerunt orbi fenestras, vt diuinitatem latentem intueretur: exemplu iustis relictu, ne plagas vitent, vnde æternæ diuitiæ ostenduntur.

Christus per vulnera thesauros fundit.

1131. Commendaturus Christus Dominus sponsæ genas, sic habet: *sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*, Cant 4. num. 3. an de rubore grato, ad litteram, & de gratiore pudore, ad spiritum? sed ad vtrumque rosa vt pulchrior, sic aptior videtur. Quid ergo in malogranato placuit potiùs? quod dum frangitur, pulchrius apparet. Rosa lacera amisit venustatem; & lacerum malogranatum, amplius venustatur: quot vulnera patitur, tot per illa, dulcia carbunculorum millia manifestat. Bene igitur Ecclesiæ genæ fragmini malogranati, id est, malogranato fracto comparantur; quia dum fractæ iniuriis, dum alapis percussæ, dum vulneratæ ferro, interiores spiritus thesauros norunt ostentare. & quidem ideo signatè è toto corpore genas præcipuè, de vulnere voluit commendatas; quia quo oris percussio habetur ignominiosior, eò percussi ibi fideles, nobiliores exhibitæ patientiæ diuitias manifestant. nimirum exemplum semetipsum Dominus proposuerat: *Corpus*, inquit, *meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*, Isa. 50. num. 6. post percussionem corporis absolutè prolatam, priuatim subitò percussas genas memorat, quarum in toto corpore, maior iniuria. Sed quid lucidior propterea in sic vulnerato vultu diuinitatis gratia apparuit nobis videnda, nobis effundenda: ferè hæc cogitabat Gilibert. in locum Cant. dum sic scripsit serm. 25. *An non tibi*, inquit, *quasi fractas habuisse genas videtur, qui eas dedit percutientibus, dedit vellentibus? bona quidem hæc fractio, per quam interior cæpit virtus eminere, & quæ inter carnis corticem includebatur, erumpere gratia: quasi confracta videtur tanta dignitas, ad passionis inaniens se ipsam iniurias: sed per hæc fragmenta salutis se nobis vbertas effudit. & tu si adimplens ea, quæ desunt passionum Christi in carne tua: si portes stigmata Iesu in corpore tuo, iam tibi dicit Christus, quia sicut fragmen mali punici, sic gena tua.* quia nimirum per sic fractas genas instar Christi, virtus interior eminebit, & occultæ diuitiæ erumpent manifestandæ.

Pierus in Cantica.

1132. Inter cæteras parabolas, quibus regni cœlorum conditionem expressit Christus, illustris habetur illa Matthæi: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, cap. 13. num. 31. Certè si Christus Dominus vellet tantummodo (quod parabolæ cortex præ se gerit) in eo similitudinem ponere, quod Ecclesia ab humili principio in sublimitatem esset euehenda: sicut è minimo semine, arbor omnibus sui generis maior exsurgit: multa afferre posset quæ expressiùs id significarent, & illustriùs: relinquo multa: vrbs munita mœnibus, excelsa turribus, palatiis decora, sublimis templis, superba theatris: si initium respiciat, vnum primi ligonis ictum inueniet. quid ergo singulare, inter minima, quæ in maxima processerunt, habet sinapi, vt designando Christo eius capiti, aut exprimendis Ecclesiæ membris, assumatur? id certè singulare habet, quod vt virtutem latentem exhibeat, vulneretur & conteratur necesse est. Eusebius Gallicanus homil. 1. de natiu. *Sicut*, inquit, *granum sinapi paruam præfert in exteriori specie quantitatem, sed magnam dum conteritur profert de sui contritione virtutem, & quod plus est, magis intra se suam possidet: ita & Dominus noster Iesus Christus, exiguus putatur esse, cùm ex homine procreatur: sed cum Deo totus impletur, dum per vitæ huius labores, tribulationum afflictione conteritur, fortior inuenitur.* quod idem iustis euenit, vt membra capiti suo conformia, & regni cœlorum titulum, & sinapis veniant similitudinem. D. Ambros. in cat. ad cap. 13. Lucæ: *Grana sinapis martyres sunt: habebant odorem fidei, sed latebat: venit persecutio, contriti sunt gladio, per totius mundi terminos granum sui sparsere martyrij.* qui per gladij vulnera, fidei flumina conspicua emanarunt.

1133. Gloriosum (licèt falsò) habebant Romani ad incitas redacti, semetipsos occidere, nihilque Diis gratius, quàm fortem virum, intrepidè sibi mortem, inferentem intueri. ideo Cato ne in potestatem Cæsaris veniret, adacta sicâ occidere se tentauit: ab accurrentibus tamen seruis præuentus, ictus non iterauit, donec solus relictus, manu (quia sublata arma) vulnus laxans, & plagam exacerbans, vitam efflauit: ponderat Seneca cur primo ictui vita non succubuerit? & respondet lib. de Prouid. *Inde crediderim fuisse parum certum, & efficax vulnus: non fuit Dijs immortalibus satis, spectare Catonem semel: retenta, ac reuocata virtus est, vt in difficiliori parte se ostenderet.* pulchra verba, si sanam continerent doctrinam: illud sanè verissimum non satis esse Deo nostro semel, nec iterum suos percussos cernere: sed vexari & vulnerari identidem permittit, vt interioris virtutis thesauri sic manifestentur. Addubitabam ego cur inuitans Christus Dominus Austrum cœlestem, spiritum diuinum, vt animam nouis virtutum floribus coronaret. ibidem expulsi Aquilonis, eiecti dæmonis fecerit mentionem: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata*, Cant. 4. num. 16. An quæ tam impensè vsque tunc laudata fuerat, peccato fœda, dæmoni dominata? absit: patiebatur illum anima, hostem durum, non hospitem amicum: habebat illum foris ferien-

 tem,

tem, non furentem intus, quia Christus, qui cum diuino Austro intus habitabat, (quamuis modò quietis paululum amoro illo vellet concedere) delectatur impenae visa plagis & afflictionibus, quas anima ostensura internas diuitias, pariter exterius. Faueat pro parte verba Giliberti hic serm. 38 *Tam partibus*, inquit, *quam temporibus Auster & Aquilo circa hortum nostrum vices alternant: sicut enim nunc flat Auster, nunc Aquilo: ita hic Auster, & illic Aquilo, aliquoties autem & simul flant, sed alter foris, & alter intus: foris Aquilo, intus Auster: ille furens, & iste fouens: fremat Aquilo, & tumultuetur foris, tantummodo hortus intus non perflet, intro non penetret.* Bene D. Basilius Orat. 11. de Patient. *Vt gubernatorem*, inquit, *nauis, tempestas; athletam, stadium; militem, acies; magnanimam calamitas: sic Christianum hominem tentatio probat.* Probatur ergo Sponsa dum spoliatur, dum vulneratur, inde comptior, hinc ditior appariturus: secura pergit, quæ ipsa damna, in emolumenti caussas, sibi parata cognoscat necesse est. Vide infrà *num.* 1152.

§. V.

Diligens morum custos, sedulus virtutum pædagogus, tribulatio.

1134. AT, inquis, licèt mala non timeat pœnæ, mala reformidet culpæ necesse est: cur ergo claustra deserit, foras prodit, in vrbe mille fortè labendi occasiones, mille laqueos offensuram, quia dilectum sic inquirere, domi nusquam inuentum, cogebatur: & aliunde diligentem morum suorum custodem, virtutum sedulum pædagogum gerebat, ipsam, inquirendi dilectum absentem, tribulationem. nescit immorari culpæ occasionibus iustus, cui tentans tribulatio commoratur: habet inter alia hoc summè commodum, vt non solùm virtutes augeat, sed defendat: non solùm ad pulchritudinem amœnet, sed & custodiat ad securitatem. D. Chrysost. homil. 62. ad pop. Antioch *Magnum*, inquit, *est bonum tribulatio, & hoc ex nostris discimus filiis, nam absque tribulatione nihil vtile disceret: nos autem plus illis afflictionis indigemus, si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt, multo magis nos, & præsertim tantis detentos; sed nos potius pædagogos oportebit habere, à pueritia enim nunquam magna committuntur peccata, à iuuentute verò magna nimis: pædagogus autem noster tribulatio.*

1135. Iuuenis adhuc, vegetioribus affectibus, vipote sanguine feruidis, sic virtute coluit Dauid, vt à Domino vngendus diligeretur: maximè verò sic castus, vt etiam à licitis matrimonij congressibus interdum alienus, factis propositionis panibus, 1. *Reg.* 21. *n.* 5. recreandus appareret. creuit ætate, & friguit, saltem tepuit carnis stimulus, & tunc illum cernis adulterum: & quia propriâ iunior abstinebat, iam senior rapit etiam alienam. Ah, clamea morum ordinem præuersum? sed ne mireris: iunior Dauid pædagogum secum habebat virtutum custodem, quem senior amiserat: quid ni ibi perstet, hic prosternet? labor curandi gregea puerum, tribulans Saulis persecutio iuuenem continebant, qui iam vir dum pacatus degit, lasciuit: & degeneres vitiorum partus edit, qui matrem virtutum omnium amiserat tribulationem. D. Chrysost. in Psal. 60. *Qui*, inquit, *deuicit bella, qui mille aduersum se machinas superauit, post sobrietatem, post modestiam, post castitatem, cùm obtinuisset regnum, & gentes subiugasset, & pax vniuersa teneret, tunc negligentior, & segnior factus est: vt discatis quantum bonum est tribulatio, quæ tamquam virtutum omnium mater est.* maius est quod addo, de eodem.

1136. Fugiebat Dauid Saulem cunctis machinis, modis omnibus eius vitæ insidiantem: & ecce sibi fortuita occasio omni felicior industria sepultum somno Saulem obiicit Dauidi: & tamen abit Dauid impunitus, pareit hosti. quid quòd alibi in spelunca hostem deprehensum, demittit liberum, abscissa tantummodo chlamydis particula, non in leuis vindictæ saltem titulum, sed in grandia pietatis testimonium: & tamen addit textus, *post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul*, 1. Reg. 24. n. 6. quasi culpæ tactua religione quòd vel in vestes Saulis ausus esset. vidisti misericordiam in hostem, excellentiorem? reuerentiam in infensum, digniorem? & tamen hic, qui ad abscissam purpuram compungitur, & rubescit: posteà Vriæ sanguine impias manus impurpurat. scilicet tribulatio quam passus, dum passim quæritur ad mortem, dum precariò vitam trahit: tamquam optimus pædagogus sic eius mores composuerat, sic virtutes seruarat, vt etiam hostili vesti parcendum persuaderet: abit pædagogus, & virtus periit, sic in amicum & fidelissimum militem desæuit. D. Greg. 1. p. pastor. cap. 3. *Vt pressura*, inquit, *pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetita fœmina fuit eneruiter fluxus: & qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque necem post didicit sine obstaculo retractionis anhelare: prius quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, & post cum damno desudantis exercitus deuotum militem extinxit.* & pulchrè pressuræ pondere carens Dauid, dicitur in tumorem vulneris erupisse: quasi tribulationis pondus, sit plumbea quædam lamina, quam coelestia chirurgia naturæ vulneri, seu peccatorum fomiti, ne dimanet, insaniem sanatura imponit: & licèt colligatum membrum doleat, piua curator, arctiùs, quando res postulat, stringit. D. Augustin. *Psal.* 21. de eodem Dauide. *Erat*, inquit, *in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intensior, quanto miserior videbatur: vtile quiddam est tribulatio, vtile Medici ferramentum tamquam contra diaboli tentamentum: factus est securus deuictis hostibus, pressura caruit, tumor excreuit.* mutuatus ab Augustino verba Gregorius. Excreuit itaque tumor in mortem, quem tribulatio opprimebat ad vitam.

1137. Rogabat iosirmus Paulus, vt collapsurantem se & opprimentem stimulum diuinus Medicus amoliretur. 2. *Corinth.* 12. & audit non exauditur: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, num. 9. Sed quæ ista responsio, dicat aliquis? Vtique curantis Medici non videtur: Medicus ferrum, ignem & dolentia quæuis remedia, deprecanti deniem ægroto non amouet: ast id propterea quòd amouete penitus intendit infirmitatem. quid ergo infirmitas à Deo, & colaphizator spiritus Paulo relinquitur? aut quomodo virtutis sanitas, ipsamet infirmitate erit perficienda? quia Pauli infirmitas tribulatio erat, & verissimum infirmitatis veræ medicamentum, & damni præseruans, custos sanitatis. D. August. citatur: *Multi*, inquit, *clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: sed ad salutem, non ad insipientiam. Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo spiritus carnis, & non est exauditus, vt auferretur, & dictum est ei: sufficit*, &c. *ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam: vt intelligat homo Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem*

nationem. ſub medicamento poſitus vreris, ſecaris: clamas, non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. ſi tribulatio deeſſet, fortè inſanabilis morbus adeſſet Paulo: quia viſus confirmatæ ſuæ gratiæ adminiſtram & cuſtodem habuiſſe tentationem.

1138. Producitur protoplaſtus, & obedientiæ legibus aſtringitur, *ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas*, Geneſ. 2. n. 16. & quorſum cæterarum principi creaturarum vnius pomi guſtatio interdicitur? cur ſit examinanda obedientia, obiecti grandioris præcepto non probatur? quia quanto rei minoris erat interdictio, tanto curioſiùs Adam inueſtigaturus videbatur, quid in illo pomo eſſet, cuius negatio præcipientis Domini imperium, & obedientis hominis tributum contineret: ex curioſitate creſcebat deguſtandi appetitus, ex appetitu certamen rationis, & concupiſcentiæ, ex certamine neceſſaria tribulatio, quæ iam tot donorum, quæ in illo collocarat, diligens eſſet cuſtos ſedulus pædagogus. Adhuc magis Chryſoſt. homil. de interdictione arboris tomo 1. *Sic Deus*, inquit, *Adam cum diabolo certare voluit, ſic eum victoriam perpetrare optauit, vt maiora præmia victor acciperet, quàm acceperat à Deo formatus, vt qui ſine certamine mundum poſſederat, poſt certamen regna cœleſtia poſſideret.* & poſt pauca, ſic ad rem meam: *torpeſcit enim virtus vbi certamen defuerit, & facile hoſtis malitia coaleſcit, ſi pigreſcat animus repugnantis.* Sentit ergo in præcepti laborioſi cuſtodia certaminis effectum, vt inuicem ab eodem cuſtoditus, datæ virtutis defectum non ſentiret.

1139. Hinc factum, vt peccanti parenti, in quo omnes peccauimus, tamquam omnibus dictum ſit, *in laboribus comedes*, &c. Geneſ. 3. num. 17. Quemadmodum enim vigilans pater, ſi filium nouerit in pædagogum aſſignatum, rebellem & immorigerum, grauiorem alium & auſteriorem denuo aſſignat in pueri cuſtodiam: ſic Deus nouas & multas tribulationes humanæ commiſcuit, vt qui in illa vitâ feliciſſimâ præceptum cuſtoditu facilius, non attentâ decertantis tribulationis virtute, facile perfregimus, immenſo laborum pondere, tamquam ſub vigili cuſtode premamur, ne deinceps virtutem ita facile opprimamus. hinc eſt etiam, vt condonatâ iam culpâ, laborum onus hominibus neutiquam releuauit: nec diuino Chriſti ſanguini fuſo (qui pluſquam ſatis ad meritum) voluit, vt iterum ad ſtatum paradiſiacæ felicitatis veniremus, vbi ſine ingenti tribulatione viſi corruiſſe. Audi grauiſſima verba Iobij Monachi apud Phot. de Adamo inflictis pœnis. *Sed illud quoque*, inquit, *ad ſapientiæ illius inexplicabilem prouidentiam pertinet, quod tollens mox ab initio Deus omnem de ſorte noſtra querimoniam, expertes ærumnarum delitias nobis in paradiſo donat, donec deprehenſo ex factis noſtris, inutilem hominibus eſſe labore ac miſeriâ carentem vitam: laborum ac miſeriarum pondus vitæ noſtræ immiſcuit, pro remedio: hoc nobis velut ſtadium ac palæſtram conſtituens, quæ magnum poſſet quæſtum, ac magna præmia conciliare.* Sic apis ne vehementiori flatu rapiatur, pondus ſubit, quo libretur ſecurior, & humana conditio paſſim vanitatis aura repiaretur, niſi miſeriarum pondere grauaretur.

1140. Curat prudens Rebecca Iacob modeſtiſſimum filium, vitioſo alteri fratri præferatur, & vix benedictionem paternam puer prædator pius accipit, cùm audit à matre: *fuge ad Laban fratrem meum in Haran*, Geneſ. 27. num. 43. fratrem tuum fateor Rebecca: ſed hominem durum noſti, & proteruum: quid illuc delitiolas tuas amandas, quid illuc Iacob detrudis ab impio auunculo, vigiliis, æſtu, gelu conterendum? imò propterea, inquit pia mater, cupio conſeruet Iacob meus virtutes quibus accepta benedictio ſtabilienda: obliuiſcor patienter materna blandimenta, ne puer luxu diffluens, inſidiatori fratri odio inuectus ſanctimoniæ ornamenta obliuiſcatur: relego amores meos, vt mores eius retineam modeſtos, quos exilij tribulatione ſecuros, & vitæ aſperæ laboribus fouendos ſcio: ſic vitam à fratre, &, quod mauolo, animam à peccato liberabit: exulet mihi, dum Deo commoretur. Impulit mè in hanc mentem Ambroſius lib. 10. epiſt. 82. *Imitare*, inquit, *qui de conſilio matris longinqua petijt. & cuius matris? Rebecca vtique, hoc eſt, patientiæ: cuius enim niſi patientiæ hoc conſilium eſſe poterat? amabat mater contra affectum pij amoris, dimitti filium: maluit enim ſibi eum exulare, quàm Deo.* in propria quippe domo Iacob inter delitias parentum, fortè maligno fratri malignè correſpondens à Deo exularet: qui exul inter labores, ſub tribulationis tutela arctiùs Deo adhæſurus ſperabatur.

1141. Baptizatur Chriſtus Dominus, cui deinde aperto cœlo conuolat Spiritus ſancti plenitudo, & paterna blanditur commendatio, *Matth.* 3. *num. vlt.* & ſubditur ſtatim: *tunc Ieſus ductus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo*, cap. 4. num. 1. Et quid inferni ſupremo Domino, cum dæmone? quid tentationum noſtrarum benigno amolitori, gratiarum molitori, cum tentatione? ipſi ad ſe, nihil: ſed plurimum exemplo noſtro. Chryſoſt. homil. 13. in hunc locum: *Idcirco*, inquit, *accepiſti arma, non vt otieris, ſed vt pugnes: propterea Deus in te tentationes irruere permittit; primò quidem vt diſcas, quoniam Chriſti baptiſma, multo te fecerit fortiorem: deinde vt in egregiâ illa animi mediocritate permaneas, neque donorum ſcilicet magnitudine elatus, neque tentationum mole depreſſus: ad hæc verò, vt malignus ille dæmon, cùm de tua à ſe diſſenſione dubitat, ex ipſa tribulationum tolerantia diſcat, quòd perfectè ab illo abrenuntiatione diſceſſeris.* itaque accipis dona ſicut Iacob benedictionem, ſed cum illo, è veſtigio tentationibus amandaris, vt ſub cuſtode vigili, & ſedulo pædagogo tribulatione auream animi mediocritatem, id eſt, modeſtiam poſſis conſeruare.

1142. Erat olim Ieruſalem non Iudææ ſolùm, ſed totius ferè orbis Academia, artium altrix, arx Philoſophiæ, diuinorum myſteriorum propugnaculum, vt ex multis ſupponit Chryſoſt. *in Pſalm.* 47. vnde anagogicè explicans illud eiuſdem Pſalmi, *fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion*, num. 2. ita habet: *hinc proceſſit gaudium & lætitia, hinc emanarunt fontes Philoſophiæ, vbi Chriſtus fuit crucifixus, vnde profecti ſunt Apoſtoli: ex Sion enim, inquit Iſaias, egredietur lex, & verbum Dei ex Ieruſalem.* Quæro autem, quid præcipuum in monte Sion, in vrbe Solymorum, vt in illo radices mitteret diuina Philoſophia, ibi fundaretur: vt inde in alias prouincias funderetur? puto in cauſſa eſſe illud, quod ſtatim ſubditur à Propheta: *latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* meritò enim fit Dei ciuitas, doctrinæ propugnaculum, quæ ſemper latera tribulanti obiicit Aquiloni: percuſſa iugiter, nunquam proſtrata: ſemper mota, commota nunquam: ſuſtinet tribulationem Philoſophiæ matrem, virtutum cuſtodem: quidni diuinæ perpetuis vernet floribus Philoſophiæ? & bene latera tantùm dicuntur percuſſa, quoniam ſpiritus penetralia tunc quieſcunt:

ſcunt: imò, ideo quieſcunt interiora ſecuriùs, quia ſæuiùs exteriora verberantur. Vide omnino quæ dixi ſuprà *n.* 1043. his quippe exercitiis ſic virtus creſcit, vt ſine illis penitus contabeſcat: ideo Ambroſ. lib. de Cain cap. 4. *Sicut bellator*, inquit, *ſine armis ſtare non poteſt, ita nec ſine exercitatione virtus.* quaſi tribulantia exercitamenta ſint virtutis arma, non ſolùm quibus oppugnet, ſed etiam quibus propugnetur, ne ſicut inermis miles concidat expugnata.

1143. Cape hinc pulchrum locum Prophetæ eiuſdem, Pſal. 137. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabit me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua*, n. 7. Quis enim tribulationis vnquam audiuit ambulacrum? pateret res ſi diceret: ſi fuero in tribulatione, &c. ſi commorer in medio tribulationis, &c. verumtamen medium tribulationis ambulatum, quid deſignat? quia quemadmodum vegetando corpori membris animandis ſolemus exercitatoriam ſumere ambulationem, aliâs, ſitu & ſenio computreſcerent: ſic is ſolùm, qui expeditus & hilaris, ſpiritualis ſalutis ergò, tribulationis media ſæpe atque iterum perambulat, firmas & vegetes retinet virtutes, viuificatas conſeruat: quaſi aliter forent ſitu corrumpendæ. Fauet in partem ibi D. Auguſtinus, qui ſic habet: *Non ſic ait, tamquam diceret; ſi fortè euenerit mihi tribulatio aliqua, liberabis inde me; ſed quomodo? ſi ambulauero, &c. id eſt, aliter non viuificabis me, niſi in medio tribulationis ambulauero. væ ridentibus, beati lugentes.* Solebant olim pædagogi pueros in ſtadia, aut gymnaſia deducere, vt vires & ſalutem honeſtis exercitiis fouerent: quàm ſedulus pædagogus noſter tribulatio! ipſa exercitamentum eſt, ipſa ambulacrum viuificandis virtutibus, aliter perituris. Sunt pulchra in hanc rem verba D. Chryſoſt. *homil.* 17. *ad popul.* poſt tranſactas tribulationum tempeſtates: *Nunc maximè tempus orationum magis, quàm priùs, nunc maximè lachrymarum tempus, & compunctionis, & animæ anxiatæ, & multi ſtudij, & cautelæ. tunc nempe ipſa tribulationum natura, vel inuitos nos corripiebat, & modeſtos faciebat, & ad maiorem agebat reuerentiam: nunc autem ablato freno & nube præterita, timendum ne ad torporem declinemus.* habes ad vnguem deſcripta munera pædagogi. Vult ergo Chryſoſtomus, vt voluntaria ſe affligant tribulatione, ceſſante hoſtili: ne virtutes miſerrimè torpeant.

1144. Deriſit olim per ſummã contumeliam princeps ſacerdotum Heli, piiſſimam Anam, & ſobriæ matronæ, fœdam ebrietatis notam inuſſit ſubiratus, 1. *Reg.* 1. *n.* 14. & nec leuiſſimo verbo prodit impatientiam, ſed quaſi procacis aliàs oblita ſexus, ſubditur reuerentior. parum hoc: *affligebat quoque eam æmula eius*, inquit Scriptura, *& vehementer angebat*, &c. ibid. n. 6. nec vſquam legis, vel nutu in Phenenam, Anam inuectam: nihil rarius, corriualium zelotypia fœminarum, quæ non excitauit incendia, quas non inuexit diſcordias? ſororibus, teſtor Rachelem & Liam, non pepercit. Feruet ſuperba conditio vbiuis deſpicitur, at, ſi ab æmulâ, accedente zelotypia, ſic accenditur, vt non deſiſtat, niſi aut perdens, aut perdita. Vnde ergo Anæ conſtantia vltra naturam: vnde modeſtia contra Phineum ingenium ſeruata, vel etiam priſcæ Philoſophiæ dictis, facto anteponenda? à pædagogo, à tribulatione, melioris Philoſophiæ matre, quæ fœminam ſupra viriles animos erexerat. Chryſoſt. homil. 62. ad popul. *Heli*, inquit, *Anam deriſit, dicens: Digere vinum tuum. Quid hoc contumelioſius? quid ad hæc igitur dixit mulier? in aſpera die ego ſum. nihil verò tribulationi par. Philoſophiæ mater eſt. eadem autem hæc, & ſuam habens æmulam, non eſt eam contumelia proſecutam; ſed quid? ad Deum confugit, & orans nec eius meminit, neque dixit, quoniam illa mihi improperat, defende me. tam ſapiens erat mulier, erubeſcamus viri*, & quidni ſapiens, quæ ſapientiſſimo munita præceptore, aliâs fortaſſe præcipitanda? patiebatur dolens ſterilitatis infamiâ, & fructibus coniugij denegatis tribulabatur: ſic in tuto patientiam, modeſtiam, & cæteras virtutes collocabat.

1145. Hinc eſt quod Dauid, de quo ad initium huius tituli pluſcula congeſſimus, de iterum accepta tribulatione, quaſi in gratiarum actione de diuina miſericordia inuenta, congratuletur ſibi: *tribulatio & anguſtia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt*, Pſal. 118. n. 143. quid ni enim meditaretur legem, vacaret præceptis, ſi tribulationem ſortiebatur magiſtram. nec ſine emphaſi dictum *inuenerunt*, quaſi eo ipſo coronandas virtutes cæteras cum coronata patientia præſagiret: & qui inquis? Ambroſius ibi ſerm. 18. *Quærunt*, inquit, *tribulationes, & neceſſitates Iuſtum, & interdum inueniunt, interdum non inueniunt eum: inuenitur, cui corona debetur: non inuenitur qui idoneus certamini non probatur. Tribulatio igitur velut quædam gratia eſt: denique ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. An non eſt gratia quæ operatur patientiam? qui ergo nouerat tribulationis profectum eſſe: quæſitus à tribulatione inuentus eſt, nec refugit.* quidni nouiſſet profectum eius, & vtilitatem, edoctus præterito vulnere: aut quomodo damna expertus priora tribulatione abſente: medicam licèt aſperam manum iam refugeret?

1146. Neque hoc ſatis: quærit ipſe Dauid auidus tribulationem, vt virtutum præſentem habeat cuſtodem, quas de huius abſentia doluerat ereptas: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui*, Pſal. 114. n. 4. de quo D. Auguſt. ad hunc locum, in explicatione Pſal. 136. *Quid eſt*, inquit, *quod dicit, inueni? neſcio quam tribulationem quaſi quærendam, inuenit tamquam quæſitam, & cum inueniſſet, quo lucro inuenit? nomen Domini inuocauit. multum enim intereſt vtrùm inuenias tribulationem, an inueniaris à tribulatione.* Equidem vtrumque magnum (quidquid inter ſe differant) in Dauid, qui & incurrentes non fugit, & fugientibus fortè, occurrit vltrò tribulationibus: ibi athleta ſtrenuus ne vitio labatur, hîc iam cœleſtis patriæ verè ciuis, ne iterùm terrenis voluptatibus adhæreſcat: vtrobique tandem iam prouidus de tranſacto periculo, imbecillitatem carnis timens pædagogum ſeuerum, auſteram ſibi conſtituit tribulationem. de primo Ambroſius *loco citato*, poſt multa: *Vtique illum athletam certamina inueniunt, qui in vſu exercitij fuerit conſtitutus: qui verò exercitium dereliquerit ſine dubio non poterit reperiri, quia indignus eſt vt quæratur. Dauid ergo quaſi bonus athleta dicit: Tribulatio, & neceſſitas inuenerunt me, quia paratum ſemper habuerunt, non fugientem neceſſitatum, & tribulationum prælia, ſed petentem.* Certè non vltrà deſeruit exercitium, qui, dum ſemel deſerit, virtutis etiam deſertorem ſe conſpexerat. Secundum quod dixi, habet D. Auguſt. ad verba citata Pſalmi 114. in explicat. *Pſal.* 137. vbi ita. *Et quis eſt, inquis, qui inueniat tribulationem, aut quis illam vel quærat? in medio tribulationis es, & neſcis: vita iſta parua tribulatio eſt? ſi non eſt tribulatio, non eſt peregrinatio: ſi autem peregrinatio eſt, aut parum patriam diligis, aut ſine dubio tribularis: quis enim non tribuletur, non ſe eſſe cum eo, quod deſideret?*

derit? sed unde non tibi videtur ista tribulatio? quia non amas: ama alteram vitam, & videbis, quia ista vita tribulatio est, quacumque prosperitate fulgeat, quibuslibet divitiis abundet. Dum ergo se tribulem huius mundi, & vitiorum contubernalem se profitetur Dauid, nuntium tribulationibus remittit: quas iterum prudentior vocat, vt de virtutum adsequentium meritis, albo cœlesti denuo adscribatur: tribulationes seruat, vt conseruet sanctimoniam, à vitiis se præseruet.

§. VI.

Ipsa est consecrans damnum, ictus coronans, procella fausta, felix grandinatio.

1147. IN iis quæ hucusque diximus de noctibus sponsam tribulantibus, sæpe propterea hilarem & securam diximus, quod sibi vtiles tribulationes recognoscat. ita est: tamquam gratia grandis, & ingens beneficium à Deo tribulatio immittitur, neque mirum, quia damnans consecrat, feriens coronat, ingruens beat, grandinans feliciat. quis in his, magna apud se posita beneficia deneget ingratus? Videamus breuiter singula. Hebræi pueri camino iniecti, vt suprà vidimus, ex pluuia illa accensa, ex igneo illo diluuio quo existimabantur obruendi, fulgentiori nitore clari emerserunt. Sed quid illud, quod ad ostium fornacis accedens exclamat Nabuchodonosor? *Ecce*, inquit, *quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in eis, & species quarti similis filio Dei*, Dan. 3. num. 92. Siccine cateruatim tem prodis princeps barbare? ambulabant soluti iuuenes, fateor: sed quidem Angelum reuerentes, huius sequentes vestigia, nec ausi propè accedere laterones fas est credantur: quid ergo promiscuè narras, ac si de familiaritate incederent promiscui? ego putarem tales (nec tamen irreuerenter) incessisse tres pueros cum Angelo, quales à Rege describuntur: paritus incessu pares, quia penè factæ Angeli conditioni accesserant iam facti: nescit enim tribulatio quæ illos in fornacem damnat, eosdem ibidem non sacrare. Tale aliquid cogitabat D. Euchetius Lugdun. *homil. de Litaniis*, cùm de his pueris ita: *Nemo*, inquit, *se à Deo æstimet deseri, cum traditur tentationi: ecce celebranda germanitas hosti potuit subdi, quæ in captiuitate, immò in fornaci meruit consecrari.* Sic impius Rex, qui, vt Deus coleretur, pueros afflixit: iam factos colit, & penè Deos reputat, è tribulationeque illustriores veneratur.

1148. Orat Daniel Deum, & iram inuidam prouocat optimatum: defertur apud Regem, & ab inuito leonibus infertur: tunc addit Scriptura: *Allatusque est lapis, & appositus est super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem, & abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus*, cap. 6. num. 17. Sed quò, quæso, venerat, vt rediisse in domum suam enuntietur? venerat quidem è palatio, ad lacum vsque, viuus amici exequias celebraturus: venerat impleturus voris cœlum, querelis vrbem: venerat denique non ficto præficarum ploratu, sed veris lachrymarum fontibus, pompam viuentis adhuc Danielis funebrem comitaturus. An potuit vsquam Daniel gloriosiores virtutis suæ fructus reportare, dum inspetata tribulationis pondere obruitur, quàm si in mundo, mundi Monarcham pedisse quum, & præficum sortiretur? sed quidni honoraret Princeps, quem penè, de tribulatione in obsequium Dei lata, factatum, à bestiis honorandum, aut sperabat, aut saltem cupiebat? ibidem à *num.* 19. Idem D. Euchetius citatus: *Numquid*, inquit, *non munificentior Dei gratia circa Prophetam fuit, quod Rege vsque ad lacum votis & supplicationibus prosequente, à leonibus honoratus est, quam si leonibus non fuisset ingestus?* Certè munificentior, quæ ex instanti illa, & periculi angoribus instante tribulatione, speciosiores glorias reportauit, & tamquam ex consecrante damno feris, aut venerabilis apparuit, aut formidabilis. Videamus secundum.

1149. Coronat quidem ictu, tribulatio, & quo detruncatum caput existimares, detruncato illatam coronam admirabetis. Nihil in grege pinguius, nihil oculis gratius habuit Abel, quàm quod obtulit Deo in sacrificio: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, Genes. 4. num. 4. immò cum ipsis primogenitis & adipibus, primogenitas curas animæ, & pectoris viscera deuotus immolabat, ad proterui Cain munerum confusionem. Erant verò hæc vtriusque fratris sacrificia, non solùm gratiarum actiones, sed etiam nouorum beneficiorum impetrationes: ideo Deus ad Cain malè offerentem, & ideo eiectum, *Cur*, inquit, *concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies?* num. 7. Speres ergo, & meritò, Abel qui optimè egit, ingentia beneficia recepturum ab altari, & tamen vnde diuina præmia captabat, inuidiam fratris incurrens, occurrit morti acerbæ; quia patebat tam generosè præstitum obsequium, tam inopina tribulatione fore remunerandum? qui sciret neutiquam cumulatiùs potuisse solui. D. Chrysost. homil. 1. ad popul. *Abel*, inquit, *dic mihi, nonne de primitiis Deo sacrificans, fraternâ cecidit manu: sed tamen Deus concessit, non eum perosus qui se honorauit, sed eum valde diligens, & præter speciosissimam illius sacrificii coronam, alteram ipsi per martyrium præbens.* quot ictibus percussus Abel, tot fabricabatur corona, & armata Cain dextra, non tam gemitus, quàm gemmas Martyri importabat.

1150. Nascitur Christus Dominus pacem orbi allaturus: infans vagit, serpit lactens, modestè ludit crescens, sed tenellus: sic omnia ætatis munia, æterna sapientia non simulat, sed exprimit. O beatos illius æui infantes! dicat aliquis: quibus de tenerioris ætatis licentia concessum dulcissimo infanti Deo adesse collusores, faciles sodales accedere, comem reuerenter comites amplexari: quis enim felicissimam eorum sortem non putaret, qui in id temporis, in id loci nascituri seruabantur? sed audi textum: *Tunc Herodes, videns quia illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem*, Matth. 2. num. 16. Ita ne? in ipso diuini ducis ingressu, coætanei milites trucidantur, lactentes acerbo funere conduntur, seges adhuc in herba, durâ calamitate demetitur, rosæ noudum è calyculis erumpentes afflantur austro sæuo, dies in aurora noctescit? absit: nulla vita pueris, sanior hâc morte, vnquam poterat euenire: quibus, quoniam ad miraculum, coronæ membra præuenientes disponebantur, ictus, succrescentia membra trucidantes, necessariò qui non tam occidere corpora, quàm coronare animas viderentur. Chrysol. serm. 152. *Christus*, inquit, *non despexit suos milites, sed prouexit: quibus dedit ante triumphare, quam viuere: quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donauit coronis, antequam membris: quos voluit virtutibus vitia præterire: ante cœ-*

lum

lum possidere, quàm terram: nec ante humanis inserere, quam diuinis. nemo tribulantem mortem dixerit, quæ triumphum vitæ præcursurum paruulis disponebat.

1151. Venio ad procellam dextram, faustum turbinem. Ventorum omnium durior impetu, & flatu sæuior Aquilo, & tamen in sacris litteris (quæ simul cum profanis dextrum, pro fausto capiunt) *dexter* appellant: vnde pro eo quod nos legimus de litigiosa muliere, *qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit*, Prouerb. 27. num. 16. legitur in Sixtian. ex Græco: *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur.* quod sic interpretor ac si dicat: sæuus, & sceuus hic ventus, sed tamen prodest; sic qui patienter tribulationem patitur litigiosæ couiugix, ex ipsa patientia, oleum gratiarum, quo illam leniat, comparabit, & ventus tribulationis asper & procellosus, *dexter* iam & faustus factus, non tam hispidos imbres, quàm beneficia instillabit: imò verberantes illius flatus, suauis olei & vnguenti respiramina putabuntur. Fortè fallor in hac explicatione, sed videtur fauere S. Iob, qui sub huius venti iniuriis, calamitates suas signans, sic loquitur: *Ad dexteram Orientis, calamitates meæ illico surrexerunt*, cap. 30. num. 12. id est, ab Aquilonis regione, qui ad Orientis dexteram, vt nescit nemo. Sed cur cùm facilè posset Aquilonem exprimere, maluit orientalis dexteræ vti circumloquio? vt calamitates illas dextras, & faustas sibi procellas significaret: bene Gilibert. ad hunc locum de Aquilone locutus, serm. 38. *Hic ventus*, inquit, *in Scripturis dexter vocatur, ideo Iob talem super eum deponit querelam: ad dexteram Orientis*, &c. *iure ventum illum dexterum vocauit, qui nihil ei quiuit sinistrum inferre: quin etiam coronæ gloriæ viro iusto comportauit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando prouocata excreuit.* quam fausta procella, quæ non tam obducit tenebris oppressum, quàm nitore: non tam confundit turbine, quàm gloriâ perfundit.

1152. Quas Paulus non passus à Iudæis tribulationes? vide longum earum catalogum, 2. *Cor.* 11. vbi inter alia audis, *semel lapidatus sum*, num. 25. & tamen pro pessimis fratribus, frater optimus anathema Christi fieri peroptabat. Cur ita? quia non solùm charitas, sed ipsa videbatur iustitia Paulum illis fecisse debitorem, à quibus cum tribulatione quauis ingens quoddam acceperat beneficium: vt inter crepitantes saxorum procellas, inter lapideos tribulantium imbres, suauiter spargi floribus putaretur, aut feliciter gemmis grandinari. Faciunt huc verba D. Zenonis Veron. serm. de Iona: *Clamat*, inquit, *de profundis, & Paulus obrutus calamitatibus beatis, cùm nomine Domini latrones in itineribus, latrones in ciuitatibus patitur, cùm à Iudæis virgis ter cæsus, naufragio trino diluitur, cùm insani populi furibunda tempestate, lapideis imbribus feliciter grandinatur.* beata enim calamitas, felix grando, quæ grandes prouentus gloriæ accumulat.

1153. Obruitur saxea tempestate Stephanus inuocans, & dicens: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum*, Act. 7. num. 58. feruet vehementior tempestas, & cùm hinc inde totus labaret titubantibus genibus prolapsus, curat tenere genua sollicitus, & gratias lapidatoribus impetrare: *positis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* pro se, inuocat tantùm: pro illis, vota anxia clamore protestatur: pro se orans stat, procumbit in genua pro aliis oraturus: vnde hoc, si charitas bene ordinata incipit à se ipso? quia videbat quodammodo non à mera charitate, sed ex beneficio obligata, id faciundum: timuit ingratitudinis notam, notumque omnibus grati animi testimonium voluit exhibitum. D. Asterius apud Phot. cod. 271. *Orauit*, inquit, *pro lapidantibus se: lapidantes enim, inuiti beneficium illi fecerunt.* Credidit Iudæorum in cœlos, mutatas manus, vnde sibi tam felix grandinatio detonabat: nunquam Erythræum Stephano ditius grandinaret: quid ni ergo tam beneficæ genti, gratiarum non rogaret beneficia? Hæc breuiter dicta sunto de tribulationis beneficiis, de quibus sæpiùs iterum dicetur.

Surgam, & circuibo, &c. VERS. 2.

§. I.

Pœnitentia nouum Baptisma: felix insitio, & hæc noua.

1154. NOsti ex libro primo, quomodo hunc locum cum *cap.* 5. vbi idem, sed fusiùs narratur, concatenem. ergo deliquerat anima, excusationes ne aperiret Christo friuolas prætendens; sed pœnituit eamdem statim facti: vide ergo iam pœnitentem feruentiùs & acriùs in inquirendo Domino laborare. Solet nimirum quandoque pœnitentia post lapsum feruentiores & sanctiores nos reddere, quàm priùs: vnde & pœnitentes iustis nunquam lapsis non solùm componit, sed præponit aliquando. dicam hîc de primo, de secundo in sequentibus dicturus. Adæquat certe pœnitens si feruidus, innocentes, qui baptismalem gratiam non amiserunt, quia nouum Baptisma adinuenit. Adæquat innocentes, quia vitali trunco, vnde isti viuunt, feliciter inseritur pari florum vernaturus decore, pari fructuum ornandus vtilitate. Sic sponsa inuentum Christum, & quasi nunquam amissum hilaris constrinxit. Videamus singula.

1155. Obscura mihi semper verba illa Lucæ de Ioanne locuti; *Venit*, inquit, *in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, cap. 3. num. 3. Certum quippe est baptisma Ioannis non sustulisse peccata, non mundasse culpas, quod in Christi baptismate euenit: quid ergo baptisma illud suum pœnitentiæ, remittendis peccatis validum præcursor pius venditabat? sed fecit lucem D. Gregor. *in cat.* ad hunc locum: *Baptismum*, inquit, *quod peccata solueret, quia dare non poterat prædicabat, vt sicut incarnatum Verbum Patris, præcurrebat verbo prædicationis: ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt.* Caligabit fortasse alicui ipse Gregorius, hunc explico, q. d. Ioannes quidem baptizabat, sed baptismate suo peccata non tollebat: prædicabat ergo simul baptismum aliud contritionis & pœnitentiæ, quo iam Christi virtute peccata mundabantur: baptizabat verò quando pœnitentiam prædicabat, vt quemadmodum prædicatione sua Christi prędicationem præcurrebat: sic baptismate suo eneruі, neruosum pœnitentiæ baptisma præcurreret, quo ab initio sæculi de Christi meritis peccata condonantur. erat ergo baptisma Ioannis, figura tantùm gratiæ quodammodo baptismalis, qua per pœnitentiam mundabantur, & erat hæc pœnitentiæ gratia, non tam ficta vana, quàm dulcis æmulatrius, quam modò in Christi baptismate suscipimus, in eo quòd vtrobique omnis peccati macula aboletur. Sed huc statim.

Quàm

1156. Quàm piatechna illa, quâ Magdalena in peccatorum ſuorum vſa remiſſionem? *Attulit*, inquit Lucas, *alabaſtrum vnguenti*, &c. *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat*, Luc. 7. num. 37. vnguenta & lachrymæ benigno iudici, religioſis tanquam muneribus corrumpendo, afferuntur: eſto. Sed quis vnquam audiuit fœminam crines ſuos in telam textos paraſſe, loris mouendi iudicis pedibus abſtergendis? res noua, nouum aliquid & magnum adſignificat. quid ſi dixerim formatis diuinis pedibus in ſtamen, tenuea comas, aurum ductile, fila delicata in tramam duxiſſe Mariam, & in telam ſplendidiſſimam texuiſſe, vnde poſt ablutos pedes, ſibi veſtem ſpecioſam & albam adaptaret? ita ſentio. Atqui pœnitens fœmina duro cilicio, aſperis pilis induenda deinceps: quid condonata, recèns à venia, albam veſtem affectat & ſplendentem? diuinauit felix, vt ita dicam, fore vt prædicato Chriſti baptiſmate ad initia Eccleſiæ baptizati omnes albis & ſplendentibus eſſent induendi, vt nemo neſcit: quæ ergo per pœnitentiam lachrymis lota, vnguento, quo vngebat tamquam chriſmate vncta, nouum baptiſma ſe credit inueniſſe: quidni albam & ſplendentem baptizatorum veſtem affectet pariter? Nunc intelliges D. Laurent. Nouar. *homil de Pœnit.* ad hunc locum. *In fonte*, inquit, *baptiſmi, quid aliud eſt, quàm aqua, & chriſma, & veſtis alba? huic mulieri pro aqua fletus fuit, pro chriſmate vnguentum, pro veſte capilli. O mulier peccatrix, multa adinuentio tua! quis tibi monſtrauit talem inuenire & promere artem, vt congeſta in te crimina momentaneis lachrymis vinceres, crinibus raderes, vnguento extirpares?* dedicauit ergo Maria tamquam in nouo baptiſmate, in pœnitentia ſua, quod poſtea in baptiſmate Chriſti euenturum.

1157. Hinc erat quòd Ioannes (vt ſupradictus locus clarior appareat) cùm baptiſma illud pœnitentiæ detonaret, hæc ſubiungeret, *parate viam Domini, & rectas facite ſemitas eius*. quæ verba ex *cap.* 50. *Iſaiæ* eruuntur. Pendamus ergo encomium, quo Iſaias, iam antea celebrarat viam iſtam. dixerat aduentu Chriſti ſanandos omnes, deſertum huius ſæculi, paradiſi inſtar vernaturum; tunc ſubdit: *& erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur*, cap. 35. num. 8. idem, ni fallor, vna eademque erit ſemita & via: ſemita, quia compendioſa, vt breuiùs deducat: via, quia in ipſa breuitate, plana, laxa: vno verbo, compendium viatori, ſine diſpendio. hucvſque facilè, hanc ſiue viam, ſiue ſemitam incedimus: difficile planè & arduum id quod additur: *Non tranſibit per eam pollutus*. Me miſerum exclames, & quorſum venit Chriſtus in mundum? quibus parauit viam, muniuit iter, niſi pollutis, niſi peccatoribus? quàm lepidum decretum, ſi in tecto, in peruio aliàs flumini ponte, iuberent inclamari Magiſtratus: nemo niſi alatus pontem pertranſeat. quaſi volantibus auibus, & non ſuffocandis aliter hominibus, beſtiis perituris pons erigeretur: ſic in re noſtra viſum. Quid ergo? ſoluit nodum ingenioſè & grauiter VVerricus hîc apud Godefr. *O mi Iſaia*, inquit, *ibunt igitur polluti per aliam viam? imò potiùs hâc omnes, hâc veniant, hâc incedant: immundis enim præcipuè Chriſtus hanc viam ſtrauit: qui venit quærere & ſaluum facere quod perierat in viis ſæculi. Quid igitur, tranſibit pollutus per viam ſanctam? abſit: veniat quantumlibet pollutus ad eam, non tamen tranſibit pollutus per eam: quia cùm tranſierit iam pollutus, non erit: admittit quidem via ſancta pollutum, ſed ſtatim abluit admiſſum, tamquam verè baptiſmus alter pœnitentium. hic planè hîc baptizat, non Ioannes, ſed baptizat Ieſus baptiſmo pœnitentia: hic patet fons domus David in ablutionem peccatoris & menſtruæ.* Sic peccator in hac via abluitur, vt ad priſcam innocentiæ pulchritudinem, quam ex baptiſmate ſuſcepit, redactus videatur.

1158. At, inquis, ſi talis eſt via, ſpecioſa, & ſpatioſa, cur à Chriſto Domino arcta appellatur? *arcta eſt via quæ ducit ad vitam*, Matth. 7. num. 14. quia in ipsâ amplitudine, & inundatione aquarum abluentium (vt non ſolùm ad innocentiam baptiſmalem, ſed hanc nouo ſplendore cumulatam reuehat) anguſtam foraminis conditionem imitatur: attende. Arctum foramen quærit ſerpens vbi vetuſtis exuuiis relictis aſſurgit venuſtus, ſe totum priſcæ reducens formæ, priſco ſplendori, Tertull. lib. de pallio: *Serpens*, inquit, *quod fortitus eſt conuertit corium & æuum: ſiquidem vt ſenium perſenſit, in anguſta ſe ſtipat, pariterque ſpeciem ingrediens, & cutem egrediens, ab ipſo ſtatim limine eraſus, exuuiis ibidem relictis, nouum ſe explicat.* Sic paſſim auctores alij: eâdem ergo ratione pœnitens in arcta hac via ad anguſta ſe ſtipans, tamquam in foramine ſe renouat, & de pulchritudine priſca ſibi reſtituta gratulatur. *Propterea*, pergit citatus VVerricus, *via hæc pollutum admittit, ſed pollutum non tranſmittit, quia via arcta eſt, & quaſi foramen illud anguſtum eſt, quo ſerpens innouandus cum exuuiis ſuæ vetuſtatis venire poteſt, ſed cum ipſis tranſire non poteſt; ſed nouus, ſuáque nuditate veſtitus melius: tranſitus anguſtiâ, extricans omnem quem attulerat vetuſtatis ſqualorem.* & certè id voluit Chriſtus Dominus abſque dubio, dum homines ad imitandam ſerpentum prudentiam impellit: vt ſcilicet viam hanc arctam pœnitentiæ ingrediantur, vbi renouati, ſine vetuſtatis veſtigio iterum ſplendeſcant, vt ibidem VVerricus, PP. ferè omnes adnotarunt. & bene pœnitens *ſua nuditate veſtitus melius* appellatur, quaſi ad originalem quodammodo redactus innocentiam: ſic enim Adamus integer ſua ipſa nuditate induebatur. ades.

1159. Mundaturus ſalutari pœnitentiâ Chriſtus Dominus fœminam adulteram, *digito ſcribebat in terra*, Ioan. 8. num. 6. Sed quorſum, inquis, terram voluit, vt peccata reſolueret? putarem, vt videretur iterum nouum plaſma formare, ne in fœmina illâ peccatis condonatis, vetus aliquid manere putaremus: ſed viuificantem gratiæ ſpiritum, tamquam inſpiraculum vitæ, in fœminam denuo quodammodo efformatam immitti: ac ſi quod foris fiebat, intus per pœnitentiæ renouationem factum ſignificaret: ſicque pœnitens, quoad fieri poteſt, ad paradiſiacam innocentiam reducta videretur: fecit mihi anſam in hanc mentem Iſaac Abbas apud Tilman. *in cap. 8. Matth.* vbi ita. *Dominus quidem Ieſus omnium Saluator, omnibus omnia ſic efficitur, vt humilibus humilior, excelſis ſuperior vbique inueniatur: ſic ſe inclinans, vt adulterio deprehenſam animam, à dæmonibus accuſatam liberet; quatenus digito ſcribebat in terram, ipſo digito Dei formans terram de terra propter terram.* ni placet explicatio, alius adſit ænigmati OEdipus felicior. certè ſi hoc Iſaac noluit: at noluiſſe Chriſtum renouationem plaſmatis in euolutâ terra ſignificare, nemo diuinare audebit, cùm id veritati conſonet, & rationi: ſed Iſaac verba alibi ad rem aliam, & fortè congruentiùs explicabo. hæc obiter ad id, quod dixi, renouationem baptiſmalis pœnitentiæ nouo adhuc ſplendore cumulari. redeo ad eiuſdem cum baptiſmate analogiam.

Intuitus

1160. Intuitus se oculis clarioribus, quàm dum hos cęcos, saltem turpi libidine obuelatos habebat, pœnitens Dauid: & quasi adhuc inter regalis purpuræ splendores, coronæque radios exteriores, anima intus nigricaret, acrioti indigens pœnitentiâ, exclamauit: *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, Psal. 50. n. 4. & post pauca, vbi delictum suum aggrauauit, iterum insinuat: *lauabis me, & super niuem dealbabor*, n. 9. dolens certè desiderium, preces anxias post longum dicendi filum æquiuocari quandoque, & iterata denuo repetere, nullum mirum: at in breui periodo, vbi orationem conuincendo iudici exornatam curabat, balbutire quodammodo Dauidem eisdem verbis turbatis & repetitis, maximè, prudentissimus cùm esset: quis non obstupescat? Sed aduerte, ita de se loqui Dauidem, vt secum pariter tamquam persona publica omnes Ecclesiæ pœnitentes orantes inducat: ac proinde omni sublata patalogizatione bis lauacrum, quia duplex lauacrum in Ecclesia futurum prænoscebat, baptisma scilicet aquæ, & aliud pœnitentiæ baptisma: sic rem explicat D. Laurent. Nouar. suprà citatus: *ibi lauacrum*, inquit, *est aqua*, *vbi dicit, lauabis me: hic lachryma sunt pœnitentis, vbi dicit, Laua me, &c. ille renouatur in fonte, iste renouatur in fletu*. eò enim vsque peruenit pietas diuina, vt abominans impios aquæ Anabaptistas, pœnitentiæ lauacrum exhibeat, vbi pœnitens iterum atque sæpiùs renouandus rebaptizetur.

1161. Recipitur iam pœnitens Prodigus suaui osculo, dulcibus amplexibus, tunc tenerrimus exclamat pater subitò: *citò proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius*, Luc. 15. n. 22. non capio stolam primam de excellentiâ, quasi dicat egregiam & polymitam; sed primam dixit, id est, qua priùs cum apud me erat, nec discederet vsquam, induebatur. Sed quid, inquis, in tam splendida domo relictâ semel stola, iterum affectatur, quasi alia denuo non possit aptari facilè? latet mysterium: erat stola gratia baptismatis: & vt quoad munditiem feruidus pœnitens ad eundem statum redigi cognoscatur, ipsissima stola seruata significatur. fauet D. Asterius apud Phot. *Datur*, inquit, *prodigo post stolam & anulus, signum intelligibilis confirmationis spiritus: vt enim in regeneratione per baptismum stola, & confirmatio Spiritus sancti datur: sic & in regeneratione per pœnitentiam*. vt per omnia pœnitentia baptismati assimiletur: sicque iam pœnitens feruentior iustis nunquam lapsis componatur. dicendum nunc in idem, quàm feliciter inseratur: idque seorsum, quoniam hæc vltrà, quàm putaueram excreuit pars.

§. II.

Propositi pars altera.

1162. Diuinam erga gentes misericordiam commendat Paulus, quod cùm essent infœcundi oleastri, fidei & virtutibus Patriarcharum tamquam fœcundæ oliuæ insererentur; vt iam fructiferæ, in domo Domini vegetarent: *tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis illius factus es*, Roman. 11. n. 17. Quòd si quis opponat illa Christi Domini: *non potest arbor mala bonos fructus facere*, respondet in re alia, sed optimè ad rem meam, Tertull. lib. de anima cap. 21. *Non dabit*, inquit, *arbor mala bonos fructus, si non inseratur: & bona malos dabit, si non colatur: & lapides filij Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur: & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint: hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtique naturâ*. Hoc est quod pœnitenti euenit: aruit per culpam, resipit, & iterum inseritur diuinæ amicitiæ: vtque diuinam illam pinguedinem participat, similes fructus cum ramis illis, qui non aruerant, incipit germinare. ideo Dauid non tam de naturalibus, quàm de mysticis Saluatoria nostri fontibus locutus, sic habet: *super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*, Psal. 103. n. 12. Vatabl. legit: *& iuxta eos fontes degunt aues cæli, quæ inter ramos arborum vocem edunt*. quia nimirum cœlestis desideria, quæ Deo adulant, è corde pœnitenti felicissimè inserto, Deo resonant, quòd priùs lapide durius & surdius ruttescebat: emphaticè itaque Vulgatus noster explicat quod fuerat: Hebræus, conuersionis germina explicauit.

1163. Vocatat Baptista Pharisæos *genimina viperarum*, Luc. 3. n. 7. quos cùm ad pœnitentiam mouere vellet, dicturus videbatur, vt vafriciem deponerent, venenum excuterent; at vide quid addat. *facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, n. 8. & vnde tam repentina comparationis mutatio, à bestiis immanibus, ad arbores amœnas? vt hi qui Abrahamum patrem iactabant, (quem oleam fœcundam dixit Paulus) illum non sanguine, sed moribus referrent, & scirent è bestiali illo statu posse per pœnitentiam, paternis virtutibus insertos quodammodo ita florescere, vt de gloria & fructibus cum ipso patre decertarent. fauet pro parte Ambros. ad hunc locum. *Exempli*, inquit, *ideo facta mutatio est, vt illo comparationis processu, quidam intelligatur hominis elementior iam profectus: nam illi antè deformes ad vsum, nudi ad ornatum, steriles ad fructum, irrationabiles ad profectum, iam in arborum speciem figurantur: quæ rationabili quodam naturæ munere decora ad vsum, ad aspectum venusta, ad fructum opima? surgunt cacuminibus, funduntur brachiis, replentur fructibus, frondibus vestiuntur*. vbi pluta de pœnitentiæ fructibus connectit. & meritò Ioannes, etiam exemplo lapidum illos admonet, quoniam, vt paulo antè dixi ex Dauide, qui lapidibus sunt duriores, si viuo Christi spiritui inserti vniantur, arborum instar mirifice, fructificabunt: cauete ergo, inquit Baptista, ni fructus pœnitentiæ factis, ne eiectis vobis lapidea fructificatori eligantur.

1164. Notandum tamen, inferentes siue inoculatione vtantur, siue insitione, eò respicere, vt insertus surculus alienæ matris gremio, non accipientis arboris, sed suos fructus immittat. bene D. Zeno serm. de Resurt. *Oleaster*, inquit, *suæ infelix & amarus est naturâ: sed cùm fuerit peritissimi agricolæ artifici manu, necessaria prouisione truncatus: nobilitate alieni seminis grauidatur, nutriturque ab eo ipso quod nutrit: donec hospitis germinis adeptina pinguedine assumptus, totusque in acceptum translatus honorem, noua frondis promotione, ramis resurgentibus ornatus, iam non oleaster sit, sed oliua: & cùm oleaster sit, tamen oleastrum se non esse, quodammodo ipse miretur*. Volebat absque dubio S. Doctor, cùm hoc scriberet, illud Virgil. 2. Georg.

At rursus enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

de

de quo ego multa alibi.

1165. At quidem in re præſenti, in noua hac pœnitentium inſitione, longè aliter euenit; inſeritur enim pœnitens fœcundæ arbori, pingui Chriſti & viuo ſpiritui: non iam ſuis amaris & acerbis, ſed dulcibus Chriſti fructibus vernaturus: ſic gentium oleaſter apud Paulum citatum, Patriarcharum fideli oliuæ inſertus, non ſuos, ſed oliuæ recipientis fructus protulit. Bene D. Hieronymus ad locum Apoſtoli. *Oleaſter*, inquit, *olea quidem, ſed inculta atque ſilueſtris: item hoc loco, contra naturam gentilem populum inſitum dicit in radice, hoc eſt, in fide Patriarcharum, & non ſecundùm naturam arborum; quaſi inſertum, proprij generis fructum ferre: ſed bonitatem radicis ſequi, in quam inſertus eſt.* cauſſam illam exiſtimo: vt cùm nihil de priſca acerbitate retineat, ſed in radicis dulcedinem tranſmutetur totus: nil minus iam ramus vernans habere videatur, quàm illi, qui nunquam à radicis pinguedine, à charitate Chriſti exularant.

1166. Vltimum excidium parabat miſeræ Ierichô Ioſue: qui tamen, poſtquam nulli parcendum edixerat, exclamat, *ſola Rahab meritrix viuat*, cap. 6. num. 17. Aſt cur vitâ digna cenſetur, quæ ſimul cenſoria voce meritrix infamatur? cur flagitiis dicitur infamis, cùm famæ & æternitati commendatur? vt dignitas iſta & fama, qua cum innocentibus virginibus decertat, non repugnare cum priſca meretricia infamia cognoſcatur? vt dum meretricem audimus, & eximia laude dignam, admiremur pœnitentiæ effectus, cuius vi ad innocentiam quodammodo fuerat reducta. D. Chryſoſt. tom. 5. homil. 5. de pœnitent. *Si viuere*, inquit, *debet, quare meritrix? & ſi meritrix, quare viuat? Dico*, inquit, *priorem ſtatum, quo ſequentem diſcas mutationem. erat in fornice, velut in volutabro confuſa margarita: aurum, in luto abiectum: pietatis flos, ſpinis confoſſus. religioſa anima, recluſa impietatis loco.* vt reſtituta ſibi integrè reputetur, quæ miſerè à ſe, & ab humana generoſitate defecerat: dicatur ergo meritrix, dum pœnitens colitur, quia de præterita culpâ iam nihil infamatur: inuenit enim margarita pulchritudinem, aurum nitorem, flos odorem, anima pietatem. quid vltrà illi deerit ad innocentiam?

1167. Miſerrimè affectam, peccatricem vrbem deſcribit Eſaias *cap.* 1. deinde ſic ſubiungit: *a planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata*, num. 6. quæ quidem obſcuriuſculè habentur in Græco: *a pedibus vſque ad caput non eſt in eo integritas, neque vulnus, neque liuor, neque plaga tumens.* quomodo enim à ſic percuſſo corpore, vbi nulla erat integritas, vulnus aberat? reſpondet Chryſoſt. citatus homil. 3. *Attende*, inquit, *vulnus tunc fit, cùm altera quidem pars ſana eſt, altera vulnus habet: hic autem dicit, totum eſſe vulnus, totum liuorem, totum vlcus à pedibus vſque ad caput.* & quorſum, inquis, morbi miſeria ſic extollitur, ſic efferuntur peccata? vt pœnitentiæ virtus vt medicinæ efficacia cognoſcatur: ideo enim ſubdit Propheta: *Si fuerint peccata tua vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, n. 18. de quo idem Chryſoſt. ad finem homil. *Sic delet peccata Deus, vt neque eorum veſtigium maneat. in corporibus quidem, id non eſt ita: ſed quamquam millies conetur Medicus, tametſi vulneri medicinas addat, vulnus quidem euaneſcit: ſæpeque in facie vulneratus quiſque, vulnus quidem curauit; cicatrix verò remanet vulneris argumentum faciei deformitatem habens, &c. Deus autem cùm deleuerit peccata, ſic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis ſuperſit indicium, non veſtigium quodque, ſed cum ſanitate decorem elargitur*, vt nihil à priſca innocentiæ ſuæ differat conditione. feliciter ergo Chriſto inſerimur, vt dum eiſdem fructibus, quibus innocentes, vernamus: nihil ab his differamus verè pœnitentes.

§. III.

Pœnitens feruidus gratior ſurgit, quàm ceciderat.

1168. Dixi ſuprà num. 1165. feruentiorem & acriorem ſurrexiſſe ſponſam, poſt culpam illam qualem qualem, quàm antè fuerat: ita eſt, neque enim ante hunc lapſum, noctium ardua, periculorum obiecta legimus aggreſſam, quæ tamen vltro pœnitens inuadit, gratior propterea dilecto vnienda. Sic etiam euenit in eis, qui grauiter labuntur, ſi non quoſcumque, ſed feruidos pœnitentiæ ſpiritus conceperint, gratiores enim ſurgunt, quàm ceciderant, vt non ſolùm priſcæ (quod hucvſque vidimus) innocentiæ componantur, ſed præponantur etiam quandoque. Dum prodigus, vt ſuprà vidimus, ſtola prima gaudet, recepto exultat annulo, & congratulatorios muſicæ capit concentus: queritur foris, dolet ad ianuam frater ſenior, nec doloris cauſſas ſubticet parenti: *Numquam*, inquit, *mihi dediſti hædum, vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum*, Luc. 15. num. 19. pende illud *poſtquam*, quaſi antea dum prodigus adhuc innocens domi conſiſtebat, nunquam ſimili epulo fuiſſet exceptus: vt, quia humilis & feruidus re[illegible] maiora accepiſſe, quàm amiſerat, cognoſcat[illegible] capio Chryſoſt. *ſerm. de Pœnitentia*, vbi ad illam: *Per te*, inquit, *filius prodigus regreſſus ad patrem, non ſolùm amplexum oſculumque paternum, ſed etiam epulum vituli ſaginati, veſtemque inſignem promeruit adipiſci.* & bene *inſignis* veſtis, quæ innocentiæ candore ſeruato, puniceis humilitatis floribus, purpureo compunctionis limbo prætexebatur.

1169. Iacebat inculta Niniue ciuitas illa magna, & licèt abſque fidei lumine, tamen moralia bona aliqua perpetrabat, quibus deſignatam ad vltimum ſupplicium peccatorum menſuram retardabat: reduplicantur deinde culpæ, augentur ſcelera, & ecce iuſta pœna acceleratur, tridnum tantummodo interiectum fulminibus conſtituitur. Quid tunc Niniue? pœnitens dolet culpas, & delet inde ſupplicium impendens? parum id erat: tantus plorantium ardor, tantus ieiunantium fletus maiora reportaturus: non ſolùm non petit gladio, ſed parat ſibi lucem fidei, & inſperato gratiæ ſplendore coronatur: Ionæ *cap.* 3. de quo idem Chryſoſt. proximè citatus: *Per te*, addit, *Niniue ciuitas magna, populuſque integer barbarorum ſubitò Deum ſapuit, &c. fructuſque vbertatis tuæ abundanter exhibuit, & ſic per opera tua non ſolùm decreta mortis diſcrimen euaſit, ſed etiam vita incognita coronam accepit.* vt non ſolùm ad ſtatum moralis bonitatis, vnde puniendà ceciderat, ſed ad ſupernaturalis gratiæ thronum eueheretur.

1170. Vt plurimum in hoc Canticæ amatoriis, [illegible] paſtoritiis vocabulis Eccleſia vocatur, & tamen [illegible] dis ſubitò *cap.* 7. *num.* 1. clamantem Chriſtum: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* & vnde noua hæc laudatio, vnde nouus reginæ titulus? ſed eſto: cur ſi danda, non ex

aliis pulchritudinis actionibus, sed ex solius gressus venustate eruitur? quia hic gressus, regressus erat: intonarat priùs Christus cap. 6. num. vltim. *Reuertere, reuertere Sunamitis*, &c. quia oimirum post idola abibat fugitiua Ecclesia: vbi vocem audit, pœnitens reuertitur: tunc fetuidi reuertentis gressus sic laudantur, vt reuersæ regalem titulum concilient, quo nunquam antea fuerat insignita. latissimè id prosequitur ibi Rupertus: satis ad rem præsentem illud ex ore Christi. *Tibi dico ô Sunamitis, cui dixi, reuertere, & quia iam reuerteris, te appello filiam principis.* maius est quod dicam: non solùm pœnitens post conuersionem regali afficitur titulo, sed Christo ipsi signatius fit regnum: imò diuini regni sceptrum nobile, stemma gloriosius.

1171. Est tenerrima, nec dum satis excussa parabola ouiculæ deperditæ: *Cùm inuenerit eam*, inquit textus, *imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum*, &c. Luc. 15. n. 5. ecquæ ista domus? Nazianzenus Orat. 2. de Paschate. *ad ouem oberrantem venit pastor ille bonus animam suam pro ouibus ponens, venit, inquam, ad montes, & colles, quibus sacrificabat, & palantem inuenit, & inuentam eisdem humeris, quibus & crucis lignum, sustinuit, acceptamque ad supernam vitam reduxit, eoque subuectam eodem numero, atque ordine collocauit, quo eas, qui nunquam ab ouili aberrarunt.* Satis hoc videbatur ouiculæ, sed non satis pastoris amori, quo pœnitentem dulcissimus prosequitur, si fernens resipiscit: cur enim aberrantem non ducit, sed portat? cur ouicula iam hilaris, iam sana, non tam suis pedibus, quàm alienis humeris conuehitur? vt honoratior rediret, quàm ante fugam: vt dum illam subleuat pastor, pariter [illegible]retur. Nicetas Gregorium explicans: *In*[illegible] *nouam naturam nostram minimè* [illegible] *perinsigni honore complexus est*, ego nescio an excellentior gestationis honor, an dulcior amoris complexus: illud scio, ante pœnitentiæ feruorem, in ipsâ innocentia, his honoribus, his delitiis caruisse.

1172. Ast dubitabis, cur non semper complexu foueat, &, si portanda, non in sinu, sed in humeris conuehatur? attende. Solent pastores gregem suum, suum regnum appellare: alludit D. Paulinus nat. 6. D. Felicis, vbi de bobus agnoscentibus bubulcum ita:

Oblatumque sibi mox ipso in limine regem
Agnoscunt,

quasi grex armentaque, regnum forent: sic agricolæ hærediola sua, regna vocant. Ausonius,

Salue herediolum maiorum regna meorum.

Cùm ergo super humeros Christi imperium eiusdem portetur, *& factus est principatus super humerum eius*, Isai. 9. num. 6. quid aliud est ouem humeris imponere, quàm ostendere illam iam esse regnum suum, quæ per pœnitentiam gratior redierat: imò cùm locus Isaiæ ferè ab omnibus de Cruce intelligatur, quæ propterea (vt alibi latè probo) sceptrum Christi, & principatus stemma appellatur: iam ouicula eisdem, quibus Crux (vt loquitur Gregorius) humeris imposita, inter innocentium greges [illegible]epidiores, & sceptri & stemmatis titulum reportabit: est enim singularis Christi habitus, vt imperij sui insigne, non in capite, non in dextra, sed in humero portet, de quo alibi. Fortasse totum hæc cogitabat Nicetas citatus sic scribens: *Eisdem, inquit, humeris eam suscepit, quibus & Crucis lignum tulit, baiulans enim crucem suam egressus est, prius quàm ad eam gestandam adactus esset Simon, &* *Isaias de ipso vaticinatus fuerat, dicens, cuius principatus super humerum eius.* Sed si tantum noluit Nicetas, non me pœnitet si primus cogitaui.

1173. Testatur Petrus ante passionem Christi diuinitatem, & Ecclesiæ petra designatur: post illam, iam iam summam iurisdictionem accepturus, audit à collatore Domino in cœtu Apostolorum: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan. 21. num. 15. cui Petrus absque fictione respondet: *etiam Domine*, &c. ibidem; sed quid, an si plus omnibus non diligeret, non concederet promissio, quæ non de ardentiori affectu futuro, sed de præterita confessione facta fuerat minimè: cur ergo cùm potestas traditur summa, summus inter Apostolos amor examinatur? vt gratior resurrexisse, quàm ceciderat, cognoscatur: vt qui ante negationem par cæteris in amando, & fortè Ioanne inferior putari poterat, post pœnitentiam, etiam Ioannis innocentiæ præpositus intelligatur: concollegas suos vt dignitate, sic etiam sanctitate superans feliciter. alludit D. Chrysost. homil. de Pœnit. num. 5. *Etenim, inquit, crudelem post illum casum. nam nullum negationi par malum, sed tamen post malum, iterum eum ad priorem honorem reuehit, & Ecclesiæ primatum gubernationemque sibi per vniuersum mundum tradidit: quodque omnium est sublimius ostendit, eum nobis ad Dominum maiorem charitatem Apostolorum omnium habuisse: Petre, inquit, diligis me plus his? huic autem ad virtutis rationem, nihil sanè par fuit*, sic pœnitentia ardentiorem effecerat, innocentiæ victorem.

1174. Agnus innocentiæ symbolum sacrificandus, *in vestibulo tabernaculi* mactari præcipiebatur, *Leuit. 3. num. 8.* si verò immolanda capra peccati typus, non in vestibulo, sed penè in tabernaculo, id est, in eius introitu, mactabatur: *immolabit eam in introitu tabernaculi*, ibidem num. 13. res quidem mira: honoratius visa tractari culpa, quàm innocentia: altius promouetur hispida capra, quàm agnus molliculus: vnde hoc? quia erat capra mactata, culpa pœnitentiæ cultro iugulata: peccator verò si feruidè pœnitens immoletur vt Petrus, tepidioti præponatur innocentiæ necesse est. Rudolphus hic apud Godefr. *Quid, inquit, est quod peccatoribus tanta accedendi libertas conceditur, cùm, qui quamuis magnis virtutibus vacuam, innocentem tamen se recolunt transcurrere vitam longius stare præcipiantur? sed hæc est sacra consuetudo Scripturæ, quia penè vbique peccatores, si reuerti voluerint, in spem renocare conatur*, &c. *in iis verò, quibus innocentia commendatur, incauta reprimenda est præsumptio.* reprimitur sanè cùm videant se feruidis pœnitentibus postponendos: animantur isti, cùm post tot maculas, innocenti candori præferri non desperant. quæ dixi, mysterium habent in Vulgato nostro, LXX. vtrobique eodem modo legunt.

§. IV.

Spes vera fallit laborem, eius laruâ semotâ.

1175. Quærit circumcursans puella, nec fatigata dicitur: spes enim inueniendi dilecti, de eius amoribus, de eius teneritudine, non vana laborem releuabat: ita euenit, spes vera fallit laborem. Exultabundus Dauid quòd à Domino exaudiretur, triumphatos iam hostes ad laudis sacrificia inuitans sic concludit: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*, Psal. 4. n. 9. iam exauditus fuerat n. 2. iam dilatato

dilatato corde tribulationes ſuperauerat: & tamen ſperat adhuc, quia maioribus à Deo beneficiis captandis ſuſpirat in dies: ſed quàm noua expromendi voti forma? quis neſciat ſpem eſſe ſollicitam, & peruigilem: iucundè anxiam, ſomni inimicam? quis neſciat ſpem dilatam, dulcem cordis carnificem? quomodo ergo in ſpe conſtitutus, dormiat quis & requieſcat: imò, quod maius eſt, ideo requieſcat, & dormiat, quoniam ſperat? quia ſpes Deo fundata, quæ nos peruigiles reddit, ad pro eius implemento laborandum: ſic eoſdem labores releuat, ſic eorum pondus fallit, vt iam requies & gaudium videantur: ſic explico Gilibertum ſerm.2. ad hunc locum. *Regnum*, inquit, *Dei iuſtitia & pax: in pace, in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine in ſpe conſtituiſti me. Vtrumque amplectitur ſpei nomen, & lectulum & gaudium: quia in ſpe gaudemus, & in ſpe requieſcimus.* vt iam labor, quo iuſtitia & regnum Dei comparatur, in ſpei gaudio, tanquam in lectulo ſomniatus iudicetur, vt eſt reuera.

1176. Hinc iam è contrario idem Dauid, peccatorum, qui hac ſpe carent, miſerias enarrans ſic habet: *verumtamen in imagine pertranſit, ſed & fruſtrà conturbatur: theſauriZat, & ignorat cui congregabit ea*, Pſal.37.n.7. ſcio quàm aliter hæc verba deſpiciantur, non tamen deſpiciendum quod inculco. Omnia, inquit Propheta, vana ſunt: omnia quæ in mundo formidantur, inania ſunt terriculamenta, falſæ imagines, phantaſtica ſimulachra: & tamen cùm in his mediis verſetur homo, totus trepidat, ſine cauſſâ inanitatem expaueſcens, imagine conturbatus. Audi pulchra verba Senecæ epiſt.24. *Illud*, inquit, *ante omnia memento demere rebus tumultum, ac videre quid in vnaquaque re ſit: ſcies nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem. quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiuſculis pueris euenit: illi quos amant, quibus aſſueuerunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaueſcunt: non hominibus tantùm, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua: quid mihi gladios, & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementium? tolle iſtam pompam, ſub qua latitas, & ſtultos territas: mors eſt, quam nuper ſeruus meus, quam ancilla contempſit.* graue hoc malum ibi timere vbi non eſt timor, illa perſonata paueſcere, quæ forent ſi noſcerentur, contemnenda. Aſt vnde miſero peccatori id ortum? certè, quia dum viuit, laborat ſine ſpe: congregat per ſummam anxietatem, nec tamen certus eſt, imò ignorat prorſus, an ſibi, an aliis aliquid vtilitatis ſit euenturum: en labor certus, en incertus fructus, vtpote ſpei diuinæ non ſubnixus: quid mirum ergo ſine ſpe, imagines & phantaſticos labores conturbatus timeat peccator, quos iuſtus ſpe fundatus, amotâ larua irridet, ſomniatos putat, illud quidquid eſt, eſt miſeriæ, omnino fallens? meritò ergo ſubiungit ſtatim de ſe iuſtus: *& nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* n.8.q.d. Ego longè aliter ab illo: non conturbabor fruſtrà, qui ſpem amouentem laruas in tuto collocaui. Allucet dictis Chryſoſt. homil.2. ad popul. *Væ his*, inquit, *qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. dic, quare væ? theſaurizat*, inquit, *& ignorat cui congregabit ea: & quoniam labor quidem certus, fructus verò incertus.* imò, addam ego, ideo labor etiam in imagine certus, quia fructus incertus, id eſt, non vera ſpe fundatus: quæ laborem inde falleret, vnde depoſitâ perſona falſum oſtenderet.

1177. Totum penè caput duodecimum Lucæ impendit Chriſtus Dominus in diſcipulorum animis corroborandis, animandis viribus ad corporis occiſores contemnendos, ad ſpernendas diuitias, & ſollicitudines abigendas: ad ſperandum in vnius æterni Patris præſidio, & illo tutiſſimo, tunc ſic addit: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, n.32. Sed cur, ſi grex puſillus non timeat innumeras luporum cateruas, quibus immittendus? cur potiùs non complaceat Patri vires aduersùs vim hoſtilem adaugere? Adauxit quidem, quia eo ipſo quòd illos ad ſpem regni erexit, ſpe dominationis roborauit, atque ad labores proinde nulla ratione timendos expediuit. Chryſol. ſerm.22. *Præmia*, inquit, *ſtatuuntur his ſemper, quibus certamina dura proponuntur: at pro magnitudine certaminis, præmij proponitur magnitudo. hinc eſt quòd diſcipulis ſuis Chriſtus regnum proponit in præmium, vt in certamine non cedant periculis, non timori: pericula deſpicit, qui tendit ad regnum: victoria cupidus neſcit timere.* Quomodo autem victoriam ardenter non concupiſcat, qui pro præmio poſt illam ſperat regnum? & emphaticè dicitur, *nolite timere.* nam ſub ſpe tam vera conſtituti, quæ perſonam aufert laboribus, vt ſunt deinde cognoſcendis, volitum & quodammodo affectatum timorem conciperent, ſi quem conciperent.

1178. Amoris incrementis miris æternum Patrem ſuum, patrem etiam nobis Chriſtus promiſit, vt abolita Dæmonis ſeruitute, in filiorum Dei reuocaremur libertatem: ideo inter orandum, inuonandum præcipit, *Pater noſter qui es in cœlis*, &c. Matth. 6.n.9. Sed cur, inquis, non ſtatim ſeruilem habitum, & ſeruorum dum viuimus labores voluit abolitos? nimirum, quia cognouit, ſatis, ſpe datâ, nobis donorum eſſe, vt in filiali dignitate, ſeruiles labores facillimos indicaremus: hæc ſpes verà leuat periculorum pondus, extinguit horrorem: illorum ſe mouet laruam, vt penè pro nihilo reputentur nota penitus: ſi quid deinde durum remanet, fallitur ne fatiget. Chryſologus, licèt non ita omnia explicitè, ſerm.71. *Nemo*, inquit, *cùm ſe filium Dei clamat, manere ſe miretur in habitu ſeruitutis: ad diuinum germen hodie deſignatus es, non promotus, ſpem, non rem te noueris conſecutum*, &c. *quare tu fatigaris ſpe Dei, cùm genus omne hominum ſubſiſtat ſpe, fide viuat? agricola nunquam ſereret anhelus, ſi fructum laboris ſui de tempore non ſperaret: viator laborem prolixi itineris non ſubiret, niſi ſe ad deſtinata crederet peruenire: nauta mare non intraret incertus, ſi ſe lucris ſequentibus, compenſaturum viarum diſcrimina non ſperaret: miles tota iuuentutis tempora non ageret in periculis, ſi ſenectutis honores copioſiſſimos non ſperaret.* vt quemadmodum hi tales, labores ſpe præmij facilitant: ſic Chriſtianus ſpe ſolida complendæ in cœlis filiationis, ſeruilia munia releuaret.

1179. Pſalmum vigeſimum ſextum ſic inſcribit Dauid: *Pſalmus Dauid priuſquam liniretur.* & poſt multa vbi hoſtium inſidias ſuperatas, aduerſariorum caſtra impauido corde conſpecta ſibi memorat: ſic Pſalmum claudit n.14. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.* Et quæ, inquis, conſequentia iſta? legitima: vt quemadmodum ipſe, ſpe regni, antequam publicè vngeretur, 2.Reg.2.n.4. pro nihilo gigantæam turrim duxit proſtrandam: Saulis bella, exilia animoſiſſimè exantlauit: ſic fidelis ſpe in Deo poſitâ, periculis viriliter ſubeundis, ſumptâ indidem cordis corroborationc obarmetur. Facit huc ex parte Chryſol. loco proximè citato: *Filius*, inquit, *paternæ dominationis tempora non duraret, ſi ſe ſubſtantiæ paternæ non ſperaret hæredem:*

dem : & tu si te iam filium Dei credis , iuxta Prophetam, expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta, vt hereditatem Dei, de expectationis fide, & de virtute patientia consequaris. fit enim certè laborum patientia, seruilis habitus etiam in filiali designatione, fide non vanâ, sed certissimâ expectationis.

1180. Hoc monitos volebat Apostolus Romanos suos, docens, vt essent *spe gaudentes, in tribulatione patientes*, Rom. 12. num. 12. necessariò enim ferenda tribulatio patienter, spei gaudio duritiem fallente, & quî non fallat spes tribulationes, si eas dum acriter aggreditur, vanas esse ostentat, quasi semota larua iam non timendas esse manifestet? addo ad calcem bona verba Saluiani lib. 2. ad Ecclesiam. *Omnia, inquit, in rebus humanis spes futurorum agunt : vita quoque ipsa hac temporaria, non nisi spe alitur, ac sustinetur : ideo enim terris frumenta credimus, vt cum vsuris credita recipiamus : ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines spes vindemia consolatur : ideo negotiatores emptionibus vacant, dum thesauros suos venditionibus sperant cumulandos : ideo nauigantes vitam ventis, & tempestatibus credunt, vt spebus suis, votisque potiantur.* in hac quippe vna sacra anchorâ, fluctuantis vitæ labores sustinentur.

§. V.

Spes generosa, non labores destinat præmio, extra Deum : sed præmium, laboribus acriùs subeundis.

1181. Aduerte tamen eam esse apud perfectos spei generositatem, vt non ob sperata bona labores subeant, quasi aliàs Crucem fugituri : quin imò solùm in speratis sibi bonis complacent, vt ad amplectandos acriùs labores fragilitas humana incitetur. mira hæc perfectionis Philosophia, qua per intentionem seruit electioni, vbi finis videtur mediorum sortiri rationem, vt in mediis auidiùs conquiescat : sed quidem, quamuis insolens, solers & certissima ; inquisitio enim virtutis qua Deo conformamur, & inhæremus, nobis primus futurus scopus : quòd si cœlestia præmia (præter ipsum Deum ad suam ipsius gloriam dilectum) & voluptas etiam adueniunt, qui sunt virtutis affectus & effectus : hæc omnia vt per accidens inuenta, sic etiam quasi concomitanter accipienda : solumque spectanda in fragilitatis, vt dixi, incitamentum. ideo sponsa solum se dicit quærere *quem diligit*, quæ erat ipsius sponsi gloria : dona verò, mercedes, honores, qui cum ipso necessariò aduenirent, non memorat : quia hæc, non ob ipsa sperabat, sed vt acriùs ad inquirendum animaretur.

1182. Quanto diuinæ gloriæ zelo, quàm perfecto contra blasphemos Dei hostes odio, Dauid in Goliath impium sæuiebat, & tamen descendens in castra, promissa audiens, præmia intelligens, quasi illis moueretur, subiungit : *Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel*, 1. Reg. 17. num. 26. nefas sit tantum virum spe vilis, & terreni præmioli, quantumcumque illud foret, in rem tantam adductum existimare : nefas, tam generosum cor, de mercedis scopo contaminare : proponebat sibi mercedem, non vt finem, sed vt esset medium, quo spe plenus acrior pro Dei cultu contra impias blasphemias, periculo se obiiceret : interrogabat de mercede, non quatenus illâ ditandus, sed vt alios roboraret : quasi certus de præmio, ad pugnam longè acrior existimandus. D. Chrysost. homil. 1. in Psalm. 50. *De mercedibus*, inquit, *disputat, non vt mercedem accipiat, sed vt illos firmiores reddat.* firmabat certè alios dum spe mercedis conceptâ prodiret animosior, quàm ob hoc, & non ob se ipsam intendebat.

1183. Sed quid, inquis, illud eiusdem Dauid ad Deum : *Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos?* Psalm. 118. num. 17. ergo sine retributione non custodies Propheta sancte? præmium ad oculum, imò ad manum exigis? & vbi generositas fidei, fides ingenui cordis, qua Deo ob se ipsum tantummodo præbetur obsequium, quia se solo dignissimus? quid auarum Rex agis mercatorem : da, dabo? an pauca dederat, qui de post fœtantes, recturum populos te assumpsit? qui vile capitis tegimen, in coronam : baculum, in sceptrum : solocem, in purpuram : pilosos calceos, in crepidas tibi gemmatas commutauit? ecquid vltrà iam tibi vis retribuendum? certè generosus procedit Dauid : non retributionem petit, vt laboret, sed vt laborans, accepta iam compenset : non quidem, ni denuo accipiat, inertiæ tradendus, sed tamen si spectat, acrior laboraturus : intendit præmium, vt laboribus Deo gratis carnis fragilitas desudet animosior. D. Ambros. ibi serm. 3. *Vtique*, inquit, *non insolentis arrogantia, sed innocentis est conscientia, ab ipso cui seruieris petere mercedem : quia desperare, segnitiei materia, sperare autem incentiuum laboris est. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur : vt talia petendo studiosè allabores, quo ex petitione fis dignior.* Itaque petitione spes augetur : spei verò capiantur augmenta, vt labores feruentiùs cumulentur : qui eo ipso digniores etiam præmio efficiuntur, ne absque spe animus reddatur segnior.

1184. Disseruerat Christus Dominus de misero diuitiarum pondere, cœli ingressum retardante : cui tunc Petrus, *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te : quid ergo erit nobis?* Matth. 19. num. 27 Sed heus Petre, qui Christum sequitur, non ambulat in tenebris : tenebricosus autem qui non videat, minus Deum diligi, si cum ipso aliquid diligatur : quomodo Christum assequêris secutus, si adhuc alia extra illum præmia sequeris? verissimum sanè est minus Deum diligi, si cum ipso aliud diligatur, scilicet quando hoc aliud propter ipsum Deum non diligitur : Petrus autem non propter se, sed propter Deum minora ista expuscebat : vt spe propositâ rusticam carnis indolem ad impensissimè pro Domino laborandum corroboraret : sedebit in cœlo, iudicabit, tartara triumphabit : non autem ideo laborauit vt iudicaret, sed tamen iudicabit, quia laborauit. Quàm scitè Plinius *in Panegyr.* de Trajani modestia, Domitiani infamem ambitionem obiter corrodens : *Meruisti*, inquit, *proxima moderatione, vt quandocumque vel inferre, vel propulsare bellum coegerit imperij dignitas, non ideo vicisse videaris, vt triumphares : sed triumphare, quòd viceris.* Aliàs præmia fortem virum dedecerent, qui soli virtuti debet desudare.

1185. In se reuersus prodigus, qui dum à Patre fugerat, à se abierat : cogitans paternos penates, hæc secum Patri dicenda reuoluebat. *Pater peccaui in cœlum, & coram te : iam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*, Luc. 15. num. 18. Ecquis hic pudor! nonne tot iuuenis scelera stigmatum digna omnibus iudicentur? planè. qua ergo fronte seruum se non appellat : imò de debito tot titulis obsequio capitis mercedem? non

tam

tam se seruum patri, quàm conductiuum tradebat mercenarium, quia eo solùm stipendia captabat, vt mercedis spes misellæ, non tam de præmio gaudium, quàm stimulos ad laborem ingerem aspiraret: non illum suppudebat mercedis, qua intensiùs patri seruiendo, locatus & sperans, obligabatur, animabatur: sic modò capio Chrysologum *serm.* 2. alibi (vt sunt ponderosa & grauida eius verba) nouis interpretationibus aliter illustrandum: *Vt labore*, inquit, *iugi conditio conducta deteratur*. Certè si mancipium foret, cui iam nihil mercedis affulget, ignauesceret: subit ergo conductam mercenarij conditionem, non tam vt illa diteiur, quàm vt iugi labore deteratur.

1186. Hinc iam explicatur Salomon, qui postquam ardentissima vota sua pro sapientià refert, pro qua etiam humana bona omnia pro nihilo reputabat, concludit: *venerunt mihi omnia bona pariter cum illà, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia*, &c. Sap. 7. num. 11. Solam quippe virtutem optabat, cum qua quamuis multa bona confluerent, catenus tantummodo lætitiam afferebant, quatenus à præambula virtute dimanabant. Sic sponsa, quamuis mille bona sibi cum dilecto ventura sciret, illum solum sibi ponit scopum. Adde, quod hucvsque probaui, ideo optati, vt acriùs inquirendo Deo, & laborando impensiùs incitemur. quis totam hanc spiritus philosophiam, Ethnicum hominem docuit? audi & mirare verba Senecæ lib. de vita beata cap. 9. *Non si voluptatem præstatura virtus est, ideo propter hanc petitur: non enim hanc præstat, sed & hanc: nec huic laborat, sed labor eius quamuis aliud petat, hoc quoque assequitur. sicut in aruo quod segeti proscissum est, aliqui flosculi internascuntur, non tamen huic herbulæ tantum operis insumptum est: aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit: sic voluptas non est merces, nec caussa virtutis, sed accessio: nec quia delectat, placet, sed quia placet delectat.* Flosculi sunt quæcumque extra Deum (in cuius quærenda gloriâ, vera virtus consistit) speramur: non illis desodamus, sed acriùs quærendo Deo illis etiam impellimur.

§. VI.

In sanctitatis studio, tute tibi labora: hoc opus vicariam operam non admittit.

1187. Attende autem diligenter, non commisisse sponsam hanc prouinciam quærendi dilecti sodalibus, aut ancillis: immo ideo signatè *cap.* 5. adiurat filias Ierosalem, non tam vt quærant, quàm inuentum, si fortè, moneant de deliquio: tandem nec illæ ausæ respondere se quæsituras illi, nisi simul cum ipsâ: sic se res habet. res virtutis licèt alienis viribus adiuuetur, proprium tamen laborem exigit præcipuè: nec potest vicaria operâ exerceri: alia sunt quæ delegata in totum, feliciorem quandoque exitum sortiuntur; virtutis verò negotium si delegaueris, ab illius consortio relegaberis. Pulchrè Seneca epist. 27. *Sola virtus*, inquit, *præstat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infrà feruntur, nec vnquam diem vincunt. quando ad hoc gaudium peruenire contingat? non quidem cessatur adhuc, sed non festinatur: multum restat operis, in quod ipse necesse est vigiles, ipse laborem tuum impendas, si effici cupis: delegationem res ista non recipit.* & meritò te, à temet-

Pintus in Cantica.

ipso faciundum scribit, quia in hac regeneratione, vnusquisque suimetipsius, suorumque operum filius deputatur.

1188. Quatuor illa mystica animalia, quæ thronum diuinæ gloriæ, siue Ecclesiam sibi ligatam sustentabant, vndique scintillantia spiritum, viuido quodam vigore æstuantia, non illam solum quadrigam, sed vniuersam orbis machinam trahere posse facile videbantur, & quæuis inuita quamuis minori impetu reptare, & tamen neque rotas quadrigæ, quæ ipsà figurà leuiter conuolui posse significabant, trahere potuisse existimarem: *Statura quoque*, ait Propheta, *erat in rotis, & altitudo horribilis aspectus, & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor: cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota, & cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rota*, Ezechiel 1. à num. 18. si putas ab animalibus rotas tractas, falleris: non dicuntur trahi, sed ambulare. caussam subiungit statim ibi Propheta: *Spiritus enim vitæ erat in rotis*. Spiritus internus rotatum has mouebat, alias cuiuis animalium spiritui immobiles perstitissent: ideo Galfridus ibi apud Tilm. dolens quòd Prælatorum vitiosos non sequamur: *cum euntibus quidem animalibus irent & rota, & cum stantibus starent, & cum eleuatis à terra pariter eleuarentur, si spiritus vitæ esset in rotis: alioquin quamlibet in virtute proficiant pastores, quamlibet perseuerent, quamlibet quærant quæ sursum sunt: nunquam eos plebes, eorum industria præualente, nisi spiritu trahente sequentur.* ita est, delegationem non patitur res virtutis: ipse viuas, ipse ambules necesse est: sin minus immobilis miser contabesces: quin Prælatus qui te dirigit, te promoueat.

1189. Ex meritis quidem sanctissimi Abraham, familiam Loth à Sodomitico incendio liberare decreuisse Deus videbatur *Genes.* 19. vnde illud: *Cum enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Loth de subuersione*, num. 19. & ex communi auctorum sententia omnia Loth concessa beneficia in gratiam consanguinei Abrahæ concedebantur: eò igitur veniebant Angeli absque dubio, & tamen quasi illius hospitium euitarent, illius ingredi domum recusare simulabant: quid tunc Loth? *Compulit illos*, inquit textus, *oppidò vt diuerterent ad eum: ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt*, ibidem num. 3. Sed si eò venerant, quid detrectare fingebant? cur sub specie iuuenum non intrant, quò properabant? vt dum hospitalitatis virtutem feruidiùs exerceret Loth, aptior recipiendo beneficio inueniretur. Alcuinus *quæst.* 184. præmissis aliis: *Cur igitur*, inquit, *Angeli quasi hospites coacti domum Loth introisse dicuntur? vt tentata esset charitas Loth, probata, & remunerata.* Ne quis credat ex vitiorum incendio (quod in Sodomitico significabatur) ob aliena tantùm merita, nisi labore proprio se disponat, liberandum.

1190. Quis non miratur mitissima Iosephi viscera, visa quodammodo in diuexandis fratribus obriguisse? arguit omnes proditionis, dat Simeonem in vinculis: deinde furti insimulat, minatur ad aliorum dolorem, Benjamin suo seruitutem. Quovsque perges suauissime Patriarcha? an non times, si te iratum simules, affectatæ deinde vindictæ insimuleris? bene Alcuinus *quæst.* 265. quæsito respondet: *Quid est quod Ioseph ludificauit fratres suos toties, & tanta expectatione suspendit, antequam se manifestare voluisset? tribulabat eos non vt se vindicaret, sed vt illos purgaret à crimine transacti sceleris in eos.*

putaretur quidem in gratiam communis & dilecti Patris Iacob, Iosephum pœnas debitas remisisse: ideo fratres piè cogit, non iam alienâ, quàm opera vti propriâ, vt à vero Iosepho Iesu, non vicariam, sed propriam quæri industriam ad largitionem veniæ, cognoscamus.

1191. Post salubertima monita, verè sancti cuiusdam pectoris monumenta, quibus iuniorem suum senior Tobias munierat, sic conclusit: *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, cap. 4. n. 23. in Hebr. apud Vatabl. legitur: *sunt tibi bona multa si Deum reueritus fueris.* consonant LXX. sed quò nam spectat hæc numeri variatio? si communiter vitam gestam miserè, fatetur, cur singulariter multa bona timenti Deum habenda contestatur? soluit acutè nodum Galfridus citatus ad hunc locum: *Duo*, inquit, *quædam in hac consolatione considero: quod & mutauit numerum, & conditionem prouidus pater adiecit: communis siquidem paupertas vitæ, & communis omnibus, quibus ipsa est vita communis: non sic autem illorum multitudo bonorum, vnusquisque enim accipiet secundum laborem suum.* Itaque nemo putet cœlestia gratiæ suum dona, aut illarum coronas, de medio sumendas aceruo. Inter mercatores dum fit societatis negotiatio, quandoque cæteris sudantibus, ignarus quidam lucri partes æquales adsortitur, & alieno labore locupletatur. Nescit vitius id genus negotiandi: non fœcundatur alieno tantùm sudore proprius ager, neque alienas solùm manus admittit hæc cultura, aut delegatam industriam labor iste: vitam miseram ducimus communiter, sed singulariter educimur ad leuamen.

1192. Sanaturus Christus Dominus misellos quosdam leprosos: *Ite*, inquit, *ostendite vos sacerdotibus*, Luc. 17. n. 14. Sed si sacerdotij dignitas, quòd Moysis cathedræ assisteret, quærebatur: aut si curæ erat, ostendorum humilitas, nonne satis erat si ægroti rogatum vicarium aliquem expedirent, qui illorum propalatâ miseriâ ferret medicinam? certè non satis D. Antonius de Padua Dom. 14. post Trinit. *Bene dicit, vos: per vos, non per alios: peccasti enim per te, per te debes te ostendere.* sub eodem mysterio credo Naaman Syrus 4. *Reg.* 5. iubetur lauari *septies in Iordane*, n. 10. ne naturalis virtus in aqua esse existimaretur, alioquin domum portata idem priuato balneo operaretur: sed ipse descensurus erat in Iordanem, ipse quæsiturus aquam si sanitatem recipere cupiebat: negotium si delegaret, pristino morbo infami lepra fœdatus iterum in Syriam reuerteretur.

VERS. 3. Num quem diligit, &c.

§. VNIC.

Claret Prælati pietas, de subditorum culpis occultandis.

1193. ECquâ fiducia sic loqueris, ô sponsa? quo pudore ad vigiles accedis, quibus tanquam ministris suis, iam Salomon defectus tuos, & iniustam quam passus est repulsam fortè nuotiauerat? abi sis, inquit illa: non is est sponsus, qui defectus subditæ sibi puellæ possit, aut velit detegere, quia piissimus. nimirum Dei typus, qui dum speratur correctio, culpas celat. imitentur id Prælati, si summo exemplari cupiunt adsimilari. redeuntem prodigum suum animâ magis lacerâ, quàm veste, sordentem magis spiritu, quàm corpore videt pater: *& misericordia motus*, inquit textus, *cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, Luc. 15. n. 20. At cur cadit, qui suscitaturus venit? quia quemadmodum in ostio aliquo versatili pessulum retro pendens prone cadit, vt promptè claudat inclusos: sic paterna pietas feruido cadit impetu, vt filij claudat vulnera, obtegat nuditatem. Chrysol. serm. 5. *Pater peccata filij redimit osculo, claudit amplexu: ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret.* Sunt itaque amplexantia brachia, portæ claudendo & occultando nato, dumque iunguntur claudenti complexu, puerum aliorum oculis subtrahebant. & pulchrè addit S. Doctor, *filium ne fœdaret*, re enim vera ipse iam Prælatus filiorum fœdator existimandus, qui non fuerit in illorum defectibus occultandis oculatissimus.

1194. Et quidem meritò: solus enim Pater vt corrigat, ideo debet videre, quia de viso dolet: soli illi fit per notitiam filij culpa clata, cui præ dolore & lachrymis oculi caligantes ferre & videre filij maculas nequeunt sustinere: vix accurrerant serui, cùm clamat pater: *citò proferte stolam primam, & induite illum*, n. 22. credo non reclusit amplexum, donec filius stolâ clauderetur, ne cui pateret eius nuditas, nisi sibi, qui parens illam tegere præ amore copiebat, & præ dolore cernere non poterat: sic explicanda obscuriuscula verba eiusdem Chrysol. ibidem. *Sustulit*, inquit, *filij crimina, qui non sustulit nuditatem: hinc est quòd à seruis ante vestiri voluit filium, quàm videri, vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.* nam quod dolenter videmus, videre non posse dicimus. Non est pater qui sine dolore culpam videt, qui filij potest ferre nuditatem: quique illum impiè alienis oculis (dummodo quæuis alia spes remedij affulgeat) exponit irridendum.

1195. Excepturus iam princeps Ioseph subditos fratres: *Præcepit*, inquit Scriptura, *vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutua*, Genes. 45. n. 1. itane? clausis foribus lætitia excipitur, proditur exultatio? quando vniuersa curia, amici aulici, & si res pateretur, ipse Pharao conuocandus videbatur: tunc etiam domestici demittuntur? ita planè, erat quippe optimus superior, & paterna erga fratres viscera iam induerat. Lyranus hic: *præcepit vt nullus interesset, non quia Ioseph vellet celare, quod essent fratres sui, vt patet infrà: sed quia in manifestatione volebat aliquid dicere, quod latere volebat Ægyptios, ne fratres sui coram eis confunderentur.* erat nimirum ibi necessariò repetendum, se esse Iosephum illum ab ipsis venditum, quod fratribus ruborem necessariò offunderet: maluit ergo subitæ lætitiæ cedere celebritati, quàm prudentis pietatis affectum defraudare.

1196. Sed cauta ista prudentia clarior adhuc ex contextu patet: *Eleuauit*, inquit, *vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis: Ego sum*, inquit, *Ioseph, adhuc pater meus viuit?* ibidem n. 2. fletus erat lætitiam stillans, fratribus titillans, ideo spargitur, vt cunctis innotescat. & paulo pòst: *Ad quos ille clementer: Accedite*, inquit, *ad me, & cùm accessissent propè: Ego sum*, inquit, *Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum*, n. 5. resonat fletus hilaris, reboat exultationis vox per aulam: ast scelus suum audituri propè iubentur accedere, vt aure secretâ, silentium magis exciperent, quàm vocem: ne vel leue murmur, vnde rem coniectarent, ad exteros perueniret: idem Lyranus: *Istud*, inquit, *volebat eis dicere submissè: & ideo fecit eos propè venire, ne Ægyptij audirent proditionem, quam fecerant, & sic eos despicerent.*

Sic

Sic oculatissimè despiciat Prælatus opus est, ne quis de secreta culpa subditum despiciat: quantacumque potuerit saragens diligentiâ, ne dum fieri potest culpa publicetur.

1197. Quibus non humilitatis indiciis Christum Dominum adiuit prudens centurio, qua non veneratione Deum hominem fuit prosecutus? mira tamen illa vox: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, Matth. 8. n. 6. prudens erat, & licèt ad domum suam Deum inuitare non auderet, immo nec excipere se vltrò inuitantem: tamen re vera poterat coniectare, comitatem illam Christi piissimam, beneuolam facilitatem, re obiectâ quodammodo vrgeri, vt ad illius domum veniret; cur ergo non præoccupat quod timet, & aut in lecticâ, aut quouis alio modo commodiori paralyticum ad medicum non adducit? Chrysol. serm. 15. ex ore centurionis: *In domo malè torquetur: hinc est quòd afferre eum & offerre tibi pœna non sinit magnitudo: ne familiaris infirmitas, & dolori sit & pudori.* Id temporis apud Iudæos, quibus commorabatur centurio, putabatur (vt ex euangelico cæco notum) grauem quemuis morbum, semper esse grauioris alicuius culpæ pœnam. Nunc iam Chrysologum capies, q. d. pudori foret puero, si à Iudæis paralyticus magis de culpâ, quàm de morbo visus putaretur. maluit ergo inurbanitatis erga diuinum Medicum insimulari à circunstantibus, quàm ægrum illorum oculis exponere, & tantum re vera abfuit, vt inurbanus Christo videretur, quin potiùs eo ipso, suauior illi exhiberetur. *Mouit*, addit S. Doctor, *centurio iudicem, talia ac tanta dum perorat, & sic mouit, vt ad seruum suum, cœli Dominum ipsum ire velle perficeret.* Sic Deum mouet Prælatus subditum tegens, sic illi certiorem admouet medicinam.

1198. Ideo Dauid postquam iam diuino dono regnum acceperat, atque Patrem se populi gerebat auditâ Saulis, Ionathæque sui morte: *Nolite*, inquit, *annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthijm, ne exultent filiæ incircumcisorum*, 2. Reg. 1. num. 20. quasi verò tam celebris vastatio orbem, ne dum vicinas regiones latere potuisset, nisi à præsentibus nuntiaretur: sed aliud erat quod spiritu intendebat, de quo prudenter Bacchiarius *epist. ad Ianuar.* ne lapsi Clerici culpa propalaretur: *Me miserum*, inquit, *qui ista agnosco: filij enim incircumcisorum, qui sunt nisi homines huius sæculi, in peccati sui errore, & gentilitate viuentes? ergo hi exhilarantur, cùm audiunt ruinam militis Christi, vel ex illius se consolantur operè, dicentes: Ecce quid nobis exprobratur à cæteris, ad cuius exemplum cogebamur viuere: qui cùm nostro emersisset è corpore, tamen ad confusionem nostram, vita eius dicebatur esse dissimilis: nunquid non melius erat inchoare quod bonum est, quàm tam turpiter cedere, & non posse implere quæ cœperis?* en incommoda, in quæ incidunt Prælati, qui secretas subditorum culpas, quas possent secretò corrigere, malunt debuccinari: quid aliis defectus propalas, quibus vitiosus affectus gratulatur?

VERS. 4. Tenui eum, &c.

§. I.

Amor erga pœnitentes, diuinos operit oculos, cor aperit.

1199. *TEnuit eum*, nimirum ruens in amplexus eius, quem ille aperto sinu excipit, & quo affectu pœnitentes solet, quasi opertis oculis crimina non videat præterita, cor aperit, eosdem iterum recepturus. priscum hoc dulcissimi Saluatoris nostri Dei ingenium, sic obliuisci pœnitentis peccata, quasi illa non videat: sic beneuolenter redeuntem excipere, vt in ipsis suis visceribus eumdem collocare videatur. Redi iterum ad prodigum, de quo paulo antè. *Cùm adhuc*, inquit textus, *longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, Luc. 15. num. 20. quo non apparatu regio, quo non pretioso cultu iuuenis è paterna domo excesserat? purpurâ radians, balsamo flagrans, equo conspicuus, ore venusto, comis cincinnatis, epilogus pulchritudinis, Charitum germen abierat: sic redeuntem centonibus fœdum, nuditate pedum deformem, horridum macie: etiam appropinquantem patri, vix agnoscendum esse existimares, & tamen è longè adhuc agnoscitur, & aditur, & vnde tanta visus perspicacitas? ex piissima diuini amoris cæcitate. Chrysol. serm. 3. *Sic peccanti*, inquit, *filio dat oscula, non flagella: delicta non videt vis amoris.* Cæcatur Deus ad culpas, vt pœnitentem videat misericordiâ: vnde cum causa deformationis pueri essent culpæ, his non visis, idem atque exierat facilè cognoscendus patri veniebat: sed dum oculos operit pater, amplexus aperit, vt in pectore cor illi aperire videatur: imò ne moræ aliquid in pectoris apertione interesset, os aperit, osculum relaxat, quasi per illud aditus ad cor facilior habeatur: certè eo inuenta sunt oscula, vt amantes se inuicem deglutire queant, & incorporare. Attende.

1200. Mirum est illud quod refert D. Ambrosius de piscibus, exaëm. 5. cap. 3. *Si quid*, inquit, *insidiarum terrorisque præsenserint circa catulos suos quemquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant: aperire ora, & innoxio partus suos dente suspendere, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscondere.* Sic mater subtrahit oculis, quod per os iterum inserit visceribus: quid ergo nisi vnam eamdemque rem, denuo cum fœtu fieri conatur? haud aliter Deus prodigum suum iam pœnitentem, cuius proinde non videt culpas, aperto ore, osculorum ductu resorbet, vt cor intret, & vnus idemque cum Patre maneat per amorem. Fallor, aut voluit id VVerricus hic apud Tilman. *Amplexus*, inquit, *ille & osculum pietatis paternæ, quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudij, quid non sanctissimæ voluptatis? cecidit*, inquit, *super collum eius, & osculatus est eum, cùm sic super eum affectabat, quid agebat amplectens, & osculans, nisi illum sibi, vel se ipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, vt adhærendo illi, vnus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus vnum cum eis corpus fuerat effectus? pater illi erat summa misericordia, viscera sua miserationis non clauderet miseris: in ipsa sua viscera eos trahit, suisque inserit membris.* Sic Deus pœnitentis ex Chrysologo non videt culpas, & illi cor non inuidet paternum, ex VVerrico.

1201. Viuæ illæ iustorum imagines, Seraphini Isaiæ, quatuor, è sex alis, in velandis Deo, & oculis, & pedibus occupabant: *Duabus*, inquit Propheta, *velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*, cap. 6. num. 3. de quo pulchrè addubitat hîc Galfridus apud Godef. *Ad quid*, inquit, *velant faciem Domini? vt non videant? sed nihil tam cupiunt, quàm videre faciem eius. An aliis velant? sed non valet videri, qui voluit inuidere. quid ergo, videri timent, & ob hoc velant faciem Domini? sed*

omnia nuda sunt, & aperta oculis eius. Equidem hâc vltima de causâ oculos diuinos velant pœnitentes iusti, ne culpas eorum Deus videat: licèt enim diuini oculi re ipsa caligare, & cæcari non possint, at possunt & solent piissimè obuelari: vt sicut profanus Cupîdo fabulosè velato lumine depingitur: sic reuera diuinus amor velatis quandoque oculis ad mysterium describatur; sub ipsa quippe pœnitentiâ nostrâ, tamquam sub charissimo velo lumina sua dissimulari patitur pater optimus: omnia illi nuda, omnia aperta sunt si velit; vult tamen quandoque de summâ misericordia obuelari. idem Galfridus ibidem: *Caligabant*, inquit, *oculi Isaac, vt surriperet Iacob benedictionem: oculi autem huius patris caligare non possunt: an velari possint, tu videris. Audi eum dicentem per Prophetam: si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor. Itaque si accipere placet quòd duo Seraphim velabant faciem Domini, ala ipsa, ni fallor, non incongruè accipi possunt satisfactio pœnitentia, & correctio iustitia* Dulce velamen pœnitentia, dulcior perspicacissimus Domini amor, qui se suauissimè sustinet obuelari. Sed adhuc plenè titulo non satisfactum: perge vlteriùs.

1202\. Vides superiorem partem velatam, obductos oculos, ne iam videant culpam: vides & velatam inferiorem, & fortè quasi plumeis compedibus constrictos pedes ne properent ad vindictam. & cur duabus aliis alis media pars, seu pectus Domini tectum non exhibetur? quia velatos oculos, necessariò reuelatum cor subsequitur: vt nos ipso aspectu nostro, pectus illud, quasi exceptutum pœnitentes, apertum assequamur. Fauet D. Bernardus ibi *serm. 5. ad finem*, postquam rei suæ extremas partes velatas declarauit: *Sanè*, inquit, *mediam quasi quandam longitudinem nudam visibilemque relinquunt, longanimitatem dico, & benignitatem Dei ad pœnitentiam homines inuitantis.* Inuitat quidem ad pœnitentiam nudum pectus, quia sedem se, & thronum vbi quiescant exhibet pœnitentibus: ibi morantur, ibi deuotissimè exercentur. Idem Bernardus *ibidem*, alludens ad ferculum Salomonis, in quo diuinarum perfectionum symbolum videtur intelligere, de quo dicitur, *media charitate constrauit*, Cant. 3. num. 10. sic concludit: *hac enim charitate verus ille Salomon quasi quadam media sua constrauit propter filias Ierusalem: vt quibus altiora se quærere, & profunda vestigare non licet, in his saltem medijs valeant exerceri.* Sic cor charitate constratum inuitat homines, quasi illis & requiem & palatium sternat.

1203\. Hinc iam claret, quid sit illud Domini apud Isaiam: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona*, cap. 6. n. 2. in Græco est, ἐξεπέτασα, quod quidem verbum non solùm *expandi* significat, sed etiam *eleuaui*: ac si ita vocandis ad pœnitentiam peccatoribus Deus manus expanderet, vt videretur eisdem eleuatis, sibi non videndis peccatis oculos obuelare: quid autem est ita eleuatas manus expandere, expansas eleuare, quàm reuelare viscera, pectus pandere? ideo vocem aliâs cedros confringentem, tonitrua superantem, procellis vehementiorem, missam facit: vt veluti velatis oculis, verè reuelato corde, ipso habitu pietatem adsignificet. D. Chrysolog. serm. 108. ad hunc locum fauet pro parte. *Distendit*, inquit, *membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt patrem se, tanta obsecrationis demonstret affectu.* Talem se nimirum exhibet venturis, qualis excipit venientes. Seruierunt ergo mysterio, dum crudelitati suæ satisfaciunt Iudæi, & dum immissis spinis caput sacrum terebrant, emisso indidem sanguine oculos amori nostro videntur obuelare: dumque simul reapse Crucifixi brachia violenter extendunt, cordis illius claustra, conuulsis pectoris ossibus, nobis protendunt: hoc secundum voluit Chrysologus *ibidem* ex ore Christi: *vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt: extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam.* Non quòd non esset illa summa pœna, sed quòd amoris infinita dulcedine suauis videbatur.

Christi vulnera nobis porta.

1204\. Ad calcem illorum, quæ à principio huius capitis diximus de Pœnitentiæ prærogatiuis, lubet obiter subtexere causam, cur eo pretio à Domino haberi videatur: nimirum in semetipso illam quodammodo Deus consecrauit, & diuinam hominibus effecit: vnde maledicto humano generi in Adamo *Genes. 3.* iterum benedictiones præbet, Genes. 9. *Benedixitque Deus Noë & filijs eius; & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Si enim Noë & filij qui tantum erant, omnes benedicuntur: iam futura omnis humana posteritas, in parentibus quodammodo benedicta: hoc autem nihil aliud erat, quàm nouum quoddam piissimæ pœnitentiæ genus, qua Deus maledictionem Adamo immissam, deletam cupiebat: vt quemadmodum ipse à pœna ad misericordiam velut pœnitens commigrabat, *Psalm. 105. num. 45.* sic homines à culpâ in obsequium migrarent pœnitentes. & quemadmodum olim illum pœnituerat creati hominis, & iam quodammodo pœniteret pœnitentiæ: sicè contra homines non factæ ob culpas pœnitentiæ pœniteret. Itaque generationes in dolore Adamo promittuntur & Euæ: hîc verò benedictiones præmittuntur. Sic explico Tertul. de pœnit. cap. 2. *Deus*, inquit, *post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum, cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissâ sententia irarum pristinarum, ignoscere paratus homini, & imagini suæ.* Audis diuinizatam pœnitentiam, & primum illius templum, augustamque dedicationem in Deo factam? Quid ergo pœnitentes non condecoret. quæ dixi, suo sale intellecta, puto vrgerent meum Cerdam, vt Tertullianum mecum intelligeret: cuius tamen acumen in sua explicatione veneror discipulus.

§. II.

Mortificationis precibus Deus obedit: quibus ni annueret, quodammodo erubesceret.

1205\. PVtaueras fortè inuento Christo animam mille preces fusuram, & nullas legis: credo, quia sic paucula verba fecerat, vt nec memoranda putaret. Quî ergo, inquis, iam paucia persuasit? quia cùm afflicta quæreret, & mortificata, preces, breues licèt, habuit efficacissimas: quidni si mortificatorum precibus piissimus obedit Deus, sciens fore, vt quodammodo erubesceret, si obsurdesceret. Totus hilaris exultabat Dauid, quòd dominum conquirens ab omnibus tribulationibus liberaretur, *Psalm. 33. n. 5.* quod latè commendans, conclu

concludit: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum*, &c. *clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos*, ibidem à num. 16. quia, vt bene D. Auguſt. licèt tardare auxilium videatur, vt mortificantibus tribulationibus purgentur iuſti, tandem æternum remedium conſequuntur. Sed ego vellem expenderes emphaſim illorum verborum, & *aures eius in preces eorum*. Aures alicuius ſemper paratas, ſemper habere promptas, ſubditi ſupponere videtur obedientiam: neque enim immobiliter ſic audit, niſi qui obedit: vnde auris arrecta in vtraque paginâ obedientiæ ſymbolum capi poteſt. Nũquid igitur mortificatis precibus obedit Deus? ſaltem videtur quodammodo obedire: Saluianus lib. 2. de Prouidentia. *In hoc*, inquit, *quod ais oculos Domini ſuper iuſtos, affectus aſpicientis oſtenditur: in hoc autem quòd aures in precibus paratas ſemper, exaudientis largitas demonſtratur. quamuis per id quod dicit diuinas aures in precibus ſemper eſſe iuſtorum, non audientia tantùm, ſed quadam quaſi obedientia Dei deſignatur*. Pende autem hos iuſtos ſic potentes, vt non tam petendo impetrare, quàm imperare exigendo videantur, de tribulationibus clamaſſe, quibus mortificati, tanta dignatione digni erant.

1206. Contra quinque Amorrhæorum Reges pugnat Ioſue, quos ad internecionem vſque expugnaturus, æternam, vt ſic dicam, cœlorum inſtabilitatem, quietem edocuit temporariam: tunc ſubditos, *ſtetitque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: non fuit antè, & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis*, cap. 10. n. 13. Sol ſtat, & tamen ſolus Deus dicitur obedire: vincula cœlo, compedes mittuntur epiciclo, & tamen ſolus Deus victus, & vinctus obedientiâ declaratur? non aliter res poterat euenire: gerebat typum Ioſue, iuſti regnantem ſenſualitatem mortificantis: mortificato autem, non tam imperatæ in obſequium creaturæ, quàm ipſe ob illius preces imperans creator viſus obedire. Fauet Lyranus in morali huius loci explicatione. *Deſcribitur*, inquit, *hic pugna Ioſue contra quinque Reges Amorrhæorum, per quos intelligi poſſunt quinque ſenſus corporis pugnantes contra dictamen rationis*, &c. *per aſſiſtentiam verò Solis, intelligitur adiutorium Chriſti, qui Sol eſt iuſtitiæ, contra tentationes carnis*. Bene ergo & ſtare ſolem, & dominum obedire dicitur, quia in mortificatorum pugna ipſe diuinus Sol ſtando obedit, & obediendo ſtat, ac ſi preces, auctoritatem in Deum ſortirentur.

1207. Cape hinc quàm ſine ſuperbiæ faſtu, ſine tumoris ambitu, ſine arrogantiæ labe clamet Dauid: *Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos*, Pſalm. 118. num. 17. Si enim obſequia noſtra omnia, exigendæ diuinæ retributioni de ſe videntur diminuta, aliquid aliud haberet Propheta neceſſe eſt, vnde non tam ex humilitate impetrare, quàm imperare ſibi ex auctoritate præmium auderet: erat hoc autem illud, quod immediatè antea dixerat, *in mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas, in iuſtificationibus tuis meditabor*, num. 15. & 16. quæ omnia ex Hebræo, non in futuro, ſed in præſenti tempore referuntur apud Vatabl. nam qui in mandatis, imò mandatis exercetur, mortificatur, & ideo iam auctoritatem habet apud Deum. Gaudet Dominus hac ſeruorum ſuorum pia libertate, quibus enim ſpiritum conceſſit mortificatum, ius quodammodo non tam precandi cæleſtia poſtulatiuè, quàm poteſtatiuè imperandi concedere videtur. Fauet D. Ambroſ. hic ſerm. 3. *Pete*, inquit, *confidenter, ſi merita ſuffragantur, vt talia petendo ſtudioſè elabores, quo ea petitione ſis dignior*; quia per ſolos labores dignitas noſtra & dignatio Dei comparatur: tunc aptè ad rem præſentem, *Quis athleta*, addit, *ſi deſperet coronam, deſcendet in ſtadium? aut ſi eam poſtules victor, offendat? Probatio ſpem facit, ſpes confidentiam. Iuſti ergo talis oratio eſt: delectatur Dominus tali precatione, vt pro puritate conſcientiæ, vtaris auctoritate*. Dulcis, etſi mortificans, probatio: quæ nos ſic probat nobiles, vt Deum Angelorum metum, poteſtatum tremorem, Seraphinorum reuerentiam, non tam adorantes orare, quàm exorare iubentes reputemur.

1208. Sentit Petrus ad primum plantarum ſuarum tactum mare marmoreum, fluctus ſolidos, & quando de elementi priùs æſtuantis conſtantiâ, conſtantiam diſcere deberet, dediſcere fluctuationem: tamen trepidat, acriores timoris æſtus, quàm mare æſtus patiens refluxus: ad quem tunc pauidè precantem Chriſtus: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Matth. 14. num. 31. Ecquid hoc Domine Ieſu? nonne hîc potius certus timor, quàm dubia fides? noſcit Petrus periculum, & petit auxilium: hoc autem magis videtur ſpei exercitium, quàm fidei derogatio: quid ergo increpas? quia nunquam timeret Petrus, ni dubitaſſet priùs: nec dubitaret, ſi viua fide crederet, in præmium mortificationis ſuæ, qua relictis omnibus ſecutus Chriſtum, Apoſtolus conſtiturus: ſic paratum habere diuinum auxilium, vt non trepidè poſtulandum, ſed confidentes vtendum recognoſceret. D. Ambroſ. *loco citato*, ſuprà. *Prærogatiua eſt fidei atque iuſtitiæ de Domini fauore mercedem vſurpare: denique reprehenditur Petrus, quia ſuper fluctus ambulans humano magis dubitantis affectu, quàm Apoſtolica auctoritate præſumpſit*. Imperaret Petrus confidenter vndis, increparet ventos: ſiſterent illæ, iſti exſufflarentur: nec tam clamore meticuloſo, quàm deuota cordis inſinuatione, obedientis Chriſti auxilium vtrique gratiua haberet.

1209. Neque mirum, in hac enim auctoritate noſtra, tota diuina auctoritas immiſcetur, vt non poſſimus de ſpretis precibus erubeſcere, quin ipſe Deus (quæ erat pars altera tituli) erubeſcere videatur. Voluit Chriſtus Dominus, nos omnes orandi modum edocere, & potuit quidem facilè ſeptem illas petitiones inculcare, ſed tamen nobis relinquere conformandas: at non ita fecit, ſed propriis ſuis verbis rationem poſuit, compoſuit tenorem, *Matth. 6. num. 9.* vt quemadmodum in Aduocati cedit iniuriam, in dedecus patroni, ſi clientis litem iuſtam infauſtè peragat: ſic enim ipſe minus prudens Iuriſperitus, ignauus legum ſcrutator, at cliens, infelix ſolòm denotatur, & quemadmodum ſcriptorem pudet, ſi ad hominem (vt aiunt) redargutus, nihil in ſcriptis ſuis ponderis inueniri cogatur fateri. Sic Chriſtus qui has dictauit preces, hanc ſcripſit petitionem, confunderetur, ſi iuſtos inauditos contingeret confundi. clariùs D. Chryſol. ſerm. 70. in fine. *Orandi*, inquit, *thema, materiam petendi, ſupplicandi normam, pauciſſimis in verbis ipſe tibi, qui tibi eſt exorandus, indulſit: vt ex hoc tu petendi ſumas ſenſum, intellectum poſtulandi capias, menſuram colligas impetrandi; & breuiſſimo magiſterio orandi latiſſimam capias diſciplinam. Simul, quia ad ameris indicium, Rex ipſe officio functus eſt Aduocati, vt preces quibus reſponſurus erat, ipſe dictaret: cunctatio ablata eſt impetrandi omnis, imò fiducia collata eſt tota promerendi, quando ipſum ſe legit in precibus qui rogatur*. Certè collata eſt fiducia, aliàs erubeſceret

sceret quodammodo Deus, si malè Aduocati functus officio notaretur: si ad hominem argueretur, ture ipse non imples Domine petitionem; minus rectè ergo illam dictasti. O vim amoris! nunc ergo ad rem præsentem aduertendum, borum omnium basim petitionum feliciter implendarum, esse mortificationem: *Sic igitur*, inquit Christus, *orabitis: Pater noster qui es in cælis*, &c. loco citato Matth. vt dum terreno patre spreto, cœlestem Patrem agnoscimus, omnia nobis terrena mortificanda, omnia abdicanda lumosa cognoscamus. Idem Chrysol. *serm.* 71. ad hunc locum: *Homo*, inquit, *quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cælis? ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrenâ, quasi quid in te gesserit terrena cognatio, cælo maculam, cœlesti generi iniuriam attulisti.* Vt non sit dignus tanti memorialis exhibendi, is in quo adhuc terrenæ immortificatæ viuunt affectiones: è contra verò, mortificatus spiritus necessariò comparat, imperat confidenter, quia suam Christo non confundendo Aduocato connectit auctoritatem.

1210. Luctabatur Deus cum Iacob, non puto quòd eo modo (verba sunt D. Thomæ) quo communiter luctantes, sed potiùs precibus, & attractiuis manibus, & amplexibus tenebatur, dumque fingebat se omnino velle discedere impellendo se ad recessum, tunc Iacob firmiùs tenebat, & ad se trahebat, quasi nitens ipsum ad se retinere: quid tunc Deus? *cùm videret*, inquit textus, *quòd eũ superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit*, Genes. 32. n. 25. vbi idem D. Thomas ita: *quòd scilicet carnalis concupiscentia, quæ viget in femore, imò ad tactum Dei marcescit.* omnes Iacobo carnis affectiones mortificantur: pende ergo nunc quod statim subditur de Deo: *dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, n. 26. Sed quid tunc si lucis Dominum, Regem splendoris, mutuaturus ab eo radios aurora intueretur? quid si luctam, quam quodammodo tenebræ obuelicabant, dies aperiret, gratum creatoris apponens spectaculum? fortè suppudebat Deum quodammodo, mortificato iam viro vota detinens. preces suspendens sic teneretur. Fauet idem S. Doctor subdens: *Nota*, inquit, *quòd loquitur ad modum alicuius domini, seu viri maturi & honesti, qui erubescit videri luctari, vel aliqua sibi non condigna agere.* quid autem aliud hîc Deus erubesceret, aut quid aliud in amoris luctâ Deo indignum appareret, quàm reluctari, & mortificati desideriis non statim annuere, non apparet.

1211. Miraris erubescentem Deum in figura, & in terris luctantem: audi eumdem in propria persona, & triumphantem in cœlis simili affectu ni annuat laboraturum: imò & casto reuerentiæ suffusum rubore, differtur Christus de cruce sua portanda, & eius ignominiis gloriosè venerandis. *Luc.* 9. *n.* 23. 24. 25. & subdit statim n. 26. *Nam qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* putares minas, sed sunt promissa. non loquitur de confusionis rubore, quo superbia in humiliationibus suffunditur: sed de casto illo pudore & reuerentia, quo iusti humilitatem Christianæ Crucis amplexantur: quia eo ipso, quòd abique confuso apud homines rubore, Christi ignominias sunt amplexati, erubescentes, id est, venerantes, & casta verecundiâ Crucem reuerentes: erubescet illos Christus, id est, reuerebitur, quasi confuso rubore, nisi optatis omnibus annueret. Verbum *erubesco*, in hac significatione, sicut & respondens ei *Nouus* passim apud Græcos, non rarò apud Latinos vsurpatur: ad rem illud Claudiani 1. *de rap.* vbi de Plutone à Parcis orantibus exorato: *trahuitque preces*, id est, reueritus, & veneratus est: aliterque erubesceret confusus, si rigesceret. dixi latiùs, vt caperes acumen Xiphilini ad hunc locum apud Gretserum: ergo ita Constantinopolitanus Patriarcha ex ore Christi? *Qui enim me erubuerint, & sermones meos in præsenti vita: & qui sine rubore, in præsenti vitâ me confessi fuerint, iis omnino par pari referam, imò verò longè etiam plus: erubescam & ego eos, hoc est, verecundabor, cùm venero in gloria Patris mei. quàm magnum solatium! cùm enim erubescit quospiam iudex, nunquam quibus debeat obedientiæ mercedem, amorisque erga se præmia, & obedientiæ coronam: nonne haud dubiè dici potest, omnino illos in perpetuo honore futuros & gloria?* Non erubescit Deum reuerens, qui erubescens mundum reneretur: erubescamus Crucis ignominias veneratores, vt Christum reuerentem sortiamur coronatorem. Quod ergo facit in gloria, lite contestatâ, id etiam, pendente adhuc, in mundo facit: pudet illum si tardat fouendis mortificati precibus. Elegantissima sunt verba Valerij Max. celebrantis Romanos suos, qui post Canensem cladem luctua abolendos decreuerunt, ne stata Cereris sacra impedirent: *Qua quidem constantiâ*, inquit, *retinendæ religionis, magnus cœlestibus iniectus est rubor vlteriùs aduersùs eam sæuiendi gentem, quæ ne iniuriarum quidem acerbitate, ab eorum cultu absterreri potuerat.* longè reapse dulcior Deus noster, longè eius amores suauiores, quàm quos falsò in Dis suis Ethnicus somniabat adulator, illis verbis ex *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 15. inicitur enim quodammodo illi rubor vt votis annuat, quæ mortificationis acerbitas commendat.

§. III.

Ipsa mortificatio, tacente iusto, viua est, & eloquens Oratio.

1212. Sed si reuera sponsa nullas fudit preces, ac propterea non scribuntur, ingentius mortificationis robur iam exprimitur: quasi ipsa tacentis mortificatio, eloquentissima fuerit persuadendo Deo, & impetrandæ veniæ viua oratio. Cognoscebat id absque dubio Moyses, de quo, quando Iosue certaturus describitur Amalecitas, sic scribitur: *Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis: cumque leuasset Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech*, Exodi 17. n. 10. Et quorsum, inquis, collem ascenderat? oraturus. Timotheus Presbyter Antiochenus orat. de Cruce apud Gretſ. *Iesus*, inquit, *Naue, vt probe nostis, acie contra alienigenas instructâ, vt vidit in conflictu alienigenarum, & Israelitarum, alienigenas in certamine superiores, id Moysi indicauit, dicens: Ora serue Dei Moysis, quoniam preualet aduersarius, extollitur alienigena: adhibe preces, preces enim puro, synceroque animo ad Deum fusa, telis fortiores sunt. Quid facit Moyses diuini spiritus reuelatione illustratus? quomodo aduersarios pellere instituit? consenso muro, non flexit genu, non demisit caput, non dedit vocem: sed manus extendit, erexit caput, crucis figuram expressit.* alludens ad numerum 12. eleuatas manus, quas diximus, expandisse, & in modum Crucis formasse dicitur: scilicet, vt cum eodem Timotheo ibi sentiunt ferè omnes, non Moysis precibus, sed figuratæ Cruci victoria ad-

scribenda intelligeretur. addo ad rem meam, vt mortificatio illa, & molestus Crucifixi habitus, oraret sedulus, & tanquam oratio viua Deum cogeret suauiter. Quid ergo fit non solùm exteriori Crucis repræsentatione, sed magis per susceptam plenissimè Crucis mortificationem? D. Ambros. ad hunc locum serm. 56. *Ideo*, inquit, *eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur: tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. hoc etiam exemplo Moyses sanctus, cùm contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro sed eleuatis manibus superauit.* Certè exauditur citius oratio, quia mortificationis etiam habitus pro parte orat, & vt habet ex Timotheo, in Moyse sine vllis aliis precibus exorauit.

1213. Propterea scepitiget Propheta Psal. 62. cuius titulus: *Cùm esset in deserto Idumææ*, scilicet fugâ miser, viâ lassus, fame fatigatus: exclamat n. 2. *Deus, Deus meus, ad te luce vigilo, sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* quomodo enim caro Deum sitit, quem non agnoscit? quomodo per se, quasi separatim ab animâ preces fundit, quas non intelligit? nisi, quia dum mortificatur, tacitis quibusdam precibus, imò viuis quibusdam vocibus, & eloquenti carmine Deum trahit, & exorat. quot carnis afflictiones patiebatur in deserto Dauid, tot oribus omni tuba clarioribus, in diuinis auribus personabat. Gilibertus serm. 34. *Vides*, inquit, *his verbis quomodo ipsum carnis vestimentum, quasi orationis habet vicem, dum Deo sitire dicitur? caro voluntariis afflicta disciplinis, nonne Deum ad propitiationem flectere nititur? ipsa eius propter Deum supplicia, supplicationes sunt.* Quàm eloquens oratio, quæ muta loquitur, tacens persuadet! si pungit cilicium, si dolet verber, si fames cruciat, si torquet sitis, si lassat chameunia, si fatigat vigilia, suauissimè per illas caro deprecatur: vt iam semper oremus, & non deficiamus, quod Christus docuit, si semper oratoriam amplectimur mortificationem.

1214. *Conclude*, inquit Ecclesiasticus, *eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*, cap. 29. num. 15. non iam dicitur auersura malum, quàm exoratura vt auertatur: non tam suauiter à Deo aspicienda, quàm exaudienda benignè, vt iam vocalis & eloquens intelligatur. & quanto erit vocalior afflicta ipsa tua à te caro, quàm præbita eleemosyna? Certè quanto est difficilius te punire, quàm tua partiri: eo erit apud Deum punitio, quàm partitio eloquentior. Gilibert. citatus. *Eleemosyna*, inquit, *pauperi misericorditer impensa exorat: carnis propria delectatio discretè repressa, cur non & ipsa orationis habet effectum? voluptatis repressio, quædam est votorum expressio, & desiderij delectationem aliam suspirantis.* Secutus petitioni adspirat, qui sic suspirat: votorum certus imprimit iacula, qui se reprimit: eloquentissimus loquitur, qui in mortificationis silentio locatur.

1215. Capies hinc illud supradicti Vatis: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, Psalm. 9. num. 17. Ecquæ ista cordis præparatio? cordis eiusdem circumcisio, quando ab illo spinæ per syncetam mortificationem euelluntur. propterea igitur, quin cor sic præparatum suspiret, aut clamet, ipsa eius præparatio, tamquam sonorus clamor, tamquam dulce suspirium, dicitur exaudita. Euthymius hîc acutè: *Desiderium*, inquit, *& præparationem cordis eorum clamoris quodammodo ad te, & iniustorum destructionem optantia, tu exaudisti: erant enim pauperes præparati, & recti corde, ac nullo vitio impediti.* Ipsa amotio impedimenti, expeditio est voti, etiam dum te præparas rogaturus, iam fruiturus comparas: non dum verborum iacula contorques, cùm iam extorqueas cupita munera. Maius est quod addam. Cupiebat Daniel populi libertatem: *In diebus*, inquit, *illis, ego Daniel lugebam tribus hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum*, cap. 10. num. 2. describitur statim Angelus illi apparens, qui deinde sic loquitur: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum, ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos*, num. 12. Quæro ecquæ verba? quosve sermones? certè in toto capite nil verborum legimus, nisi afflictio ipsa erat eloquentissima, persuadendoque Deo efficax & sonora. illud autem rarius, non solùm præparatum & mortificatum iam cor hîc exaudiri, sed etiam mortificandi cordis propositum iam vocale fieri: vt futura adhuc afflictio in affectu, iam in effectu clamans videretur.

Ista quæ ascendit.

§. I.

VERS. 6.

Virtus permansura, vtplurimum non tam volatu præpeti, quàm perpetuo incessu, aut ascensu comparatur.

1216. SCio, nec id absque temeritate & errore negari potest, quandoque Deum à profundâ vitiorum voragine, in altissimam sanctitatem aliquos promouere, idque repentè, vt non tam aditi gressu virtus, quàm volatu inuolari videatur: libera bona sunt, sic pro Domini libito gratiæ expenduntur: vtplurimum tamen, & ordinariæ legi suæ parens, longè aliter procedit Deus: paulatim gradientes nos ducit ad sanctitatem, donec perfectioni inducat. Sic reddimus magis, quàm volamus, & permansuram virtutem fixis cuiusdam incessus perpetui vestigiis potius, quàm leuibus præpetis volatus pennis stabilimus. ideo semper spiritus magistris suspectæ repentinæ virtutes, quæ in cunabulis grandes, immo in embrione, aspectu iam perfectæ: nec immeritò, habent enim nescio quid pythonici feruoris citò exhalandi. Hinc ergo est quod in hoc loco sponsa non tam volare dicatur, quàm ascendere gradatim à mundi huius deserto, ad montem perfectionis: sic securior dilecto suo innitenda: quam totam doctrinam clarè expressit Sapiens in Prou. *Substantia*, inquit, *festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur*, cap. 13. num. 11. vbi Hugo Card. *Verum*, inquit, *est hoc de substantia spirituali, quæ cùm festinatur haberi, minuitur, vt patet in nouitiis, qui præcurrere volunt fortioribus se, & ideo plerumque dum festinant, aut corruunt, aut offendunt, aut fatigantur & deficiunt, aut inuident eis, quos æmulari non valent.* Sic prouidus & amator suauissimus Deus petitiones docet, quarum tamen dilatat implementum, vt quod acquiris diutiùs, perdas difficiliùs: quodque instanter comparas, conserues stabiliùs. Dionysius ad eumdem locum. *In spiritualibus*, inquit, *conspicimus quòd hi qui grandi exercitatione, abstinentia & labore, ad virtutum incrementa, seu perfectionem perducti sunt, timorati existunt, ne per negligentiam suis priuentur affectibus. qui verò gratiosè præuenti ad spiritalem alacritatem,*

eritatem, sensibilem deuotionem, ac lachrymas, celeriter atque faciliter deuenerunt, sæpe per incautelam, atque incustodiam dilabuntur, nec data sibi charismata debitè appretiantur. Hinc etiam pius, ac sapientissimus Deus, desideratam gratiæ affluentiam multis non statim largitur, sed paulatim eos exaudit, ne repentè euacuentur: sed diutiùs orando ac laborando magis promereantur, & firmiores, cautioresque fiant. Itaque festinata virtus deficit, & celerum pennarum pœnas luit, quæ composito gradu incedens, stabilis proficeret, firmanda cresceret. rem ergo tanti ponderis fusiùs examinatam illustremus.

1217. Explicarem ego hinc obscura illa verba Isaiæ dicentis: *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*, cap.40.n.31. Quis alas aquilinas audiret, qui cœlum conscensum, solem superatis nubibus penetratum, non putaret? & tamen iustus alas habet, nec tam volat, quàm ambulat: affectu præpes, sed effectu prudens. & fortasse ideo dicitur mutare fortitudinem, quia initio feruidi impetus pennis passus eleuari: statim sapiens currit: & paulo pòst sapientior, cursus celeritatem ambulationis pausis intersistit: sic proficit, qui volans, aut festinanter currens fortè deficeret. Neque his obstabunt quæ infrà dixero, de gradu celerrimo ad virtutis viam requisito: ibi enim contra ignauos, & culpabili languore torpentes disseram: hìc phantasticè illusos & imprudenter temerarios coarguo: ibi citissimus cursus, sed debitis seruatis gradibus commendabitur: hìc cursus quidam importunus, & quasi per saltum properans reprehenditur. pergo.

1218. Explicauit prudentiam huius cursus ipse Propheta, dum post cursum, posuit ambulationem: quasi (præter illa quæ dixi) vellet vt ipse cursus, esset ambulatio: sicque iustus & ambulando curreret, & currens ambularet. & quorsum, inquis? attende. Prisci vates, & Mænades pythonico spiritu agitatæ, falsumque Deum suum, dæmonem verum patientes: equorum indomitorum instar subsultabant, si fortè illum excuterent, & eiicerent: totus est in hac metaphora Virgil. *lib.6.* de enthea Sibylla.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magno si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

& iterum post pauca:

———ea fræna furenti
Concutit, & stimulos sub pectore versat Apollo.

Dulciori suauitate, equitatus etiam suos, Iustorum corda fecit Deus: sic tamen gestari gestit, vt non subsultent, non bacchentur instar pythonicorum, ne Deum in se immobilem, sibi infeliciter excutiant. Huc me manuduxit Hugo Cardin. qui ad hunc locum culta barbarie sic scribit: *Ambulabunt, id est, Christum sessorem suum suauiter ferēt: sicut equus, qui suauiter ambulat, non trotando.* quasi Christum excutiat, virtutem amittat, qui dum perfectionis viam currit, subsultare & transilire non formidat. Quando ergo celer cursus ineundus, quietam ambulandi serenitatem imitetur.

1219. Quas non ostentabant pennas animalia illa, quæ apud Ezechielem, thronum diuinæ gloriæ asportabant? singula alis quatuor statim ventos præuertere, cœlos anteuolare conatura videbantur: prius tamen legis incessum, quàm volatum: *Vnumquodque*, inquit, *eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*, cap.1. n.12. Certè ideo ambulabant, quia spiritus pennatis aliàs affectibus, non tam pro tunc volare, quàm gradiri concedebat: impetu diuinæ auræ impellebantur, & ideo optimo institutore monita non tam volabant extra tempus, quàm gradiebantur. quid mirum? etiam quando diuina aura, in auras ipsa attolli volebat, vbi necessariò pennarum vsus videbatur exercendus, ibi adhuc non alis remigant suis, nisi alieno vigore animatis, vnde *n.19.* euecta dicuntur potius, quàm volantia. Ex quo etiam capies illud n.24. *& audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, & quasi sonitum sublimis Dei: cùm ambularent quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum, cumque starent, demittebantur pennæ eorum.* Itaque semper erectæ & strepentes erant alæ, siue volarent, siue ambularent animalia, adstantibus tantùm dimissæ: ac si ambularent volantia, & ambulantia volarent: vt prudens ambulatio, volatus, feruidus volatus, ambulationis tenorem modestum sortiri videretur. aut saltem dum in aëre volant, *sonum sublimis Dei* imitantur: quia, vt habet hìc citatus Hugo, *totum est à Deo*, ac si pennis suo iure vtantur, solummodo dum ambulant: ast ad volandum, sine speciali Dei influxu, abutantur.

1220. Sed adhuc magis ad rem nostram pedum descriptio: *Pedes eorum, pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli*, n.7. O monstrum vitio carens? humani, & ideo prudentes gressus designantur, rectis hominis pedibus adumbrati, sed diuinitus humani: ideo dum bases sunt totius machinæ, pro basi sua vitulinam sortiuntur maturitatem. Bouis tarditas ad laborem festinat lenta, lentescit festina, ideo durat, ideo non deficit: & permansura virtus lentè debet in cursu festinare: ita D. Gregor. hìc *homil.* 3. licèt solùm de sanctis prædicatoribus loquatur: *planta*, inquit, *vituli, scilicet maturè incedens.* quod omnibus accommodemus necesse est: sic enim solida virtus, & perpetuò duratura, solùm comparatur. quid? non ad hoc aptiores aliquæ pennæ, quàm gressus quidam prudentes, & maturi: credo absque dubio id voluisse LXX cùm verterunt: καὶ τὰ σκέλη αὐτῶν ὀρθά: καὶ πτερωτοὶ οἱ πόδες αὐτῶν. id est, *& crura illorum recta, & pedes eorum volatiles.* nam vitulina maturitas pennata est, & eò in ipsa tarditate celerior, quo in assecutione securior: frustrà volatum iactas consequendo, quod vbi consequaris, iterum auolabit.

1221. Celebre mihi in hanc rem exemplum Enoch & Eliæ, qui dum in corpore ad [s]pecta assumuntur, modum quo spiritus ad sanctitatem assimitur, manifestant. ergo de Enoch sic habetur Genes. 5. n.24. *ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Ascendis Domine super Cherubim, & volas, vt addit Propheta, super ventos, non vtcumque, sed & hos pennatos, quasi leuis ventorum motus, nisi alis adiutus, testudineus tibi incessus videatur: nec tamen volat tecum Enoch, sed cùm fertur, cùm non apparet, ambulat: nimirum sumpsisti tunc incessum tibi minus congruum, quia iusto amico volatus non congruebat: conuenientes tibi pennas relinquis, quia Enoch isti ambulatio venit aptior: sic & antea tecum ambulat, *n.22.* & cùm fertur, defertur ambulator. rogabat Venus Cupidinem (fingit Virgil. *lib.1.*) vt mentiturus Ascanium Iulum, humanos indueret habitus: tunc sic,

Paret amor dictis charæ genetricis, & alas
Exuit, & gressu gaudens incedit Iuli.

& diuinus noster Amor, morem amico gerens incedit

incedit ambulator, quia inceſſus, & non volatus ipſi amico, firmæ virtuti tenendæ requirebatur. Quid Elias? pergebat cum Eliſæo ſuo, *cumque pergerent*, inquit textus, *& incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque*, 4. Reg. 7. num. 11. En currus, en equi quidem veloces, quos cùm in aëre audis, putares pennigeros hippogryphos: non tamen volatiles venerant, ſed ad ſummum, currentes: nec illis vſquam alatus, & penè inſtantaneus de pennis acceſſus celebratur: ideo ſubditur, *& aſcendit Elias per turbinem in cælum*. quaſi gradatim Olympiacum cliuum conſcenderet, neque tam volatu præpeti, quàm inceſſu perpetuo progrederetur.

§. II.

Idem vlteriùs confirmatur.

1222. His ergo cœleſtis doctrinæ documentis, licèt amoris æſtro concita Magdalena cùm priùs ad Chriſtum acceſſit, illius pedes vnxit: *oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*, Luc. 7. num. 38. quæ tamen eandem domum poſtea repetens, aliena conuiuia ieiunaſque Phariſæi epulas charitatis guſtu Chriſto conditura, *Habens*, inquit Matthæus, *alabaſtrum vnguenti pretioſi, effudit ſuper caput ipſius recumbentis*, cap. 26. num. 7. Vt non per ſaltum, ſed pedetentim perfectioni anhelaſſe videretur. D. Ambroſ. *lib. 6. in Lucam*, latè diſputans an eſſet hæc vna eadamque Maria, ſic concludit: *poteſt quæſtia meriti & temporis diuerſitate diſſolui, vt adhuc illa peccatrix ſit, iam iſta perfectior, etſi enim non perſonam mutat Eccleſia, vel anima, tamen mutat profectum.* ergo adhuc imperfecta, & penè peccatrix aſſueſcit pedibus, perfectior ad caput vſque aſcenſura: ideoque in illa perfectione permanſit, quia lenta quadam proceſſit feſtinatione. Sunt pulchra ad hunc locum quæ habet Bernardus *ſerm. 3. & 4. in Cant.* parco tamen notis: nil elegantius huc afferam, ſed tamen recentius aliquid.

1223. Et bene anima, ſiue Eccleſia, quæ in Magdalena pedes amplectebatur, quaſi diuinas plantas amatoriis oſculorum cothurnis calcearet, tranſit ad caput, velut in coronam: nimirum de ancilla & pediſſequa in ſponſam, quæ cum diligens, corona ſuo redditur ſponſo, *Prouerb. 12. num. 4.* vt non per ſaltum, ſed per gradus aſcendiſſe cognoſcatur. Hinc illud Cant. 3. num. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius.* ideo quippe tamquam ad regnum, in die deſponſationis coronatur, quia ipſa illi ſponſa coronatur: qui licèt ſemper Rex, & coronatus incederet, gaudet videri animarum diademate alio inſignitus: quod inde fore perpetuum ominatur, quia non per ſaltum eò acceſſerunt: animæ enim, quæ ſolùm in die deſponſationis coronant, videntur prius imperfectiores calceaſſe, & induiſſe. Acutè Gilibert. ibi ſerm. 21. *Mater Eccleſia*, inquit, *ſe ipsâ te Ieſu bone exornat, ſe ipsâ te veſtit, ſe ipsâ te calceat, & coronat. in imperfectione calceamentum eſt, in perfectione corona: mira mutatio, vbi excuſſo puluere, ſi quis adhæſerat, de calceamento, fit corona.* Ac ſi inde (addo ego) nuptiæ & legitimæ forent, & feſtiuæ; quia aſcenſus & legitimus fuerat, & ordinatus.

1224. Neque vana ſuſpicio: ſicut enim ab ancillatu, in Chriſti obſequio, tranſitur ad ſponſalia, ſic ab his ad matrimonium aſcenditur: rarò, ſine his gradibus, nuptiæ peraguntur. ideo diuinus ſpiritus *Pintus in Cantica* fideles animas enumeraturus, *Sexaginta*, inquit, *ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*, Cant. 6. num. 7. eo nimirum ordine deſcendit narrans, quo aſcenderunt animæ progredientes: ſemper inter reginas, & ancillas adoleſcentulas, mediet concubinatus, id eſt, caſtiſſimus quidam ſtatus ſponſalium neceſſe eſt: cape pluſcula, ſed pulchra verba Guillelmi *in catena Delrij*, ad hunc locum. *Excellentis quidem gratia eſt, cùm fortè aliqua adoleſcentularum, non mediante concubinatu, tranſit in reginam. Sed hoc tanto rarius, quanto excellentius agitur. itaque per adoleſcentiam, in concubinatum: per concubinatum, itur in connubium ſponſi cæleſtis. nam filiæ Babylonis, per electionem gratiæ tranſeunt in adoleſcentulas: adoleſcentulæ autem in concubinas, concubinæ verò in reginas. Adoleſcentulæ ergo non tantùm innuptæ, ſed adhuc etiam innubiles eſſe videntur: cùm autem in concubinas tranſeunt, nondum quidem nuptæ, ſed iam nubiles ſunt: ſed de nubilibus ſunt nuptæ, cùm de concubinis ſiunt reginæ.* Temerè igitur præſumis ordinem tranſgredi diuinum: arroganter aſſumis thalamum, niſi priùs ſponſalibus ſubarrhata: ſuperbè arrhas captas, niſi priùs ad ancillatum capiaris: manſiones multæ ſunt, ſed permeabiles, paulatim (niſi ſpeciali gratia præuentus) in ipſis creſcas, neceſſe eſt.

1225. Hoc erat quod Galatas ſuos edoctum volebat cœleſtis myſta Paulus: *Filioli*, inquit, *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, cap. 4. n. 19. Tandiu dolebat Paulus, tandiu parturientis anguſtiis premebatur, donec in ipſis Chriſtum efformaret, & reformaret, per omnia Chriſto ſimiles editurus: de quo alibi multa. Sed ad rem præſentem, quàm apta metaphora geſtantis matris ſumitur, & parturientis? ſenſim ſanguis in vtero coagulatur in carnem, dureſcit in neruos, ſolidatur in oſſa, & in membra diſponitur: deinde quàm paulatim eadem materia, cartilaginoſa criſpatur in aures; ridens ſublucet in oculis; ſeuera protenditur in naſum; candicans rubet in genis; rubens in labiis accenditur; ita per ſingula alia, & ab exemplo diſces, quàm non raptim, non properè in te formetur Chriſtus, in te naſcatur, vt tu iam reformatus parturiaris. Gilibert. ad hunc locum ſerm. 10. *In nobis ergo*, inquit, *& parturitur Chriſtus & perficitur: nec ſemel, ſed ſæpiùs, & iterata crebrà parturitione: ne quo poſſumus omnes Chriſti ſimul virtutes adaptare nobis: equidem nec vnam quamlibet ad plenum. idcirca ſemper inſiſtendum eſt, quia non niſi ſemper ſit in nobis ſpiritualis parturitio Chriſti.* Vt iam ſit ſenſus expers, qui non putet ſenſim ſibi in hoc negotio procedendum. planè non raptim, ſed pedetentim duratura virtus venit vt plurimum, & ſic ſtabilis perſeuerat.

1226. De pœnitente explicat Galfridus obſcura illa verba Eccleſiaſtici: *ante grandinem præibit coruſcatio, & ante verecundiam præibit gratia, & præ reuerentia accedet tibi bona gratia*, cap. 32. num. 14. vel vt alij, *præ verecundiâ accedet, &c.* nam certè illa reuerentia, verecundia eſt: quaſi prius quàm grandinantem procellam doloris & pœnitentiæ ſentias, diuinæ lucis coruſcatio fulgeat, neceſſe ſit: ſic & gratia fauens & roborans, verecundiam aperiendæ conſcientiæ præcedat, neceſſe eſt. nunc ad rem. Poſt illuſtrem hanc victoriam, tamquam præmium toleratæ verecundiæ: quis bonam gratiam (id eſt, virtutum donum) non aduolaturam crederet? & tamen non tam volat, quàm accedit, non pennis rapida, ſed gradatim incedens: quia ex ſe quidem vult in te durare, cupit ſtabiliri: ac ſi non

ralis futura, si tibi esset substantia festinata: pulchrè citatus Galfridus ad hunc locum apud Tilman. *Pro confusione*, inquit, *præsenti, quam vel sibi ipse ingerit, vel ab alio tolerat æquanimiter, quisquis verò interim pœnitet, bona gratia ei accedit, non subitò irruens, & illicè transiens: substantia enim festinata minuetur.* Accedat ergo, non irruat: veniat, non volet: aliàs quàm celerrimè auolabit.

1227. Fortasse in huius rei typum scala extremis cœlum terramque pertingens exhibita est Iacobo: *viditque*, inquit textus, *in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*, Genes. 28. num. 12. Vt etiam vacuum istud medium, non tam alis tranetur, quàm gradibus percurratur: vt & gratiæ è cœlo demissæ, & iusti ad cœlum immissi gradatim descendere, & ascendere cognoscantur. Bruno ibi apud Godefr. *Scala*, inquit, *quæ cælos tangit, virtutum & bonorum operum concatenatio intelligitur; sicut enim per scalam quibusdam gradibus ad altiora conscenditur: ita de virtute in virtutem proficiscentibus videbitur Deus deorum in Sion. Angeli verò qui per hanc scalam ascendebant, & descendebant, sanctos viros significant, qui virtutum gradibus, & bonis operibus, ad cælestia regna conscendunt: sic enim itur ad astra.* Itur quidem, non volatur, & media ista inanis intercapedo imprimendis vestigiis, quodammodo solidatur. diuina quædam qualitas est virtus, etiam gradus suos numerat, non numero tantùm, sed specie diuersos, & quemadmodum in qualitate physica, frustrà graduum ordinem præuertere conaris: sic etiam in virtute, à primo, medios ascende, consecuturus octauum.

1228. Allucet hinc illud propheticum: *Beati qui habitant in domo tuâ Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te*, Psalm. 83. num. 5. Quidni si perenni iam beatitudine perfruuntur, & beata iucunditate afficiuntur. & statim de illo, qui patriæ adhuc suspirat viator: *beatus*, addit, *vir cuius est auxilium abs te.* Diceres iam hunc talem viatorem, beatum appellari, quia cùm paratissimum habeat auxilium, celerrimo volatu possit beatorum se consortio immiscere: si enim Angelus Prophetam crine apprehensum, mirâ celeritate volantem pascendo Danieli adduxit: quidni Deus ipse auxiliator, celerioribus longè pennis istum euehat? Sed vide quid addat: *ascensiones in corde suo disposuit*; hæc enim via est virtutis, ideo ascendenda gradatim, non pennatè transuolanda. Euthymius ibi: *Sunt ista ascensiones, bona quadam cogitationes, per quas velutì per scalam gradatim ad alta & diuina bona conscendimus.* Sed iam ad alia.

VERS. 7. Sexaginta fortes, &c.

§. I.

Anima sancta, Dei thesaurus, isque dulci auaritiâ custoditus.

1229. Miraris fortassè tot cœlestis militiæ principes, in vno Christi, veri Salomonis, lectulo (id est, in anima iustâ, vbi Dominus requiescit) custodiendo; sed absit admiratio: thesaurus Dei est anima sancta, cuius ille auarus possessor de dulcedine, & de pietate custos inuigilans: candicat anima, puta in argentum, flauet in aurum, vt hac vnâ Deus ditescere videatur. Eleganter D. Zeno Veron. *serm.* 1. de auaritia, post multa sic concludit ad auditores: *Sed nos non ad auaros, sed de auaris sermonem fecimus fratres: alioqui solis diuinis exemplis opertuerat perorare, esset si quis hic talis: sed quia in vobis fides, & pietas, quæ est idonea expultrix auaritiæ, manet atque gloriatur: digni estis vniuersi, aurum argentumque non tam habere, quàm esse. nam vos estis aurum viuum Dei, Christi vos argentum, vos Spiritus sancti diuitiæ: vos si terrena metalla contempseritis, longè his vita vestra thesaurus, vobis aure constructa, ætherea illa ciuitas destinata est.* Vt quidquid etiam præter aurum & argentum, est diuitiarum, in sanctis suis Deus quodammodo habeat repositum, vt ex dicendis parebit.

1230. Animaturus suos Christus Dominus vt alacriter pericola subirent, tormentis exponerentur, sic concludit: *capilli capitis vestri, omnes numerati sunt*, Luc. 12. num. 7. Ecquis vnquam mortalium ita bonorum suorum custos sollicitus, vt nec etiam pilos perdi patiatur? Solebant antiqui, vt aliquid vilissimum exprimerent, pilum dicere, vnde illa phrasis Hispanis etiam in vsu: *pili te facio*, id est, nihili, & tamen Deus, vel etiam hos suorum pilos tam magni facit, vt alibi dicat nullatenus perituros, & hîc singillatim commemoret numeratos: nunquid aurei sunt crines isti, ac proinde cum ipsis iustis, qui toti aurei, sunt thesaurus Dei, sollicitè custodiuntur? ita planè, &, quod magis est, his pilis aureis, id est, superioribus & in vertice collatis virtutibus, sic venustantur iusti, vt iam toti quodammodo in auream cæsariem conformati caput exornent: hoc enim erat capillamentum, quod in sponsi capite laudabat sponsa: *caput eius aurum optimum*, vel, vt alij legunt, *aurum paz*, Cant. 5. n. 11. imò ideo signatè additur, *capilli capitis vestri*, caput enim iustorum, Christus, testante Apostolo: quod iusti tamquam cæsaries exornant. quid ergo mirum tanti capitis, id est, Christi Deus numeret pilos, si & huius capitis Caput, (vt ipse testatur Paulus) idem est? hæc omnia fuerunt dicenda, vt capias D. Paulinum insigni illa *epist.* 4. de vitiorum capillamento: *In communi*, inquit, *omnes animæ studeamus illis adornari capillis, quos Deus numerabiles habet, sicut ipse dicit: cuius verò ille capitis capillos magis numerare dignetur, quàm eius, cuius ipse capitis vertex est? de quo dicitur caput eius, aurum paz: quo nomine probabilius aliquod, & purius aurum significari puto sicut illud de terra Euilath. hoc enim aurum, forma Sanctorum est, qui in capite corporis, vt lumina micant.* Non ergo vigilantiùs princeps, imperij sui insigne, coronam scilicet, quam Christus coronarium hoc aurum sibi custodiet.

1231. De tormentis iustorum locutus Salomon sic habet: *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se: tamquam aurum in fornace probauit illos*, Sap. 3. n. 5. & cur, inquis, tunc digni Deo inueniuntur solùm, quando auri instar probantur in fornace, igne examinantur? quia constituenda in illis imago Dei, eo probatissimum aurum prærequirit. Atqui, inquis, Nabuchodonosor statuam & imaginem suam formaturus aurum elegit, nec tamen tam anxiè adhibito igne aurum priùs legitur examinasse: cur ergo Deus pueros iustos (vt alios taceam) prædictæ statuæ sanctos insultatores, quos in viuam sui imaginem elaborat, & illam auream: non vtcumque; sed in fornace voluit examinatos? quia, non vtcumque imaginem auream facere ex iustis, sed illam in pecuniâ percussam, cui probatius aurum exigitur, decreuit cudere. Statua Principis, cuiuscumque sit materiæ, aliis cernenda exponitur, pecunia in thesauris sedulò custoditur: sunt autem iusti omnes thesaurus Dei, imago aurea,

tea, sed nummis cusa, & ideo custodienda vigilantiùs. Paulinus citatus fauet: *Sunt aurum ignitum Deo, qui videlicet eos per examina passionum, huius mundi fornace conflator inuenit dignos se: in hos sacra imaginis sua percussit monetam imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis verbum.* scilicet in aliis auri ministeriis mistio alieni metalli, quandoque non excluditur: aurum ad pecuniam, ni adulterinā affectes, purum requiritur, quodque Lydiū patiatur, hoc ita cusum tamquam melior para thesauri auidè reconditur.

1232. Hinc illa vox Dei iustos in Israëlis figura allicientis: *Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, de cunctis populis, mea est enim omnis terra,* Exodi 19. n. 5. nam si id quod quisque habet priuatum, eius peculium appellant, cùm Deus fateatur omnem terram suam esse: cur non omnia terra eius dicetur peculium, nisi quia singulari quodam modo iusti ad Dei peculium pertinebunt? Et quis modus, inquis? nimirum cæteras creaturas Principum & aliorum hominum dominiu communicauit: Animam iustam sibi vni tantummodo possidendam reseruauit, tamquam in proprio thesauro reponendam: vnde Oleaster ex Hebræo legit, *eritis mihi thesaurus delectus.* faciunt huc verba Philonis *lib. de Plant. Noe,* in re simili: *Argentum,* inquit, *aurumque, & cætera pretiosa, quæ reconduntur apud subditos, Regum magis sunt, quam eorum à quibus habentur: attamen sunt qui propriè dicuntur regis thesauri, in quibus ordinarij tributorum exactores, totius regionis prouentum solent reponere. ne mireris igitur, si & omnipotentis rerum omnium præsidis eximia hæreditas esse dicitur sapientium animarum sodalitium.* quanto ergo maiori diligentia, in communi aliquo periculo, regius thesaurus, quàm priuatorum bona defenduntur: eo maiori curà animæ iustæ, quàm cætera mundi omnia à Deo & Angelis suis custodiuntur.

1233. Nouerat diuinum hoc ingenium Moyse, ideo ad eosdem iustos sub eâdem figura sic locutus: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, &c. pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius,* Deuter. 32. n. 8. bene enim dicitur Deus diuidere terræ filios, Adamo genitos, terrenis inhærentes: quia quodammodo dimittit palabundos, & dispersos, permittit errent vt voluerint. Sicut pastor alienis gregibus facere consueuit: sinit luxuriantes suffundantur ad libitum, sicut spreta vineis solet agricola. Iusti verò non diuisi dicuntur, quos tamquam sedulus pastor in vnum sibi gregem, & verè peculium congregat; & tanquam diligens agricola ne à vite palmites longe separentur, curat: denique tamquam thesaurum vnicum & dilectam hæreditatem custodit vigilantissimè. Philo citatus ad hunc locum: *Ecce iterum,* inquit, *portionem & hæreditatem Dei dixit eos, a quibus germanè colitur, & aspicitur; terra autem filios, quos Adami nominat filios, dispersos, dissipatosque cateruatim, cùm non possint recta rationis ductum sequi.* & emphaticè satis thesaurus iste, hæreditas appellatur: quemadmodum enim homines (quod in Naboth patet) hæreditatem auitam tenaciter defendunt, non solùm ob vtile diuitiarum, sed magis ob dignitatem gentilitij stemmatis, quod hæreditati immobili vt plurimum adhibetur: sic Deus thesaurum suum, vocat hæreditatem, vt sollicitè defendendus, & anxiè ab iniusto possessore recuperandus intelligatur.

1234. Ab ipso Incarnationis suæ instanti, rerum omnium Dominus, Christus à Patre constituitur: in cuius ad orbem ingressu, vt narrat Apostolus, omnes habuit Angelos veneratores: ac si tamquam Principem iniaturi pedibus eius osculandis conuolarent. & tamen audis eumdem Patrem apud Isaiam victorias Christi Domini referentem, quibus tandem sic præmium promittit: *& dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum,* cap. 45. n. 3. Sed quomodo qui iam rerum omnium erat Dominus, thesauros post victoriam, dicitur acceptutus? quia licèt Dominus ab initio, nondum tamen, vt ita dicam, possessor, donec ab vsurpatore iniusto, cruore fuso, vita expiratâ eos recuperaret, conterens portas æreas, & vectes ferreos confringens. Ecquæ, inquis, tanta thesauri dignitas, pro cuius recuperatione, sanguis diuinus sic dignanter impenditur? Sanctitas animarum, quæ in limbo, tyrannico custode dæmone seruabantur. D. Chrysost. orat. 2. de Cruce apud Græc. *Thesauros,* inquit, *tenebricosos, nominat infernum: meritò, quia multæ diuitiæ istbic erant reposita: etenim tota hominum natura, quæ gaza quædam Dei est, ab eo qui primum hominem in fraudem impulit, spoliata, mortique subiecta est. quòd verò hominum naturam, Deus diuitiarum loco habuerit, testatur his verbis Paulus, Diues in omnes & super omnes, qui inuocant eum.* Rom. 10. n. 12. Explicaui S. Doctorem de solis iustis, quia locus Pauli vnde mentem firmat, sic ab illo accipi visus: nec aliter verba Chrysostomi, aptum sensum facile inuentura. Et bene ad Dæmonem alluditur, qui Protoparentes decepit, nimirum sub habitu serpentis, quasi sub eâdem figura thesauro illi vigilans incubaret, vt olim incantatos serpentes ignivomos legitur, custodiendis thesauris adhibitos fuisse. Vides quàm sedulò pro hæreditate sua recuperanda Christus decertauerit? quidni ergo recuperatam custodiat vigilantissimus? ideo ergo thesaurus, dicitur hæreditas.

1235. Nisi dixeris, ideo thesauros hos hæreditatis vocabulo appellari, quia priscorum hæreditates vt plurimum agris, vineis, nemoribus constabant: & iustos suos, etiam similium possessionum nomine voluit Deus: caussam iam aperio. Summersis Ægyptiis victori Domino Moyses cecinit epinicium: & præ aliis, liberatos ab illo iustos concelebrans, sic subdit: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine,* Exod. 15. n. 17. plantantur hi, qui à vitiorum Ægypto liberantur in monte hæreditatis, id est, in Sanctorum sodalitio, quia & ipsi iam pars fiunt diuinæ illius hæreditatis. Solum mihi dubium, cur mons, qui firmissimum dicitur habitaculum, non tam turribus basim, quàm plantis, id est, arboribus & vineis, & nemoribus locum dicatur exhibuisse? putaremque dici plantarium, sed illud firmissimum, id est, tutissimo muro cinctum, vt hæreditas ista ideo in se intelligatur secura & custodita, quia Deo amœna & voluptuosa: quasi pertæsus impiorum culpas, ad iustos, tanquam ad amœnos solitudinis secessus soleat diuertere recreandus: secessus, inquam, non vulgares, sed priuatos & supremi Regis proprios: sicut Hispano Monarchæ nostro licèt communia omnia subiaceant, priuatim tamen, & tamquam viui thesauri para, suus illi adscribitur *aranjuez,* quo ab vrbanis negotiis secedit respiraturus. Fauet iterum Philo eodem libro, ad hunc locum: *Hæreditatem,* inquit, *dare conuenit Deo, accipere autem eam, fortasse non fuerit rationi consentaneum, cùm omnia iam ante sint illius possessio.* tunc ad rem meam sic nodum soluit: *Quid si hoc dicatur de illis, qui per excellentiam ad illum pertinent? quemadmodum Reges imperant*

Pinius in Cantica.

quidem omnibus subditus, sed maximè domesticis, quorum ad corporis curam, & reliquum victum, quotidianis vtuntur ministerijs: idem quamuis totius regionis possessionum sint domini, etiam earum quæ priuati iuris sunt; tamen sola habere putantur, quæ commiserunt suis procuratoribus, à quibus annuos reditus exigunt; in eos secessus animi gratia se conferunt, grauissimis regni, atque reipub. curis aliquantisper sepositis: & hi censentur possessionum regiarum nomine. sed de hoc thesauro, vt hæreditas dicitur, passim in sacra pagina offendes testimonia. pergamus.

1236. Nouerat sanctus Iob hominis vilitatem, qui breui viuens, repletur miseriis, vix flos egressus, cùm contritus, nec vsquam in eodem statu permanens: inde ad Dominum exclamans, *Quid est homo, quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum?* cap.7.num.17. Non ignorantia est, sed admiratio, quod eò vsque vilis natura per gratiam magnificaretur, vt illi cor diuinum esset appositum. Sed vnde, inquis, hæc tanta admiratio, cùm nihil notius sit, quàm iustum diuini cordis affectus & amorem sibi conciliare? Equidem maius est aliquid quod admiratur Iob, attende. homines ab studio immodico acquirendi deterriturus Dauid, multa in Psalmis docuit, illud excellens monitum Psalm.61.num.11. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* q. d. pluat licèt vobis aurum, & fabulosa flumina reapse, pretiosa tempestate, limo splendenti fluant, neque vnquam effluant: at saltem cor vestrum vobis reseruate, nolite in diuitiarum obsequium cor apponere, addictum captiuare. Iam priùs huius doctrinæ pondus ab eodem sancto Spiritu Iob didicerat, inde ergo est quod tamquam rarissimum, meritò admiretur, ipsummet Deum, qui cor humanum diuitiis subtrahere iubet, quia vanæ, quia caducæ, quia indignæ quæ hominis detinerent generositatem: nihilominus hominibus detineri, illisque tamquam propriis diuitiis cor apponere: à quibus tamen quo ad excellentiam longè magis, quàm ipsi homines ab auro, separatur. Mirus hic dulcis diuinæque auaritiæ effectus, sed tamen æquè certus. Pulchrè D. Bernard. serm.5. de dedicat. Eccles. *Quomodo*, inquit, *penitus nihil est, quem magnificat Deus? quomodo nihil apud quem appositum est cor diuinum? respiremus fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei, potest aliquid latere de nobis. O pater misericordiarum! ô pater miserorum, quid apponis erga eum cor tuum? scio, scio: vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus.* Vide an satis custodiatur thesaurus, cui ipsum diuinum cor excubat vigilaturum.

1237. Nauigamus omnes dum viuimus, infidum pelagus, Ægæis cunctis, & cunctis Adriaticis periculosius, mundum scilicet. Principes, Dynastæ, & similis conditionis viri affabrefactis nauibus conuehuntur felicitatis suæ: quæ marctiâ robustæ, aspectu pulchræ, æmulæ naui propheticæ Tyro construuntur, quibus cedrus in arbores scinditur, laboratur ebur in transtra: abies in remos dolatur, & in vela purpura suspenditur. quàm alij, & quàm aliter nauigant pauperculi plebei, ignoti religiosi; sed tamen iusti vt plurimum: portantur naui hinc lacera, inde sutili: primis, vt videtur, fluctibus absorbenda, aut fracta primis littoribus expellenda. Ecce autem repentè glomerantur nubes, sæuiunt venti, feruet æstus, fluctus intumescunt, resonantia latè littora miscentur, ponto nox incubat atra. Quis non credat in sic facta tempestate nauiculam breuissimè perituram? & tamen qui tempestatem sedulus notauit Propheta, naues solas Tharsis, id est, ingentes illas, vrbium opera, picturis decoras, nobilis siluæ filias, periisse testatur: *in spiritu vehementi, conteres naues Tharsis*, Psal. 47. num.8. Certè perierunt diuini iudicij tempestate submersæ. & vnde ab hac procella liberæ & securæ iustorum naviculæ? ab ipso cuius & diuitias & thesaurum asportabant, Deo scilicet, grauiter D. Paulinus epist.4. *Non conteret*, inquit, *nos spiritu vehementi inter naues Tharsis, si illi bonum vita acta nostra lucrum, quod pretiosissimum Deo mercimonium, conuehamus.* hæ sunt naues, quas diuinus noster Salomon sibi auro ex Ophir onerandas emittit: quidni custodiat eas, cuius mercimonio solummodo ditescere videtur.

1238. Do ad finem locum, quem iam ab aliis audio adductum, ex Tertulliano: sed tamen tumultuariè, nec satis ad sacri textus veritatem examinatum. creatur visibilis iste orbis, cœlo illustris, conspicuus terrâ, hinc floribus, inde stellis redimitus; producuntur animalia, virescunt germina, & adhuc, quantum est de visibili creatura, Deus sibi quodammodo pauper indicatur: producit hominem ornatum gratiâ, & tunc primo de titulo dominij gloriatur: itaque dum alias creaturas edit, solus Deus tunc editor appellatur: post creatum hominem, tunc dicitur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, Genes.2.num.7. nec obstat quòd priùs eodem cap. *num.4.* dicatur, *fecit Dominus Deus cœlum & terram*; iam enim hic titulus Deo datur, postquam post omnes creaturas alias produxerat hominem, *cap.1.num.26.* nec vrgebis si obiicias *cap. 1. num.2.* à multis legi, *& spiritus Domini ferebatur super aquas.* nam vulgata correctiora iussu Clementis VIII. edita habent, *spiritus Dei*; & clarè LXX. πνεῦμα θεοῦ. pater igitur ante productum Adamum iustum, nusquam Deum dominij titulos assumpsisse: quem tamquam thesaurum vnicum habebat. nunc claret Tertul. lib. aduersùs Hermogenem cap.3. *Grauiter Scriptura nobis patrocinatur, quæ vtrumque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit. nam Deus quidem, quod erat semper, statim nominat: in principio fecit Deus cœlum & terram: ac deinceps quandiu faciebat, quorum Dominus futurus erat, Deus solummodo ponit, & dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus, & nusquam adhuc Dominus. at vbi vniuersa perfecit, ipsumque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur.*

§. II.

Caueat euangelicus minister, ne morborum quos curat, tabescat contagio.

1239. EXplicantur hi diuini thalami propugnatores, de Euangelicis ministris, quibus proximorum salus cura est: addit Gilibertus ideo expressè dici gladios super femur suum gerere, quia dum cæteros curant, simul in femore suo, id est, carnalibus affectibus abscindendis debent euigilare, & meritò, præcaueant enim sibi diligenter necesse est, sibi impensè consulant: ne dum peccatores saluos volunt, horum commercio peccatis inuoluantur. Durus frater, pietatis reus, patris obex, charitatis expulsor, venientem fratrem querulus excipit, excipientes cantus lachrymis prosecutus, *Luc.15.* & vnde hæc rupes humano pectore concreta? vnde spinæ floridam fraternitatem lancinantes?

nentes? *Erat*, inquit textus, *filius eius senior in agro*, num. 25. in agresti solitudine, inter durissima rupium, & spinarum pungentia commoratus, mores præuertens, saxeus riget, inhorret senticosus. Chrysol. serm. 4. *Erat*, inquit, *in agro, terram percolens, se desertans: duritiem soluit cespitis, perdurat affectum: sentes eradicat, & gramina, stimulos inuidiæ, non euellit.* Sic vehemens instat periculum, ne dum alios colis, oblitus tui dyscolus reddaris, & inter illorum spinas, non solùm tibi veteres non euellas, sed nouas transplantes, & immersis opitulans, summergaris: vorticosum planè hoc pelagus, ni pendulo semper gradu, ni suspensis vestigiis percalcetur.

1240. Talis procedebat beata illa anima, quæ per vicos, & plateas, id est, inter proximorum commercia Christum inuenerat quæsitum; quo inuento addit: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ*, Cant. 3. num. 4. Quid ni? timebat prudens, ne periret vndis sæculi inuoluta: nisi properè ad interiora penetraret, & ad cubiculi penetralia recurreret. Gilibert. serm. 11. *Nouit*, inquit, *illa dilectum suum, non posse foris securè possideri, nec integrè quidem, & quàm durum est amanti, animam dimidiare cum Christo & mundo? quàm durum est, inquam, in dilectionis cura, peregrinas admittere curas, & cælestre secretum, sæcularibus infestare turbellis.* Non securè possidetur, propter fluctuantes turbas: nec plenè, non solum quòd diuiduntur quodammodo curæ, sed etiam, quia ni prudenter tibi consulas, plenâ eius pulchritudine non perfrueris. Faciunt huc verba Auctoris Imperf. homil. 2. in Matth. *Videmus*, inquit, *corporis oculos cùm in fumo remorantur, lachrymas effundere: si verò potiantur, aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores multoque maiore aciei fulgore rutilare. Talis profectò est, & mentis oculus: si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus, atque lucidus, & acutiùs cuncta perlustrans: si verò in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur.* Quis ergo diu fumanti pelago immixtus, fumo non excæcabitur? sic ergo tibi præcaue, vt dum charitatis vinculis ibi retineris, affectuoso intus suspirio, gratam & securiùs Deo vacaturam solitudinem concupiscas.

1241. Mira est similitudo illa, qua virtutes Ecclesiæ, quibus tamquam vberibus paruulos nutrit, proximos curat, lactea quædam charitatis flumina spargens, hinnulis capreæ comparantur: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, Cant. 4. num. 5. Ecquid enim in hinnulis magnum reperitur, vt euangelicis ministris, qui proximorum saluti insudant, ponantur in exemplar? hinnulus licèt in planis erret quandoque, at montosa appetit: quæ dum impeditus non petit, at tamen suspicit; campos pedibus, oculis montes peretrans, quos balatu affectat tamquam illibato & suauiori pastu abundantiores. sic Euangelicus operarius dum descendit ad proximos, ne cæcutiat: identidem sublimius cordis commercium suspirat, semper inter proximos quasi suspensus gradu, quasi saltu leuis, aliori Dei commercio recursurus. Pulcherrimè Gilibert. *serm.* 26. de sic perfecta animâ locutus: *Vbique illam vrget charitas Christi, sursum ad illum rapiens, deorsum propter illum trahens, sed non tenens diutiùs, dum ad suas subinde delitias in excessum recurrit: ideo dicit, vbera tua sicut hinnuli, quòd semper circumspicit montes pascua sua, quòd ad pascua locum, illam conuertat & rapiat nota refectio: vnde delicatè refecta cælestium succis herbarum, distenta vbera ad paruulos iteratò reportat.* Certè ni ita recurras, famesces tibi, & proximis arefces: interna lux, nisi perpetuò ad Christum respectu non foueatur, vndique exterioribus exposita, extinguetur.

Pintus in Cantica.

1242. Nec opponas verba illa Christi: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*, Matth. 5. num. 16. quia nimirum Apostolis primitias spiritus accepturis, & eiusdem plenissimi spiritus hæredibus ista dicebantur: qui, dum iam vndique accensi, minus prætentæ luci suæ pauent pericula. D. Bernard. serm. de Baptista, *Singulariter*, inquit, *Apostolis, & apostolicis viris dicitur: nimirum tamquam vehementer accensis, quibus non timeatur à flatu quolibet, & impulsione ventorum.* Quia is est sæculi flatus, ea impulsio, cui sola valeat Apostolica virtus durare obdurata. Sed tu mihi pende non dixisse Christum Dominum debere lucem Apostolicam ita crescere, vt Apostoli opera hominum securi viderent: sed vt illorum opera ab hominibus viderentur. Ausim dicere, vix Apostolica lux (ni adesset perseuerantis gratiæ donum eximium) sufficiat hominibus immixta, si oculos, quos semper montibus adtollere debebant, summittant frequenter infimis, si non videndi potius, quàm visuri negotiis proximorum gerendis applicentur.

1243. Habemus celebre exemplum in Christo Domino, non de eius periculo, sed in documentum nostrum exhibitum: inuitatur à Petro ad conuiuium, nec abhorrens hospitium, *Cùm venisset*, inquit textus, *Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem*, Matth. 8. num. 14. inter conuiuij apparatus, inter hospitum turbas, sola febricitans annicula videtur? certè sola: solum ad id, sub prætextu conuiuij Christus venerat: agit ergo quod acturus, quod visurus videt, reliquis quasi suspensus, & alienatus, vt spirituales animarum medicos institueret, cauerent pericula, sibi præcauerent, ne plus iusto infusi proximis confundantur. D. Chrysol. serm. 18. *Ingressus*, inquit, *in domum Petri Christus, ad quod venerat, vidit: non aspexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non salutantium pompam, non familiæ concursum, certè non ipsum præparationis ornatum: sed inspexit gemitum languentis, febrientis attendit incendium, vidit periculum desperatæ, & statim manus ad opus suæ deitatis extendit: nec ante ad humana discubuit Christus, quàm mulier quæ iacebat, consurgeret ad diuina.* Sic alios curatum venias, vt alia præter ægros, obiter pertranseas, ne pereas: cæcus illorum pompam ne videas, ne fortè inuideas, & illaturus aliis salutem, morbum tibi referas.

1244. Facit huc illud Genes. 1. *Factumque est vespere & manè dies vnus*, num. 5. quod de vario animæ statu explicandum vult Radulphus hîc apud Godefr. vbi ita ad rem nostram: *Manè*, inquit, *fit animæ, quoties per contemplationis, & meditationis studium æterno lumini se ingerit: vesperam autem patitur, mox vt ad tenebras exterioris actionis relabitur: quæ tamen ne in noctem tenebrosam descendat, opus est, vt lumen amissum citiùs repetat, & studijs spiritualibus se restituat.* Itaque dies Apostolici ministri, noctem non habet: manè & vespere hic dies perseuerat: succumbet tamen aduentitiæ nocti, ni actionis vesperam perpetuâ vigilantiâ, & recursu ad interiora, illustrauerit. quid enim infelicius, quàm si, dum peccatorum nocti facem immittis, illorum tenebras perditus admittas.

§. III.

Quàm gloriosus ille, qui ministrans sic læsis, illæsus permanet.

1245. ET quidem aptè *fortes* isti, qui non labuntur, dum lapsos erigunt, quia interim affectibus suis abscindendis seriò inuigilant, iam paulo pòst *fortissimi* ibidem appellantur: quasi non quæuis, sed summa fortitudinis gloria illis tribuenda: est enim gloriosissimum in medijs periculis non perire, neque in vehementissimi contagij peste mediâ, medicum rapi, cùm aliter in rebus aliis, & in naturalibus morbis soleat euenire: vnde Seneca in OEdipo:

Cadunt medentes: morbus auxilium trahit.

id est, corripit auxiliatores. Ouidius item,

——iamque ipsos sæua medentes
Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.

Sunt grauissima ad hanc rem verba Chrysol. *serm.* 107. de laudibus sanctissimi Episcopi Petri. *Omnis vndique ad eum ex diuersis regionum partibus, visendi studio turba concurrit. vetusque inuias solitudines, aut latentes eremi latebras incolebant, mirabilem Petrum magis veniunt videre, quàm sæculum. datum est illi aliquando discere difficilius quidem, sed gloriosius mundo præsente luctari: & aduersus instructas delinquentes turbas aciem quandam disponere sanctitatis. quanta enim in mundo positis post certamen palma est, si in solitudine constitutis sine luctamine coronæ debentur.*

1246. Vocarat se florem campi, patentem omnibus, nullo in horto clausum, nullo absconditum in vireto, Christus Dominus, *Cant.* 2. *n.* 1. & statim quasi summam laudem illustri animæ, de communicato titulo daturus, subiungit: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, n. 2. & quanto maius foret, si non tam nominis sui, quàm spiritus participem hanc animam celebraret? cur quam impensè voluit commendatam, de solo participato nomine ostentat gloriosam? quia non erat nomen vacuum, cassus titulus: non poterat quidem lilium, quod inter spinas & fragrans, & vannitum perseuerabat, iam eò gloriæ non ascendisse, vt liliati Christi spiritu decoraretur. innuit Galfridus apud Tilm. *ad cap.* 20. *Ioan.* post solitariæ vitæ descriptas laudes: *Longè*, inquit, *fortius & perfectius est in ipsius sæculi medio, ab ipsius carere contagio, & in ipsis quoque negotiis non turbari, in igne non vri, in puluere non fœdari: sed ad hoc quis idoneus? nimirum qui adhæret Deo, & vnus spiritus est, & tamquam lilium inter spinas, non tam dolet, quàm redolet.* Assistere peccatorum sentibus, nec sentire: tractare vitiorum putores, nec iam ibi dolere contagio, quàm temedio redolere, penè diuinum est, & illius, qui ideo Christi titulis gaudet, quia eiusdem Domini prærogatiuas, eidem adunitus, imitatur.

1247. Deserit Petrus nauiculam in qua secotè vectus, fluctuantis æstus incõstantiam calcaturus, *Matth.* 14. inuaditur turbine, & poscit opem exclamans: tunc, *Iesus*, inquit textus, *extendens manum apprehendit eum*, n. 31. qui cuncta verbo creauerat, & nutu minimo auxilium ferre poterat: hic manum porrigit, vt periculi magnitudo, quasi tantam poscentis operam pateret: maximè verò inde Apostolici muneris gloria, & illorum dignitas nosceretur, qui spreta propriâ quiete, vndas sæculi in obsequium Christi, & proximorum salutem aggrediuntur: quibus non quoduis, sed suauius manutentis Dei auxilium, dulcis diuinæ dexteræ contactus exhibetur. huc allusit citatus Galfridus verbis pulchrioribus: *Magnus ille, quicumque est, qui in carne non ambulat, sed in spiritu: & sicco vestigio super aquas graditur, & Domino sustentante non mergitur. nimirum longè amplius est spiritualiter calcare sæculum, quàm prudenter fugere: prodesse pluribus in spiritu charitatis, quàm in timore Dei abesse vello ab ijs, quorum posset obesse conuictus. itaque magnus est, qui intra sæculi huius tumultus irreprehensibilis, vel saltem venialiter viuit: maior qui extrà: maximus, qui suprà.* perillustre quidem, non tam inuolui sæculo sine læsione graui, aut extra sæculum, etiam leuioris periculum euitare, quàm in medijs eius vndis supernatare, & vorticosos æstus superambulare: perillustre vitæ genus, & ab immenso charitatis pelago ortum, mundi pelagus intrare, nec tamen eius aspergi vndis, quin potiùs, vt proximis faueas, eisdem obruentes penè vndas, & obluctantes penitus, propriis teluctationis sudoribus respergere.

1248. Ad maris littus Zabulonem suum collocauit statim Iacob, postquam Iudæ, id est, Christi Domini, qui vetus leonis catulus, laudes fuerat prosecutus: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem*, Genes. 49. n. 13. Addubitarunt iam diu, cur inuertatur ordo, curque inter Iudam & Zabulonem editio Issachar, prius Zabulon post Iudam, quàm Issachar benedictionibus commendetur: & puto ita factum, quia in Dei familia post Christum, non naturæ, sed gratiæ primas tenet, qui contiuentis spreta quiete, in æstuantis arena littoris, ideo solida iacit gloriæ fundamenta, quia adiuuandis naufragis vndarum molibus incubat, neque maris abhorret violentiam. præiuxit venerabilis Ricardus ibi apud Tilm. *Ideo*, inquit, *habitat in littore maris, vt extrema terra muniat, atque defendat: illorum ergo periculis se opponit, quos assiduis persecutionum procellis conspicit fatigari: vt enim naufragantibus semper paratus ad ferendum sit auxilium, in statione nauium commoratur*, &c. *O qualis est hic filius, qui non solum se ipsum, sed & alios contra vitia eripit, munit, & defendit! nescio an possit hâc gratiâ interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm vt eius ministerio, peruersi homines in melius immutentur, vt de filijs diaboli, filij Dei efficiantur.* & quidem ita est: si enim exaggeratur nescio quarum gentium sæuitia, quæ miserorum naufragantium inhiantes spoliis, littus tenent: quanta illorum erit gloria, qui saluandis longè periculosiùs naufragantibus, littus incolunt? sed summus in eo splendor, quod in sabuloso & instabili loco, stabilem sibi virtutis erigunt mansionem, vnde non se solùm, sed & alios nouerint defendere.

1249. Iam inde capies, cur Zabulone edito, hilaris exclamarit Lia mater: *dotauit me Deus dote bona*, Gen. 30. n. 20. neque enim pulchriora dotis ornamenta, aut mulierbem mundum elegantiorem, Ecclesiæ sponsæ Deus dare potuit, quàm, si hos viros daret, qui in adiuuandis proximis occupati, proximorum periculis non pereunt. Ricardus citatus. *O qualis dos*, inquit, *quanta dignitas talem gratiam à Deo accipere! non debuit Dei sponsa, à sponso suo aliam dotem accipere: non decuit cœlestem sponsum, sponsæ suæ aliam dotem donare, quàm vt per adoptionis gratiam possit Deo multos filios generare, & de filijs iræ, filiusque gehennæ, regni cœlestis heredes adscribere. vnde & meritò Zabulone nato, Lia mater eius exclamat: Dotauit*, &c. ac si in reliquis filiis, quibus proximorum salus non est cura, non tantum, quantum in vno Zabulone, Deo referat in acceptis.

Laudarat

1250\. Laudarat Christus Dominus sponsæ pudicitiam splendentem, in genis, à cordis puritate radiantem: *sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*, Cant. 4.n.3. & simili ratione capillos, dentes, labia, collum laudat. En tibi ad cap. sextum n.4. cadem eadem describuntur ratione, ipsissimæ comparationes eisdem effigiandis partibus assumuntur. & quorsum ista repetitio, & quasi non satis illa pulchritudo laudaretur olim, denuo laudatur? aut si laudanda iterum, nonum aliquid non additur? quia nimirum, & si pro conditione sponsæ in capite quarto satis laudis cantatum: at pro statu ipsius in capite sexto, non satis, nisi idem denuo repetatur: nec tamen opus est, vt nouum aliquid addatur, cùm se vnam eamdemque in diuerso illo statu gessisse, summum esset. scilicet in toto medio capite quinto, sponsa à Christo vocata, deserto lecto & quiete, ciuitatem pro salute discurrerat proximorum: & post hoc talem se gerere, qualis antea fuerat, non potuit diuini encomij repetitionem non mereri: eædem laudes cantantur, sed tamquam excellentiores eaiude veniunt, quòd læsos curans, illæsa permaneret. Rupertus ibi. *Vt quid*, inquit, *dilectus, ista laudationis modulamina repetit, cùm inter cætera superius, eadem & eodem modo cecinerit? nisi quia duplici honorificentiâ dignum est, eamdem munditiam cogitationum, eamdem vitæ innocentiam, eamdemque pudicitiæ verecundiam, quam habuisti in solitudine silentij, custodisse ad integrum, in illâ frequentiâ, cui interesse pascebat vtilitas Euangelij: secundùm voluntatem dilecti pulsantis, & dicentis* cap.5. n.1. *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore.* Solum aduertendum est obiter, *fragmen mali punici*, cap.4. celebratum, post excursum in cap.6. *corticem mali punici* appellari: quasi grana priùs aperta, se corticé sepirent, & munimine claudcrent: vt neque commercio læderentur, neque fœdarentur vsu: sed eodem splendore, gloriosiùs tamen post excursum rutilarent.

1251\. In hac tamen laudum gratâ repetitione oculi diuersimodè celebrantur. cap. 4. n.t. ita: *oculi tui columbarum*. de quibus *cap.6.n.4.* dicitur: *auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* ac si dicat, ni ego fallor. Olim puris oculis me contemplata, ô anima, instar columbæ ad me volabas, & ibi tequiescebas: nunc postquam proximis operam dedisti, tantum abest, vt illorum lux hebetaretur, quin potiùs inde mihi appareat acutior, pulchrior iudicetur: vnde auerte hos oculos, quibus olim ad me volabas, quia ab aliis me cogis auolare, scilicet illis aduolaturus: sic enim ad illorum puriorem splendorem diuinus raptor papilio, vt reliquis videar quodammodo defuturus. Aduolat ergo Christus iis, qui pro salute proximorum, sæculi pelago nauant operam, sed supernatant: non quòd alios deserat, sed quòd istis lubentior propter egregiam victoriam immoretur. sed hanc explicationem ad tem aliam alibi latiùs dilatabo. pergo.

1252\. Celebratur puto à Christo tam impensè hæc victoria, quia & in illo gloriosior solet apparere. attende. Triumphat in Cruce Dæmonem, & peccatum, imò & mortem ibi prosternit mortuus: & cùm facilè possit in ipsa Cruce mortis spolia detrahere opima, & inde animas limbi liberare, eò tamen vsque descendit, vt non solùm in regione vitæ mortem superet, sed, quod gloriosius est, in ipsa mortuorum prouincia, vbi illa thronum exercebat, mortem spoliaret. Grauiter Eusebius Gallicanus hom.9. de Pascha: *Mortem*, inquit, *vsque ad inferna persequitur, gloriosius captiuandam in regno suo, & magnificentius in suis sedibus triumphandam*, ibi quidem, vbi ipsa imperium construxerat, trophæum erat de ipsa construendum. facit huc laus illa Troiani hostilem Græciam prætetuecti, & ibi gloriæ monumentum extollentis, Æn.3. Clypeum scilicet, quem eius socius Abas Græcis ipsis olim detraxerat,

Ære cauo clypeum magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

vt qui olim vicerant in aliena terrâ, fœdiùs nunc in propriâ, quodammodo erecto trophæo triumpharentur. Est ergo hæc summa gloria Spiritualis medici, qui in curandis proximis occupatur: si non semotus à sæculo, verùm in ipso, id est, in ipsissimo peccati regno, iniquitatis imperio: non solùm peccato non succumbat, sed ab illo gloriosissima spolia erigat in tropæum.

1253\. Metirò ergo D. Asterius Episcopus Amaseæ apud Phot. *cod.*271. de Christo cum peccatoribus *Luc.5.n.27.* conuiuante, sic scribit. *Lucas magis animarum, quam corporum medicus, Dominum nostrum & Saluatorem, clementer cum hominibus pœnitentibus, versatum scribit: non vt eorum malitiam assumat, sed vt propriam illis iustitiam largiatur. etenim sol (quasi iam ab ortu creatoris prouidentiam ostenderit) non patentes modò campos illustrat, sed concaua etiam loca, & cauernosa.* ac si, quemadmodum summa prærogatiua Solis est illa, qua mundus immunda lustrat, in temeratos radios obscœna penetrantes conseruans: sic illa sit laus ingens Christi, inter peccatores, quibus ministrabat remedium, à peccatis per innocentiam se gregari. quantus ergo splendor illorum, qui insigne genus hoc vitæ à Christo acceptum, ad eius imitationem seruant illæsum?

Videte Regem, &c. VERS. II.

§. I.

Incurres scopulo, ni scopo Christo meditans accurras.

1254\. VEllem, ô quisquis mysticam curas, his quæ nunc scribo, attenderes diligenter. Vides vocati animas perfectas, filias Siô, siue speculationis, id enim *Sion* significat, vt nominis sui, quod bene Gilibertus annotauit, munere fungantur: nimitum, vt speculationi vacent, & contemplationi: & cùm puram Deitatem, illis proponendam existimares, audis humanitatem propositam, & illam spinis coronatam, de spineo ferro quippe, plures Patres diadema hoc regium explicarunt. attende iam. Nihil in spirituali via frequentius, quàm cum Deo internis agere colloquiis, cumque in spiritu colere, & veritate: nihilque difficilius, quàm in tanto negotio non aberrare, ob viam, quæ præsumuntur, varietatem. dixi, *quæ præsumuntur*, non quæ sunt: quia cæteræ sunt da chimærico cerebro præsumptæ, vna vera, quâ rectâ itur ad Patrem Christus Iesus, qui nobis *Ioan.* 14.*n.6.* factus *via*, vt per illum iremus: *veritas*, ne erraremus: *vita*, vt eodem iam cognito respiraremus. Igitur qui Patris diuinitati anhelas, humanitati filij, ne in tenebris ambules, assuesce: ipse ostium est, nec aliâ introibis, etsi fur contendas. sic docuit spiritualis vitæ Atlas D. Ignatius, sic eius discipula & gloria, decus nostri sæculi Teresia, quæ vitorum Societatis Iesu, Ignatij filiorum monitis instituta, hàc

ad altissimam contemplationis, & secretioris vnionis metam init: hácque eumdum, in diuinâ sua Theologiâ, sæpiùs docuit, eanit seriò, & explosâ aliorum doctrinâ asseuerauit. hîc ergo nobis standum, donec, qui potest solus, dixerit, *ascende huc*, Apocal. 4. num. 1. & quidem dicet perseuerantibus, si id gloriæ suæ, & vtilitati nostræ expedierit: neque quæras *hanc aquam*, nisi ab illo, qui fatigatus sedit, vt recrearet nos.

1255. Christus Iesus igitur semper nobis meditandus, sed præcipuè vulneratus: vt hinc velut scalâ positâ diuinitatis radios, quantum mortalis fert conditio, tutò ebibamus. Gemmâ pro hac re notandus, qui notari ignorantiæ non potest, D. Bernardus, qui *serm. de natiuit. Virg.* de verbo hominem induente locutus, sic scribit. *Quid priùs cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaretur? incomprehensibilis erat, & inaccessibilis, inuisibilis, & incogitabilis omnino: nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. quónam modo, inquis? nimirum iacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & inferno imperans: seu etiam tertia die resurgens, & Apostolis loca clauorum, victoriæ signa demonstrans, nouissimè coram eis, cæli secreta conscendens. quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? quidquid horum cogita, Deum cogita, & per omnia est Deus meus.* I nunc tu, & priusquam voceris, Deum purum spiritum contemplare, simulachra funde, idola fabricare: ego nolo mihi pereat tantum beneficium, vt viuam Dei imaginem, bono meo corporalibus expressam lineamentis, cordi meo non imponam imprimendam. Atqui, id temporis, dicis, nihil cogitandum, nullum formandum idolum: homo qui naturaliter meditatur Deum, & interim nihil se dicit cogitare, eat ducturus Bernardum, qui meum hoc hominum genus ignorauit. & quidem si ad modum corporis aliquid cogitas, ne fatearis omnino indormire. quid, quæso, dulcius Christo, quid cogitabilius?

1256. Atqui, addis, in nuditate spiritus in actu fidei syncero immobilis persisto: Deo attendo, quem credo mihi sedulò attendere. & quomodo, rogo, mortalis, qui sensibilibus, aut à sensu perceptis vteris imaginibus, cognitiones has Dei merè spirituales poteris sine vocationis ordine habere? hæc tua pax, quam vocas, hæc ignaua quies, quæ naturalis, quomodo supernaturalis pacis fruitioni ineptis instrumentis adaptabitur? Audi iterum ibidem Bernardum: *Verbum*, inquit, *erat apud Deum, lucem profectò habitans inaccessibilem, & dicebat Dominus ab initio, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: sed penes te est cogitatio tua, & quid cogitas nos nescimus; quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? descendit itaque cogitatio Patris in opus pacis: Verbum caro factum est, & habitat in nobis: habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostrâ, habitat in cogitatione, quia vtique ad ipsam descendit imaginationem.* qui ergo, quin vocetur, spretâ humanitate nobis conciliatâ, consiliarium puro Deo se obtrudit, vt cognoscat sensum Domini, aut detrudetur superbus, aut hians stultitiâ contabescet: is, in cuius memoria Christus non inhabitat, cùm absque illo nequeat spiritus, necessariò caro inhabitabit. & quidem, vt bene docent mystici doctiores, dum nihil iste affectat cogitare, nihil est vanum & ridiculum quod non cogitet. *Hac ego*, subiungit Bernardus, *meditari, dixi sapientiam, & prudentiam iudicaui eructari memoriam suauitatis: quoniam huiuscemodi nucleis virga sacerdotalis copiosè produxit, quam in supernis hauriens vberius nobis Maria refundit.* & cur ingrati virgineo aquæductui hiantes ora, nusquam alibi persundenda, non aperimus? peribit certè, quisquis inde imprudens prætereat. Sic nobis incarnata Patris sapientia fons doctrinæ, quam abundantem à virgine reperiemus. Sed frustrà Mariam huc affero. nam etiam hi, qui parciores phantasiæ suæ scribunt purgationem, & saltem Christi memoriam sustinent retinendam, Mariam cateruatim cum cæteris creaturis contendunt amandandam, & sperent gratiam, sine matre gratiæ? sed fallor, nec enim norunt isti contemplationem esse gratiam, quam naturaliter credunt consequendam. redeo ad Iesum.

1257. Carne sua Deipara Verbum obuelauit, ne soli diuinitatis immenso conniueremus. hoc est etiam quod nunc dicitur: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Coronatur enim etiam, id est, cingitur humanitate, qui diuinitatem totam breuibus corpusculi terminis coërcuit, vt iam verè mulier virum circundans celebretur. Sed quàm scitè, vt dixi, non aliæ quàm speculationis filiæ huc vocantur: siue enim Angelos meram diuinitatem contemplantes, siue homines altissimâ contemplationis speculatione decoratos, semper in Verbi hominis contemplatione iucundissimè occupantur: doctissimus iuxtà & deuotissimus Gilibertus ibi serm. 21. *Fœmina*, inquit, *circundabit virum, quomodo corona caput: caput enim Ecclesiæ Christus. gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paterna figurâ substantiæ, sed superaddito nostra quodam velut fuco natura, & colore inducto, dum sublucet plus placet, nec illis tantùm, qui secus ferre non poterant: sed his etiam, quibus purè se splendor ille refundit.* Ecquæ delirandi ratio manifestior, quàm faciem illam ad contemplandum despicere, quam Pater, tamquam Christi sui veram respicit, in quam desiderant Angeli conspicere? hi à diuinitate, libenter veniunt ad humanitatem: tu Angelis purior, humanitatem diuinitati saltem supponere dedignaris: plus illis placet Deus homo, quia sublucet pijssimus, tibi inde displicet, quia pro imbecillitate tuâ, non adlucet plenissimus.

1258. Certè non ita diuinæ olim contemplationis Antistes Salomon, qui ad hanc inuitaturus ait. *Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam: misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, si quis est paruulus, veniat ad me*, Prouerb. 9. num. 2. bene enim miscetur vinum, & temperatur paruulis, quibus purum adhuc non conuenit: sed tu, qui numquam paruulus vis esse, timeo ne vnquam absque vera paruitate inueniatis. bene Deus homine dissimulatur, vt hominibus, qui sibi relicti mero diuinitatis haustui non sufficerent, abundaret: bibe mixtum miser, vt merum Deo vocante haurire possis. *Egredimini*, inquit Gilibertus citatus, *filiæ Siôn de cella vini meri, ad hoc mustum, quod miscuit sapientia in cratere nouo. O calix inebrians, quàm præclarus es, & ideo charitate inebrians: liquor æternus nouo huic infusus calici, maiore cum charitate hauritur, quamuis cum claritate temperata; idcirco & amor debet esse intemperatus: quis enim se ab amando temperet, quando nostræ se capacitati contemperauit immensa maiestas. O calix, non hominum tantùm, sed & Angelorum mentes inebrians, & in se à contemplatione mera diuinitatis mixturâ hac noua conuertens.* Conuertamus nos huc, ne ordinem peruer

peruertamus : hic homo Deus mentis sit nostræ dulcis & vtilissimus scopus. Ah quàm timeo ne qui phantasiam suam (extra vocationem) ab omni corporea imagine vult mundatam : etiam à cubiculo omnes Christi, ne dum Sanctorum, picturas amandet penitus, nec vanus timor : si enim oculorum restrictio, purgandæ imaginationi requiritur omnino, ne quod inde hauritur, hîc consistat : quis dubitat sacrarum picturarum vsum auertendum ab eius oculis, cuius phantasia imagines interiores vult abolitas? O iconomachiam spiritualem!

1259. Malè ergo pereat mystica, quæ vetat præeat nobis mixtura sic grata, donec vberiori gratia, ad gratiora vocemur, rapiamur. malè pereat, quæ nobis Christi repræsentationem vult perire. *sapientis oculi*, inquit Ecclesiastes, *in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* quid enim nouum esset & laudabile, si sapiens in capite, id est, loco à naturâ designato oculos haberet : nisi in hoc capite, in his oculis, maius aliquid designaretur? Bene Gregorius magnus homil. 2. in Ezechiel. *Tunc in capite*, inquit, *oculos habemus, cùm vitam Redemptoris nostri tacita cogitatione conspicimus.* Christus caput nostrum est, semper interior oculus, in eo collocandus. sed hunc locum alibi fusiùs scribo : nunc audi ad rem præsentem, quid paulo pòst addat sanctus Doctor: *ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat.* sit nobis lux Christus noster, & frequenter cogitatus, caliginosæ mentis fuget tenebras : aliter lucis vias, quæ ad vitam ducunt, quæ ad diuinitatem deducunt, non ingrediemur.

1260. Liberato Loth, addit sacer textus : *sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor*, Genes. 19. n. 23. non certè ad litteram hæc chronographiæ circonstantia ita videbatur necessaria, vt nullatenus duceret Spiritus sanctus prætereundam, sed quæ litteraliter visa inanescere, mysticè grauidatur. pulchrè D. Hieron. epist. 4. ad Rusticum: *Neque enim*, inquit, *Gomorrhæ & erroris habitator, statim ad meridiem poterat peruenire : in quo Abraham amicus Dei, cum Angelis suscepit Deum : & Ioseph fratres pascit in Ægypto : sponsus quoque audit ab sponsa, vbi cubas vbi pascis in meridie.* cur ergo imperfectum adhuc, imò (vt aliqui volunt) peccatis fœtidum, & noua peccata destinantem, in fidei syncerirate iubeam, diuinitatis meridiei, assuescere? sino capiat hæc lux paulatim incrementa : sol egrediens, id est, Christus nascens homo, bona lux est, quia tenuis, quia temperata : nec meridiem imperfectus adhuc, nedum iniquus, paulo antè, quin & adhuc Sodomæ habitator, poterit sustinere.

1261. Et tamen audio contendere sic faciendum. Ast perfecta iam erat sponsa, & tamen ab humanitate, ad diuinitatem paululum iactantior ascendere præsumens quin vocaretur, meridiem affectans, audit horribile illud: *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum*, Cant. 1. n. 7. vt quæ non fuerat humanitatis scopo contenta : contempta iterum tenebrarum, & errorum scopulum incurrat. huiusce pœnæ grauitatem ponderat Bernardus *serm.* 35. ad hunc locum. *qua enim*, inquit, *anima semel à Domino didicit, & accepit intrare ad se ipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper*, &c. *talis, inquam, anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilius pœnalius ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.* At ego illud scio, dignam esse pœnam illius, qui extra tempus humanitate deserta, nudæ diuinitatis affectat contemplationem, vt deseratur : pascendisque hædis, & gregibus sequendis, id est, bestialibus affectibus indulgendis committatur.

1262. Ad quem sanctitatis gradum non ascenderat Moyses, quem familiaritatis statum non occuparat, quando Exodi *cap.* 33. faciem Dei ambibat reuelatam? non præsumebat superbus, sed audebat ignorans : audit tamen pro illa, sola sibi concessa posteriora *n.* 33. id est, vt plerique Doctorum explicant, quandā humanitatis assumendæ notitiam. hinc illius clamores *cap.* 34. *n.* 6. transeunte Domino: *Dominator, Domine Deus, misericors & clemens, & multæ miserationis ac verax.* itaque posteriora ostensa, siue, vt loquitur Interlinearis, *præsentia in carne*, excitant tot affectus Moysi : tu qui in summa, quæ potest esse fidei veritate, eamdem carnem cognoscis, tædij affectus commoues, & quasi de cibo leuissimo quereris nauseabundus. Grauiter Bernardus *serm.* 34. de hac re. *Olim*, inquit, *sanctus Moyses, quoniam multum præsumebat de gratia & familiaritate, quam inuenerat apud Deum, adspirabat ad quamdam visionem magnam, ita vt diceret : Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum : accepit tamen pro ea, visionem longè inferiorem : ex qua tamen ad ipsam quam volebat, possit aliquando peruenire.* Qui superbus paulatim peruenire non vult, sed præuenire ordinem, quid sperat? quem se facit? certè deficiet. *Oportet*, addit Bernardus, *humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat à se.* Ab quàm bene Teresia in hoc tali humilitatis defectum recognoscit, subnotat superbiam. heu miser, si à se cadit : quia dum nimis altus est, quo nimis ascendit præsumptuosus, in profundum lacum trahatur necesse est : nescit enim præcipitium è tam sublimi, leuiori depulsu contentum esse.

§. II.

Christo, inquam, & præcipuè vulnerato.

1263. SEd quamuis semper Christus nobis meditandus, vbiuis vitæ suæ dulcissimæ gratiosissimus; nescio tamen quid magis sapidum habeat pro nobis vulneratus, crucifixus, &, vt hic ponitur, spineo diademate redimitus, cogitationibus nostris alliciendis, & veræ mortificationi edocendæ. *Nolite*, inquit pia anima, *me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol.* Cant. 1. num. 5. Sed vtcumque sit, dicat aliquis, fuscus color, & nigredo, officit pulchritudini : quid ergo sibi hanc subnigram fuscedinem non probro esse contendit sponsa? quia nigredo erat non quæ in atrum absolutè, sed quæ in pallidulum colorem, à liliato candore declinabat: ideo oculatè dixit, *decolorauit* : quod vernaculè propriè assequimur : *pusò me descolorida* Atqui sol, inquia, magis colorat, & accendit rubedinem: quomodo de sole pallidulè subnigram se testatur? quia si rectè notas ad Solis eclipsa i radios, obiecta non tam rubent, quàm pallescunt : hunc ergo pallorem fatebatur anima, dumque sibi non tribuendum dedecori contendebat, id intendebat, vt nos de exemplo suo, diuino soli in Cruce eclipsato redderet semper attendentes. Nunc claret D. Antonius de Padua Dom. 3. Quadrag. *Sol*, inquit, *eclipsim, & defectum patiens, omnia decolorat : sic*

verus sol Christus, qui cognouit occasum suum, eclipsim morte in cruce patiens, omnes colores, omnes varietates, omnes glorias fallaces debet decolorare, ideo dicis anima pœnitens, Fusca sum, quia decolorauit me sol. quam puto non vult decolorari, non vult nitorem suum perdere, crucifixo soli, & eclipsim patienti, renuit præsentari. nisi fortè elusurus Antonij verba, quodammodo extra pœnitentiæ statum iustissimum te consideras. Sed heus tu, noli tibi sic videri nimium iustus, putas te diuitem, & nescis, quia miser es & miserabilis: suadeo tibi emere à Deo aurum ignitum, quod in fornace tribulantis crucis, amoris sui pretium probauit.

1264. Quàm pulchrè id monitum voluit Dauid: *si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros penna columba deargentata, & posteriora dorsi eius, in pallore auri*, Psalm. 67. n. 14. quia dum non vocamur altiùs, solum inter cleros medios, id est, inter vtrumque testamentum nobis quiescendum: quis autem nesciat medium vtriusque Testamenti fuisse Christum? vide multa apud Bernardum de hac columbà Christum effigiante *serm.* 61. mihi semper dubium cur aurum istud diuinitatis quod nobis in Christo colendum intimatur, pallidum potius, quàm fuluum celebretur: aurum è fornace recens, ab artificis industriâ affabrè laboratum, fulgescens radiat: dum autem atterētc vsu amittit splendorem, languet pallescens: cur ergo pallorem, & non fuluorem potiùs, aureæ Christi diuinitati attribuat Propheta? respondet optimè Bernardus: *Posteriora*, inquit, *dorsi eius in pallore auri: quomodo non in morte pallescat, sed melius pallens aurum, quàm fulgens aurichalcum, & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Aurum verbum, aurum sapientia est. hoc aurum semetipsum decolorauit, abscondens formam Dei, & formam serui prætendens: decolorauit & Ecclesiam, nolite considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol.* Sic concoloratur anima Soli crucifixo, & amoris deliquio, mortisque eclipsi decolorato: sic ditescit hoc auro, dum iugi eiusdem meditatione feruescit, ad crucis mortificationem roborata.

1265. Et quidem huc illam inuitabat ipse Christus exclamans. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam*, Cant. 2. num. 13. quia dum illi instar sublimioris aquilæ, in rupe diuinitatis viuâ, excauare & perfodere nidum non concedebatur: habebat perforatam aliunde humanitatis petram, vbi tenella columba nidificaret. Pulchrè D. Bernardus *serm.* 62. descriptâ diuinitatis, & gloriæ cœlestis meditatione sic subiungit: *si cui nec hoc quidem possibile sit: huic sanè proponet Iesum, & hunc crucifixum, vt & ipse absque sui labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laborauit: Iudæi in his laborauerunt, & ipse in labores infidelium introibit, vt sit fidelis.* Quid tenellum hucusque columbæ rostrum perire iubetur, dum aperire durissima, sibique denegata cogitur? quid fragiles adhuc lacerti fodere non valentes iubentur excauare humum, miserrimè labore cassò priùs inhumandi?

1266. Ego malo prudentiori (nisi fortè id etiam negetur) credere, & me credere Isaiæ, qui cap. 2. num. 10. *Ingredere*, inquit, *in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* Confundor intempestiuus à gloriâ Domini, & obruor importunus, à maiestate faciei, cupio vtiliter abscondi; cur mihi dulcissima latibula denegentur? fugiam, fugiam, sumam molles columbæ pennas, volabo, & requiescam. Bernardus ibidem ad hunc locum. *Infirma*, inquit, *adhuc, & inerti anima, quæ iuxta quod in Euangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, mendicare erubescit, fossa ostenditur humus, vbi lateat, donec conualescat, & proficiat: vt possit & ipsa per se sibi cauare foramina in petrâ, per quæ intret ad interiora Verbi, animi vtique vigore, & puritate.* Quis non doleat velle aliquos, nobis fragilibus adhuc obstruere hanc humum, claudere hanc petram? quò ibimus si fodere non possumus, & fossa iam nobis refugia adimuntur?

1267. Non ademit certè Christus iam resurgens, qui trepidulis suis columbis sese exhibens, *Quid*, inquit, *turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra: videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum*, Luc. cap. vlt. num. 38. Latibula & fossa iam refugia ostendebat, vt in excauatis illis crucis vestigiis requiescerent, & quibus adhuc turbatis & imperfectis diuinitatis caput obuelabatur, iis apta mysteria humanitatis crucifixæ reuelarentur. Grauissimè Chrysol. *serm.* 81. ex ore Christi sic scribit: *Videte manus meas, & pedes meos, quia grauatis oculis caput adhuc respicere non potestis: videte carnis vulnera, quia Dei opera non videtis: considerate inimicorum titulos, qui Dei adhuc non consideratis insignia.* & bene inimicorum *tituli*, dicuntur vulnera: solent tituli post triumphum litteris maiusculis (Gôticas vulgo dicimus) efformari, vt à longè vel etiam cæcutienti legi possint. hac arte vsus Christus, vt multis vulnerum meditatio pateret, nemini victoriæ tituli non legerentur. & tamen hos dum nemini proponis legendos, delendos cupis: ego id si facerem, putarem me delendum à libro vitæ: ibi enim, ni fallor, eodem sacro minio quo manant Christi vulnera, manent scripta nomina iustorum.

1268. Accedat potiùs mecum ad manus, ad hos pedes pro nobis effossos, quisquis se vulneratum nouit, quisquis contra accepta vulnera, contra instantia pericula medicinæ se indigum profitetur: ibi certa remedia, ibi salus asserta, *& si intelleximus*, addit D. Bernardus, *fossam humum illam, quam ait* Psalm. 21. n. 17. *foderunt manus meas, & pedes meos: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda, anima vulnerata, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum, sedula meditatio:* si hanc medicinam non curo, absque dubio sanum me reputo: ecquis hoc superbo cogitatu morbus pestilentior? si hoc collyrium purgandis mentis oculis non appono, suppono me perspicacem: ecquæ cæcitas horribilior.

1269. Perspicaciores longè Seraphini illi (erant autem, auctore Galfrido, perfectorum virorum typus manifestus) qui alas contemplationis suæ velandis sacris his pedibus, salutis foraminibus, pro parte occupabant: *sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*, Isai. 6. num. 2. velant & volant: hinc faciem, inde pedes præpetibus pennis apprehendunt, quia nunquam sic altè erigunt volatum ad diuinitatem, nunquam sic ad caput transcendunt, quin pariter velatum pedes, id est, venerandis contemplandisque crucis insignibus non descendant. Galfridus hîc apud Tilman. *Pedes Domini*, inquit, *aduentus eius: pedes similes aurichalco, sicut habes in Apocalypsi, velut in camino ardenti: aurum erat, sed simile aurichalco, cum Dei sapientia Christus, est inter homines conuersatus: caminus ardens, tentatio tribulationis. hos pedes velabat Apostolus, cùm dicebat,*

dicebat, *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: velant igitur Seraphim pedes Domini duabus alis ſi tegunt iniuriam crucis, pietate deuotionis, & imitatione Dominicæ paſſionis.* nimirum neſcit ſumma diuinitatis contemplatio, ad hæc vulnera quandoque non recurrere, humanitatem crucifixam non intueri, & ipſo intuitu deuotè non venerari: ſic velat affectu vulnera, ſic dulcem inde imitationis ebibit effectum.

1270. Et quid mirum? oculatiſſima quidem, intus ſcilicet, & foris plena oculis, animalia diuina deſcripſerat Ioannes *Apocalypſ. 4. num. 6.* vt non videre viuendo, quàm viuere videndo viderentur: at audi quid præcipuè ſpecularentur, *& vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tamquam occiſum*, cap. 5. num. 6. vbi D. Ambroſius (Ambroſiaſter, inquam) ita habet. *Per thronum & quatuor animalia, & ſeniores, vna Eccleſia cum cunctis ſuis ordinibus deſignatur. Agnus non occiſus, ſed tamquam occiſus viſus eſt, quia mortem in tranſitu guſtauit, & paulo pòſt reſurgens iam non moritur.* ita eſt, certè non moritur, ſed ſemper ſub memoris mortis ab oculatiſſimis ſpeculatoribus cupit aſpici, attentè diſpici, non deſpici inſolenter. ne verò durus aliquis, in Agno ſolam diuinitatem contendat ſpeculandam hîc proponi, audiat paulo pòſt citatum Ambroſium: *Agnus autem hominem quem Chriſtus aſſumpſit, deſignat.* vt non ſolùm quaſi in reflexo humanitas illa veniat poſt diuinitatem contemplanda, ſed quandoque directè, adhuc in ipſo ſtatu oculatiſſimo ipſa humanitas, quatenus in illa reſidet diuinitatis plenitudo, conſideretur.

1271. His abſque dubio edocendis mira illa Iacobo facta viſio collimabat: *viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam*, Geneſ. 28. num. 12. Si erat iſta domus Dei, ſi porta cœli, & quædam diuinæ gloriæ manifeſtatio: cur non potius in throno pyropis igneo, quàm in aſcenſu ligneo exhibetur? viſus reſpondere D. Auguſt. *lib. de Catacl.* vbi poſt multa de Cruce, in virga Ieſſe figuratâ, ſic concludit. *Virga Crux, & de iſta virga, quam magna, & mira fecit Deus architectus? & arborem fecit Crucem vbi ipſe angularis lapis pependit, & ſcalas cœli, per quas hominem lapſum ad cælos leuauit: quale miraculum fratres huius architecti. vt de virga ſua faceret ſcalas & tales, quarum caput in cœlo poneret, & per eas ipſe & aſcenderet, & deſcenderet, & propter confirmationem, ipſe ſuper eas incumberet.* quaſi nollet Deus dilectiſſimo Patriarchæ gloriam ſuam reuelare contemplandam, quin pariter humanitatem aſſumendam, & illam crucifixam inſinuaret: vt in ſumma ſpeculatione, hanc etiam habere locum ſignificaret. Sed neque caret myſterio, quòd crux ipſa non aliter, quàm in ſcalas formaretur, vt in ſequenti § explicabo.

§. III.

Quàm rectè, ex meditatione humanitatis, contemplanda diuinitas adeatur.

1272. VT hæc doctrina gratiùs ebibatur felix iſtum nectarium euangelizo bibituris, non aliunde vſitatius & facilius diuinitati conſcendi contemplandæ, quàm ex humanitatis meditatione. Volabant ad gloriam Domini ſpeculandam *Ezech. 1. cap.* animalia illa myſtica, & profundo mixtè Sacramento: pro varietate, ni fallor, faciei, ſiue affectus quo induebantur, variâ etiam volandi conceſſâ ſibi facultate: *quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*, num. 6. quaſi in viris perfectè contemplatiuis (hos enim deſignabant animalia) tot nouæ claritatis, & cognitionis volatus concedantur, quot virtutum affectibus animæ pulchritudinem exornarent. Sed illud quod additur num. 8. *& manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus*, mihi perobſcurum. quid enim facit ad volatus leuitatem, manus humanæ grauitas? cur pennæ ſingulæ ſibi non ſufficiant, niſi vna eademque manus diſtinctas quatuor videatur ſuſtentare? aut cuius iam digna manus, quæ ſic magnos valet effectus exhibere? Reſpondet D. Gregor. ibi, homil. 3. *Quia*, inquit, *niſi Deus homo fieret, qui mentes prædicantium ad cæleſtia ſubleuaſſet, illa quæ apparent animalia, non volarent. nec immeritò manus hominis eſſe ſub pennis dicitur: quia de eodem redemptore noſtro ſcriptum eſt, qui cùm ſit ſplendor, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia, &c. eius ergo manus corda portat, eius manus in contemplationem nos ſubleuat. niſi enim, vt dictum eſt, omnipotens verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam verbi excellentiam non valerent. inde ergo excelſa facta ſunt hominum mentes, vnde inter homines apparuit humilis Deus.* contemperauit ſcilicet ſe iuſtis Deus in humanitate, vt diuinitatis contemplationem poſſent ſuſtinere: illinc enim illhuc, rectà tenderent.

1273. Id ſignificabant verba illa Chriſti Domini facta animæ ſanctæ: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, Cant. 5. num. 2. etenim ſi iam ſoror erat in natura; amica ex gratia, columba ob amorem, per omnimodam perfectionem immaculata: quid ni digniſſimum iam eſſet Chriſti templum, vbi ipſe mentem illuſtrans, & inflammans affectum habitaret? quomodo ergo quaſi de foris adhuc iuberet ſibi aperiri, qui iam intus dulciſſimè morabatur, niſi occultius aliquid ſignificaretur? quid illud ſit, aperit doctiſſimè Gilibert. *ſerm. 43.* ex ore ipſius Chriſti. *Caput*, inquit, *meum rore abundat, & contemplatio diuinæ in me naturæ, ſubtiles aperit ſenſus: quid circa humanitatis myſteria ſolum moraris? quid tandiu ſolos ad pedes reſides? ſurge, aſcende ad caput, illi aperi, aperi mihi in hoc, quia caput meum plenum eſt rore. humanitas gratiam comparat, diuinitas confert: humanitas impetrat, diuinitas infundit amorem.* quaſi ſuo iure, (quamuis in hoc negotio, numquam iuſtitia interueniat, ſed mera miſericordia vocantis) humanitatis meditatio, diuinitatis adduceret contemplationem: illique meritò iſta reueletur, cui fuit illa diutiſſimè inueſtigata: neque id ad libitum, vt dixi, ſed ex vocantis gratia. *Non eſt*, addit prudenter Gilibertus, *humani iuris, non eſt moris humani: quieta & peruigili donatur menti, non tamen ad votum, ſed cùm ipſe vult, & dicit, aperi mihi.* quia nimirum repere debemus, donec rapiamur: temere autem rapi contendit ad caput, qui ad Chriſti pedes, id eſt, humanitatem, repere dedignatur. hæc eſt via (ordinariè loquor) hâc itur, hac Deo auſpice, ſi conuenit, peruenitur.

1274. Faciunt huc verba illa Dauidis Pſalm. 2. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*, num. 12. Quomodo autem hæc ſapientia, hæc diſciplina, eruditio tanta apprehendatur, explicarunt aliqui ex Hebræo, qui vertunt, *oſculamini filium.* quaſi via iuſta apprehendendæ cœleſti ſapientiæ, ſit acceſſus ad Chriſtum, qui tamquam pacis oſculum, à patre nobis miſſus.

Sed

Sed quoniam Christus, etiam verus Deus: ne modum quo osculandus erat, erraremus, vertit Symmachus, προσκυνήσατε καθαρῶς, *adorate purè*. quasi osculum deberet esse adorationis, quod pedibus, aut manibus infigi solet: vt ex pedum, id est, humanitatis osculo, ad osculum diuinitatis, siue capitis, apprehendendæ disciplinæ ascenderetur. Si licet in re grauissima, exemplum adducam profanum, sumptum ex historiola quæ huc mirè facit: habetur apud Plutarchum in vita Alexandri: *Chares*, inquit, *Mitylenæus Alexandrum narrat in conuiuio cùm bibisset, pateram cuidam amicorum porrexisse, eum accepisse, & ad focum adstitisse: cumque bibisset, primum adorasse Regem, deinde osculum dedisse, atque ita sedisse, hoc omnes deinceps imitatos: Callisthene verò acceptâ paterâ, Regem non attendente, sed cum Ephestione colloquente, bibisse, & ad Regem osculandi gratiâ accessisse: Demetrio autem, cui Phidonis cognomentum fuit, Regem monente, ne osculum ei praberet, qui solus omnium non adorasset, ita Alexandrum ab osculo se retraxisse.* prouolutio ad pedes adorabunda, vna erat & sola via, ad regij oris osculum, & tu hanc vnam nosce ad diuinitatis faciem osculandam, si priùs humanitatis pedes amplectaris.

1275. Humanitatis, inquam, sed præcipuè crucifixæ: fortasse enim id nobis doctum voluit Ioannes, cùm post ostensa à Christo Thomæ passionis suæ vestigia, hunc exclamantem inducit: *Dominus meus, & Deus meus*, cap. 20. num. 28. quia nimirum ex vulneratæ carnis tactu, & profunda deuotáque eius meditatione, ad Deitatis cognitionem ipso auspice Deo penetrauit. Theophylactus ibi in catenâ: *Qui priùs*, inquit, *infidelis fueras, post lateris tactum optimum se Theologum ostendit. nam duplicem naturam, vnicamque hypostasim Christi edisseruit: dicendo enim, Dominus meus, humanam naturam: dicendo, Deus meus, diuinam confessus est, & vnum & eundem Deum & hominem* & tu meditare, scrutare profundè humanitatis vulnera, hinc enim rectâ diuinitatis vbera adeuntur. Vide quæ suprà scripsi, *vers. 1. huius cap.* §. 4. ad hanc rem: de qua iam satis ne leoni mortuo videar insultare, audio enim tractatum nuperum, in quem de charitatis stimulis hanc orationem direxi, vltrò corruisse: quid ni si tam infirmo constabat fundamento.

CAPVT QVARTVM.

Vers. 1. Quæ ascenderunt, &c.

§. I.

Illorum, qui iam terrenis emissi, nec dum admissi sunt cælestibus, dulce suspendium.

1276. VIdua mihi drama, inde videbis, animam cogitationibus suis (sic capilli explicantur) ad altissima, caprarum instar conscendere, tamquam quæ cupiat remotissima esse à terrenis, dummodo cælestia non dantur penetranda. hoc perfectioribus euenit, vt inter terram & cœlum quodammodo suspensi, hoc vnicè suspirare, illam abhorrere penitus videantur. hinc illud Dauidis ad Deum, *Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?* Psalm. 72. num. 15. bene enim, nihil sibi volitum præter Deum, non tam in terra, quàm *super terram* dicit: neque enim iam in terra erat, qui ab illâ suspensus cœlestibus inhiabat. D. August. *serm.* 44. de tempore, Martyrem commendans: *Quod*, inquit, *propinante Apostolo altè biberat, altè retinebat, quia non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, &c. *huius promissionis amore à terrenis suspensus, & prægustatâ supernæ suauitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmistâ: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?* ac si in medio suspensus plenitudini cœlesti inhiaret, nuntium terrenis delitiis remitteret.

1277. Enarrat Deus apud Oseam *cap.* 11. quàm asperas pœnas ab inimicis suis esset postulaturus, dum gladij sui in vindictam armati aciei splendidum sanguinis & hostilis carnis epulum apparabat: *consumet electos eius, & comedet capita eorum*, n. 6. cùm autem videbatur ad antithesis pulchritudinem, enarrandas gratias, quibus amici ipsius Domini erant afficiendi, audis, *& populus meus pendebit ad reditum meum*, num. 7. Ecquod hoc beneficium? iugulantur hostes gladio, durum hoc: sed eo durius, quo ignominiosius, si suspendio pereant amici: quid ergo pendere dicuntur? quia dulce, quia beneficum hoc suspendium: nec enim tamquam Dei populus æstimandus qui non pendeat, qui inter cœlum & terram non suspendatur, terræ tantùm necessaria prælibans, cœli solam suspirans vbertatem. VVerricus hîc apud Godefr. *Vt non velit*, inquit, *tangere terrena, & si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ, propter necessitatem corruptionis nostræ, cui seruire cogimur, quamdiu vanitati creatura subiecta est non volens. Vulgò dicitur malè, expectat qui pendet: ego autem dico, feliciter expectat qui sic pendet. quamobrem elegit hoc suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea, vt perseueranter in cruce istâ pendere merear, donec moriar.* quasi tunc perfectius, imò propterea Christo concrucifigamur, quia quemadmodum ille in aëre suspensus patibulum tolerauit, sic nos in medio positi, mortificatis terrenis, & petitis cœlestibus suspendimur.

1278. Suspirabat Anima pia dilecti Christi habitaculum scire expetens, *Cant.* 1. vbi pasceret, vbi recumberet in meridie, & absque dubio tandem aliquando pastorem amantem, amatum Regem in frondescente arboris throno positum adinuenit: hinc illa exultabundæ vox cap. 7. num. 8. *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*, Christi scilicet castissimos amplexus, diuinas gratias. Ast quorsum, inquis, quæ iam *Cant.* 2. *num.* 3. sub vmbra alterius arboris sedens, fructus concupitos gustarat: nunc fruendo dilecto altissimam palmam cogitur ascendere? cur ipse dilectus in proceræ arboris cacumine suum collocat domicilium? nimirum vt perfectior iam anima suspendi cogatur, & inter cœlum & terram habitare, in cruce scilicet, in arbore, quæ toto ramorum & frondium apparatu cœlum petat, extremis tantùm radicibus infixa terræ. Drogo Ostiens. lib. de Dom. Pass. ad Christum: *In cruce*, inquit, *te inuenit, quicumque te inuenit: in hac cruce anima suspenditur à terris, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit: in hac cruce Domino suo adhærens dulciter decantat: Susceptor meus es tu, gloria mea, & exaltans caput meum.* quia frustrà perfectiorem vitam profiteatis, nisi semper perfectius te suspendas.

1279. Aptissimè in re nostra Iacob locutus de Issachar filio suo, iustorum perfectiorum imaginem delineauit: *Issachar asinus fortis accubans inter terminos,*

miſsos, vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, Geneſ. 49. n. 15. quæ verba nullus aptior mihi explicat, quàm Ricard. Victorinus ibi apud Tilman. *Illud*, inquit, *internum gaudium, eſt illa terra, quam Iſſachar vidit & concupiuit: pro qua aſinus factus, & effectus fortis, ſuppoſuit humerum ad portandum: multum ſibi viluerat, quòd ſe aſinum, animal ſcilicet penè præ cæteris vilius reputabat: multum concupiuit terram quam vidit, pro qua ad omnem laborem fortiter perdurauit: vilis ergo vt iumentum, fortis ad ſe mortificandum.* Audis iuſtum, humilem, mortificatum, aſſiduè laborantem, ſanè perfectum, quem iam ad ſummam peruenisse lineam putaueris: & tamen illum accubantem adhuc inter terminos legis. neque mirum, hæc enim erat extrema ſanctitatis linea in hoc medio eſſe, inter terminos habitare. Grauiſſimè idem Ricardus: *Habitans*, inquit, *inter terminos, penè non plenè hanc morientium terram deſeruerat: penè non plenè illam viuentium terram apprehenderat, qui inter terminos habitabat. quia viliſsimis, quia pauciſſimis contentus erat, huius terra miſera extrema tenebat, quia per frequentes mentis exceſſus, vitæ perennis dulcedinem prægustabat, illius beatæ terræ initia contingebat.* En tibi ſuperatam terram, cœlum ſuſpiratum: quid ergo hos inter terminos ſuſpenſum magis iuſtum dixerimus, quàm habitantem? ita eſt, penè, non plenè vtrumque tangit, non tenet.

1280. Exprimuntur quidem iuſti ex aliquorum ſententia in illis Ezechielis rotis, de quibus cap. 1. n. 20. *ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* & cur, inquis, in tam myſtica viſione rota maximè exprimendæ Sanctorum vitæ aſſumitur? quia figura quædam perfectè ſphærica in puncto tantùm indiuiſibili planum attingit, & ſphæram aliam mutuo puncto etiam contingit. meritò ergo rota vocatur iuſtus, qui ſphæricum terræ orbem in puncto tangens tantùm, totus cœlo inhiat, quadrata iam quiete in eo commoraturus. Gilibertus *ſerm* 2. de iuſto locutus: *Vitalis*, inquit, *inſtar rota, ſpirituali ad ſuperiora conatu attollitur: de terra vix paululum aliquid attingens.* ſic ſuſpenditur, vt in minimo tantummodo terram tangat, cætera leuans ad cœlum cui ardentiſſimè anhelat.

§. II.

Hi vt meliùs ſuſpendantur, pennas comparant: vnde Aſarota pulcherrima Deo parant.

1281. Vt autem iuſti dulciùs & ſuauiùs ſuſpendantur, vt faciliùs terram deſerant, & cœlum petant, pennas ſumunt, & feliciter volatiles euadunt. Comparauit ſe Chriſtus Dominus grano ſinapis minimo, maximam inde in arborem pullulanti: de ipſo quippe Chriſto, qui non ſolùm Rex cœli, ſed etiam cœleſte nobis regnum eſt, explicant illud Lucæ: *Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & factum eſt in arborem magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius*, cap. 13. n. 19. vbi mihi pende, cùm granum vocatur & minimum, ab homine dici acceptum, ſatum: poſtquam autem in arborem magnam dicitur creuiſſe, ſolùm auibus cœli deſtinatur: cauſa illa, quia licèt paruum Chriſtum, hoc eſt, tepidum, erga ipſum, amorem: quiſquis fidelium, homo quiuis poſſit ordinaria gratiæ auxilio capere, & tractare: attamen Chriſtum iam magnum, id eſt, perfectum eius amorem, iam in arboris florentem ramos: iuſti ſolùm perfectiores, qui extraordinariis gratiæ auxiliis foti inſtar auium eleuatur, & feliciter volucres ſuſpenduntur: aſſequi poterunt & tenere. imò, quod magis eſt, ideo ſe Chriſtus pulchram exhibet arborem, vt eius pulchritudine ineſcati, fructibus allecti, noſcamus terrena vilipendere, noſque à diuina arbore volatu feliciſſimo ſuſpendere. D. Chryſol. *ibi ſerm.* 98. poſtquam latè de Chriſto arbore diſſeruit: *Audiſtis*, inquit, *fratres, illud granum ſinapis in arborem quam prorupit: audiſtis quas fundauit radices: audiſtis quales quantoſque ſe iam diffuderit & ſecauerit in ramos, in quibus cœli, non aëris aues, in pennis ſapientia, & prudentia volant, fidei ſinceritate requieſcant, & tu audi: ſi vis terrenas beſtias non timere, ſi vis euitare aues rapaces, voraces vultures, hoc eſt, aues aerias, quæ ſunt omnes nequitiæ ſpirituales: eleuare à terra, terrena deſere, ſume alas columbæ, &c.* vt ſcilicet in ramis illis feliciter & ſecurè ſuſpendatur, vt ibidem ſtatim addit S. Doctor verbis *ſeq. num.* citandis.

Huc facit illud Dauidis ad iuſtos: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri*, Pſalm. 67. n. 14. vbi Chryſologus citatus: *Sume*, inquit, *alas columbæ propheticæ deargentatas, ſume pennas diuini Solis fulgore radiatas, euola in ſpecie auri: vt in tantis ac talibus ramis, iam nullis laqueis attentanda requieſcas: ſemper & de volatu tali valida, & de tanta manſione ſecura.* vt, quod ſuprà dicebam, in ramis arboris Chriſti fauſtè & tutò à terrenis ſuſpendatur. Attende tamen aliquid ſingularius. Cur enim (quod acutè vult Chryſologus) pallor ille auri, de diuini Solis noſtri radiis ortus explicetur: niſi vt cognoſcamus virum iuſtum diuino radiantem fulgore ſolum hunc ſolem debere reſpicere, & à Deo promanantem, licèt terras attingat, debere tamen ita ſuſpendi, vt altera parte Deum vnde profluit, contingat, ſuſpenſuſque in medio relinquatur? ſic materiales Solis radij, inde manantes, & manentes ibi, infimam attingentes terram, ſuſpenduntur. Cœleſtem hanc Philoſophiam, vidit profanus auctor Seneca epiſt. 41. *Quemadmodum*, inquit, *radij Solis, contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, vt propiùs diuina noſſemus: conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ: illinc pendet, illuc ſpectat, ac nititur.* Deo pendet, impendet terræ, ac proinde in medio ſuſpenditur. Sixtianæ vertunt ex Græco, *in viriditate auri*: vt ſignificetur, inquit Hilarius, *æternus quidam vigor, & perennis æternitas.* ac ſi caduca ſint & fluxa, quæque dulce hoc ſuſpendium non patiuntur. Sed quàm ſignatè iuſtus in columbam euadit glorioſiſſimam, vt inter medios cleros, ſiue ſortes dormiat & requieſcat, vt dum cœleſtem ſortem non apprehendit, ſaltem à terreſtri hac aliâ non apprehendatur: ſic inter ſortes dormit, non in ſortibus, quia ſuſpenſus in medio conquieſcit.

1282.

1283. Pulchrè itaque non tam columbæ ingenium mite, aut oſcula amica, aut prouida cautela, aliàs ſæpe in comparationem aſſumpta, celebrantur: ſed ſolum quòd alata, quòd decorata pennis: ſcilicet ſubticentur reliqua, vt vnus volatus quo inter cœlum & terram ſuſpenditur, tamquam quid excellentius decantetur. In ſymbolum Doctorum qui Eccleſiam muniunt viua mœnia, muri animati, cortinis cingi tabernaculum priſcum iube-

bat Deus: potares acus miracula Babylonico labore, Ægyptiâ texturâ, efformanda; nihil aspectu pulchrum, nihil iucundum specie ibi non depingendum: audi tamen quid Muysi præcipiatur: *Tabernaculum verò ita facies: decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies*, Exodi 26. num. 1. quasi virtutes omnes in byssu, hyacintho, cocco, & purpurâ expressè sorderent, nisi de vna plumarum picturâ plumescere viderentur, & quasi sumptis alis suspenderentur. Eusebius Gallicanus *homil. de natali vnius Virg.* locutus de Sanctis, qui inter medios cleros (id est, vt ipse explicat in vtriusque Testamenti doctrinâ) requiescunt: *hoc faciendo*, inquit, *fiunt penna columba: quia tam sapienti & rationabili prædicatione sanctam Ecclesiam volare docent, & secum ad cœlestia transferunt. propter hoc enim de Sanctis dicitur, quia assument pennas vt aquila, volabunt, & non deficient: propterea & tabernaculum maximâ ex parte opere plumario factum est, vt omnes alas suscipiamus, & volare discamus.* Frustrà, nisi suspendatis alatus, parare Deo præsumpseris tabernaculum. bene D. Chrysost. hom. 2. ad popul. Antioch. *Christianum*, inquit, *in hoc ab infidelibus differri oportet, vt omnia generosè ferat, & veluti alatus, humanorum malorum impetu superiorem se exhibeat.*

1284. Et bene iustus dum plumescit, tabernaculum fit, in quo moretur Deus, ideo enim videtur suspendi, vt descendentem è cœlo Deum propiùs excipiat. Hominibus locuturus Dominus cœlum deserit Exodi 24. *& viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est.* In Sixtianis ex Græco legitur, *sicut opus lateris Sapphiri.* quod reuera tessellatum quoddam, & vermiculatum significat pauimentum, propriè dictum *Asaretum.* ac si in præmium laborum, quos Israël in faciendis apud Ægyptios lateribus tulerat, iam in lapides, siue lateres sapphirinos à Deo, vt passim notant alij, redderetur. Aliter ego: vt nimirum qui spretis terrenis operibus, lateribus Ægypti, & mundi vanitatibus, à Deo ad meliora vocati, si nondum cœlum asserentes, deserentes tamen terram in medio suspendebantur, eo ipso pauimentum quoddam asaroticum, sectile, & tessellatum Deo pararent. Facit D. Antonius de Padua ad hunc locum serm. de transfigurat. *Sapphirus*, inquit, *quòd cælesti colori est similis, confessores significat, qui omnia temporalia reputantes tamquam stercora fune diuini amoris, in contemplatione diuini amoris se suspenderunt.* Felix hæc iustorum furca, funis felicior, felicissimum suspendium. Delitias Cæsaris exaggerat Sueton. cap. 46. *Munditiarum*, inquit, *lautitiarumque multi prodiderunt, in expeditionibus tessellata & sectilia pauimenta circumtulisse*; & Deus quando in delitiarum gloria paret, tessellata è cœlo non circumfert pauimenta, quoniam in Sanctis suis, qui semper in medio suspenduntur, illa inuenit pulcherrimè apparata. Vide quæ multa dixi de Deo in Sanctis tamquam in nouis cœlis commorante, non pauca iu idem infrà additurus.

VERS. 3. Genæ tuæ.

§. I.

Sic pulchrè verbis facta correspondeant, vt ipsa verba, opera videantur.

1285. IN his genis, virtutes quæ ad exemplum oculis spectantium ab interiori exhibentur, explicuit Gilibertus. Noto igitur optimè post laudata labia ab ignitis verbis, manifestas animæ virtutes laudari, quasi suo verbis iure, opera responderent. Frustrà desudabis prædicans ignitus, si miserè in operibus cinerescas: nisi ita verbis opera concinentes, vt ipsa verba, opera videantur. hinc illud Christi apud Psalmistam: *Vt enarrem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion*, Psalm. 72. num. 28. vbi Vatablus ex Hebræo legit: *vt enarrem omnia opera eius.* quia nimirum verba Patris, quæ Christus exponebat, non tam ab ore dicta, quàm ab opere facta promebantur: nec diuina prædicatio, sine diuino facto emittebatur. Veniunt huc verba D. Prosperi *lib. 1. de contempl. vita*, loquentis de Sacerdote nequam: *Non potest*, inquit, *dicere contemptoribus admonitionis suæ: Futurum cogitate iudicium, quod ipse fortè non cogitat: amatoribus mundi, Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat: ambitiosis, ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat, &c. & quidquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit: quia necessariam docendi auctoritatem, contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit.*

1286. Prædicationis suæ auctoritatem asserturus idem salutis nostræ assertor Christus: *Verba*, inquit, *quæ ego loquor, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens ipse facit opera*, Ioan. 14. num. 10. Pende sententiam, & videbis legitimam videri inferendam consequentiam: *Pater autem in me manens, ipse verba loquitur.* quia tamen Christi prædicatio, & Patris verba opere magis, quàm voce constabant, vt ipsa verba, opera viderentur: ideo optimè intulit de operibus, quod priùs proposuerat de verbis. sic rem aperuit Iobius Monachus apud Phot. cod. 222. *Sapienter*, inquit, *Saluator verbis quidem humillimis vtendo, diuinitatis abscondit radios: sed per opera effecit, vt omnipotentis virtutis maiestas effulgeret, ac per hæc eadem prædicare videretur. atque hinc dicebat, Verba quæ ego facio*, &c. qui enim per opera prædicabat, bene pro eisdem terminis nunc *opera*, nunc *verba* supponit disputans. Nota hunc Patrem, & fortè alios, quos claritatis caussa in tempore finito adduco, apud Photium, qui ex ore suo decursim Patres citat, in tempore infinito haberi: nollem enim temeritatis me argueres scrupulosus. pergo.

1287. Iubetur expugnari Hierichô, vt animam vitiis scatentem diuino Verbo innueret expugnatam: clangore tubarum tantùm obruta est, & reboantis sonitus strepitu solummodo, tamquam robustiori machinâ conuulsa, & tamen quos tibicines dicendos sperares, *bellatores viri* circumeuntes dicuntur, *Ios. 6. num. 3.* non arcum dirigunt, non vibrant hastam, gladium non distringunt, & tamen bellatores. & cur ita? Respondet Galfridus ibi apud Titman. *Nota*, inquit, *prædicatores vocat bellatores, non clamatores: quia Prælati ab operatione debent denominari.* hoc est; quemadmodum tubarum clangor, ictus bellicus appellatur: sic prædicatorum clamor, gestus est; vt verba sic operibus iungantur, vt opera videantur, vt isti ab operibus magis, quàm à verbis denominentur. Nec sine mysterio dictum putat idem Galfridus illud Ioannis; *Erat autem Philippus a Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri*, cap. 1. num. 44. vbi ita, *Philippus os lampadis, & significat prædicatorem: cuius ciuitas, id est, prædicatio non est denominanda ab ore, sed ab operibus virilibus & firmis.* id est, ab Andrea, qui virilitatem significat ἀπὸ τῆς ἀνδρείας; & à Petro, qui petræ denotat firmitatem.

Quàm

1288. Quàm teneræ querelæ illa Verbi diuini, incarnatæ Sapientiæ! *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, Prouerb. 1. num. 24. in Græco eſt: ἐξέτεινον λόγυς, *extendi ſermones*. quia numquam verba promebat Chriſtus ab ore, quin pariter à manu opera non exprometet: vt idem ſit extendiſſe manum, quàm ſermones eduxiſſe, quia verba ipſa, iam opera putabantur; ſic operabatur verbis, & operibus conuocabat. Accommoda huc illud D. Aſterij apud Phot. cod. 271. *Difficulter*, inquit, *homines ad virtutem trahuntur, vt apparet, & parum curant ea, quæ verbo docentur: ideo Saluator ad homines, fragili & mortali carni condeſcendens, quia videt Iudæos ſurdos, voces cum rebus mutat, factum facto addit, & miraculum miraculo, & diuinitatem quam non credebant, beneficiorum experimento confirmare contendit.* Vt dum verba operibus commutat, non vana fuiſſe verba declararet, ſed ſatis operibus cohærentia, quæ tam facilè geſtorum rationem induebant.

1289. Ingreditur Eccleſiæ prima & Princeps ſoboles vrbem Ieruſalem: interrogat pia Magorum turba de Chriſto nato: audiunt Bethleem auguſtiſſimi Regis curiam anguſtam, & tamen pro tanto nuntio, & ſacerdotum Euangelio non exultant, *qui cùm audiſſent Regem, abierunt*, Matth. 2. num. 9. Sed ecce paulo pòſt apparet ſtella, quæ antecedebat eos, vſque dum veniens, ad noui Solis ſtaret incunabula, & tunc additur, *videntes ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde*, num. 10. Sed proh fidem fidei, exclames, & quanto maius erat in his fidei primitiis, de ſolo exultare nuntio, Michææ ſcriptis ſibi recitatis credere, quàm miraculis, & prodigioſis aſtrorum teſtimoniis ad gaudium indigere? nonne certior propheticus ſermo, quàm ſplendor ſtellæ? Audi tamen acumen Galfridi ad hunc locum: *Non immeritò*, inquit, *ad adſpectum ſtellæ, quàm ad auditum etiam prophetiæ, ampliori gaudio ſunt gauiſi, cœleſtem magis itineris ducem, & comitem amplectentes, quàm terrenum, quidlibet affectantes: acceptior enim ſolet eſſe doctrina operis, quàm ſermonis, & minus gratanter accipitur verbum præcipientis, quàm præcedentis exemplum.* Grauiter & acutè. Non credo exhilararet ſplendidus iſte nuntius, etſi cœleſtis, niſi præcederet, niſi comitaretur: vnde oculatiſſimè Euangeliſta prius præcedentem ſtellam deſcribit, quàm Magorum videntium faciat mentionem: quaſi nec ſe videre illam ſentirent, ne dum lætari: donec ſtella quod linguâ lucis primò apparens prædicabat, radiatis deinde greſſibus edoceret, vt ſplendidum opus vox luciflua videretur. *Nos qui ſapimus*, addit Galfridus, *eoſdem mirabimur Magos potius, quàm Iudæos: audire magis & facere, quàm docere, & diſſimulare parati.* Docebant enim, non faciebant Iudæi, ideo etiam adducti propheticis, Magos iam fideles non vtique potuerunt exhilarare: certior quidem prophetia, quàm ſtella, ſed ab illis prædicata, qui verba operibus minimè nectebant, quodammodo elanguebat.

1290. Vnde iam video cur robuſtiſſimum aliàs argumentum magni Leonis *ſerm. 3. de Epiphan.* hodie non teneat: *Notum*, inquit S. Doctor, *fecit Dominus ſalutare ſuum, & ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam: quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos de longinquitate ſuæ regionis, ad cognoſcendum & adorandum Regem cœli, & terræ ſtella perduxit. & rectè inſuentibus quotidie apparere non deſinit. & ſi potuit notum facere Chriſtum in infantiâ latentem: quanto magis poteſt eumdem manifeſtare in maieſtate regnantem.* Equidem longè facilius eſt iam ſuperato dæmone, morte triumphatâ, tartaro ſpoliato, conſcenſo cœlo, orbe conuerſo, peccatores ad Chriſtum trahere, tot argumentis probatum regnatorem: quàm olim Reges ad puerum lactentem, & latentem inter præſepij anguſtias afferre. Cur ergo id ratò euenit, & inter tot ſtellarum, id eſt, prædicatorum luces, vix vnus, aut alter auditorum culpæ tenebras deponunt? quia etſi Doctores ſtellæ ſumus, at tunc magis errantes, cùm minus erraticæ eſſe volumus; ſciamus tunc nos magis in officio fixos, cùm magis mobiles in opere fuerimus, id eſt, cùm ſtellæ Magorum inſtar, quod verborum luce docemus, operum ſubſecutione demonſtremus. Fauet idem D. Leo, qui ſtatim ſic ſubdit de ſtellâ. *Cuius vtique famulatus, ad formam nos ſui hortatur obſequij: vt huic gratiæ, quæ omnes inuitat ad Chriſtum, quantum poſſumus ſeruiamus. quicumque enim in Eccleſia piè viuit, & caſtè: qui ea quæ ſurſum ſunt, ſapit, non quæ ſuper terram: cœleſtis quodammodo inſtar eſt luminis, & dum ipſe ſanctæ vitæ nitorem ſeruat, multis viam ad Dominum quaſi ſtella demonſtrat.* Si enim quiuis è plebe, & è pedibus bonis exhibitis operibus ad Chriſtum ducit: ideo, qui non è pedibus ſumus, ſed è capite Doctores, prædicatores ad Chriſtum non trahimus, quia verba ab operibus denudamus; ſic vt ſummâ clamantibus nobis, certè declamantibus, ſuo iure (ſi quod eſt in mutua malitiâ) à peccatoribus adſtantibus reclamatur.

Pinus in Cantica.

§. II.

Prædicator ſermone ſuo ligatus, tubâ monitus, totus operi incumbat.

1291. NOn poterant in anima piâ, non poterant in miniſtro Chriſti iuſto, ab operibus verba diſſentire; quippe qui verbis ipſis ligabatur, vt operibus ſtuderet, ſua monebatur tuba, & ſic totus geſtis heroïcis incumbebat. Diſcamus hinc prædicatores, quales munere noſtro functuri ſimus, diſcant quique docent, verba ab operibus non ſeiungere. *Docere*, inquit Chryſologus ſerm. 167. *factis, ſola eſt norma doctrinæ. Doctrina in dictis, ſcientia eſt in factis, virtus: ſcientia ergo illa vera eſt, quæ fuerit mixta virtuti, illa diuina eſt, non humana.* nec minus eleganter quæ ibidem habet de Baptiſta pœnitentiam *Matth. 3.* prædicante, ſed eo habitu, iis operibus, quibus pluſquam verbis prædicans homines permouebat. *Opportunè*, inquit, *nobis Ioannes beatiſſimus ieiunij tempore, pœnitentiæ Doctor aduenit; Doctor dicto factoque: magiſter verus, quod verbo aſſerit, demonſtrat exemplo. magiſterium ſtat de ſcientiâ, ſed magiſterij auctoritas conſtat ex vita: docenda faciens, obedientem perficit auditorem.* Sed iam ad rem tituli veniamus.

1292. Quàm noua illa ratio monilis, quàm exquiſita ratio papyri, de quibus Salomon Prou. 3. *Miſericordia & veritas te non deſerant, circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui*, n. 3. & vt de corde taceam, quid, quæſo, miſericordiæ & veritati cum gutture, quæ potius in anima collocandæ videbantur? Reſpondet Beda ibi. *In gutture*, inquit, *organum vocis, in tabula cordis latitudinem inſinuat cogitationis: ſit ergo virtus miſericordiæ & pietatis radici infixa mentis, promatur voce loquentis: vt & occulto inſpectori Deo, qui corda ſolus ſcrutatur & renes, arcana placeant intentionis: & proximos iuuent officia locutionis.* quæ tamen fruſtrà defodent, niſi è pectore virtutibus referto voci correſpondentibus.

dentibus etuđentur: vt in corde tuó ſcripta priùs legas, quæ locuturus. Pende tamen magis ad rem meam, ideo virtutes has, quæ voce promuntur, cùm in interiori palato, vbi loquendæ formantur, locandæ viderentur: exteriùs guttur cingere iuſſas, & ligare: vt non tam monile pulchritudinis, quàm obligationis vinculum formare iudicentur: quo guttur ligari, vt opere verbis reſpondeat, videtur, idem Beda: *bene autem virtutes circumdari iubet gutturi, cùm vox loquentis potiùs intus in gutture fieri ſoleat: quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, ſed extrà circundat, & ad plures audientes ſimul perfunditur: nam quo alios ad bene viuendum ſuſcitat, eo ad bene agendum, & opera prædicantis ligat: ne extra ſermonem actio tranſeat, ne voci vita contradicat.* Macte venerabilis Pater tam pulchra explicatione! vt noſcamus quot ſancta verba fundimus, tot nobis vincula guttori circumcingi, quibus ad ſanctè operandum conſtringimur, aliàs eiſdem miſerrimè ſtrangulandi.

1293. Redeat iterum Salomon. *Fili*, inquit, *mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus*, Prouerb. 6. n. 1. Certè qui vadem ſe præbet, verbo ſuo illaqueatur, imò & bona ſua quandoque ſubmittit hypothecis; res plana: ſed cur defixam habeat manum? quid obligatæ manui, cum obligante verbo? Plurimum quidem in materia, quam intendebat Salomon. Audi Bedam ibi. *Dicitur præceptori: Si ſpoponderis*, &c. *quod eſt dicere: Si animam fratris in periculo tuæ conuerſationis acceperis, iam ligaſti mentem apud curam ſollicitudinis, quæ ante deerat: illaqueatus es verbis oris tui, quia dum commiſſis tibi, cogeris bona prædicando dicere, te ipſum priùs neceſſe eſt, quæ dixeris cuſtodire.* Bene ergo operationis inſtrumentum manus defixa dicitur, quæ omnia, quæ os loquitur, executura bene defixa, quæ ſollicitudinem mentis alios curantis, & monentis, monitorum cuſtodia debet ſociare. Adhuc tertiò Salomon, & Beda.

1294. Eſt in obſcuris adhuc dictum illud, *qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat*, Prou. 13. n. 13. Si enim detractio mala à Salomone reprehenderetur, non ſolùm in futurum punienda apud inferos diceretur, cùm hoc vitium, vtpote ab inuidia ortum, etiam in hoc ſæculo ſæuam à ſemetipſo patiatur carnificinam, de quo plenas paginas dedi ſuprà cap. 1. verſ. 4 §. 1. Si ergo de bona detractione, id eſt, iuſta alicuius culpæ reprehenſione ſermo eſt, cur qui iuſtè reprehendit, in futurum diceretur obligatus, qui iam in præſens charitatis officio functus eſt? reſpondet ibi Beda, & ſanè grauiter: *Non, vt pro tali*, inquit, *detractione, pœnam luat: ſed vt poſt detractionem ſeſe cautiùs agat, quia nimirum quod in aliis iuſtè reprehendit, ipſe impunè non admittit: clamante Apoſtolo, qui prædicas non furandum, furaris.* Quis enim illum non irrideat, qui ab ipſo vitio cui detrahit feruidè, miſerè in mancipium attrahitur?

1295. Sed prædicat ſe tubam euangelicam prædicator, iactat ſe diuini nominis buccinatorem: ſatis putat ſi clangat, ſatis laboris imputat dum tanto labore reſonat virtutum encomia: heu miſerum! ſi ignorat ipſo nomine tubæ quod auidus affectat, ad opere exequendum, quod verbo docet, ſedulò admoneri. Præcepit Deus Moyſi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem*, Numer. 10. n. 2. Sed cur expreſsè ductiles, & non potiùs fuſiles, minore labore politiores longiùs euaſuræ? cur malleorum ictus in deducenda & extendenda argenteâ maſſa impenduntur, quæ facilè conflante liquefacta igne in tubas funderetur? Aperuit myſterium ibi Ricardus apud Tilm. *Duabus*, inquit, *conſtat illum tubis canere, qui nouit nunc Dei promiſſiones, nunc eius minas digna amplificatione iugiter commendare: has tubas habemus argenteas, cùm nihil aliud de his loquimur, quàm quod Scripturarum auctoritate probamus. ductile feriendo producitur: & tubas ductibus facere iubemur, quia ea audientium auribus meliùs proferimus, in quibus ipſi perfectè compuncti ſumus.* Non deduces, non mollies dura peccatorum audientium corda, ni priùs ipſe ductilis euaſeris & mollitus.

1296. Viden' vt ipſa diuinæ tubæ ratio te coarguit? Sed parum hoc: nota adhuc, quid in tuba peculiare obſeruetur: tuba namque, qua parte ori applicatur, arctiſſima eſt: laxior, qua aliis ſonum eiaculatur. in hoc ergo & prædicatorem monet diligentiſſimè: pulchrè Galfridus *ibidem* ad locum proximè citatum: *In parte*, inquit, *quæ ori admouetur, anguſta eſt: in parte finali amplior. hoc eſt, quòd prædicator debet ſibi aſſumere arctiora præcepta, & aliis laxiora, vt ſemper plus faciat, quàm aliis facienda imponat.* re enim vera tunc arctiſſima etiam facillimè perſuadentur auditoribus, cùm prædicator arctiora ſibi ſumit exequenda *Os iuſti*, inquit Sapiens, *parturit ſapientiam*, Prouerb. 10. n. 31. in Sixtianis ex Græco legitur: *os iuſti deſtillat ſapientiam.* quaſi ideo deſtillationis ſuauitas in loquendo, laborioſi doloris dicatur parturitio: quia ſic verborum lenitas ſuauis, operum laborioſæ executioni debent copulari, vt non tam fluere, quàm parturiri videatur: & dum doctrina deſtillatur in verbo, parturiatur in opere.

1297. Sic ergo verbis ſuis ligatus, & officio tubæ monitus, totus operi incumbat prædicator: fruſtrà enim in alienæ conſcientiæ vitia inuehetur, cùm adhuc propriæ ſceleribus ſcateat, fruſtrà alienæ domus culpas vindex reprehendet, cùm domi ſuæ culpas inultas ſuſtinet. Cupiebat fidelis Abiſai contumelioſi Semei iniurias, inque Dauidem blaſphemias vindicator, amputato capite, auulsâ lingua punire, 2. *Reg.* 16. in quem ſanctè tamen ſtomachatus Dauid: *Quid mihi*, inquit, *& vobis filij Sarui{a}?* n. 10. quaſi magis ab Abiſai filio Saruiæ, quàm ab impio Semei læſus videretur; & cur ita? pende quid ſubdat: *Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis hic filius Iemini?* n. 11. nimirum animo adhuc tenero & molli iniuriis Abſalonis ſui parcebat Dauid, quod facto poſtea demonſtrauit, cùm militibus ſuis, vt Abſalonem ſeruarent, præcepit ſedulò: timuit ergo meritò ne iniuſtitiæ inſimularetur, ſi qui filij culpam diſſimulabat, in extranei ſcelera deſæuiret, ſi qui parcebat domeſticis, alienis iraſceretur. D. Ambroſ. in Pſalm. 118. *Granditer*, inquit, *impetum fregit vltoris: quomodo enim maledictum extranei, pro Regis iniuria vindicaret, cùm filij adhuc inultum maneret.* Neſcit generoſus ſpiritus ſuis parcere, & alienis inuehi, neſciat prædicator prauos aliorum affectus reprehendere, qui ſuis, tanquam animæ filiis mollis indulget. *Sapientia*, inquit Sapiens, *immolauit victimas ſuas*, Prouerb. 8. n. 2. Tertullianus contra Gnoſt. legit: *Sophia immolauit filios ſuos.* quia Doctor nulli parcere debet affectui, nulli cordis filio, vt prædicatio operi appareat correſpondens: hos filios proprios priùs iugulet, vt feruentiùs & liberiùs ſuos auditoribus prædicet iugulandos: aliàs non tam operibus incumbit, quàm verbis, quod nefarium.

Hinc

1298. Hinc illud Prouerb. 12. De *fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei*, num. 14. Quis enim oris fructus nisi verba, quis autem verbis, tamquam bonorum cumulo repletus dicitur, præterquam si verba ita sint fœcunda, vt in operum fructus gratè germinent? id ergo voluit Deus, ideo verbis oris, manuum opera connexuit, vt quàm facilè ab ore, illa: tam promptè hæc à manibus emanarent. Beda ibi. *Fructus, inquit, oris est sermo bonus. nam qui malè loquitur, non fructum oris generat, sed damnum. Omnis igitur qui bona loquitur, bonis donabitur æternis, si tamen his, quæ loquitur, actu non pugnet: hoc enim vigilanter adiungit, cùm dicit, iuxta opera*, &c. *neque enim aliter fructuosus fit suus sermo Doctori, nisi ipse priùs faciat bona, quæ docet.* Quàm grauis bonorum iactura, si post verborum impendium opera non sequantur, si quæ seminas aliis laborans, tibi nunquam metis. propterea Paulus: *laborantem agricolam, oportet primum de fructibus percipere.* De quo grauiter D. Athanas. quæst. 152. *Quicumque, inquit, vult opus Dei exercere, qui alios docere, vel aliquibus vult prodesse: decet illum, qui alios docet, in primis operari virtutes, & vt accipiat à Deo dona gratia, proferatque fructus sancti Spiritus, at que thesauros bonorum cognitionis Dei, ita fiet, vt aliis quoque possit impertiri bona. nam si quis aliquem oleo suis manibus vncturus, quomodo impertiuerit aliis id quod ipse non habet? ad eumdem modum de iis, qui docent alios, est sentiendum.* nimirum carbones extincti non alios accendunt, sed fœdantur inuicem.

1299. Inter alia præcepta Leuitici, illud celebre: *agrum tuum non seres diuerso semine: veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.* Minora erant ista, si metam litteram scruteris, quàm vt diuinam curam sollicitarent: sed illius agricolæ infelicitas denotatur, qui, quod primum de fructibus non percipit, famescit: alius opera seminans, sibi verba retinens: sic diuerso semine muneris sui agrum serit: nec abest à proposito, quod additur de veste: vtrumque ad rem meam explicat ibi Galfridus apud Godefr. *Diuerso, inquit, semine serit agrum, qui quod verbis prædicat, factis negat. O vestem duplicem, contritione duplici conterendam? planè lineum stamen, sed subtegmen laneum habet. nam lini candor, subtilitas, fortitudo, officium spirituale commendat: lana grossitude, mollities, & origo carnalia opera repræsentat: dissidet & dissidet à subtegmine stamen, sed vtrumque lepra contaminat.* Alludit eruditè ad illud leprosæ vestis siue lineæ, siue laneæ, *Leuit. 13. num. 48.* itaque dissident linea verba, à laneis operibus, vt incorruptio dissidet à corruptione.

1230. Hoc ergo est quod querebatur Deus apud Prophetam: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Psalm. 49. num. 6. per os scilicet fœtidum sepulchrum conscientiæ olens, sed verborum pulchritudine dealbatum: de quo bene Chrysost. homil. 30. in Acta Apostol. *Maius, inquit, hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat.* Certè maius, & ideo in illud Deus inuehitur. Vatablus legit: *Quid tibi vit quod commemoras iustitias meas*, &c. de quo deinde ita in notis: *Hic, inquit, taxantur omnes, qui in ore habent diuinas litteras: cùm interim cor eorum alienum sit ab illis quasi diceret: qua fronte audes enarrare leges meas?* effrons quippe, qui bene loquitur, & malè viuit: quàm enim impiè Deum laudes, virtutem commendes dictis, quam factis dedecoras, & infamas? Pulcbrè idem Dauid: *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius*, Psalm. 105. num. 21. quasi tamquam profanæ eiiciendæ sint laudes, propellenda encomia ab illius ore, qui operibus, dum interim bene dicit, voluntati Dominicæ contradicit. D. Prosperus Aquitan. ibi. *Vera, inquit, est confessio benedicentis, cùm idem sonus est oris, & cordis: bene autem loqui & malè viuere, nihil est aliud, quam sua se voce damnare. Benedicendus ergo est Dominus ipsis maximè operibus, quibus sic debet vti conscientia, vt de ipsis in Domino glorietur.* & quàm formidolosum est, si tanto periculo exponamur, vt nostris nos verbis non arguamus solùm, sed condemnemus?

Pintus in Caotica.

Sicut turris, &c. VERS. 4.

§. I.

Virtus, pulchra pariter, & valida armatura.

1231. IN his clypeis, propugnaculis, & armatura, quibus turris Dauidica muniebatur, monilia, collaria, torques, & alia huiuscemodi ornamenta, quibus sponsæ collum erectum, id est, sancta eius à vitiorum iugo libertas, comebatur, volunt aliqui subintelligi. Tu mihi formandis moribus expende ipsos ornatus pulcherrimos virtutum, quibus libera animæ conditio adornatur armis comparari, vt noueris virtutes validitate pulchras pulchritudine validas belligerare. pauca quæ huc facerent dedi suprà *cap. 1. vers. 9. §. 1.* hîc tamen res longè altiùs ponderanda. Hoc ergo erat quod ad litteram de Christo, & mysticè de quouis iusto canebat Psalmista: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna*, Psalm. 44. num. 4. quando ad intendendum prosperè contra hostes, ad regnum de victoria consequendum, accinctum priùs gladium euaginandum putares: audis speciosam pulchritudinem, tamquam instrumentum commissi prælii exhiberi. hæccine decertatrix? hæccine victrix? planè: quia eùm virtus viiea sit animæ speciositas, eadem etiam gladius est validissimus. D. Laurent. Nouar. homil. de Eleemos. *Quis, inquit, est ille gladius? ipse dicit: specie tua & pulchritudine tua, & quæ sit ista species, quàm virtus animi, & in tâ, plena pœnitudo? quæve est pulchritude, quàm lachrima oculorum, & largitas eleemosynæ? & quid deinde: intende, inquit, prosperè procede, & regna: intende peccator, quia peccasti: prosperè, quia pœnituisti: procede, & regna, quia triumphasti, procede confidenter, quia plorasti pro peccato: vicisti reatum, vt peruenires ad regnum: procede, & regna, plange hic, vt plaudas alibi.* Quàm nouum armorum genus virtus! quæ dum comit allieiendo Deo, muuit dæmoni superando. Quales dicas has lachrymas, quæ dum pulchra spicula Deum rapiunt, ferrea iacula dæmonem transfodiunt: huic glandes ferreæ, illi grandines eritreæ, scilicet margaritæ: dedi hîc quæ superierant ex Laurentio, quem suprà attuli ad eamdem rem *num. 724.* hîc pende illud, *quia triumphasti*, quemadmodum enim (vt alibi fusè dicam) gladius ille, seu lancea, quo præcipuè ad pugnam vsus est Imperator in acie, postea in triumpho ad ornatum exhibetur: sic pœnitens ipsum gladium virtutis, ipsa lachrymarum iacula, quibus decertauit, secum in speciem & pulchritudinem portat, procedens iam regnator ad triumphum: iubetur itaque vlteriùs procedere in has

lachrymas iam victor, vt temporarios planctus, in plausus interminabiles commutet, quando virtutis hæc pulchritudo caducam conditionem exuta, induet perennitatem.

1302. Sublimius adhuc quod additur: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua*, num. 5. in bellum pergit iustus, sed instar doctoris veritatis comptu succinctus: sed instar iudicis iustitiæ decore ornatus, & quod magis est, inter tot furoris strepitus, tot strepentes prælij furores, mansuetudine amœnatus: sed nihil mirum, ipsæ quippe virtutes, quæ iustum ornant, militem armant: ideoque dextrâ pulchrâ feliciter educitur, & deducitur, quia sinistræ fœditatem penitus aboleuit. D. idem Laurent. ibidem. *Procede*, inquit, *& regna: Propter quid? propter veritatem, mansuetudinem & iustitiam: quando sinistra ingerit tibi candentes stimulos auaritia, luxuria, arrogantia, & libidinis, sta contra sinistram tuam succinctus veritate, armatus mansuetudine, ornatus iustitiâ, & cùm viceris sinistram, tunc educet te mirabiliter dextera tua.* Indidem ornatis, vnde armatis, & pulchra virtus, fit fortis armatura: vt videatur palmata comens pompam pacificam, & muniens incursum bellicum tunicâ adamantina: hæc qua terreas hostes occursans, illa qua deambulans ciues allicias: hos scilicet cœlestes, illos tartareos.

1303. Hoc erat illud Christi Domini sponsam adlueuti: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*, Cant. 6. num. 3. Sed pende deinde, quàm fortiter commendatur, quæ tam molliter describitur. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, ibidem: ac si pulchritudo desæuiret ad pugnam, & armatura mollesceret ad amores: sic est, rigent ad bellum decora, & indecorem bellica miscescunt; quia permixtam innoluit virtus pulchritudini fortitudinem. D. Gregor. homil. 8. in Ezechielem addendus illis, quæ suprà dedi cap. 1. vers. 9. *Quia*, inquit, *Ierusalem pacis visio interpretatur, cuius nomine patria cœlestis exprimitur. Sancta Ecclesia suauis & decora sicut Ierusalem dicitur: quia eius iam vita & desiderium, visioni pacis intima comparatur: vt in eo quod auctorem suum diligit, quod eius speciem videre concupiscit, de quo scriptum est, in quem desiderant Angeli prospicere, per ipsa iam amoris sui desideria Angelis similis dicatur: qua quantum Deo amabilis efficitur, tanto agitur vt malignis spiritibus sit terribilis.* Armata itaque terret, allicit ornata: Deum ferit suauis, terribilis dæmonem conculcat, quia nescit decorem sumere, quin indidem fortitudine præcingatur.

1304. Scillcet in hoc sponsi dilectissimi æmula gloriosa, de quo prophetica cecinit corona: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, Psalm. 92. num. 1. de quo Nazianzenus Orat. 2. de Pascha: *Zonam*, inquit, *noui militarem & strenuam, iuxta quam Enzoni Syria, & MonoZoni quidam nominantur*, &c. *quibus etiam viribus beneficio diuino accinctum se esse Dauid gloriatur: ac Deum quoque ipsum potentiâ indutum atque accinctum dicit.* Namque ad hunc locum præcipuè allusisse Gregorium, expressit Nicetas ibi in commentario, sic locum paraphrazans: *Iuxta significationem zonæ militaris Dauid quoque ad Deum ait*, Psalm. 17. *Accinxisti me virtute ad bellum, & de Deo verba faciens*, Psalm. 92. *indutus est Dominus fortitudinem atque accinxit se: aduersùs impios scilicet seipsum armans.* Sed tu mihi nota simul decorem, & militarem fortitudinem indutam prædicari: quasi armatura diuina comat ad ornatum, ad prælium commendetur, & indidem speciosus procedat, vnde pergit armatus. Sic igitur iustos suos solet Deus simili genere armorum conuestire, vt decorem & fortitudinem induere videantur. De hoc plura dixero in tomo de Deipara.

1305. Capies ex dictis elegantia verba Apostoli: *Nox*, inquit, *præcessit: dies autem appropinquauit. Abyciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus*, Rom. 13. num. 12. Græca pro *honestè* habent εὐσχημόνως. Si sapis, pondera in hac voculâ latentem hucvsque emphasim, εὐσχήμων enim, non simpliciter honestum significat, sed cum compositione & formositate: ad litteram, *pulchrè figurati ambulemus*. Nunc ad rem? si habitus ambulando pulcher commendabatur, cur armatura ingeritur? si arma præcipiuntur, quorsum hic aduocatur pulchritudo? nimirum virtutem; & ipsum Christum à nobis indui volebat Apostolus: virtus autem comptos armat, armatos comit, & dum robustâ munit fortitudine, pulcherrimâ quadam luce beat pariter. Chrysost. hîc *Ad aciem*, inquit, *nos dies, & ad pugnam vocat: pugnam verò audiens, & arma, non est quòd timeas. insensibili quidem armatura durum est, & exosum armari: hîc verò iucundum, & dignum quòd expetatur est: lucis quippe sunt arma, vnde & radijs solaribus illustriorem te faciunt, multum emittentem fulgorem: atque in tuto etiam optimè munitum constituunt, arma siquidem sunt: deinde & splendidum faciunt, sunt enim arma lucis.* Sic iustus ambulat in togâ armatus, in loricâ comptus: hîc pulcher, ibi fortis: quia virtus, qua cingitur, vtrumque necessariò assequitur.

§. II.

Non tamen in illâ, quod pulchro additur, valido adimitur.

1306. DVm tamen in virtute audis armatum decorem, decoram armaturam, ne turbetis, quasi tantum inde necessariò roboris sit adimendum, quantum pulchritudinis admiscetur. Aliter res euenit, licèt aliàs virtus pulcherrima sit, vt vidisti: robustissima tamen est. si armatam Venerem suspicis & pudicam, venustam potiùs Palladem contemplare Christianam. Videamus hoc in turriti & clypeati colli sponsæ gratiam, vnde dicuntur fortes obarmati. Decertabat cum impio Absalone, pater piissimus de imperio, deque honore, imò de vita, & quando retardatus à prælio, longâ saltem exhortatione proficiscentem exercitum animaturus videbatur, probatisque de armario gladiis muniturus. tunc solùm audis: *Stetit Rex iuxta portam, egrediebaturque populus per turmas suas centeni, & milleni, & præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalon, & omnis populus audiebat præcipientem Regem cunctis Principibus pro Absalon*, 2. Reg. 18. num. 4. Quia hac oratione non eneruandos militum spiritus existimaret? quo enim animo illum expugnarent, cuius vita tam sedulò ab hoste patre propugnabatur? quò tendis Vates sanctissime? si iustam vindictam non captas, quid bellum paras? si milites expedis, quid impedis pugnaturos? stratagema fuit: sui sine armis munitos suos cupiebat, & qui pietate magis, quàm ferro hostes debellaturum se putabat, eâdem victores suos sperabat: vt ita inuisibiles tartari potestates, quæ in Absalonis copiis militabant, contunderentur. D. Ambros. serm. 3. in Psal. 118. *Cùm prope*, inquit, *viribus regni iam esset sanctus inferior*,

inferior, hoc vno incenſo ita ſe diaboli reſtinxit ſpicula: quod cùm filius necem peteret patris: ille tamen ſalutem filij, pietatis mandabat affectu. Sciebat enim validiſſimè contra hoſtes viſibiles obarmari, ſi priùs contra inuiſibiles moueretur: ſolamque robuſtam contra omnia pericula armaturam in virtute reperiti.

1307. Huc alluſit ipſe Pſalm. 118. num. 23. *Sederunt Principes, & aduerſus me loquebantur.* ea ergo Dauid caſtra para, erige ſigna, inſtrue milites, exercitiis bellicis incumbe. Vide quod addat: *Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus ſuis.* Nouerat quippe conſultantes illos Principes dæmoniem ſpirare, nec tam ſuo, quàm inferni conſilio hæc prælia machinari, cuius etiam armis muniebantur: ideo non tam de humano, quàm de armatio diuino arma capiebat. Eleganter idem Ambroſ. citatus ita ſcribit. *Hoc ait quod ſtudium ei, non exercenda ad belli artes fuerit iuuentutis: non decipiendi aduerſantis aſtutia vlla cordis, vt illum vinceret, quem videbat: ſed aduerſus eos præliabatur, quos non videbat: maiorque in eo pietas, quàm virtus corporis militabat. Itaque in Dei exercebatur iuſtificationibus, vt è contrario iſtis diabolum vulneraret: ille eum ab intentione iuſtitiæ, & ſtudio deuotionis, occupationibus bellicis conabatur abducere: hic magis ſe diuini operis, & cultus meditatione occupabat.* Sic inuiſibili & robuſtiſſimo armorum genere; arma Dæmonis in Principibus prælantis contundebat, vnde facile viſibilis proſtrarentur.

1308. Nuntiabat vir Dei ſacrilego Ieroboam impij altaria euerſionem: *Cumque*, inquit textus, *audiret Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel: extendit manum ſuam de altari, dicens, Apprehendite eum, & exaruit manus quam extenderat contra eum, nec valuit eam retrahere ad ſe*, 3. Reg. 13. num 4. quòd manus areſceret in tanti ſacrilegij pœnam, non admiror: ſed quòd ita areſceret, vt ſaltem ad pectus retrahi non poſſet, quin ita protenſa ſiſteret, rigeſceret elata. Ecquid hoc? ſcilicet inſtar horologij manus, Prophetæ gloriam, Regis ignominiam ſignabat: imò, quod magis ad rem facit, ſic arida, viridem (quod dicitur) virtuti victrici herbam porrigebat, idque indefectibili proteſtatione. Sicut enim proſtratus victus, victori ſolebat herbam porrigere, qua illi adiudicatam victoriam, quaſi oblata iam coronâ, fatebatur; (vnde puto in clypeis ſæpe manus porrigens coronam effigiabatur.) Sic in hoc loco. Saltem, quod negari non poteſt, quemadmodum in bello ſolùm manum protendere, ſignum victi erat: vnde Virgil. *lib. 12.* de Turno Ænææ proſtrato,

——dextramque precantem
Protendens.

haud aliter hic protenſa ſemper manus, adiudicata gloriâ, robuſtæ virtutis victoriam declarabat. Sic explico D. Nilum *in aſcet.* ad hunc locum. *Reprehendebat*, inquit, *olim Regem Propheta quod iniquè ageret exercitu ſtipatum vniuerſo: qui cum ea reprehenſione irritatus manum aduerſus Prophetam extendiſſet, neque illum cepit, & manum ad ſe aridam retrahere non potuit: erat inter virtutem, atque potentiam regiam certamen, & victoria virtutis fuit: nam pugnabat Propheta, & virtus repulit bellum: ceſſabat pugnator, & virtus opus perficiebat: milites Regis erant certaminis præfecti, & manus ſtetit, virtutique victoriam adiudicauit.* quaſi deoique in publico iudicio, ſolum condemnationi ſuæ ſufficeret areſcens ſubſcribendæ.

1309. Plorat magis quàm deſcribit Ieremias ſanctæ vrbis, id eſt, animæ pacificæ euerſionem: *Venit*, inquit, *Nabuzardan princeps militiæ, &c. & totum murum Ieruſalem per circuitum deſtruxit*, cap. 52. à n. 12. in Græco eſt, *princeps coquorum.* quia vtplurimum (quod ab Eua fluxit) per gulam, arma militiæ ſuæ toborant dæmones, militant contra animam, quam euertunt. Sed en arma contraris abſtinentiæ, quæ fortiſſima, licèt inuitus fatetur ſomniator ille vigil: *videbatur mihi quaſi ſubcinericeus panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque veniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terra funditus coæquauit*, Iud. 7. num. 13. quoc apparatus mouet gula virtuti expugnandæ, quæ ipſos principes adigere videtur ad coquinam, vt palato ſuauiùs blandiatur: econtra quàm paruo hordei impendio triumphat temperantia? ecquæ cauſſa? nimirum, quia gula murum, fortiſſimum nimirum præſidium virtutis oppugnat: temperantia verò contra tabernaculum, imbelle videlicet vitij tabernaculum decertat: neſcit enim virtus non firmiter cuſtodiri, & obarmati: nec poteſt vitium firmum aliquod ſortiri munimentum. Acutè D. Nilus ſuprà citatus, de vtroque hoc loco, poſt alia dauda alibi, ſic ſcribit: *Aptè dixit Scriptura, Madianitas habere tabernacula: muros verò Ieruſalem; omnia enim qua virtute circundata ſunt firma ſunt, ac munita: quæ autem vitijs ſunt circumſepta, tabernaculi ſpeciem habent.* id ergo plorat Ieremias virtute munitam vrbem, ſuâ culpâ, & incuriâ expugnari potoiſſe.

1310. Sed quid mirum muro fortiſſimo cingatur iuſtus, qui ipſe animatus, & animoſus murus redditur per ſanctitatem? erat hoc celebre illuſtris roboris oſtentamentum apud Lacedæmonios, quòd nullis mœnibus vrbem ſuam cingerent: cauſſam reddidit Ageſilaus illorum Rex apud auctorem apophtheg. *Cuidam*, inquit, *percontanti, quam ob cauſſam Sparta non cingeretur mœnibus? oſtendit ciues armatos: hi, inquit, ſunt Spartanæ ciuitatis mœnia.* Dedi multa *lib. 1. ad cap. 8. num. 9.* Adde ad rem morum illud Dei ad Ieremiam: *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum ſuper omnem terram.* & bene, *ſuper omnem terram*; quia à terreæ voluptatis iaculis, à dæmonum ingruentium impetu, cœleſtem gazam defenſabat. Veniunt huc verba Optati Mileuitani *lib. 3. contra Parmen.* vbi in Anabaptiſtas hæreticos ſic inuehitur, locutus de catholico Baptiſmo. *Hanc vos piſcinam, quæ per totum orbem terrarum ad vitam generis humani ſalutaribus vndis exuberat, traduxiſtis ad voluntatem veſtram, & ſoluiſtis ſingulare baptiſma, quo baptiſmate homines muri facti ſunt ad tutelam.* quia inde per gratiam ſic robuſta euadit anima, vt animoſus murus videatur. parco pluribus ad hanc rem, vt ad nouam tantæ armaturæ prærogatiuam veniamus.

§. III.

Hæc vna pulchrè propugnat ſimul, & expugnat.

1311. Vbi nos legimus, *omnis armatura fortium.* LXX. vertunt: *omnia iacula.* habes in virtute igitur mille pendentes clypeos quibus tegaris, & omnia fortium iacula quæ vibres. ita fit vt vna hæc ſimul ab igniis dæmonum iaculis defendat propugnans, & eos fortioribus telis offendat expugnans; idque, vt ſuprà dixi, ſummâquâdam permixtâ pulchritudine. Redditurus Dauid gra-

clas pro acceptis beneficiis: *Domine*, inquit, *scuto bona voluntatis tua coronasti nos*, Psalm.5.n.13. Ecquæ poterat defensio tutior suspirari? D. Anacletus tamen *tomo* 1.*Concil*.ex Græco sic locum vertit: *Domine vt hasta placabilitatis coronabis eum.* vt ipsa defensio iusti, iam sit hostium offensio, & vnde protegitur propugnandus, inde etiam armetur expugnaturus. & bene quæuis sit hæc armatura, aptatur in coronam: vt quemadmodum apud Meroëm prouinciam, sagittas in coronam formabant milites, de quo Claud.r. *de laud. Stilicon.*

Venerat & paruis redimitus Iuba sagittis:

id est, ni ego fallor, in victoriæ augurium, ipsis atmis, quibus reportandam sperabat, iam coronatus, & quodammodo hilaritet triumphans: vnde erat vt vrgente metu hæc armatura coronans, aut armata corona deponeretur: quo capies pulchram eiusdem Poëtæ palpationem *in* 3. *consulatu Honorij Imperatoris*:

Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, mouitque suas formidine siluas
Caucasus, & positis numen confessa pharetris
Ignauas Meroe traxit de crine sagittas.

Sic etiam iustus offensiuâ hac, & defensiuâ armaturâ coronetur, quia certissimam victoriam præsagit. Sed de vtroque huius armaturæ munere D. Augustinus ibi: *Ipsa sunt arma, quibus expugnatur inimicus.* & paulo pòst: *hoc est inuictissimum scutum, quo repellitur inimicus.* hic inuadens, illic inuasus, quia non poterat tantum scuti munimen coronantis, tanta coronantis hastæ potentiâ, voto felicique augurio suo defraudari.

1312. Sed quoniam doctiores interpretes Claudiani sagittas illas, non vt ego ad præsagium victoriæ, sed ad merum ornatum capitis formatas in coronam explicarunt: comptiùs ad rem meam Dauidicum locum explicabis, in hac armatura offensiua pariter, & defensiua pulchritudinem ornatricem recognoscens: vt inde coronatus orneris ad comptum, vnde cingeris armatus ad fortitudinem: vt in hoc maximè pulcher iustorum splendor, à cæterorum mortalium splendida pulchritudine distinguatur: quod hæc immunita vtplurimum, ille de armaturâ immunis vernet semper. Chrysost. ibidem. *Optimo*, inquit, *auxilio iustum munis: & neque eius pulchritudo priuata est securitate, neque eius securitas gloriâ deficitur: quid enim fortius, quid rursus formosius eo viro, qui à superna dextra munitur?* & post pauca: *talia sunt enim dona Dei, valida & decore plena, tales corona. At in hominibus non ita est: sed qui est quidem in gloriâ, non est omnino securus: qui est autem in securitate, non est omnino in gloriâ: nec hac facile conueniunt*, ne deesset speciositatis hæc prærogatiua armaturæ propugnatrici simul, & expugnatrici.

1313. Hinc grauissimum illud eiusdem de iustis: *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eum: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis*, Psalm.43.n.4. & quorsum, inquis, hic *illuminatio*, vel, vt legit Chrysost. *lux*? formabatur puto in gladium & in clypeum, vt offendens iuxtà ac defendens, etiam de radiis pulcherrimis adornaret. & pende quàm vtrumque factæ armaturæ ingenium, significatum voluerit Dauid: dum enim humano brachio, brachium dexteramque diuinam opponit: videretur deesse in antithesi, nisi aliquid à Deo, pro humano gladio substitueret: huic ergo visus contraponere lucem, vt compta & stellata armatura videatur. Sed quidquid sit, habes in hac gratia, & virtute iustis communicata dexteram protegentem, gladium à brachio expugnantem, comentem illuminationem vt offendens, defendens, & ornata pulchrè maneat armatura. D.Ambros. ibi. *Nemo*, inquit, *impacificus, nemo arrogans, & superbus: sed mansuetus, & humilis corde, qui nihil sibi arroget, sed totum ad gratiam referat: non in sua fortitudine glorietur, sed dexterâ Dei credat se esse protectum, dicens: Dextera Domini fecit virtutem, gladio quoque Dei memoret se esse seruatam: illuminatum quoque Dei vultu omnipotentis, in quibus omnibus Christus est protector, dextera, defensor, & gladius.* dextra defendit, offendit gladius, ornat illuminatio, quia pulchra Dei armatura, vtrumque impleat, necesse est.

Quæ non pulchritudinis impendia in Iridis cælaturâ offendit Deus? diuinâ planè elegantiâ Ecclesiasticus: *Vide*, inquit, *arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo: gyrauit cælum in circuitu gloria sua: manus Excelsi aperuerunt eum*, cap.43. n. 12. Attamen in signum diuini fœderis, hæc tanta nobis arcuata pulchritudo collocatur: *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram*, Genes.9. n.13. bene quippe lux sinuatur in arcum, bellicum scilicet instrumentum, quia eo ipso, quo cum Deo fœdus inimus, bellum contra Dæmonem publicamus. Sed tu iam suspice ad rem meam arcus huius collocationem, sic enim concameratur, vt vtroque extremo terram pertingat, amœnissima rosei sinus testudina hanc complectens: si arcus bellicus est, quid blandè amplectitur? si in amplexus mollescit, quid asperè sagittas minitatur? sic est: protegit, & gratissimo ambitu iustos fouet, atque validissimo, interim tamen arcus bellicus manet, vt cùm opus fuerit, in Sanctorum hostes ad ictus stringatur, iaculetur sagittas. D. Ambros. ad Psalm.43. *Illo*, inquit, *arcu nos protegit, quo & iaculatur sagittas, quibus percutit inimicos, & aduersarios nostros.* Semper enim diuina gratia sic virtutem munit, vt de luce speciosior defensioni sufficiat, & offensioni.

Sed redeamus iterum ad verba Apostoli, de quibus suprà egimus: *Nox*, inquit, *præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus*, Rom.13. n.12. de lucis venustate huius, quæ eluditur in armaturam, ibi iam satis. nunc denuo illud venit ponderandum, cur signatè operibus tenebrarum, non tam lucis arma (quod videbatur propinquius) quàm lucis arma Apostolus contra ponat? deinde si opera tenebricosa & peccata volebat abiecta, expugnata per virtutem: cur hanc non tam vibrandam & contorquendam in affectiones oppugnantes, quàm tamquam defensiuè induendam explicauit? videtur respondendum, diuino quodam eloquentiæ artificio vtrumque paucis verbis comprehendisse: dum enim abiicienda peccata dixit, satis in virtute vim expugnantem declarauit: dum verò non missum vt iaculi, sed indumentum assignauit vt loricæ: satis illam penitus cataphractam offendentem pariter proposuit, & defendentem. Caietanus ibi. *Opera*, inquit, *luci consona appellauit arma lucis: quia non solum sunt opera, sed sunt arma: & dixit hoc ad differentiam operum tenebrarum, nam peccata, qua sunt tenebrarum opera, quia omnis qui malè agit, odit lucem, sunt opera nostra: cetera autem salutis meritoria opera, qua appellantur arma lucis, non solum sunt opera luci consona, sed sunt arma tum defensiua, tam offensiua hostium virtute diuina gratia.* pulchra enim hæc armatura,

1314.

1315.

sic

sic robusta, sic in effectu rara, vt simul expugnare possit, & propugnare.

1316. Nec immeritò: si enim tenebricosa opera lucem sanctitatis expellunt, & pariter infelicem animam sic obscurant, vt pullata veste, atra lorica contra quosuis splendoris radios cincta videatur: quidni lucida virtus & iuuentas iuguler tenebras, & contra venturas protegatur? hoc iterum probatum voluit Paulus: *In omnibus*, inquit, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientiâ, &c. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ*, 2. Cor. 6. num. 4. bene enim patientiâ in ferendo, & veritate indigetur in agendo: vt sic per arma iustitiæ ab ingruenti malitiâ defendamur, & boni prosequendi obices offendamus. Idem Caiet. hîc. *Metaphoricè*, inquit, *arma iustitiæ appellantur duæ iustitiæ actiones, altera habens vim armorum defensiuorum, videlicet declinare à malo: altera habens vim armorum offensiuorum, videlicet facere bonum.* Neque enim instar ministrorum Christi incedit, qui sibi propugnando, & expugnando hosti non armatur.

1317. Vnde & conciliatur illud eiusdem: *Non vos metipsos*, inquit *defendentes, charissimi: sed date locum iræ. scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam*, Roman. 12. num. 19. aliqui cum Tertull. *lib. 2. contra Marc. cap.* 18. legunt: *Mihi defensa, & ego defendam.* Quomodo enim vindicta offendens, defensa appellatur: quomodo defensio protegens, expugnans dicitur retributio: nisi quia fabor diuinus defendens vindicat, vindicans defendit? Nescit robusta hæc armatura offensiuè, & defensiuè non ornare. ideo D. Ambros. serm. 86. *Præcepta*, inquit, *Christi, arma sunt Christianis, & diuinus timor, terrorem à nobis expellit hostilem; arma enim hæc nostra sunt, quibus nos Saluator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius, quàm murus tuetur: misericordia facilius liberat, quàm rapina. Oratio longius vulnerat, quàm sagitta; sagitta enim non nisi proximè conspectum percutit aduersarium, oratio etiam longiùs positum vulnerat inimicum.* Sic muro propugnatus, & expugnaturus sagittâ, quid vltrà timeas?

1318. Alludit autem in adductis verbis Ambrosius ad Orationem Elisæi, de qua tot mira legis 4. *Reg.* 6. inter quæ tamen nihil rarius mihi, quàm eodem orationis ictu hinc resecatam, inde impactam audire cæcitatem, quasi quæ aufertur puero suo, hostibus infertur. Timebat Gi zi, & orabat Propheta: *Domine, aperi oculos huius, & videat; & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi: hostes verò descenderunt ad eum, porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. percussitque eos Dominus ne viderent*, ibidem à num. 17. & quid inde? adducuntur captiui hostes, & patria sine vlla defenditur læsione. Quàm pulchrum genus victoriæ! vno eodemque instrumento, hîc à metu & cæcitate protegitur Giezi, illic hostes cæcitate & terrore feriuntur: patria à iugo defenditur, & inimica acies offenditur seruitute: *Non mirum*, addit Ambros. *si aduersarijs cæcitatem intulit, qui famulo largitus est cæcitatem, & si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum. Vbi sunt qui dicunt plusquam Sanctorum preces, hominum arma valere? Ecce vna oratio Elisæi, totum exercitum vulnerauit, & vnius Prophetæ meritis, omnis est hostium numerus captiuatus. quæ caterua Regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vnde illis nullus occumberet? hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.* Sic nullibi defendit virtus iustos, quin obiter contrarias potestates non offendat. redeo ad pulchritudinis mixturam, quam superiora bina testimonia tacuerunt, non negarunt.

1319. Explicarunt iam multi locum illum ex 1. Reg. *Egressus est Israël obuiam Philisthijm in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij*, cap. 4. n. 1. de lapide viuo Christo, vnde nobis omne auxilium dimanat. Sed cur, quæso, cùm præcipuè auxiliator in prælio celebretur Christus, tunc non scutum, non gladius, non thorax, non hasta dicitur, sed lapis? án quia lapis iste, quo adiuuamur, pretiosus est, & venustus lapillus, quo pariter ornemur ad comptum, & armemur ad bellum? ita credo: verè enim pacifica anima instar cœlestis Ierusalem ex omni lapide pretioso mœnia conformat. & bene lapis, qui aut aptatur in murum defendendo, aut offendendo ex fundâ plusquam balleariaca rotatur. pulchra enim & robusta Dei armatura, vtrique generi venit aptissima. Odo Tusculanus hîc apud Godefr. *Lapis*, inquit, *iste fortitudo castrorum est, & pulchritudinis ornatus, & in circuitu sese ducens, non se murum, sed antemurale constituit: legitur enim, & Dominus in circuitu populi sui. bene autem lapis adiutorij, quia non solùm munimentum tribuit, sed & adiuuat, & defendit: de particulis enim eius in funda accipimus, & contra Goliam rotantes, gloriosam de aduersario victoriam reportamus.* quasi non sit antonomasticè adiutorium, quod pulchrè ad vtrumque non disponatur. alluditur autem ad illud de Dauidis victoria, *& misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & fundæ iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte*, 1. Reg. 17. num. 49. de quo D. Ambros. *serm.* 88. ita scribit: *Cùm sanctus Dauid non operiretur galeâ, non præcingeretur clypeo, non lancea vteretur, occidit illum non telo ferreo, sed gladio spiritali: quamuis enim inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratia diuinitatis armatus. Verùm ipse spiritualis gladius, non fuit gladius: non enim gladio Golias, sed lapide prostratus occubuit. Legimus in Scripturis lapidis vocabulo Christum figuraliter designari, &c. igitur cum lapide Golias percutitur, Christi virtute prosternitur.* Itaque illa ipsa gratia, qua licèt humano aspectui inermis visus, ad defensionem protegebatur: iam veniens ad fundam, offendendo & prosternando giganti deseruiuit. lege plura in hanc rem apud D. Ambrosium *serm.* 25. nunc tantæ armaturæ notemus necessitatem.

§. IV.

Voluptatis vulnera blanda, sed sæua: vincula florida, sed tenacia: risus iucundus, sed sardonicus.

1320. PRobari in dramate ad hunc locum, in collo apud carnales, ingentes voluptatis delitias collocatas; quas contra tot pudicorum morum armis castissima puella muniebatur. Videamus ergo quàm ferox voluptas armis cincta, vinculis dura, venenis noxia virtutem oppugnet, & inde patebit clarè, cur se virtus tot armis muniat ne expugnetur. Aptissimè ad hanc rem Dio Chrysostomus Orat. 80. *Prima*, inquit, *domina opinor ad vnamquamque partem voluptas est: sæua quidem alioqui, & hostilis, & insidiosa aspectu: iucundè tamen, atque sardonicum*

donicum quiddam subridens occurrit: fertque vincula iuxta naturam suam florida, molliaque primum, quibus par est vinciri Reges, atque tyrannos, & omnes quicumque beatorum dicuntur filij: his autem sæuius nihil neque magis inhæret, aut constringit. vbi à Dione vides elegantissimè assignari voluptati hostilem vultum, quia armata hostis instar, blandè, sed sæuè ferit: sardonicum risum, quia dulce propinat, sed venenum: vincula florida, quia molliter ligant, sed tenaciter. ne in secundo hæsites, noueris, venenatas quasdam herbas apiastro similes ferre sardiniam, quæ comesæ risum mouent, & mortem afferunt: simulque falsam lætitiam, & damnum verum miseris propinant: qui funestè rident, ridentes expirant. inde *risus sardonicus* iam in parœmiam abit, & hieroglyphica. dicamus ergo de singulis suo ordine.

1321. Induit serpentem Dæmon, Euæ insultaturus: *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini, scit enim Deus quòd in quocumque die comederetis, ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*, Genes. 3. num. 5. & quidem mihi mirum, non trepidasse fœmellam, quæ muscam & murem pauere solet, sibilantis serpentis verba, neque futuram damnationem pertimuisse: respondendum tamen fortasse ad quæuis alia Draconis verba trepidaturam, ad illa nihilominus serenam constitisse, & placidè expugnandam; quia venerant voluptatum inuolucra, & sub vulnere sæuo blanditiem exhibentia. D. Leontius apud Phot. *cod.* 272. ad hunc locum: *Cùm cædem*, inquit, *incruentam perfecisset, neque homicida putabatur, sed vt bonus consiliarius credebatur: simplicitate gladij vulnera molliora reddens, & dulcem doloris sensum exhibens.* Dulcescunt voluptuosæ gulæ & deitatis affectatæ ad delitias, vulnera, & quæ aliter fugerentur, sublatentia voluptate appetuntur, aptissimaque præbent Dæmoni instrumenta. Leontio subdo magnum Leonem, qui *serm.* 7. de Ieiunio aptè ad hanc rem, *Cessantibus*, inquit, *publicis impugnationibus impiorum, & cadibus ac suppliciis fidelium diabolo continente, ne pertinacia crudelitatum, multiplicatio nostrorum fieret triumphorum: fremit aduersarius, & cruentas inimicitias, ad quietas conuertit insidias: vt quos vincere fame, & gelu, flammis ferroque non poterat, otio tabesceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrumperet.* Nouerat quippe robustius hoc telorum genus fidelibus expugnandis contorqueri.

1322. Pergebant Israëlitæ armis conspicui, ferro formidabiles, delectu diligenter in Dei faciendam vindictam facto, intrepidi: quis non crederet Moabitas pari apparatu, bellico vsu, hostilibus armis obuiam se hostibus facturos? at illi de Balaam consilio, vt colligitur ex *cap. Numer.* 31. *n.* 16. puellas armatas pulchritudine, pugnantes voluptatibus, delitiis blandientes expediuerunt: *Morabatur*, inquit textus, *eo tempore Israël in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt, & adorauerunt Deos earum*, ibidem *cap.* 25. *num.* 1. neque luporum caterua ouicularum gregi ita nocet, vt puellarum exercitus, militum copias miserè prostrauit. Et vnde, inquis, in tam immane idololatriæ scelus, fidelis populus tam subitò prolapsus? ex vocatricibus quas audis, venerant lasciuientes puellæ, & mollia, voluptatis prætextu, vulnera populo infligentes, sæuissimo idololatriæ gladio animas iugularunt. D. Chrysol. *serm.* 27. hoc expendens, *Scandalum*, inquit, *populo Israëlitico Balaam diuinator obiecit: quando bellatoribus, non cum ferratis viris, sed cum puellis toto lenocinio fucatis occurrit: vt arma verteret in luxum: triumphum mutaret in infamiam, & in reatum, reatus deuocaret vltores, & ad summam, profanaret totam de turpitudine sanctitatem.* Ibant ad vlciscendam idololatrici reatus iniuriam, & miserè idololatricum reatum subierunt; sub voluptatis lenocinio, sæuissima vulnera experti: armati cedunt puellis, quia prostrantur voluptatis illecebris, arma bellica. Meritò Curtius *lib.* 6. de Alexandro: *Vt primum*, inquit, *instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum, quàm quietis otijque patientior, excepere eum voluptates, & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt.* Longè enim sæuius armorum genus voluptas, cuius blanditiæ, vulnera sunt sæuissima. Florus *lib.* 2. *cap.* 6. de Annibale locutus: *Inuictum*, inquit, *Alpibus, indomitum armis: quis crederet? sola & tepentibus Baja subegerunt.* Delitiæ enim & voluptates Campaniæ bellatorem eius spiritum perfregerunt.

1323. Vnde iam capio Dei verba ad Moysem in hoc capite, postquam Zambri Dux Israël cum Madianitide in lupanari à Phinee occisus est, *Hostes*, inquit, *vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs per dolum Phogor; & Corbi filiam Ducis Madian*, n. 17. quia licèt bellica arma, & hostiles incursus Madianitæ non pararent, satis hostiliter, & sæuiùs pugnantes expeditis puellarum choris, voluptatis incentiuis processerunt. huc omnino facit, quod ad rem aliam scribit D. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Isaiam cap. 22. *Si hostium*, inquit, *instar, in mentem humanam irrumpunt vel rationum stultarum, vel carnalium voluptatum agmina, tamquam captæ ciuitati dominantur, omnesque eius diuitias spirituales demolientur, omnem expellent pietatem, & virtutis præclaris actionibus eum exuent, & spoliabunt.* quasi eo ipso quòd ingrediantur, expugnent, etiam in ipso ingressu decantetur triumphus.

1324. Semper mihi hanc Israëlis armati stragem à puellis factam consideranti, subeunt carmina elegantissima Noni *lib.* 34. *Dionys.* quæ è Græco versa, litterarium munusculum misit amicus: vbi armati ducis, & fugientem puellam insequentis exprimuntur querelæ: transcribo, quia aptissima huc veniunt.

Virgo, precor, superans bello, superatus amore
Chalcomedea mane: præda tibi damna repellet,
Non cursus, verùm oris honos? truculentior igne
Corda hominum comburit amor: fax mollis, acerba
Tela fugat: non bella gero; cur ergo timore
Concuteris? formâ tantum peltata, ferocis
Insanos pellis bellatrix cuspidis ictus.
Quid? superas. an tela tibi, vel scuta petenda?
Ast quorsum? frontis gladius vibratur eburnus,
Ex oculis furis hasta tuis, parmamque ministrant
Purpureo candore genæ: satis oris acutus
Percellit me sponte nitor. si fortè reprendat
Quis segnem: is numquam Veneris monumenta reuoluit:
Nonne illa horrifico vultum mollescere Marti,
Et rigidum lenire valet? præcordia blando
Temperat igne Venus, compescit sola iugales.

Sic miserum Numen cedit voluptati, & Numinis exemplo, inermis voluptatis blando, sed sæuo vulnere contabescens, armatus dux, sed cedens excusatur. Bene D. Eucher. Lugdunensis homil. de sanctis Martyribus Ephipedio & Alexandro; *Dimicauerunt*, inquit, *patres nostri contra asperrimos dolores: nos è contrario dimicemus contra mollissimas voluptates*

pitates: vicerunt illi tormenta flammarum, nos vincamus ignea tela vitiorum. plura habes de hac re ſuprà ad cap. 2.

1325. Veniamus ad vincula voluptatum, quæ florida ligant, & tenaciſſima ſæuitie conſtringunt. oculis *carpi flores*, dixit Sophocles *in Trach.* ἀφαρπάζειν ἄνθος, cùm pulchritudo cernitur: meliùs venuſtis oculis tribuit colurbus in raptu Helenæ θαλερὰς ὀμμάτων, *floridos pupillarum iniectus*, his floribus allicere cupiebat vxor Putifaris Ioſephum: *iniecit*, inquit textus, *domina ſua oculos in Ioſeph*, Geneſ. 39. n. 7. quos tamen tanquam à peſte fugit iuuenis: nimirum iniectos oculos, tanquam iniecta vincula pertimebat. Volebat infamis domina, quem mancipium habebat dominationis, etiam voluptatis poſſidere mancipium: & quem ſeruitute liberâ fouebat, compedibus delitiarum aggrauare. D. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 5. *Quomodo*, inquit, *domina, quæ ſeruilis libidinis incentiua præſtabat? ille Dominus, qui amantis non ſuſcepit faces, qui lenocinantis vincula non ſenſit.* erant quippe vincula voluptatis, licèt florida, omni ſeruitute grauiora, & colligati ſemel tenaciſſima.

1326. Quos neruicios funes, quæ noua ligamenta, quot licia clauis circumligata non perrupit Samſon, toto *cap. 6. Iudic.* nec tamen adhuc miſer ſapit, aut fallacis fœminæ dolos euitat prudens, ſcilicet arctioribus aliis vinculis, ſed vtpote voluptatis floridis & ſuauibus aſtrictus tenebatur: ſic qui corporis vincula vi rumpebat, animi rumpere vincula non valuit, quem tandem, *cùm apprehenderent Philiſthijm, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt*, Iudic. 16. n. 21. vt nimirum bis catenis implicaretur, qui voluptatis catenas excutere, ſi quo modo poterat, non laborauit. D. Iſidorus hîc adductus à gloſſa: *Illo*, inquit, *figurantur, qui tamen Chriſti nomine gloriantur, & malis actibus iugiter implicantur: vir enim ſenſus rationalis intelligitur, caro autem mulierem ſignificat: ſi enim mulieri, id eſt, carni noſtræ, blandiente libidine, vel alijs malis operationibus conſenſerimus, gratia Spiritus ſancti, quæ Nazaræi crine ſignificatur, nudati ſpoliamur, atque decipimur.* blanditur nimirum caro, titillat florida voluptas, ſed ligat iugiter: donec ſpoliati bonis omnibus, nouo pœnarum alligamento infelicia colla ſubdemus.

1327. Ecquod eſſe poteſt vinculorum genus arctius, quàm quod ſuaui nectens violentiâ reddit ſeruitutem dulcem, faciles labores, catenas leues, oneroſam libertatem? id pulchrè expreſſit Oſeas: *Ephraim vitula docta diligere trituram*, cap. 10. n. 11. vbi notiſſima ſunt Gregorij verba eſ, lib. 20. moral. cap. 16. *Vitula enim*, inquit, *trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque, ad eundem laboris vſum non compulſa reuertitur: ita prauorum mens huius mundi ſeruitijs dedita, & rerum temporalium fatigationibus aſſueta, etiamſi ſibi liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat, & vſu miſeræ conuerſationis trituram laboris quærit, vt à iugo mundanæ ſeruitutis ceſſare non libeat, etiam ſi liceat.* Sed tu mecum iam pende, cur non libeat: an quia qui licentiam tenent libertatis, adhuc libidinis vinculo retinentur? ita credo. Sed vnde, inquis, tam tenax hæc libido, vnde tam arcta vincula? quia blanda illa, quia iſta florida, audi quæ ſubdat Deus: *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius.* dicitur in media peccati fœditate collum pulchrum, quia aſpectui tale videbatur, de iugo, ni fallor, florido & venuſto.

1328. Quibus tu in Ægypto catenis dicas Iſraëlitas alligatos, quarum ſuauitate ingratam iam habebãt libertatem? quibus affectus vinculis Ægyptiacis cibis adhærebãt, qui cœleſtes epulas faſtidio, nauſeæ diuina edulia tribuebant, mannaque inſipidiſſimum iudicabant? Sed adhuc magis mirum, ſi Ægyptiacas, quibus ſuſpirant, epulas contempleris: *in mentem*, inquiunt, *nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia*, Numer. 11. n. 5. quòd peponibus inhient, ignoſcendum miſeris, infulsâ illorum dulcedine capiebantur: ſed quid illis cum porris & cepis, quas dum admouerent edendas, neceſſariò lachrymas commouerent? ſcilicet non ſtat aliter peponis dulcedo in hoc loco, quin ceparum acredini miſceatur, quia voluptas carnalis dolori ſemper commiſta: ſic tamen miſeros tenet, ſic floribus diſſimulata duritie conſtringit, vt vorandę dulcedini, lachrymas fundendas pariter non exhorreant. D. Gregor. loco ſuprà citato: *Quid per porros*, inquit, *& cepas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt lachrymas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis non ſine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? manna igitur deſerentes, cum peponibus ac carnibus, porros cepaſque quæſierunt, quia videlicet peruerſæ mentes, dulcia pergrata quietis dona deſpiciunt: & pro carnalibus voluptatibus, laborioſa huius vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiſcunt.* quàm arctè miſeris voluptatibus colligantur ij, quibus licèt captiuitas cariori ſtet, quàm libertas, malint retineri in laqueis, quàm grato iure ſuo reſpirare.

1329. Faciunt huc verba Prophetæ Regis: *Benedictus Dominus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, Pſalm. 123. n. 6. Sed hem, inquis, miſera anima, ſi fruſtrà quandoque iacitur rete ante oculos pennatorum, cur cæcutiens laqueo incurriſti? fortè, quia non videras, quia non agnouerat. Solent venatores retia ſtramini herbido & florido ſubmittere, fruſtrà nuda retia oculis auicularum exponentes: ſic voluptas duros laqueos ſuos tamquam ſubtectus floribus, ſub carne, ſiue delitiis & blandimentis parat animæ: quibus deinde ſic implicatur, vt ſolùm Dei ope, cui proinde Propheta gratias agit, ſolui poſſit. fauet D. Laurent. Nouar. homil. de Pœnit. *Implicatur*, inquit, *plerumque anima in hoc corporeo laqueo, etſi velit, etſi nolit: nec liberatur ſponte, prius quàm diuino ſuffragio per pœnitudinem ſupplicans, vt ait Propheta, in laqueo erat. anima erepta eſt non ſuis viribus, ſed diuino præſidio. & quis eſt iſte laqueus, niſi caro: quæ animam in propoſito ſuo bene currentem vexat ſemper, carpit iugiter, capit frequenter?* carnem dixit, carnis illecebras: ſola ergo diuina potentia, ſubdolos iſtos laqueos, nexus tenaces, aſpera vincula poterat diſſoluere.

1330. Sed quod maius eſt, de hâc homini à voluptatibus conceſsâ libertate, tamquam de re aliqua magna ſeipſum meritò commendat Deus. *Quis*, inquit, *dimiſit onagrum liberum, & illius vincula quis ſoluit?* Iob 39. n. 5. vbi D. Gregor. ita: *Subaudit, niſi ego. ſoluuntur verò vnius vincula, dum diuino adiutorio interna deſideriorum carnalium retinacula dirumpuntur. cùm enim pia intentio ad conuerſionem vocat, ſed adhuc ab hac intentione carnis infirmitas reuocat, quaſi quibuſdam vinculis anima ligata præpeditur.* homo enim per culpam, in belluinam & ſilueſtrem degenerans naturam, carnalibus ineſcatus voluptatibus ſic ſtringitur, vt diſtricta Dei potentia, de hac diſſoluendi efficacia glorietur. & emphaticè ſe Deus non tam *rumpentem* commendat, quàm *ſoluentem*.

mentem. is enim erat nodus, & ita per omnia similis Gordiano, vt ad summum per Alexandros aliquos exlestes disrumpi posse, licèt temere, aliquis existimaret: ad dissoluendum verò, nulli diuina potentia non necessaria esse videretur. Adnecto his pulchros versus Claud. *Epig. de Siren:*

Delatis licèt huc incumberet aura carinis,
Implessentque sinus venti de puppe ferentes:
Figebat vox vna ratem: nec tendere certum
Delectabat iter reditus: odiumque innabat,
Nec dolor vllus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

quàm dura vincula, quæ sic nauem figebant, & quàm subdolè florida, quæ morti etiam dolorem adimebant. Benè D. Paulinus epist. 36. *Voluptatum,* inquit, *pestifera dulcedo, patria nobis obliuionem facit, cùm homini Deum, qui est patria omnium communis, oblitterat, & illecebra cupiditatum, illam Sirenarum fabulam veritate cladis imitantur. nam quod illæ Sirenes fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum: habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum: quorum vsus in crimine, pretium in morte numeratur.* Sed hæc ad fardonici risus venenum nos manuducerunt: de quo seorsim ne nimis excrescat titulus, dissertamus.

§. V.

De sardonico risu voluptatis.

1331. PEccatorum miseriam describtorus Salomon sic habet: *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis,* Prouerb. 2. num. 13. Sed quid, inquis, mirum, aut nouum narrat Sapiens, cùm id innatum, & perpetuum sit malitiæ, vt de malo aliis à se illato, plaudat sibi, & quasi partâ victoriâ exultet? equidem nihil mirum. Si de damno illato aliis sic lætarentur: illud tamen omnimirò maius, quod sibimetipsis damnum inferentes grauissimum, exultent interim peccatores, quippe in sceleratia voluptatibus, vbi venenum potant propinatum, mortem hauriunt læti, & de pessima sua sorte rident sardonicè. ita D. Eucherius loco suprà citato: *Pigri itaque,* inquit, *ad curam salutis, alacres ad militiam mortis, & captiuitatis, vt dictum est, exultant in rebus pessimis, & de sui perditione lætantur: similes illis, qui fortè sumentes exitiabiles herbarum succos, cum risu perire dicuntur.* Vide quæ de his herbis fardonicis superiori titulo dixi: desfendi quidem meritò hi tales propter hunc risum, qui illis in fletum miserum commutabitur: quippe fardonicus risus, qui verè veneno suopte, quasi de epotato medicamine gloriantur.

1332. Inde vox illa Christi Domini ad hos tales: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis,* Luc. 6. num. 24. qui enim, vt paulo antè *num.* 788. dicebamus, cepis & porris, id est, laboriosis voluptatibus, lacbrimis interim effusis indulgebant, & aliquandiu, has lachrymas dissimulantes, risum simulabant: hi tandem veros fletus de potato veneno fundent, & risum suum fardonicum fuisse demonstrabunt. fortasse id voluit Sibylla *lib. 1. Oracul.* quasi ad hæc verba Domini allusisset:

Non fletis passim duri? ridetis inepti?
Sardonicum risum ridebitis, horrida quando.

Non quòd vltimo ingruente pœnarum horrore, etiam, licèt falsò, risuri essent: sed quoniam tunc præteritus risus, fardonicus cognoscendus. Sed clariùs Saluianus *lib. 7. de Prouid.* afflictum populum, & voluptatibus deditum aliunde sic ex hoc Christi loco coarguit: *Quis,* inquit, *captiuitatem expectans de Circo cogitat? quis metuit mortem, & ridet? nos & metu captiuitatis ludimus, & positi in mortis periculo ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum, moritur, & ridet, & ideo in omnibus ferè partibus mundi risus nostros lachryma consequuntur, & venit etiam in præsenti super nos illud Domini nostri dictum: Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* & bene lachrymæ orbis, vanum hunc Romanæ gentis risum dicuntur subsecutæ: nunquam enim dolentius flemus, quàm cùm amicos in extremo mortis periculo constitutos, de phreneticâ stultitiâ cernimus ridentes: vnde enim fardonicus voluptatum risus, nisi à merâ stultitiâ dimanat?

1333. Dolebat hanc elusionem, & falso risui fidem adhibitam Esdras lib. 3. cap. 4. num. 29. *Videbam tamen Apemem filiam Bezacis mirifici, concubinam Regis sedentem iuxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cadebat Regem de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit, ti rides.* quæ Scriptura licet non sit Canonica, est magnæ nihilominus auctoritatis: vbi quidem Rex miser bene *aperto ore* describitur, id est, penè dementatus & stulescens: quî enim saperet, quem domina voluptas verberabat, qui eius fardonico risui mortem propinanti arridebat? quam alij discipuli sancti Iobi, qui etiam aperto ore, sed prudenter, doctrinæ illius pluuiam expectabant? os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum, cap. 29. n. 23. de quibus statim addit: *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Sed cur veridici præceptoris risui non crederent? aut cur id discipulis laudi, & sibi honori tribuendum putet beatus Iob? respondet pulchrè D. Gregor. ad hunc locum: *Illi,* inquit, *menti difficile de lætitiâ creditur, quæ quid se pro amore Domini continuò affligat, à subditis scitur: qui enim incessante æstu spiritualis desiderij superna appetit valde, valde de eo in dubium venit, hoc quod aliquando inter homines hilarescit.* q. d. Is erat Iob, qui numquam in summis felicitatibus constitutos ridentibus voluptatibus artisit humanis, sed continuò diuinis anhelans se affligebat: hinc ergo erat, vt si quandoque blandæ comitatia ergâ suis ridebat, bi maximopere dubitarent. nam lætitiæ spiritualis iubilationes Iobo, vt par erat, occultandas agnoscebant: humanas illi non admissas serio & certè iudicabant: qualis igitor, dicebant, hæc lætitia, quæ neque diuino, de cautela: neque humano, de modestia affectui tribuenda? non credebatur ergo, id est, dubitabatur de illius risu, qui felicitatis & voluptatis risui fardonico, prudenter Deo suspirans non credebat.

1334. Clarior tamen adhuc ad rem nostram veniet prædictus locus Iob, si verba ista cum D. Gregorio Deo, quem Iob repræsentabat, tribuamus, quod ibi firmatum lege. ac si dicat Deus: Tam longè sunt serui mei, quò falsis temporis voluptatibus arrideant: vt etiam prosperitati, quam ego illis lubens veram immitto, non audeant arridere; quia nimirum dum illam à Deo immissam certissimè non agnoscunt, semper veneni propinatricem, & fardonico risu trepidant blandientem. Sed præstat audire Gregorium, qui ita scribit: *Ridere Dei est, Sanctorum vias prosequenti fauore prosperari: sicut de his quoque per vsum dicitur, quos in hoc sæculo felicitatis blandimenta comitantur, arrisit illis tempus.* & post multa

multa ad rem suam, concludit. *Redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multa iam eius dona testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio, de nostra infirmitate titubamus.* Addo, vt dixi, ad rem meam, non credere his fauoribus iustos, quia prosperitatis præbitæ, quam à Deo immissam clarè non agnoscunt semper latentes insidias, & delitescens venenum pertimescunt.

1335. Est hoc, illud Prouerb. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*, cap. 14. num. 13. quomodo enim tam contraria extrema possent copulari, nisi quia voluptatis risus sardonicus & falsus, verus est fletus? ita quemadmodum in poculo vinum & aquam si misceas, sic se mutuo induunt, vt vtrumque discernere non valeas: haud aliter verus fletus, risui isti falso immiscetur, vt visui omnino moueat decepto præstigias. hoc puto explicare voluerunt LXX. qui vertere visi iam contrariis verbis, & tamen eodem sensu: *in lætitijs non admiscetur tristitia.* ac si dicant: non credendus est risus dolori immixtus, quia lætitia vera & solida, instar Solis omnem mœstitiæ nubeculam depellit. Sed audi vulgatam nostram lectionem explicatam à Galfrido apud Tilman. ibi: *Infelix*, inquit, *mixtura est, si materia lugubris fallacem sibi formam induat gaudiorum, & affectum lætitiæ caussa tristis vsurpet.* Sic larua risus luctum velat, non vellit, & lætitiæ persona mœstitiam obducit, non expellit: vnde latentis veneni si quæ est amaritudo, pariter propinat. *Nec illum interim*, addit Galfridus, *risus dolore caret, qui delitias computat esse sub sensibus; & licèt foris intentus, vel distentus potiùs, parum risus sentes semiat, compungitur tamen in cubili suo.* Vt etiam per hoc voluptatis venenum & risus, sardonicis herbis comparetur: quæ non solùm venenam sub risu perhibent, sed illud amarum quod quandoque peccatores experiuntur. ideo Virgil. *Eclog.* 7.

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

vt tanto culpabilior reddatur peccator hoc venenum non curans, quo non dulce, sed amarum exhauritur.

1336. Cape, vt finem notationi imponam, huiusce rei grauissimum testimonium. Queritur Ieremias humani generis suscipiens personam, quòd absynthio à Deo inebriaretur, id est, quòd permitteret Deus in pœnam iustam absynthio misellos homines inebriari: *repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio*, Thren. 3. num. 15. Ecquis inebriatur, nisi iteratis poculis, aut extraordinariâ exhaustâ paterâ? si ergo amaricantia absynthia propinabantur: cur ad primum gustum potatio non effunditur: cur vix primis labiis admota patera non depellitur? cur ad ebrietatem vsque absorbetur? Respondet D. Gregor. *moral.* 10. *cap.* 16. sic scribens. *Humanum genus recto Dei iudicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absynthio est ebrium, quia & amara sunt quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eamdem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat: mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est quod bibit: sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, eiusdem amaritudinis malum discernere iam præ ipsâ ebrietate non sufficit.* Nimirum ægri amara medicamina absorbent celerrimè, ne diutina amaritudine crucientur; econtra carnales nono morbi genere perditiores, voluptatia venenata & amara pocula sic hauriunt auidi, vt veneni non sentiant amaritudinem: ideo pateram non frangunt, ideo ad ebrietatem vsque sorbent, qua deinde stultescentes, iam quod patiuntur, ignorant: cùm nihilominus amaricanti veneno ad mortem vsque veniant corrodendi. in Græco est, *inebriauit me felle.* vt voluptatis amaritudo, & auiditas bibentis, fel non diiudicantis, viuidiùs exprimatur. Vides igitur etiam voluptatis venenum absynthium, & fel dici: vt non semper dulce, sed amarum reuerà intelligatur, per omnia sardonicis herbis assimilandum. Vidimus satis quot munita armis, quot armata vinculis, quot insidiosa venenis incedat voluptas: vnde iam capies, cur se tot armis muniat virtus ad sui defensionem, ad huius expugnationem.

Pintus in Cantica.

Macula non est in te, &c. — Vers. 7.

§. Vnic.

Gratia, etsi minima, ex se tamen, neque minimæ culpæ assuescit, & quare.

1337. Quid mirum maculam non habeat anima, si amica est, si grata, vt ibi dicitur. Prima gratia, qua regeneramur, etsi minima, sic tamen generosa, vt degeneres maculas etiam leuissimas ex se non patiatur. dixi, *ex se*; quia possunt quidem cum gratiâ defectus leuiusculi alicubi habitationem, nusquam tamen pacem sortiri: hi semper illius expulsionem subdolè, illa horum euersionem machinatur apertè. non aditur Christus per partes, totum te illi tradas, si tamen te vis tradere, opus est: ideo te illâ gratiâ iustificat, quæ ex se nihil hosti derelinquit, qua Christo despondêris. Quantulum erat si erepto Israële de Ægypto, liberatâque domo Iacob de populo barbaro, saltem reliquiæ dispersi gregis, & illæ viles apud priscum tyrannum remanerent? Audi tamen Moysem poscenti Regi respondentem: *Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim cùm ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus*, Exodi 10. num. 16. at saltem non immolandas vngulas certò sciebat: cur ergo has sic temere non relinquit? quia licèt vngulæ per se non forent satis, ast nec satis erant victimæ sine illis, quas integræ & illæsæ offerri iubentur. Bene ergo ista Deo dicuntur necessaria: qui enim saluare decreuerat integrè & perfectè, totum erat saluaturus: neque saluandi aliquid erant in potestate inimica relicturi. Vide *num.* 1350.

1338. Huc collimabat sacra illa dissertatio Christi, cum legis perito: quærebat iste, quid sibi faciundum non tam perfectioni, quàm æternæ salutis statui, vtcumque comparando: sed subdo huius verba, & Christi responsiones: *Ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? at ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, &c. dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac, & viues*, Luc. 10. à num. 25. Quid vltrà adderet tentator iste, si de summa perfectione intenderet certamen? aut quid maius, posse Christum requirere videbatur, si nihil virium, nihil animæ, nihil mentis mundo relinquebat? & tamen ob hæc, non perfectio promittitur, sed sola vita: quasi quidquid his esset minus, mortem saperet.

Adeò ne vita gratiæ, altè collineat? adeò: vnde D. Anton. de Padua ad hunc locum Domin. 13. post Trinit. *Qui totum*, inquit, *dicis, non tibi partem de te dimisit, sed totum sibito offerre præcepit: se enim toto, omit totum te, vt solus te totum possideret. Noli ergo cum Anania & Sapphira tibi de te facere partem: ne totus cum illis intereas.* bene: quasi ideo æterna prædestinatione totus Christus ad hominum salutem impendatur, vt quisquis quoquo modo à Dæmonis captiuitate, in filiorum Dei respirat libertatem, se totum vicissim Christo reddere teneatur: vnde cùm etiam ex minimo gratiæ gradu hoc oriatur, etiam ibi contractus eisdem conditionibus valebit. sic ergo vita gratiæ totum illud ex se postulat: quam indignè tractamus, si leues licèt maculas sustinemus.

1339. Fausto proinde omine, felici auspicio turba exceptura Christum: *acceperunt*, inquit Ioannes, *ramos palmarum, & processerunt obuiam ei*, cap. 12. n. 13. vt quemadmodú proculcato penitus hoste triumphus ducitur, nec nisi euerso funditus palma comparatur: sic in primo statim accessu ad Iesum, palmis acceptis triumphatores Dæmonis viderentur: sic prima gratia, qua procedimus Christum excepturi, ex se nihil secum admittit vile: sic Christus zelotypus in eis quos iustificat, nihil in eis reprehensibile perseuerare intendit. Drogo Ostiens. *lib. de sacram. dom. Pas.* obiter etiam explicans locum Exodi suprà adductum: *Accipe*, inquit, *frondes palmarum, vt triumphes de principibus tenebrarum: nihil in te resideat, quod in occursum Iesu non prodeat, quia nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda est.* ita enim exitur in occursum Iesu decenter, in primæ gratiæ hospitium, si nihil cum ipsa sordidum misceatur, nihil relinquatur tartareo Pharaoni maculatum.

1340. Hospitem habuit Deum Abraham in tabernaculo, *Genes.* 18. didicit inde diuinam bonitatem Petrus, facilemque tanti Domini comitatem: vnde & Christum inuitat ad tabernacula *Matth.* 17. *n.* 4. *Luc.* item 9. *n.* 4. qui tamen ignorantiæ, & rusticitatis reprehenditur: *non enim sciebat quid diceret*, n. 5. sed vnde inurbanior Petrus, quàm Abraham? vnde iste prudentior, quàm Petrus? quia in primo statim ingressu Abraham tres videns, vnum adorat: & relictis creaturis, duobus scilicet Angelis sociis, in vnius Creatoris procumbit venerationem: ideo singulariter dixit n. 3. *Domine si inueni gratiam*, &c. ne aliquid simul creatum admittere, ad primum creatoris hospitium videretur: Petrus verò, vt Christum exciperet, etiam de creaturarum, Moysis scilicet & Heliæ tabernaculis simul cogitabat: nescit autem ex se primus Christi, primus gratiæ ingressus, vilius aliquid secum immiscere. Nunc capies quid sibi vellet Timotheus apud Grets. *orat. de Cruce*, ex ore Christi Petro respondens. *Ingressus sum in tabernaculum Abrahæ, & ingressus mansi: sed animaduerto fidem, scientiam & victoriam Abrahæ: tertium me agnouit cum duobus Angelis; num tria tabernacula fabricatus est, num me seruis comparauit? an non vnam, ad suscipiendum hospitio Dominum, mensam parauit? imitare Abraham, & fac tabernaculum.* pende ly *victoriam*, quasi iam acceptis ramis palmarum triumpharet, nihil seruile attendens, tanti hospitis gratiam excepturi. & bene additur, *& ingressus mansi*: ac si licèt ingrederetur, vix diu posset ibi manere, si Abraham quemuis licèt leuem, creaturarum affectum maculatum retineret.

1341. Ex mente Lucæ Abbatis in supplemento Aponij, dicitur ad fideles omnes vsque ad finem mundi conuertendos, illud Christi Cant. 8. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*, n. 5. Audi nunc quid nuper excitatæ à vitiis, & regeneratæ animæ per gratiam proponatur: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* nunc excitatur à culpa, & iam visa vocari ad thalamum, cui zelotypiæ ardores proponuntur, cui fides nec etiam per minima violabilis intimatur. Ast quomodo intimatur? audi eumdem Lucam de hoc signaculo: *Hoc est*, inquit, *in cogitatione cordis, & in operibus brachiorum, sit semper anima, quæ aduersarij nequitias superare desiderat: sicut lex bellantibus esse probatur, certum sermonem à Duce traditum, in secreto omnium corde tenere, quod symbolum nuncupatur: per quod hostis in conflictu, aut collega agnoscitur: & signum certum in brachio ponere, quod prohibeat gladium commilitonis.* quod deinde de credendo Christo cordis & operis auxilio fusè explicat. Adde clariùs ad rem nostram proponere se Christum symbolum, siue militarem tesseram, vt nihil nisi quod Christi sit ab anima licet in gratiæ incunabulis constituta admittatur, nihil carnale & sacra tesserâ diuinoque signo vacuum non putet iugulandum: aliàs si delinquat in minimis, minimè zelotypo sponso, exactissimo Duci satis faciet.

1341. Celebrem illam parabolam de decem virginibus, quam Christum venturum iudicem denotare, certò est certius, etiam de conuersione orbis ad Ecclesiam posse capi, voluit Origenes: vbi iam mihi pende nuptiarum statim fieri mentionem, additur enim, *& quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*, Matth. 25. n. 10. de quo idem Origenes in cat. *Egrediuntur*, inquit, *de mundo, & erroribus, & veniunt obuiam Saluatori, qui semper paratus est venire, vt ingrediatur simul cum dignis ad beatam sponsam Ecclesiam.* cùm ex ipsis Ecclesia componatur, ipsas etiam certè addit Christus tamquam sponsus: nemo igitur oscitanter primam accipiat gratiam, nouerit per ipsam ad sponsæ dignitatem ascendisse: timeat delicatissimam sponsi tanti zelotypiam, qui non solum adulterium, sed etiam quamuis maculam, & exiguas leuitates solet abhorrere. concipiat bellicum signaculum, & in statione fidâ, quidquid hostile fuerit, armis arceat deturbandum. hoc quod de primæ gratiæ sponsalibus dico, vltimæ parti tituli respondet: de quibus adhuc plura.

1343. Dicebat fidelis iam Ecclesia, de Ecclesia conuertendâ sponso Christo: *Soror nostra parua est, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Cant. 8. num. item 8. nemo nescit alloquendam dici, significando tempori, quo de illius nuptiis erat peragendum: vnde Vatabl. in notis: *Sermo fiet de ea, subaudi nuptui collocanda. q.d. quibus rebus ita ornabimus, vt cùm tempus vocationis aduenerit, sponso placere possit?* quasi ipsum sit vocari ad fidem, & primam gratiam, quàm ad sponsæ inuiolabilem fidelitatem aduocari: sed pende ornatum, attende muliebrem mundum: *Si murus est*, inquit Christus, *ædificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, num. 9. ne quid hostile ingredi possit, incorruptibili cedro permunitur: imò propugnaculis extruitur, vnde etiam à longè venientes, iaculorum ictu arceat aggressuros, & appropinquaturientes facile propellat. Vatabl. iterum in notis. *Vt si*, inquit, *alius sponsus subito ingressu velit occupare animum nostræ sororis: illi resistant virtutes,*

&

& nitentem ingredi, arceant. Sed parum hoc: ſponſus enim non ſolùm procacem procum, ſed quemuis eius nuntium vult repulſum, quemuiſque nutum peſtis inſtar auerruncatum.

1344. At ſi murus erat, nihil ne propugnaculorum habuerat, vt denuo neceſſariò dicantur ædificanda? ſi oſtium, ſic ne patens fuerat, vt nouis tabulis cedrinis indigeret? reſarcirentur priſca, & vetera nouis vſibus aptarentur: quorſum labor erigendi propugnacula, cedrorum excidendi? quia ſi quæ fuerant, Dæmoni ſeruierant, vnde neceſſariò erant euertenda, ne quid vel etiam de præterito, quod adulterum redoleret, & propterea maculatum cerneretur. hinc illud apud Iob ad peccatorem: *ſi reuerſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis,* cap. 22. num. 23. de quo D. Antonius de Padua *Dom. 14 poſt Trinitatem,* ſic ſcribit: *quaſi dicat: ſi à te, in quo eſt ſubuerſio, ad Deum, in quo eſt ædificatio, reuerſus fueris, verè ædificaberis: deſtrue priùs ædificium tuum in te, & ipſe ædificabit ſuper te ſuum.* ac ſi diuina ædificatio, in ſola inuerſione humanâ inueniat fundamenti ſoliditatem; nec ſurgant its decentet gratiæ propugnacula, niſi naturæ turribus, funditus euertendis: ne quid ſuperſit maculatum.

1345. Teſtatum id volebat Propheta exclamans: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum,* Pſalm. 72. n. 26. dicitur defeciſſe cor, & tamen adhuc Deus cordis appellatur: quia, vt alibi ex D. Paulino dico, deſtructum penitus fuerat quo ad carnem, vt vndique ſpiritu ædificaretur. Sed pende adhuc emphaſim, qua Deus ſoli cordi aſſignatur: quemadmodum enim è corde vita fluit, vt nihil niſi ab illo vitam in membris habeat: ſic Deus renouato per gratiam primam cordi inſidet, vt hoc iam diuinam reſpiret vitam, nec humanum & maculoſum aliquid influere videatur. Gilibert. ſerm. 3. ad hunc locum: *Vt de reliquo,* inquit, *in me nec carnalis affectus, nec cordis mei ſenſus reſpiret, ſed ſit Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: ſi hanc partem perdidero, inanis & vacua remanebo, quaſi terra ſitiens, & quaſi vas perditum.* quam zelotypus ſponſus, qui vbi primum ingreditur, nec leuem reſpiratiunculam, de ſuo non emiſſam ſpiritu, vult admiſſam.

Vers. 8. Et coronaberis, &c.

§. I.

Vltra certamen, ſed illud vltrò aditum, ſtat corona.

1346. OCulatiſſimè piæ animæ coronandæ de tot laborum montibus, dicitur, *Veni*: ne tam vi trahenda ad certamen, quàm ſponte ventura intelligatur: nimirum non paratur aliter corona, ſtat non citra, ſed certamen vltra; idque de generoſo ſpiritu, vltrò aditum. hoc vnum abſque dubio ambitiosè expreſſum voluit Poëta de Duce ſuo *lib. 1. Æn.* dum quærit quæ cauſſa Iuno

—— tot voluere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit.

Licèt enim impelleretur à Iunonis ira, at is erat Æneas, qui deſtinata certamina vltrò peteret, & non tam venientia exciperet, quàm adire ſtantia, futura appeteret. Pulchrè Seneca lib. 2. de Prouid. *Quidam,* inquit, *vltrò ſe ceſſantibus malis obtulerunt, & virtuti iturn in obſcurum, occaſionem per quam eniteſceret, quæſierunt. gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus aduerſis, non aliter, quàm fortes milites bellis. Ego Mirmillonem ſub C. Cæſare de raritate munerum audiui querentem, Quam bella, inquit, ætas perit. auida eſt periculi virtus, & quò tendat non quid paſſura ſit, cogitat: quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt: militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant: idem licèt fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis expectatur qui ſaucius redit.* Nullibi profanorum niſi fruſtrà, quæras ad hanc rem verba pulchriora.

Pictatus in Cantica.

1347. Conuolat Romam Petrus, vt præuio immenſi propemodum laboris certamine, ſuo tandem ſanguine Eccleſiaſticam monarchiam conſtitueret. Sed mirum mihi, Paulum, qui tam ardenter mortem appetebat, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, dum illam ſic paratam apud Iudæos iam vinctus habebat, Cæſarem appellaſſe, *Actor. 25. n. 11.* vt nimirum Romam etiam Petro ſocius conuolaret? quid dilatat certamen mortis, qui mortem ſic intrepidus peroptabat? ſcilicet Paulus, glorioſum etiam Principis erat cum Petro cognomen ſortiturus: hilaris ergo Romam affectat, vbi ſæuiſſimus Nero, quo nullus tyrannorum crudelior imperabat: zelotypus, puto, gloriæ, & vltrò crudelitatis Neronianæ certamen appetens: ne Petrus ad coronam, maiores ſe labores pateretur. Fauet D. Maximus tom. homil. & homil. in commend. D. Pauli: *Non enim,* inquit, *ſine cauſſa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam: vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret.* Solum zelotypa huius generis gloriæ virtus eſt, ne alius ſcilicet duriori præcurrat certamini, aut ſæuiori incurrat crudelitati, ad coronam.

1348. Vix Deipara Eliſabeth ſalutauit, cùm illico, *exultauit,* inquit textus, *infans in vtero eius,* Luc. 1. num. 41. quis non miretur ſaltantem, quem adhuc terra non viderat incedentem? nimirum Chriſti præcurſor eidem nuntiando hominibus: iam tunc nondum natum, adhuc in vtero clauſus matri, cui ſolùm poterat, nuntiabat. Sed ſiſte puer: quid præcox munus aggrederis, vnde tibi tot apud Iudæos certamina paranda? imò propterea, inquit, ne certamina iſta mihi poſtea obuentura, ſed exinde vltrò petita cognoſcantur: laboribus naſcor, bella ſponte quæro, & feruidus inter ſubſultandum arma aggrediendis periculis poſtulo, imò induo: annuit Chryſol. ad hunc locum ſerm. 91. *Feruens,* inquit, *nuntius qui ante geſtiuit nuntiare, quàm viuere: impatiens dux, qui antè perueniret ad corpus, peruenit ad Regem: ante rapuit arma, quàm membra: ante aciem petiuit, quàm lucem.* nec enim aliter præcurſoris corona tam foret glorioſa: niſi certamina, vltra quæ locatur, adiret vltrò. Bene D. Baſilius homil. de gratiarum act. *Equidem,* inquit, *arbitror agoniſtem ſtrenuum, ſemel qui ſe exuerit in ſtadium tuendæ pietatis prodituſus: pectore generoſo ferre oportere plagas ab aduerſario colluctatore inflictas, ſpe aduectum gloria ex corona ſibi obuenturæ.* Neque enim ſtat hæc aliter, niſi ſpondeas in certamen, generoſum pectus plagis intrepidus exponens.

1349. Dicuntur apud Ioannem (vt ſentit Eccleſia) pueri innocentes, *Primitiæ Deo, & agno,* Apocal. 14. num. 4. quia nimirum primos hos flores, aduentu Chriſti fœcundata, terra cœlo emiſit. Sed ad tantam primitiarum gloriam deſtinati, nonne ſatis ſi Chriſto commorerentur, & ipſiuſmet Stephani ſtemma præoccuparent? quid opus erat præmori, qui etiam tempore paſſionis Chriſti occumben-

tes, primitiarum vigorem oſtentarent? quia animæ tam feliciter deſtinatæ ſic vltro iam certamina cupere videbantur, vt diutinè ſperare non valerent. non ferunt moras corporis, vt inotiantur, & arripiendis coronis, captandis triumphis prius ad arma perueniunt, quàm ad membra. Pulchrè Chryſol. de his pueris, ſerm. 153. *Coorta*, inquit, *Regi cohors ſuo, magis præmori, quàm commori tota geſtit: Chriſto dicati milites cœperunt ante militare, quàm viuere: ante pugnare, quam ludere: fundere ante ſanguinem, quàm lactis vbera perpotare. ardentes animæ moras corporis non tulerunt: à gremio ad furentes hoſtium cuneos peruolantes, anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oſcula, vnguenta ferro: vt cælum poſſint ante inhabitare, quàm terram: præmia ſpiritus ante portare, quàm carnem: ante referre triumphos Deo, quàm perferre hominum nutrimenta.* Connaſcuntur Chriſto, eidem morituri, nec tamen commori ſperant, ne tam ſperare venientia, quàm adire cunctantia certamina noſceremus, quibus proinde tot præmia, tot triumphos meruerunt.

1350. In vtero Rebeccæ iam nominis officium ſui impleuerat Iacob: iam fratrem non dum natus ſupplantauerat. accedit hora partus, prodit Eſau, & additur ſtatim de Iacob: *protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob*, Geneſ. 25. num. item 25. putabam aliquando tenuiſſe plantam, quam ſupplantatiunculis defraudauerat, quaſi in victoriæ inſigne, deuicti hoſtis arma capta oſtentaret. maius eſt quod nunc cogito de hac auiditate tenendi fratrem, qua, vt ait Tertull. lib. de Anima cap. 26. *qui adhuc intus detinebatur, iam foris detinebat.* Nimirum, vt fratrem quem mille laborioſorum certaminum fontem illi Deus deſtinabat, vltro tenêre videretur: ſic pugnæ cupidus, vt antagoniſtam dimittere non ſuſtineret, ne vel breui laborioſo fratre priuaretur, vnde tantam ſibi coronam promittebat. Vide ſuprà plura *num.* 1156. & de hac materia ſæpiùs redibit dicendi occaſio.

§. II.

Fac quod potes, & tunc quod cupis, gratia perficiet.

1351. VIdes Chriſtum quodammodo cum coronâ expectantem, vt tandem anima tot certaminibus ſuperatis accedat coronanda. Sed cur coronam non defert, ſiſtentamque ſponſam ſerto cingit, cùm certè hoc ad amorem gratius videatur? hoc quod adhuc facere poterat illa, nimirum properare, expectabat. Deus gratiæ ſuæ, quoad poſſumus, cooperationem voluit noſtram miniſtrare, ni feceris quod poteris, gratia tibi quod cupis non perficiet: quæ adultos ſibi cooperatores exigit ſemper. Pudeat hæreticos, fuiſſe hanc doctrinam Ethnicis etiam manifeſtam. Cato apud Salluſtium in Catil. *Non votis, neque ſupplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperè omnia cedunt: vbi ſocordia te te atque ignauia tradideris, ne quidquam Deos implores: irati infeſtique ſunt.* muta numerum, & penè habes euangelicam veritatem.

1352. Reſuſcitatus Chriſtus Dominus ſepulchri lapidem peruium egreditur: cœnaculi fores, diſcipulos viſurus, & aſcendens cœli adamantinos parietes inuiolatos pertranſit. quæ ſi vera, (ſunt autem veriſſima) quis iam non miretur vocem illam ſupplicantis: *aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. n. 2. Numquid tenella ſponſa lapide durior? nunquid mitis columba rigidior adamante? cur ergo impenetrabilitatis leges ibi potens derogat Chriſtus: hîc rogat velut impotens? quia nimirum noua corona, noua gratia in hac apertione animæ ſponſæ procuratur: in hoc negotio porta vtrimque eſt clauſa: duplici quidem claue opus eſt. hinc Chriſtus, inde anima aperiat accipiendis gratiis, & coronis. Gilibert. ſerm. 45. *Vtraque*, inquit, *neceſſaria eſt, & cognata ſibi apertio ſponſi, & apertio ſponſæ. apertio ſponſi, apparitio eius: apertio ſponſæ, apparatus eius, & aptatio ad tam dulces vſus.* nimirum alteram clauium tibi Deus tradidit cordis tui, &, ſi fas eſt dicere, dimidium imperium cum Deo habes: nec tu ſine Deo potes, nec ſine te Deus volet cor ad gratiam iuſtificantem aperire. Pulchrius eſt quod addo adhuc ex Cantico.

1353. Prorupit ſponte fluens è duris rupis viſceribus, fons perennis. Proh! quàm abſque incolarum labore, quàm abſque artis induſtriâ, propinat dulcia ſiti pocula, & ſpecula opponit oculis clariſſima. quàm aliter puteus: foditur labore ingenti, laborioſa arte perficitur. aquas habet, ſed quas non niſi defatigatione haud paruâ, miſſo fune, adducto vaſe haurire queas: quaſi ſudatis guttis ſoluas, quas inde ſorbeas. Ecquis ergo tam latè diſcrepantia extrema, vni eidemque rei, ſimul conuenire poſſe exiſtimaret? & tamen vni eidemque animæ vtrumque attribuitur. *fons hortorum, puteus aquarum viuentium*, Cant. 4. num. 15. & cur ita? cauſſam elegantiſſimè ſubdit idem Gilibert. ſerm. 57. *Fontis*, inquit, *aquæ vltrò prorumpunt: in puteo verò, terra perrumpitur moles, & ſoliditas penetratur, vt ad aquam viuam pertingas. Vtraque alteri neceſſaria eſt, & induſtria gratia, & gratia induſtria, & vicariam opem ſibi communicant. in vanum enim laborat, qui puteum fodit, ſi non ipſe fons vitæ gratis affluat: ſed, & tibi gratis,* (id eſt, fruſtrà) *foderis puteum, & receptaculum aquarum præparaueris, ſi fuerit neglectus puteus tuus.* Itaque gratia fluit, ſed labor influit, nec labor vtcumque, ſed labor electus, non neglectus, vt anima Chriſto pulcherrima commendetur: fecit illa quod potuit, perfecit iſte vt amabat.

1354. Acceſſit veniam peccatorum acceptura Magdalena, & diuinis ſupremi iudicis pedibus, ſtans, ore, corde, & manibus prouoluitur: ſed accedens, *attulit*, inquit Lucas, *alabaſtrum vnguenti*, cap. 7. n. 37. obcæcantur iudicum oculi muneribus, ſed non diuini: corrumpitur donis humana iuſtitia, ſed non Chriſtus. non ergo iſtud intendit Magdalena, ſed attendit & Chriſto medico, & ſibi vulneratæ: affert plagis ſuis vnguentum, ſiue oleum odoratum: noſcens non ſibi ſalutem fore reſtituendam, ſi quidquid poſſet, ad curationem, non afferret. Maria oleum offert, Chriſtus oleo profert virtutem, & ſic iam medicinale redditum aufert putredinem: attulit quod potuit, detulit à gratiâ quod cupiuit. nunc capies Chryſologum ibi aliàs obſcurum ſerm. 95. *Portauit*, inquit, *oleum, quia medicinam lethali vulneri, à ſuperno Medico perquirebat.* ac ſi perquireret fruſtrà, niſi quoad poſſet, medicinæ cooperans adueniret.

1355. Saluandis mundi reliquiis conſtruitur arca, & contra aquarum iniuriam, bitumine oblinitur vniuerſa. *Fac tibi*, inquit Deus ad Noë, *arcam de lignis læuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus*, Geneſ. 6. num. 14. & poſt multa additur: *fecitque Noë omnia quæ mandauerat*

uerat ei Deus, cap. 7. n. 5. quærit tamen, nec immeritò, Alcuinus quæſt. 115. *quomodo poſtquam clauſum eſt oſtium, & nullus hominum extra arcam fuit, bituminari extrinſecus oſtium potuit?* ſi ergo Noë non bituminauit oſtium extrinſecus, iam omnia quæ præceperat Dominus feciſſe, non dicendus. quid igitur? reſpondet aptè idem Alcuinus ad rem meam: *hoc ſine dubio diuinum opus fuit, ne ingrederentur aqua per aditum, quod humana non munierat manus.* fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat Deus, qui ſola poſſibilia mandauerat: cætera iſte ſupplet: nec decet pium Dominum bitumine manus inficere, vt ſic dicam, ad hominis conſeruationem, quas olim luto ad eiuſdem productionem infecerat: perficit gratia, vbi natura deficit non vltrà potens: tunc ſolus Deus laborat, cùm nequit homo illi collaborare: dum potuit Noë omnia, iuuante Deo, operatus eſt, & quod ſolum non poteſt, Deo ſoli committit. bene Lyranus ad illud, *& incluſit eum Dominus de foris*, n. 16. ſic habet. *Noë intra arcam exiſtens, non potuit oſtium extrà bituminare, & ideo Deus suppleuit quod homo non potuit. vnde & Hebraica habet: clauſit Dominus pro eo.* Pulchrè. Vicaria itaque fuit hæc Dei opera, imò non vicaria propriè, ſed ſubrogatio: quaſi non ſubroganda, ſi is, cuius vices ſuppleuerat, eamdem ſibi cum Deo impendere potuiſſet.

1356. Quàm certa diuina illa Theologia Oſeæ: *Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos*, cap. 6. n. 1. Sed ſi iam nos captos habet, ſi tam fauſtus incipit bonum noſtrum, cur non continuò ſanans, ſed quaſi aliquid expectet, dicitur ſanaturus? quia licèt per gratiam vocantem congruam infallibiliter & feliciter à Deo capiamur, vt tamen ſanemur, cooperatio noſtra expectatur? Galfridus ibi apud Godefr. *Quare*, inquit, *incipit Dominus, & non continuò ſanat, ſubeſt enim ei cùm, & cùm voluerit poſſe? ſed cooperationem expetit, & expectat vt cooperetur quiſque ei in ſuam, & proximi ſanitatem: & hoc ipſum ſolius dignationis: opus eius eſt quod operamur, opus eius quod cooperemur.* gratia congrua ſuauiter capit, non cogit violenter: mentis arcem ſic pulſat fortiter, ſic claui reſerat, vt alterius clauis tuæ, vt dixi, operam requirat.

1357. Inter vrbes refugij, inſignis erat Sichem, vt Numeris, Deuteronomio, Ioſue, conſtat apertè: hæc illa eſt, de qua *Ioſ. 24. n. 32.* ſcribitur. *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerunt filij Iſrael de Ægypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus.* de hac ergo vrbe refugij, poſtquam quinque alias latè deſcribit Baccharius *Epiſt. de Pœnitent. ad Ianuar.* ſic ad rem meam ſcribit. *Sicque etiam ſextam ciuitatem Sichem, quam Ioſeph noſter in hæreditate conſequitur*, Geneſ. 48 n. 22. *propter quod ibi ſepultus eſt: quæ interpretatur humerus, ſeu labor: vt oſtendas te per laborem pœnitentiæ, ab errore tuo Chriſti humeris portatum, & adiunctum nonaginta nouem ouibus. quia ipſa Sichem ab alienigenis, centum agnis ſcribitur comparata.* Itaque laborabunt libenter paſtoris Chriſti humeri, vt te ad gratiæ locum, ad ſtatum pœnitentiæ, ad ouium ſuarum caulas reducant, ſi tu ſimul collabores: & vbi alieni humeri deſudant, proprius pariter labor non deficiat: ſi refugis ad Sichem, noueris hanc & Chriſti humerum, & tuæ pœnitentiæ laborem ſubnotare.

1358. Cupit Chriſtus abolitam per peccatum imaginem reſtituere, & tamquam in ſimilitudinis ſignaculo, ſe ipſum in animâ exprimere ad viuum: *Pone*, inquit, *me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, Cant. 8. n. 6. Sed quid? ponne ſigillum ipſum ceræ imponitur? nonne patitur cera, & ſigillum agit? ita in aliis quidem, ſed aliter in ſigillanda anima res euenit: neque enim vt inanime quoddam & inſenſibile, (quod hæretici volunt) nihil agit: quin potiùs ipſa ſibi videtur ponere ſignaculum, dum ſigillanti Deo cooperatur, dum eius auxilium fouet. Bona verba Gilberti ad hanc rem ſerm. 11. *Si quæſiiſti*, inquit, *ſi inueniſti, ſi tenuiſti dilectum tuum: tene quem tenes: tene, inhære, imprimere illi, vt eius in te velut expreſſa reformetur imago: huic ſias conformis ſigillo: eris autem ſi adhæſeris; qui enim adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus.* Itaque ni temetipſum impreſſuro ſigillo imprimas viciſſim, ipſum non exprimes: reprimit Deus fauoris dextram: ſi tu cooperationis dextram comprimis, fac quod potes: & tunc quod cupis gratia perficiet.

Pintus in Cantica.

§. III.

Sic cooperantes, Deum deinde habemus debitorem piiſſimum, feliciſſimi creditores: & per meriti partem, in totum præmij coaptamur.

1359. Dubitaret fortaſſe aliquis, cur cùm diuinus Chriſti ſanguis amore effuſus, per ſe ſolum nobis abluendis, & gratiis omnibus diſpenſandis cumulatiſſimè ſufficeret: noſtram tamen opellam conrequirat, & homunculos velit cooperatores, ac quadammodo coadiutores Deus, vt in carne ſua adimpleant, quæ deſunt ex vi huius decreti Chriſti paſſioni, ſic enim loquitur Paulus, & ita ex grauiſſimorum Patrum ſententiâ explicandus *cap. 1. ad Coloſſ. n. 24.* Sciendum igitur in hoc ipſo, nouum diuinæ pietatis officium nobis exhibitum, nouum factum beneficium: ſic poſt primam gratiam glorioſiores iuſtitiæ coronas conſequimur, quàm ſi gratioſa merè iuſtificationis augmenta ſemper ſortiremur. quis enim, lippus licèt, non agnoſcat, longè nobis eſſe illuſtrius Deum habere debitorem obæratum, quàm ſolùm liberalem largitorem? quis neſciat nobis longè excellentius, ſi quæ forent tantùm munera diuina, iam ſint & merita noſtra? Pulchrè Euſebius Gallicanus *homil. 9. de Paſcha*, diſſerens cur è poteſtate Dæmonis Deus hominem non eripuerit vi adhibitâ, ſed pretioſi ſanguinis Ieſu, ſic concludit de hominis conuerſione: *Non ergo eum præripit per violentiam, ſed potius per iuſtam beneuolentiam ſollicitat, erudit in vitam: quia benignitas preuocantis, etiam meritum deſiderat acquieſcentis: & dignantiſſimi medici ſtudium, infirmi ſui requirit aſſenſum.* quanto ergo maior benignitas cùm poſt iuſtificationem non iam congruo, vt dicunt, ſed magis de condigno meritum afferimus? quando non eſt ſola dignatio Domini, ſed & dignitas noſtra? hanc ergo doctrinam ſaniſſimam, quia contra inſana hæreticorum corda hoc temporis æſtuantia facit in primis; & quia fidelium corda, quorum mores formamus in amorem Dei, æſtuoſiorem rapit neceſſariò: è cathedra ad ſuggeſtum deuoluo, non metaphyſicis acuminibus, ſed piis, æquè tamen veris rationibus: non logica cura, ſed cultu tropologico breuiter exornandam.

1360. Mille bellis confectis, mille ſuperatis periculis, &, quod magis optabar, mille Saulis inſidiis debellatis, exclamauit Dauid: *Diligam te Domine for-*

titudo mea, Dominus firmamentum meum, Deus adiutor meus, & sperabo in eum, Psalm. 17. num. 1. En tibi non tam totus fuoditur in preces ob accepta, quod faciendum videbatur, quàm in spes erigitur accipiendi noua, quasi auxilia narrata, sperandum aliquid maius necessariò indicarent. quæris vnde? diligendum sibi Deum protestatur, & amoris cooperatione diuinis se beneficiis acceptis respondentium: inde ergo infert iam sibi Deum piissimum debitorem: vnde nihil magnum cogitat, quod firmissimè non speret. D. Paulinus *epist.* 4. de amoris correspondentiâ rem dixit, licèt ad consequentiæ formam minus respexerit: *Dauid, inquit, liberatus de manu omnium inimicorum suorum, pro salutis suæ plena securitate, non regni opibus, sed animi soluens, ait; Diligam te Domine virtus mea. addo etiam amplius, eum, qui creditor est, debitorem fore, si illi pretium bonitatis suæ, quam nobis indebitam præstat, gratuitâ diligentes animo pensione soluamus.* Debes ergo hoc nomen Deo beneficium, qui dum te ad amorem admittit gratuitum cooperatorem, se tibi volui obligare debitorem, & dum amando beneficia solui debitor accepta, indidem accipiendorum creditor euadas.

1361. Putaret fortasse aliquis minus cautè locutum Salomonem, dum iustos instituens sic scribit: *Honora Dominum de tua substantiâ, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei*, Prouerb. 3. n. 9. Si enim Dominus est, & serui sumus, omnia sua esse fateamur necesse est: quidquid enim acquirit seruus, domino acquirit: quomodo substantiam nostram appellat, & fruges nostras? quomodo à nobis Deo dandum, & non potiùs soluendum protestatur? nimirum, quia dum Domino spontanea pietate cooperamur ad largitionem, quæ sua sunt nostra dixit, vt eadem non tam exigens, quàm accipiens, se nobis piissimè reddat debitorem, & quos obæratos habebat, sic obæratus habeat creditores. nónne hæc benignissima conditio pietatis? pulchrè Saluianus lib. 1. ad Eccles. Cathol. *Quàm pius*, inquit, *est & indulgens Dominus Deus noster, qui initians ad erogandum terrena substantia facultatem, honora, homini inquit, Dominum de tuâ substantia, cùm vtique totum suum sit, quod ab eo accipimus, nostrum esse dicit, vt demus: ideo scilicet nostrum appellans proprietate possessionis, vt maior sit merces operantis: quia plus fructus necesse est largitor habeat, vbi de suo videtur esse largitio.* Sedulus piissimè Dominus captandæ cooperationi nostræ technas exercet, vt nostrum tantum munus, quantum est Dei esse creditores experemus, & debitam mercedem, eamque copiosam in cœlis apud Dominum habeteamus, cui credidimus, iustitiæ coronam accepturi.

1362. In huiusce rei symbolum quæ Deus in paradiso creauit, licèt perfecta forent, magis tamen ac magis perficienda humanæ commisit diligentiæ. Quid enim aliud est illud Genes. 2. *tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit in paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret eum*, num. 15. quàm velle vt humanâ industriâ, quæ pulchra erant pulchriora redderentur? sic qui solus potuit omnibus vltimam manum imponere, manum hominis voluit dignantissimè cooperatricem. Eleganter Alcuinus quæst. 51. *Quid est*, inquit, *posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur? non homini erat labor, & afflictio in paradiso, sed voluntatis* (fortè *voluptatis*) *exhilaratio: cùm ea, quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio latius vinaciusque prouenirent.* Si ergo cooperatio ad terrena Adamo voluptuosa, imò & gloriosa, quanto illi gloriosius erit quòd propriæ salutis cooperator assumatur? ideo quidem post lapsum, ad gratiæ statum, & deinde ad iustitiæ augmentum non absque cooperatione restituitur, quia hæc illi, vtcumque res eueniat, mille titulis gloriosior & decentior. Eusebius Gallic. suprà citatus. *Iusto, inquit, ordine qui per calliditatem maleuoli serpentis non impulsus, sed seductus fuerat ad perditionem: rursus per Sapientiam beneuoli Redemptoris, non compellitur, sed ducitur ad salutem, & qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus voluntate repararetur, vt esset virtuti ac remunerationi locus.* maius enim si non tam semper donandus, quàm etiam remunerandus accederet, virtutibus labore proprio partis instructus gloriosissimè.

1363. Sed adhuc in hoc loco Geneseos aliquid exactiori consideratione dignum allucet, quo ad secundam tituli partem veniemus. Qua non diligentia describit Moyses, diligentiam & curam, qua Deus paradisum voluptatis, gratiæ viridarium, hortum innocentiæ plantauit? ipse plantas fodidit, arbores disposuit, herbarum virores germinauit, florum areolas deduxit. ipse fossam aperuit, aquas ab illo magno fonte deriuauit, quæ vernâ venustate perpetuâ omnia amœnaret: cuncta ergo perfectè erant disposita, cùm Adamus tamquam viridantis palatij villicus, iucundæ villæ incola eò introducitur, & quorsum? *vt operaretur*, inquit textus: at nonne omnia diuinâ manu condita, sacro opere? planè: manus tersam hortulani rustica, quid aliud, quàm amputare luxuriosas aliquas frondes, quæ de vigentis tunc terræ lasciuia minus comptæ proditeor, vt lætiùs germinarent, facere poterat? certè nihil? Cur ergo simpliciter operator, qui ad summum cooperator dici poterat, appellatur? hæc enim est summa Domini liberalitas, vt semper in effectu, in quo plus habet, homini rationem totam tribuere videatur: vt sic pro parte meriti, ad totum tandem præmij coaptetur: vt si quando Adam calathum florum, pomorum tantum è paradiso Deo offerret, sic illi gratiæ dona redderet in integrum, quasi integra oblatio ab hominis opera & industria proueniret. Sic cùm salutis nostræ simus cooperatores, operatores tamen simpliciter appellamus: *Cum metu*, inquit Paulus, *& timore, vestram salutem operamini*, Philip. 2. num. 12. ideo dicitur exire primo manè, non tam cooperatores, quàm *conducere operarios in vineam suam*, Matth. 20. non quòd Dei cooperatio non sit omnibus titulis maior & necessarior: sed quòd ita (ex Christi Domini meritis) cooperatiuncula nostra, à Deo in rationem meriti euehitur: vt ad præmij retributionem, ac si tota esset nostra, totaliter coaptetur. quæ ergo nisi impudentissima hæresis Deum auaritiæ reprehendet, quòd nos cooperationi dulcissimus compellaret? aut quæ profusior fingi potuit liberalitas, quàm quæ sic donat, quasi soluat: sic debitoribus tribuit, vt velit creditores: vt de parte meriti, toto præmio admittantur.

1364. De terræ paradiso, ad iustam animam, paradisum scilicet sacratiorem veniamus, cùm fructum florum suorum, quæ erant pia desideria, cùm præmium fructuum suorum, quæ erant iustitiæ operas, postulauerit. Enarrabat regius Vates huius felicitatem quando è torrenis angustiis in cœlum transplantata, ad ripas fluminis è diuino throno manantis viridescet, deque fructibus, quos hinc afferet, sic scribit, *& erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, Psalm. 1. num. 3. quia in Ecclesia, ad ripas gratiæ plantatus iustus, sic pulchros

fructus

fructus dabit iudicij tempore. dabit? nonne arbor hæc à Patre luminum, è ſenticoſo vepreto, è ſterili deſerto ad fœcundum gratiæ hortum adducta fuit? eius amœnitas nonne de Chriſti ſanguinis fronduit irrigatione? non de Spiritus ſancti, de cœleſtis Zephyri flatibus flores concepit, fructus parturiuit? quomodo ergo ſuos dare, & non potiùs reddere dicitur alienos? imò aliunde dicat aliquis, fructus accipiet tunc arbor, non dabit: tunc glorioſarum dotium frondibus veſtietur: tunc beatiſſimo diuini aſpectus fructu decorabitur: cur ergo datura potius fructus ſuos deſcribitur, quàm alienos per gratiam accepiſſe, & alienos per gloriam acceptura? quia nimirum commercium quoddam inter Deum, & hominem tunc exercebitur: inuicem fructus capient, fructus reddent, & quia iſte Dei cooperatorem in virtutibus exercendis ſe exhibuit, tunc illum habebit debitorem, diceturque abſolutè dare, ac ſi ſolus in ſuo laboraſſet, virtutum fructus & obſequia: vt quaſi ad præmiorum non tam donationem, quàm reſtitutionem Deum cogere videatur. Piè pariter, & acutè Euſebius Gallicanus, vel, ſi cum Baronio mauis, D. Eucherius Lugdun. *homil. de vidua Gazophyl.* ad hunc locum ſic ſcribit. *Videamus quid ſit quod dicat de anima ſancta, fructum dabit, & non magis dicat, accipiet, quod tempus commemoret à quo fructum datura ſit: quod vtique niſi aduentu Chriſti atque iudicij: quando ſi ita egerimus offerre, merebimur bonorum operum fructus? in tempore itaque illo erit quoddam commercium dandi, & accipiendi, inter Deum & hominem: homo afferet quæ laborauit, & Deus reſtituet quod promiſit: tu ei exhibebis opera tua, & ille tibi præmia ſua: tu ei exhibebis caſtitatem, ille retribuet incorruptionem.* En fructus virtutum, fercula Deo apponunt in cœlo, & fercula beatitudinis diuina immenſa homini reponunt, & quæ fuit cooperatiuncula, Deum iuſto commercio non tam inclinat ad miſericordiam, quàm cogit ad iuſtitiam: non tam pietatem ſollicitat, quàm reſtitutionem.

1365. Sed cape grande & vltimum huiuſce veritatis monumentum. Pulſarat cor ſponſæ diuina inſpiratio, hoc eſt enim illud: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius*, Cant. 5. num. 4. erat hæc manus excitans gratia (quam claritatis ergò à cooperante gratia, cum bona Theologorum non diſtingo) in primo impulſu: quæ ſtatim adiuuans fuit, quia congruè immiſſa ſortita eſt effectum; ideo addit: *Surrexi vt aperirem dilecto meo*, num. 5. & quàm ſcitè excitantis gratiæ ingreſſus non latus dicitur, ſed anguſtus & foraminoſus: non quòd (vtpote qui fit in nobis, ſed ſine nobis) poſſit eſſe animæ liberum ſe claudere, & obſerare: ſed quòd ſic quandoque obſtinetur: vt quantum eſt de ſe, videatur vectes ferreos potentiis apponere, & quodammodo ad quærendas rimas, hoc eſt, ni ego fallor, congruentis temporis circunſtantias, vt efficaciter ſine arbitrij læſione operetur, Deum neceſſitare. Nunc ad rem. Surrexit ne abſolutè anima, an excitata, erecta, & adiuta fuit? certè eadem quæ excitandam tetigit, iacentem præcipuè erexit: cur ergo ſola dicitur ſurrexiſſe? quia ad rationem præmij quaſi ſola operaretur, reputatur, ſic ad plenum illi impenditur. deuotiſſimum iuxtà & doctiſſimum audi Gilibertum ſerm. 43. *Non moueretur*, inquit, *ille venter ſponſæ, non ſurgeret, non aperiret dilecto, niſi ipſe prius inſpirationis ſuæ manum immiſiſſet occultam. Occulta ratio vocationis primæ, latens cauſſa, & nondum latus ingreſſus: dilatatur autem, cum præoperanti ſponſo, anima cooperatur: conatur, aſſurgit, & aperit: prima ſolius Dei manus agnoſcitur, ſecunda Dei ſimul, & hominis, & cum magis Dei ſit propter munus, ſoli tamen homini deputatur ad præmium.* Sed iam ad aliud.

§. IV.

Suiſmet technis profuſa peccatoris malitia confunditur.

1366. IN his pardis & leonibus, de quorum montibus, & ſpelæis Eccleſiæ ſuæ Chriſtus coronam comparauit, duriſſimos tyrannos intelligunt PP. quibus ſuperatis longè glorioſior Eccleſia triumphauit: ergo dum terruerunt, dum inſultarunt, nil aliud peregerunt, quàm partâ victoriâ glorioſiorem texere illi coronam, & lemniſcatam, quæ de pacis ignauiâ, longè minoris pretij ſordeſceret. Sic ſemper euenit, vt ipſis technis, quibus malitia profunditur, confundatur: dolens cuncta, quæ in illorum damnum, quos immeritò oderat, parauerat, ad eorumdem vtilitatem prouenisse. Putarunt Iudæi Chriſti Domini curſum retardare, frenare clauorum iniectu pedibus progreſſum: ſed quàm deluſi? perierunt in ipſo lacu, & laqueo quem pararant: ſternitur Crux in viam iucundiſſimam, fiunt claui talaria pennata. *Domine*, inquit latro, *memento mei dum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 42. quid eſt, *dum veneris*? idem eſt ac ſi diceret, quando perueneris. ergo ne iam ibat Chriſtus, iam properabat? & quomodo ſi ſuſpenſus detinebatur? inſanis ne cruciatus violentiâ, an vehementia deſiderij, latro ſanctiſſime? imò nunquam cordatior: quia nuſquam Chriſtus eundo expeditior, quàm dum in cruce clauis impeditus Iudæis putabatur. D. Bernard. ſerm. 1. Dom. Palm. *Hæc*, inquit, *eſt via vitæ tribulatio præſens, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni: ſecundùm quod clamat latro de Cruce: Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum: euntem in regnum vidit, quò cùm perueniſſet, ſui memorem eſſe rogauit.* Sic dum inuident nobis cœlos à Chriſto reſerandos, non vident ad felicitatem noſtram, viam ita faciliorem præmuniri.

1367. Qua non anxietate curarunt ipſi, Dominici os ſepulchri obtrudere? clauſum obſignare? admouent immenſum lapidem, vt omnem fidelibus ſpem reſurrectionis amouerent. Quid tunc? reſurgit Chriſtus, & addit Euangeliſta: *Ecce terræ motus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum*, Matth. 28. num. 2. Sed cur ſedet, qui Dominum glorioſè ſtantem venerat nuntiare? aut cur nuntiat è lapide, qui è nube verſicolori poterat pulchrior elucere? vt eſſet cœleſtis doctrinæ cathedra ipſe lapis, quem Iudæi in cœleſtis doctrinæ dederant obliuionem: vt inde funderetur vox lætitiæ, vbi ſilentij mœſtitia fundebatur. Chryſol. hîc ſerm. 75. *Sedebat*, inquit, *ad docendam reſurrectionem, non ad laſſitudinem ſubleuandam: cœleſtis natura ignorat laſſitudinem, neſcit laborem: ſed factus eſt lapis vas angelicæ ſeſſionis, doctrinæ cœleſtis cathedra, ſchola vitæ: qui à Iudæis ad mortis ianuam, ad cineris ſeruitium, ad triſte ſilentium fuerat conſtitutus.* Sic magiſtri nequitiæ nolentes, cœleſti parant pulpitum magiſterio: vt de profuſa technarum malitia ſuarum confundantur. Eòdem recidit quòd cuſtodiam militum diſponunt: quid enim aliud quàm reſurrectionis teſtes ſic componunt, vt quod ab amicis minus, ab hoſtibus neceſſariò crederetur? D. Athanaſius *Orat. de Cruce*, apud Gretſ. ex verbis

 Chriſti.

Christi. *Signa*,inquit, *sepulchrum,lapidem nota,milites adstitue,obside monumentum: hoc ipso magis, euidentiusque, quod in me factum,editur: adstrue confirmasque spectatores resurrectionis: testes à morte resuscitationis adducis: praecones miraculorum parorum, tuos ministros preparas.* quàm miserum in se ipsum armari,& mentem technarum subtilitate tortam, in damna propria infaustè cootorquere!

1368. Contorsit quidem similiter Herodes. Quis enim furor, quanta fuit impietas, diuinitus nunciatum puerum conari interficere? *Matth.2.n.16.* Si credit è cœlo missum, quid sperat contra Deum victoriam reportare? si vaniloquos & mendaces Magos reputat, cur veris liuoris anxietatibus cruciatur? *Mittens*,inquit textus, *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem*.si fortè inter illos,Christum quem Regem timebat, controcidaret. heu nescium! væ cæcutienti: quot vulneta mutis infantibus, tot ora prædicando Christi imperio adaperuit: festinauit contra se magistro gladio, lactentium linguas facere disertas: vt non tantus in pueris cruor funderetur, quanta in illo confunderetur machinatio.D.Leo serm.2. de Epiph. *Saeuitia*, inquit, *Herodis volens primordia suspecti sibi Regis extinguere,huic dispensationi nescius seruiebat, vt dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur: annuntiatum cælitus dominatoris ortum, insignior vbique fama loquerentur: quam promptiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat,& superna significationis nouitas, & cruentissimus persecutoris impetus.* In puerorum pœna,pennas famæ truncare præsumebat, & illorum sanguine, diuini regni purpuram obscurare:sed & fama sic rapitur velocior, & rutilantior purpura splendescit.Ad Cassium Cæsaris occisorem(cuius postea aut phantasmate,aut melancholico cogitatu terrebatur) exclamat Valerius Maximus lib.1. *Non occideras tu quidem Cassi, Cæsarem: neque enim extingui vlla diuinitas potest: sed mortali adhuc corpore viuentem violando, meruisti vt tam infestum haberes Deum.* palpatio putida, sed non insipida: ad rem nostram,vera gnome: Herodes humanitatem Christi tentans violare, & reapse Iudæi illam postea violantes: sibi metipsis infausta, & infesta fuerunt omnia machinati.

1369. Veniamus ad alterius Herodis saltatricem. sæuit turpicula puella odij materni stimulis in Baptistam, & eius caput,lasciuæ saltationis exigit mercedem: sed pende quomodo exigat: *Da mihi hic in disco caput Ioannis Baptistæ*, Matth.14.n.8.in conuiuio erant, & ex regio abaco aureo & argenteo,vt solet,discum splendidum sacro ferendo capiti assumit: sed cur non potius in cuspidata lancea,quàm in lance gemmea? cur non in mucrone delicti,sed in delitiis ferculi, caput geritur? quia mortem, quæ parabatur ad ignominiam, ad Ioannis gloriam Deus reparabat. Chrysol. serm. 174. *Cur*,inquit, *in disco? cur pretiosi gestas,quem viliter occidis: nisi quia pretiosa Domino, mors Sanctorum eius? hoc ipsum quodnis, non agis quomodo ipsa vis, quia agit te superna ratio aliter, quam vis.* Putabat quidem infaustus Rex, truncato capito scelerum suorum elinguem reddere reprehensorem: at caput nunquam vocalius, nunquam eloquentius, quàm ab aureo illo suggestu prædicabat: quid enim sibi voluit condemnati hominis caput odiosum,pretiosissimo in ferculo adduci, quàm ab insulto rege, Oratori contra se suggestum, & Iudici tribunal excitari? pergat Chrysologus: *In illo tunc ferali antro, non aulæ Regis, rabies tunc fera passum* *suum credidit,cùm caput Martyris vidit: potum suum sensit,cùm liquorem sacri sanguinis sitiens aspexit: ferculum crudelitatis sua toto ore, totis faucibus contendit, & conatur absorbere: sed Ioannes venit in sublimi positus,vt lucerna super candelabrum tenebras vt fugaret, dicente Domino,ille erat lucerna ardens, & lucens: venit Ioannes vt Iudex in tribunali resplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret & damnaret homicidam; & qui piè viuens incestum vocarat ad pœnitentiam,reseruarat ad veniam: homicidium etiam damnaret occisus.* Itaque in feretulo vnde satietatem sperabat, inuenit dānationem:tot sacrum iudicium testibus obsignantibus,quot miser sibi conuiuas asciuerat.

1370. Maioris adhuc fuit stultitiæ prototypum Nabuchodonosor. somniat homunculus se Deum, iubetque coli: iuuat autem rei illustrius peragendæ,conuocatu *Satrapas, Magistratus, & Iudices, Duces,& tyrannos,& præfectos,omnesque Principes regionum*, Dan.3. num.2. quibus deinde vt diuinitatis præsumptæ venerabilior horror incuteretur, exemplum proponit vindictæ, dum iuuenes pissimos, sacrilegum renuentes scelus, ignibus addicit: sed irridentur flammæ, ignis detriumphatur. Ecquid ergo fuit aliud appellare tot dynastas, quàm victam diuinitatem suam,tot testibus omni exceptione maioribus comprobare? quid fuit aliud, quàm supremi Dei gloriam, cuius obnubilare conabatur splendorem, illustriorem reddere, & venerabiliorem? bene D.Chrysost.homil.4. ad Pop.Antioch.*Considera*,inquit, *victoria coronam per contraria textam,factos trophæa testes, ipsos ministros, &c.inimicus spectatores cogit, & ipse spectaculum conuocat,ipse stadia ponit,& theatrum non vulgarium hominum, sed omnium honoratiorum, & omnium magistratuum, vt & testimonium apud multos fide dignum fiat. Venerant ad aliud vocati spectaculum,& alia conspicati omnes abierunt: venerant statuam adoraturi,& statuam omnes deserunt.* Sic hilaris Nabuchodonosori comœdia, vertitur in tragœdiam, & promissa honoris spectacula, infamiæ admissæ specula redduntur:cogit ipse ad sui gloriam spectatores, quibus cum alienam cogitur proferre: sic semper prauæ technæ recurrunt in auctorem, & parato discrimini incurrunt.

1371. Est ergo hoc illud Prou. *pro iusto datur impius, & pro rectis,iniquus*,cap.21. num.18. Sixtiana vertit: *circumpurgatio autem iusti, iniquus.* magis emphaticè Aquila & Symmachus ἐξίλασμα,id est, *propitiatio*. vt dum magis putat peccator iustum opprimere,eo magis illum extollat: sicque idem,hunc affligere, quàm Deum ipsi reddere propitium. Claudat materiam Origen. tom.3. homil.22.de humil. *Laqueus,inquit,quem diabolus Domino struxit, ipse captus est:in eo crucifixus est,quem se crucifixurum: & mortuus in eo, quem se morte extincturum putabat. Si verò princeps iste mundi,primus,maximus, & inuisibilis mundana sapientia Sophista, fuit ipsius commentis capitur, & in extremam reuoluitur insipientiam: multo magis ipsius discipuli & æmulatores, etiamsi innumera commententur,vbi se sapientes esse dicunt, stulti facti sunt.* Vt iam desperet homo de technarum suarum miseria non potianda, cùm ipse suismet technis longè sapientior Dæmon succubuerit.

§. V.

Nobilis humana conditio, per culpam brutescit degener.

1372. *In bestias peccatores transformari.* POstulat locus iste, quo insignes illi peccatores, leones & pardi appellantur, vt fusius illustremus,

ſtremus, homines per culpam in beſtias transformari, & generoſam rationis conditionem bruteſcere degenerem. Sunt pulchra verba Gregor. Nyſſ. *tract. de quinque beatitud.* vbi cauſam ſcribens, cur homo cœleſtia bona obliuiſcatur, ſic concludit. *Superbit, & ferocit equus, taurus puluerem ſpargit, ſus erigit ſetas, catuli ludunt, vituli ſaltant, atque vnumquodque animal videre licet per certa quadam ſigna voluptatem indicare: quaſi rationis oblectamenti aliquo modo experimentum haberent, ſtupidam & ærumnoſam ſuam vitam cum voluptate non tranſigerent: ita ſe res habet in hominibus, qui nullam rationem habent illorum bonorum, quibus natura noſtra priuata eſt: ab his per voluptatem præſens vita tranſigitur.* quæ vita quidem miſera, acerbiſſimi potiùs doloris loco haberetur, ni homines ſtoliditate mentis; rationis ſtupore in bruta ſtolidiſſima degenerarent, ne rationalis oblectamenti perciperet experimentum.

1373. Decreuit ſuprema Trinitatis curia hominis remedium, & mille inter modos, quibus id peragi poterat, is eligitur qui dulcior, qui vtilior. ipſe Deus in carne deſtinatur: Concilium iterum, iterum conſultatio, vtra perſonarum hominem indutura. Patrem ſperares venturum, vt cui attribuitur creatio, redemptio annecteretur: ſin minus Spiritum ſanctum, iam iam futurum hominem ſuſpicareris: cui enim melius ingens amoris opus, quàm Amori æterno deſtinares? & tamen audis, *Verbum caro factum eſt*, Ioan. 1. n. 14. cuius rei bellam rationem affert Iobius Monachus apud Phot. cod. 222. *Quando quidem filius, Verbum eſt, & homo Verbi atque imaginis Dei honore olim cohoneſtatus, à fœliciſſimo excidens ſtatu, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: ideo nimirum verbum & imago, ad eos, qui in irrationabilitatem lapſi erant, acceſſit: ruinam noſtram reparans, & nos in priſtinam libertatem poſtliminij iure reuocans.* q. d. brutorum cum moribus, brutam etiam quodammodo faciem anima induerat, Dei, ad quam creata fuerat, imagine deletâ: accedat ergo potius filius, qui inter cæteras perſonas, quia verbum eſt, eſſentialiter eſt etiam imago: & euertens brutam effigiem, illam primam refingat iterum, quaſi obſcuratæ iam ceræ, denuo ſigillum reimprimatur.

1374. Sed quàm emphaticè Ioannes Verbum non hominem dixit factum, ſed carnem: *Verbum caro factum eſt*, cùm tamen natura humana ex carne conſtet, & anima: quia ſic iam natura bruteſcebat, vt nihil ſpiritualis animæ, ſed totum carnalis conditionis ſortiri videretur: non quòd indiuidua illa natura, quam Verbum aſſumpſerat (quæ omni perfectione erat cumulatiſſima) talis foret: ſed quòd natura in genere, quæ per Incarnationem reformabatur, degeter ita degener. nunc capies acumen Iobij citati: *Verbum*, addit, *caro factum eſt: id eſt, naturam noſtram in irrationabilitatem prolapſam, & nihil iam intelligentiæ habentem, ſed totam carnis illecebris addictam, aſſumpſit.* Reformatur ergo tota natura in Chriſto, exuit beſtiale ingenium & figuram, cùm potentior Adam ſecundus gratiis cõmunicandis, quàm primus fuerat culpæ transfundendæ.

1375. Diſcumbit cum amicis Herodes, natalem infamis principis opiparo conuiuio celebraturis: ſaltat, vt paulo antè vidimus, laſciua puella: & quid aliud peteret meretriciis artibus educata, quàm caſtitatis iugulum in Ioanne amputandum? ſed cur mortem diuini præcurſoris eo temporis permiſit reſeruari? puto, vt oſtenderet conuiuas profanis voluptatibus indulgentes hilariter, non homines diſcumbere, ſed feras: quibus inter tot fercula humana membra etiam ſaperent in conuiuali diſco apportata: imò quibus præ humano ſanguine quem ſitiebant, vina deſiperent. præiuit Chryſol. ſerm. 174. *Serpens*, inquit, *tunc latebat in fœmina, quæ reptans greſſibus flexuoſis, lethale toto corpore virus effudit: vt diſcumbentium mentes furor, venenum corpora ſauciaret, homines verterentur in beſtias, nec vino iam tales, ſed ſanguine potarentur, nec pane rabidi, ſed carnibus veſcerentur humanis.* pulchrè: ipſa enim puella, vt poſtea dicam, beſtia erat, & ea beſtia quæ ſub humano vultu ſerpentem illum tartareum diſſimulabat: quæ deinde quaſi per contagium, alios etiam magis efferaret, & carniuoras beſtias ex ipſo appetitu patefaceret.

1376. Vnde capio obſcura verba Matthæi: cùm enim Herodes infamiam ſceleris pertimeſcens de puellæ petitione contriſtaretur, annuit nihilominus, & videtur ſubdi cauſa: *& contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſſit dari*, cap. 4. n. 9. quaſi eàdem vi à iuramento, & à conuiuis vrgeretur: qui quòd in feras iam degenerarent, implendo iuramento Regem cogebant, non tam vt ſtaret verbo, quàm vt ipſi cruento ferculo, potu humani ſanguinis ſatiarentur, ideo credo, non prius datum eſt caput puellæ, quàm ad menſam *allatum in diſco*, n. 11. quaſi guſtaturi priùs forent omnes, quod poſtea impiæ matri deferendum: huc viſus alluſiſſe Chryſologus, qui iam adductis ſic ſubdit: *tales vtique, tales reddidit, quibus adhuc fumante ſanguine caput intulit tunc Ioannis: vt illud Pſalmiſtæ*, Pſalm. 78. n. 2. *probaretur*: Dederunt carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ. beſtiis ſcilicet aulicis, qui meritò *beſtiæ terræ* appellantur, quia cœleſti, vt dixi, obliteratâ imagine, terrenam animæ imaginem obtrudebant.

1377. Inſtituturus Chriſtus Dominus diſcipulos, poſtquam præcingendos lumbos præcipit, lucernas accendendas, ſic ſubiungit: *& vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis*, Luc. 12. n. 36. Sed cur ſi tantos viros Angelis non comparat, amicis ſaltem, aut ad minus ſeruis voluit comparatos? an qui Dominum expectarent, poterant, niſi homines eſſe? homines quidem ſatis intelligebantur: verum tamen naturæ humanæ iam ſubintellectæ meminit expreſſiùs, vt Apoſtolos ab illis aliis, qui naturam deturpantes, ſe beſtiis aſſimilauerant diſcerneret. Iumenta in terram prona, & ventri obedientia natura finxit: ſic peccatores, quorum Deus venter eſt, diuini numinis imaginem ſibi delentes, beſtiarii Dei ſui effigiei conformantur. fruſtrà, proh dolor! Deus

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

qui ſic abiecta imagine confœdatur. maius eſt quod cogito: comparantur Apoſtoli hominibus laudi conciliandæ non vulgari. & vnde, inquis, quod naturæ eſt, & neceſſitatis, laudi tribuitur, & virtuti? quia non parum eſt eſſe, vocarique hominem, quando cæteri, etiam huius nobilitatem titulum perdiderunt. nunc plenè explicabis Chryſologi verba aliàs trita, ad hunc locum ſerm. 22. *Homines*, inquit, *ſunt, qui more debitæ ſeruitutis, indefeſſis excubiis aduentum ſui Domini præſtolantur: qui verò ſic ventri ſeruiunt, vt diuinam neſciant ſeruitutem, & de carnis voluptate ſolliciti, ſollicitudinem occurſus dominici perdiderunt, non homines vocandi ſunt, ſed iumenta.* quia iam ſic nobile vocabulum amiſerunt.

1378. Enarraturus Spiritus S. hiſtoriam Iobi, ſic incepit: *Vir erat in terra Hus nomine Iob: & erat vir ille*

ſimplex,

ſimplex, & rectus, cap. 1. num. 1. ne verò, quod multi volunt, *viri* vocabulo, aliquid ſolito generoſius explicatum putes, conſule Græca, & inuenies *ἄνθρωπος homo*, quæ vox nihil aliud, quàm meram humanæ naturæ ſignat conditionem. nunc ad rem. Solent hiſtorici capiandæ lectorum attentioni ſpecioſos initio titulos affectare, ſicut in ædificij frontiſpicio artifices pretioſius marmor collocare: cur ergo tot Iobi laudes, ab humili, vt ſonat, vocabulo ſumunt initium? reſpondet D. Chryſoſt. in cat. *Externi*, inquit, *Philoſophi cùm hominis explicant definitionem, aiunt: Homo animal eſt rationale, mortale. diuina autem Scriptura eum definit eſſe hominem, qui id quod Dei ſimilitudinem imitatur, custodiuit, & qui ex virtute cognoſcitur. qui verò diuinos typos ac notas confundit & corrumpit, hunc neque hominis quidem nomine dignatur: etenim ſi quis natura charactere inſignitus, ob flagitioſam electionem, eumdem typum iniuria afficit, à Propheta audit:* Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis. Vt ſic inter alios beſtiis configuratos, humani conſeruatio tituli (quod ſola virtute fit) ſummæ laudi tribuatur: hominiſque vocabulum gloriæ deputetur, quo peccatores omnino ſpoliantur.

1379. Totum diuino obſequio deſtinatum Noë, putares Angelum de celeritate obedientiæ, Cherub de rerum diuinarum ſcientiâ, & de charitate Seraph appellandum, & tamen Geneſ. 6. num. 9. *Hæ ſunt*, inquit, *generationes Noe: Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* & ne adhuc in voce viri emphaſim argueris, Græca habent *ἄνθρωπος δίκαιος, homo iuſtus.* de quo Chryſoſt. *homil.* 23. ad hunc locum: *Commune*, inquit, *nomen pro laude vſurpat. nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immerſi erant, amiſerunt eſſe homines.* & poſt multa in idem ſic concludit. *hic ſolus homo, cæteri autem non homines, ſed humanam gerentes formam, & ex hominibus in beſtias mutati, malitia voluntatis generoſitatem naturæ amiſerunt.* lege ſi vacat totam homiliam, vbi illuſtriſſima ad hanc cumulat nos aureum exempla. & plura Ambroſius *ſerm.* 10. *in Pſalm.* 118. quibus, quoniam eiuſdem generis, ſuperſedeo.

1380. Ex dictis conciliabis illud Pſalm. 77. num. 50. *Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, & non pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorum in morte concluſit.* vbi Vatablus ex Hebræo legit: *animæ illorum à morte non pepercit, ſed vitam eorum peſti deuouit.* quaſi iumenta morti concluſa, & peccatores peſti deuoti, pro vno & eodem haberentur: vt quos in vita non diſcerneres, in morte communicato nomine non ſeparares. & bene iumenta occiſa (vt id obiter notem) vita illorum dicitur, qui iumenta & reliquas terræ diuitias loco vitæ, imò ipsâ vitâ habent chariores: tamquam enim maior plaga poſt illorum mortem, horum peſtis exaggeratur, & ſic iram Dei vſque tunc quaſi per ſemitam anguſtè venientem, iam lata via plenìſſimam ſuſceperunt. Sed ad rem: bene *iumenta eorum* peccatorum vita appellatur, qui & beſtias ſpirant, & bruto halitu videntur animare.

1381. Et quid ni, ſi occidunt, vt poſſunt ſpiritum à Deo acceptum, vt beſtiali anima reſpirent? Iudæos in impietatem degenerantes *viperarum* progeniem Baptiſta appellauit, *Matth.* 3. *num.* 7. Sed cur potius viperæ de veneno, quàm de ſtoliditate iumenta, & tigres de ſæuitia dici poterant, ſicut alibi de verſutia prauâ vulpes appellantur? Audi Chryſolog. ſerm. 137. *Exemplo*, inquit, *corripit, comparatione notat, figurâ prodit: vt iam non mores ſolum, ſed ipſam naturam poſſit venenoſi germinis immutare, quia quos Deus fecerat homines, creauerat filios Abrahæ, malitia peperit, & conuertit in viperas, & quos conditos cæleſtis dulcedinis pietate infuderat, hos impietas amara fecit lethales vomitus, ſerpentium virus effundere.* & ſtatim magis ad rem: *Soboles*, inquit, *ingrata naturæ, cuius ortus eſt genitoris exitium, cuius vita eſt mors parentis.* Quemadmodum enim viperæ generatio patrem, matrem occidit partus: ſic Iudæi patrem dulciſſimum Chriſtum occiderunt, & Synagogam matrem confecerunt. Symbolum delinquentium omnium apertiſſimum, qui paternum Chriſti ſpiritum ab animo deturbant, & ex conatu ſaltem occidunt, & gratiam, in cuius gremio inſtar ſuauiſſimæ matris fouebantur, perditi deperdunt.

1382. Reſuſcitando certè huic ſpiritui (vt ibi deſinam, vbi incepi) Chriſtus Dominus inter bruta natus eſt, quaſi non tam in hominum, quàm in brutorum inquiſitionem veniſſe teſtaretur: ſic omnis humana natura bruteſcebat. intacta in re tritâ, verba Iobij Monachi citatè. *Virginea recèns clauſtra egreſſum verbum in præſepio fuit exceptum, brutorum menſa, bobus atque aſinis alimenta præbentes bobus quidem, quòd puri cùm ſint, veteris populi Iſrael ſymbolum præferant: aſinis verò, quòd ob impuritatem, gentium cœtum repræſentent. quos vtroſque iam opere, atque opinionibus in irrationabilitatem elapſos, verbum reuocauit.* Vt poſſimus putare illud Iſaiæ 1. num. 3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem non me cognouit.* eſſe etiam blandas quaſdam Chriſti voces emiſſas peccatoribus, vt confundantur quòd per pœnitentiam minimè reuertuntur ad hominis imaginem: qua & gentes olim, & multi Iudæorum Chriſtum ſequentes, imò, vt loquitur Paulus, Chriſtum induentes, brutam illam & ſtolidam naturam feliciter exuerunt.

§. VI.

Id per ſingulas vitiorum claſſes oſtendo.

1383. SEd iam quod in peccato abſolutè ſpectato declarauimus, melioris methodi ergò, per ſingulas eius claſſes, ſiue ſpecies diſcurrendo videamus: idque in ſuperbia vitiorum primâ, priùs.

Superbia.

Superborum ambitio, in eo maximè à iuſtâ dignorum aſſumptione condiſtinguitur, quòd ſuperbientes, indigni, & minimè vocati, nedum electi ſpoliandis honoribus obtruduntur: aſt digni humiles, congrua electione vocati deſignantur. quid ni? illi brutorum feritate, & ambitionis œſtro concitj impetuosè feruntur, hi prænio iudicio admittuntur. Hinc ergo eſt vt ſuperbiens Hebræorum gens, quæ Chriſti Domini humilitati inſultans, diuini populi cognomen affectat adhuc, *ſynagoga* dicatur, quæ vox Græca ἀπὸ τοῦ συνάγειν, id eſt, à *conducendo, & congregando*: Chriſtiana verò reſpublica, quæ de crucis exultat humilitate, dicatur *Eccleſia*, ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, à *vocando*. quia vocari hominibus conuenit: congregari verò, & conduci, etiam beſtiis, vt qui nimirum ſuperbientes de veteri gloria, indebitum ſibi titulum dilecti populi vſurpant, cum moribus, nomen etiam commune beſtiis ſortiantur ex ſeq. num. magis iſta clarebunt. De illis ergo dictum intelligo illud Dauidis: *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, Pſalm. 33. num. 11.

qui

qui enim olim diuino fauore diuites, iam egent, & qui Dominum Christum quærimus, abundamus: ſed paude quomodo ex Hebræo vertat Vatabl. *lenaculi penuriâ, & fame laborant.* quaſi propterea in leoninos, & beſtiales mores degenerarent.

1384. Querebatur anxiè ſapiens, & cauſſam doloris ſic expreſſit: *penè fui in omni malo, in medio Eccleſiæ, & ſynagogæ*, Prouerb. 5. num. 14. Ecquod inquis tam graude hoc malum? quale eſt damnum ſi in Eccleſia, & Synagoga conſtitiſſet? iam dicam, ſi audis priùs ibi Bedam: *Dei, inquit, populus vtroque nomine vocabatur: nunc autem cum gratia diſtinctioau, ille ſynagoga, noſter Eccleſia dicitur, meritò quidem fidei & ſcientia maioris; quia & irrationabilis creatura poteſt congregari*, &c. *rationabilis autem ſolum, & ſenſibilis poteſt vocari.* Non poterat ergo, addam ego, non eſſe ſummo dolori, in eâ tep. eſſe, quæ partiter & Eccleſia erat, & Synagoga: vnde neceſſariò aliqui illius clauo aſſiſterent, non vt homines vocati de virtute, ſed vt beſtiæ de ſuperbiâ congregati. Quid tu enim niſi beſtias dixeris, qui dotibus ſpoliati, ſuperbientes tamen reip. adhuc aſſiſtere præſumunt, & ſapientioribus præeſſe?

1385. Facit huc belliſſimè myſteriis magis, quàm pomis grauida arbor illa Danielis. Dubitaui aliquando, quidnam boni haberet regnum Nabuchodonoſoris in arbore figuratum, vt dum ad eius pœnam properat Deus, non vltimum impendat ſupplicium, ſed ſpem noui vitoris illi relinquat: vnde ait Angelis percuſſoribus, *germen radicum eius in terra ſinite*, cap. 4. num. 12. & inueni inter tot mala aliquid in regno illo iuſtum & commendandum: aliquid in myſtica arbore probabile, ſcilicet: *Subter eam habitabant animalia & beſtia, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli*, num. 9. vt ſcilicet noſceremus boni regis & gubernatoris fauore, iuſtos & quorum mens ad cœlos volat, in brachiis, ſiue ramis, in honorum thronis fouendos eſſe: carnales verò inſtar beſtiarum degentes, & aliunde ſuperbè ambitioſos, ad honorem minimè ſubleuandos, quibus viliora terræ paſcere ſatis eſt: neque enim poſſunt beſtiæ non putari, qui prætee dignitatem, ſuperbè de conſequendis honoribus præſumunt. Grauiſſimè venerabilis Richardus hîc apud Tilman. *Quid, inquit, quaſi, hoc genus monſtri eſt quòd noſtri temporis arbores, vrſos & leones portant in ramis: volucres verò cæli, & quaſis animalia pennata, contra conditionis iura premunt ſub ramis?* &c. *conuerſentur volucres cæli in ramis, locumque teneant in ſummis, quos penna ſubleuat ſanctitatis: beſtia in imis reſideant, & qui pronos vultus habent per appetitum carnis, diſtrictionem ſentiant præſeueritatis, & iuſta humiliatione ait.* Si fortè humiliatio, inducat illis humilitatem, qua exuentes ſuperbiam, & beſtiales appetitus reſipiſcant.

Auaritia.

1386. Ad auaritiam gradum faciamus. Pertæſi Moyſis moras Hebræi in deſerto, cum Aarone Deum poſtulantes expoſtulant: formatur aurum in vitulum, & populus proſternitur in venerationem, exclamans: *hi ſunt Dy tui Iſraël*, Exodi 32. num. 4. mihi non mirum auarum gentem, quæ aurum infectum colebat, factum etiam in idolum coluiſſe, opes enim ſemper ſuas adorat auarus: ſed cur non pulchrum hominis, ſed bruium vituli idolum præoccupatur? quid eſt in beſtiæ, quod magis in hominis idolo non attraheret ſimilitudo: neque enim poterant non adorare beſtiam, quos auri cupiditas, in beſtias iam mutarat. Chryſol. ſerm. 29. *Intuere, inquit, quid auro grauius, quod cùm mores hominum perdit, perdit & naturam. Aurum Iudaicum populum ſic ſuo captiuauit aſpectu, vicu illecebris, ſpecie perdecepit, vt hoc eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis creditum denegarent: ſic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput ſuum crederent, & omnium rerum capiti, caput pecudis ante ferrent.* quem enim deuotius, quàm pecudem in auro colerent, qui pecudes cognatum Deum videbantur oſtentare?

Auaritia homines in beſtias conuertit.

1387. Recuſabat pergere Balaam, aut ſaltem ſimulabat nolle legatos Balaac Regis ſociare: ad quem tamen Deus, *ſurge & vade cum eis*, Numer. 22. n. 20. itane? tantum ſceleris homini permittitur? tantum toleratur nefas? toleratur quidem, vt intolerabilis eius auaritia, quâ cæcus & præceps populum Dei maledicere cupiebat, per ſtolidam aſinam tamquam ſtolidior taxaretur. D. Auguſt. tom. 4. lib. 4. quæſt. 84. *Domiano, inquit, videns eius cupiditatem captam deuictamque muneribus, permiſit eum ire, vt per iumentum quo vehebatur, eius auaritiam coerceret. hoc ipſe conſuadens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angelum factam tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur: quamuis eamdem cupiditatem timore ſupprimeret.* nimirum per auaritiam dementatus, in iumenti ſtoliditatem declinarat, putans occultandam ſub pectore cupiditatem, quam foris diſſimulator ſupprimebat, & ſic iumenti ipſius mutua confabulatione coërcetur, & ſtolidi mores ſtolidæ aſinæ vtuntur miniſterio.

Luxuria.

1388. Nec minus in luxuriâ res apparet. liberato dæmoniaco, qui diu malè fuerat diuexatus, orant dæmones, vt in porcos abire permittantur, & certè exorant, *& conceſſit eis ſtatim Ieſus*, Marc. 5. num. 13. de quo D. Auguſt. tom. 6. tract. 6. in epiſtol. Ioannis. *Petierunt, inquit, damones à Domino, cùm ees excluderet ab homine, vt ire permitterentur in porcos: aenne his poſſet dicere Dominus, vt ne illuc accederent, aon enim ſi nollet, rebellaturi erant contra Regem cœli & terræ? certè tamen myſterij gratiâ, & certa diſpenſatione dimiſit Damones ire in porcos: vt oſtenderet diabolum ia eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* quis autem neſciat ex vtraque paginâ, in porcis, luxurioſos ſubintelligi? volant ergo immiſſi dæmones, ad porcos: quaſi luxurioſos homines ita ſimiles, imò eoſdem cum porcis exiſtimarent: vt pro vno eodemque haberent, aut in luxurioſo corde, aut in porcino ventre habitare, ideoque Chriſtus, in myſterium, conceſſit id rogantibus. Sed quia de luxuria brutefcente vbique plenas paginas incurris, tendo ad alia: ſolummodo nota plagas quæ à Patribus, peccatis accommodantur, habere etiam illud: *Percuſſit Dominus*, &c. *omne primogenitum iumentorum*, Exodi 12. num. 29. de quo ibi Stephan. Cantuar. apud Tilman. *Per primogenita, inquit, iumentorum luxuria deſignatur.* quaſi ſtoliditatis extremum ob turpiſſimam voluptatem, rationem cum iumenti inſcitiâ commutare; & licèt reliqua vitia ad ſtoliditatem trahant: in hoc tamen, ius primogenituræ infame conſtituitur, vt maiora ſtoliditatis hærediter incrementa.

In beſtias homines reducit luxuria, quia ipſa primogenita iumentorum.

Ira.

1389. Innatus etiam iræ hic affectus. Patrum conuiuium

niuium exhilaratura, triclinium ingreditur turpis illa ſaltatrix Herodiæ filia, de qua ſuprà dicebamus. quis crederet laſciuam orcheſtram, in crudelem arenam commutandam? quis conuiuas venereo ſaltationis ludo applaudentes, interim dirarum ferarum diſcurſus ſpectatores reddendos? & tamen ita fit, *in arenam*, inquit Chryſol. ſerm. 127. *vertitur domus, menſa migrat in caueam: fiunt de pranſoribus ſpectatores: furore mutatur conuiuium: fit cibus cædes: vinum tranſit in ſanguinem: finis apponitur natali: in ortu exhibetur occaſus: conuiuium in homicidium commutatur: organa tragœdiam perſonant ſæcularem.* Egregiè: quia, vt habet Matth. cap. 14. n. 11. *allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ.* ad eamdem ſcilicet menſam, vt dixi, in eodem diſco, quo cibi inferri conſueuerant: ſic luxuriantis Regis natalem, diuini præcurſoris obitus obſcurauit, ſic mors Baptiſtæ inſtar orientis Solis glorioſa, Herodis ortum inſtar tenebricoſi occaſus denigratum infamauit. Aſt, vnde, quæſo, tam noua rerum commutatio, perturbatio tam noua? ſcilicet excandeſcens irâ puella in Ioannem materni inceſtus reprehenſorem, beſtiæ hauſerat immanitatem: vnde non mirum ſi feræ humana membra obiiciantur, non mirum ſi qui concurrerant, non tam ſaltantem fœminam, quàm feram cernerent inſultantem, nec ſolùm laſciuæ libidinis, quàm crudelis feritatis ignes iaculatricem. Idem Chryſol. *Intrat*, ait, *beſtia, non puella: quærit amputare, non ſaltare. diſcurrit fera, non fœmina: ſpargit iubas per ceruicem, non capillos: membra dilatat anfractibus, ſæuitia creſcit augmentis, fit grandis crudelitate, non corpore: & ſingularis fera vſque dum capiat prædam. fremit ore, dentibus frendet: ferrum non ſuſcipit, ſed producit.* emphatica ſatis vltima clauſula: reliquæ enim feræ vt plurimum in arenâ ferrum ſuſcipiebant: hac enim formulâ *ferrum ſuſcipe*, etiam gladiatores vulnera & mortem ſubire iubebantur. vnde obiter capies Ambroſ. *lib. de virginib.* 1. qui de Martyre & virgine Agnete: *fuit ne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit ex quo ferrum vinceret.* quia in cœleſti certamine, diuinæ inſtar gladiatricis ferrum recipere iubebatur. ad rem: hæc infamis ſaltatrix, famoſa fera, ferrum non ſuſcipit de more, ſed producit: eôque ſolùm in medio feritatis aliquid rationis conſeruabat, vt ferrum ad occidendum eum porrigeret, quem ſi poſſit, mauellet dentibus laniare.

Transferunt homines in feras.

1390. Ideo Ieremias ſub planctu euerſæ vrbis, vrbis & orbis Dominum deplorans crucifixum: *plauſerunt*, inquit, *ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum*, Thren. 2. n. 16. Sed cur ſibilant magis, quàm blaſphemant? aut cur inter tot blaſphemias, tam ſibilorum querebunda mentio? neque enim, quorum ira, quorum furor erat ſecundùm ſimilitudinem ſerpentum *Pſalm. 57. n. 5.* & qui propterea ſerpentes dici erant, verba videbantur, ſed ſibilos iaculari. D. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 15. *Vulgus populi*, inquit, *cùm inſultat alicui, ſibilare conſueuit: ſimul, quia vocem non habebant qui verbum negabant: ſicut irrationabilia animalia ſibilabant.* Sicut aſpides ſurdæ aures obturarunt, ne verbum Dei, ne Chriſtum diuinum incantatorem reciperent: ſi ergo loqui non diſcunt, quomodo innatos ſerpentinæ iræ ſibilos dediſcant?

1391. Eodem ſpiritu iterum Dauid *Pſalm. 67. n. 31.* deprecans hoſtilem iram apud Deum. *increpa*, inquit, *feras arundinis.* Vatabl. legit: *increpa cœtum haſtatorum.* qui enim ex inſidiis furore perciti, haſtis obarmati occidendum Prophetam expectabant, *feræ* deliteſcentes in arundineto appellantur: non enim ſæuiores iſtæ in hominem irruerent, quàm homines in feras commutati deſæuirent. Apto huc verba Niſſeni lib. de Beatitud. *Quemadmodum*, inquit, *fabula per medicamentorum quamdam potionem, in brutorum animalium ſpecies naturam commutari fingunt: ita virum repentè videre licèt aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliam quampiam ſimilium ferarum ab irâ factum eſſe.* neque mirum: nullum enim ita potens veneficium figuræ immutandæ, quàm rabies furoris reperitur. pocula quippe venenata corpus exagitant, iræ ſtimulis anima etiam ipſa exagitatur: vnde & vultu indice beſtiales motus exprimit, & ferinam ſæuitiem ad viuum manifeſtat. hanc deſcribit ibidem graphicè idem S. Doctor. *Oculi*, inquit, *ſanguine ſuffuſi ſunt, capillus erectus ſurgit & inhorreſcit, vox aſpera ac verbis incitata, lingua perturbatione torpens, & non ſubſeruiens motibus inteſtinis: labia conſtricta, & non articulatè verba exprimentia, neque cohibentia in ore præ perturbatione innatum humorem, ſed indecorè ſpumam ſimul cum voce expuentia.* quaſi nulla ferarum diriùs vnquam in arena deſæuiat: nulla aut ſibilis commota, aut ſtimulata lanceis crudeliùs debacchetur.

Gula.

1392. De gula poſt Adami miſeriam, quis addubitet? peccat guloſæ fœminæ inſtinctu vir vxorius: & ſtatim vterque exutâ innocentiâ induunt brutalitatem, animalibus, quibus paulo antè imperabant, fortè obtemperantes. properat tunc Deus, improperat culpam, pœnam irrogat, & addit textus: *fecit quoque Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas*, Geneſ. 3. n. 21. Sed cur aſpera ficus folia, quæ ſumpſerant, non ſufficiunt? cur noua veſtis, & pellita illa impensè adaptatur? vt qui intus per gulam beſtialem conditionem induerant, foris beſtiarum habitu, id eſt, pellibus vterentur: & qui gratiæ veſtem in nuditate fuerant ſortiti, rationis nuditatem in pellium veſtitu propalarent. Germanus Conſtantinop. *orat. 2. de Cruce*, loquitur ex Adami ore. *Itaque ego comparatus ſum iumentis inſipientibus, qui in Angelica gloria degebam: deflexâ & inclinatâ ad ventrem, & ad ea, quæ ſub ventre ſunt, conſilij & voluntatis propenſione, & propoſito: teſtes inſipientiæ ſunt pelles ouium* iuſta pœna hypocriſi exterminandæ, & meritò diuinâ ſententiâ ſtabilitur, vt qui cordi inhærebat ſtupor manifeſtetur.

Gula in beſtias homines transformat.

1393. Capiat Eſau laqueo, & arcu feras, & venando defatigatus cibo capitur: nonne ſtolidior? primogenita in eſcas oppignerat, imò vendit Geneſ. 25. n. 33. *iurauit ei Eſau, & vendit primogenita.* ne infamis contractus tanto adſtrictus vinculo ſolueretur. Meritò ergo ſtulti nomine ab ortu inſignitus, id enim Eſau ſonat: meritò piloſus homo, id eſt, inſtar Adami iam pellitus, qui beſtiarum inter venandum aſſiduitate, in beſtiam commutatus, etiam illarum pilos imitatur, vt illi repræſentando, Iacob pellibus beſtialibus indigeret: meritò beſtia qui ſic eſcis ſtudet, vt ſtudia iam amittat nobilitatis. Allucet aliquid Ambroſ. ad rem aliam lib. de Cain cap. 4. *Scriptura*, inquit, *docet, Eſau cognomine ſtultitia virum, ceſſiſſe patienter primatus ſuos fratri ſuo Iacob, ita vt diceret: Vt quid mihi primatus?* beſtia erat cibo ineſcata, cui ſolum id rationis ſupererat, quo aduerteret, nihil ſibi cum iure hominum, nihil cum humanis primatibus eſſe commune.

Inuidia.

Inuidia.

1394. *In bestias homines commutat.*

Ad inuidiam propero, imò contra inuidiam. Inuidet Cain Abeli fratri, cuius mortem, leuaturus, vt putat, dolorem suum meditatur. *Egrediamur*, inquit, *foras: cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum*, Genes. 4. num. 8. expressius Græca: ἐξέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, *egrediamur in campum.* Sed quorsum in campum ducit, qui posset in tabernaculo, noctu & clanculum facile suffocari? respondet multis D. Ambros. *lib. de Cain:* lege. Ego addiderim instar feræ, cui solitudo campestris, lanienæ arena esse solet: simile feritati suæ theatrum, inuidum istum fratrem quæsiisse, qui de inuidia in feram iam iam sæuissimam degenerarat. quid? ipse Dæmon inuidiæ suæ iacula emissurus, serpentem induit, vt sicut de superbiâ ab Angelo in Dæmonem transierat, sic suo modo de inuidia à dæmone in bestiam infernam declinaret. Sed aliunde inuidos bestiali comparatione illustrat D. Zeno serm. de Inuid. *Nullum*, inquit, *virtutis opus apud illos habetur in laude: non sermo vllus honestus eis videtur gratus: nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: sed sicut vultures iucunda quaque & amœna loca transeunt, & suauissimis odoribus respirantia transuolant, ad fœtida verò quæque cadauera, & loca tetris repleta odoribus conuolant; & sicut musca omisso sano corpore si tubi vulnus est, concisa præcipitesque conueniunt: ita & inuidi.* nimirum carniuori vultures, muscæ sordidæ.

1395. *Societatis nostræ splendorem & ornamentum, quod Ecclesiæ filijs nutrix adaptetur.*

Iosepho fratres inuident, vendunt puerum, patrem fallunt: vbi nemo ignorat quæ Chrysostomus cum aliis scribat ad illud Genes. 37. *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* de inuidia, quæ pessima & venenata fera puerum conficere præsumpserat. Sed tamen altiora mysteria loquebatur etiam Iacob. Inuidia fera pessima Iosephum verum, Iesum scilicet nostrum confecit. vnde Gloss. Interlin. *bestia deuorauit, id est, bestialis populus.* qui prorsus inuidia excœcatus, humanitatem exuens induerat feritatem. quid ni? mittitur illis Christus agnus, & qui tollendis peccatis venerat, fit illis de eorumdem culpâ, noui sceleris occasio. scilicet lupi erant de inuidia, quidni agnum mitissimum lacerarent? & fortasse ideo nunc amisso regno, amisso Sacerdotio, Deo amisso, adhuc peruicaces in comedendis agnis paschalibus perseuerant, vt in illam, quæ fuit vmbra Christi, adhuc videantur imaginem desæuire. D. Zeno de his serm. 15. de Pascha: *Sanè*, inquit, *hoc solum competenter gerunt innocentes quòd agnos passim quasi lupi rapaces occidunt.*

Acidia.

1396. Vltimò tandem pigros & inertes homines, vel ipso naturæ lumine bestiis comparauit antiquitas: vnde pulchrè Sallustius in prologo Catalin. *Omnes*, inquit, *homines, qui se student præstare cæteris animantibus, summâ ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* qui enim nihil laboriosum intentant, nihil sollicitant arduum, nihil gloriosum aggrediuntur, sed ignauo silentio delitescunt, horum quidem mors & vita iuxtà est: vnde nihil à brutis pronis distinguuntur. ideo Salomon: *egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium, diuitias parat.* Vatabl. vertit: *qui operatur fraudulenta manu, egenus est*, &c. quæ enim conuenientia fraudulenti ad pigrum, & remissæ manus, ad manum fraudulentam, cùm soleat qui fraudes & dolos exercet, velox & sollicitus procedere, nulloque minus vitio, quàm languida remissione laborare: nisi quia piger debito labore humanam naturam defraudat: inerti otio ignaua pecus dedita? vel ideo piger dicitur fraudulentus, quia aliud tegit, aliud manifestat, animus bestiali ignauiâ languescit, corpus humanis lineamentis exhibetur.

1397. Clariùs idem Salomon ibidem. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est*, cap. 12. num. 11. vbi iterum Vatabl. *qui autem perditos, id est, ignauos & otiosos sectatur, excors est.* cor quidem in vtraque pagina, mentem sonat: vnde *excordes*, rationis impotes vocamus: tunc aptissimè, quando homines casu aliquo in bestias videntur degenerare. Apud Horat. *lib. 1. epist. 2.* commendatur Vlysses, qui callidos circæa pocula euitauit? quorum haustu eius socij, in excordes bestias fuere commutati: ergo de Vlysse & poculis ita ibi Satyricus.

Quæ si cum socijs stultus cupidusque bibisset
Sub domina meretrice, fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, aut amica luto sus.

haud aliter piger *excors* est, qui velut hausto obliuiosi torporis poculo, vt amica luto sus è volutabro pœdoris, & bara immunditiæ non extollitur: porcorum enim gregi admixtus, excors porcus societatis contagio remansit, foris homo, intus bestia existimandus.

1398. Propterea pigros sapiens instituturus, ad honestumque laborem vocaturus, non ad cœlos irrequieto cursu circumductos, vt videbatur: non ad solem, vt poterat, indefatigata luce gyrantem, non ad terram perpetua vicissitudine ad germina laboratam, non denique ad mare continuis æstubus amoto otio fluctuans: sed ad vile, quâ tamen valet operosum animalculum deduxit: *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam*, Prouerb. 6. num. 6. quia scilicet aptè immanis bestia, id est, piger, à bestiola sagaciori videtur edocendus, & qui rationis impos hominum doctrinam non perciperet iudicio: instinctu saltem à consimilis bruti factis illustraretur. Aponius lib. 3. Cant. initio. *Ad magisterium*, inquit, *formica, ad vltimam notam docendus mittitur piger.* nulla enim nota vilior, nulla illi poterat probrosior inuri. de quo etiam videndus Chrysost. *homil. 1. de ascens. tom. 5.* cautè proinde D. Prosp. Aquitan. *lib. 2. de vita contempl.* post multa quibus probat bona communia religionis conseruanda: *Vt vno, sollicitudines omnium in sua societate viuentium, sustinente, omnes qui sub eo sunt, fructuosa vocatione potiantur spiritualiter, & quietè. ideo interposui istud aduerbium, quoniam qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum viuit.* Satis ista.

Pulchræ mammæ. VERS. 10.

§. I.

Quantum sit Societatis Iesu decus, & ornamentum, quod Ecclesiæ filijs nutrix adaptetur.

1399. MVltum refert in natura, quo lacte imbuatur infantia indoli componendæ: sed multo refert plus in genere gratiæ, moribus comparandis, quo doctrinæ lacte tenera adolescentia informetur. hinc ergo est quod in hoc Cantico ab

sponso Christo, toties Ecclesiæ mammas audias commendatas: illos videlicet, quorum doctrinâ teneilis suis fidelibus tamquam lac primum Ecclesia instillat. cùm autem tot sint in Societate nostra, quæ Iesu auspice in Ecclesiæ laudem cedere videantur: principem tamen, ni fallor, locum habet, Christianæ iuuentutis educatio. Pulchra habet vbera Ecclesia, optimam sibi filiorum suorum nutricem, instituta Societate delegauit: imò & Societas, nihil maius ab Ecclesia Matre poterat accipere, quàm quòd paruulos eius enutriret. Videamus ergo prius naturalis lactis vim indoli disponendæ, vt inde doctrinæ lactis efficaciam cognoscamus, quàm quæ inde Societas venerit commendanda.

1400. Enumeraturus Lucas Antiochenæ Ecclesiæ lumina viua, columina pulcherrima, sic scribit *erant Barnabas, & Simon, qui vocabatur, & Lucius Cyrinensis, & Manahem, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus*, Actor. 13. num. 1. Sed tanta ne, dicat aliquis, erat tituli huius dignitas, vt cùm de cæterorum taceatur conditione, solius Manahem cum Herode collactatio celebretur? imò etsi tanta erat de Regis conutrice excellentia, quorsum cùm de virtutibus agitur, temporalis obtruditur splendor? quia inde Manahem sanctitas altiùs splendebat, quasi rarior huius viri virtus inde nosceretur, quod malas cum lacte suctas inclinationes aboleret, vnde impius Herodes efferabatur: sic iustia lacti conditio indolem afficere. eleganter de hoc Philosophus Fauorinus apud A. Gellium Noct. Attic. lib. 12. cap. 1. *Non frustrà*, inquit, *increditum est, sicut valet ad fingendas animi atque corporis similitudines vis & natura seminis: non secus ad eamdem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere. neque in hominibus solùm, sed in pecudibus quoque animaduersum. nam si ouium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur: constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus, maior plerumque vis & potestas est ad earum indolem vel detractandam, vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quàm ipsius quod iacitur seminis: ac sæpe videas arborem lætam & nitentem, in locum alium transpositam, deterioris terræ succo deperisse.* Admirandus igitur vir ille, qui ab eodem lacte vnde Herodes suxit venenum, nihil potuit venenatum participare.

1401. Naio Isaac exclamat Sara: *Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei, iam seni?* Genes. 21. num. 7. Græca adhuc emphaticotera. τίς ἀναγγελεῖ τῷ Ἀβραὰμ, ὅτι θηλάζει παιδίον Σάῤῥα; verba sunt quodammodo optantis, & commendantia in hunc sensum: *Quis annuntiabit Abrahamo, quod lactat puerum Sara?* quasi dicat: Heus, pergat aliquis, & Domino suo id nuntiet, strenam absque dubio non paruam accepturus: æquè enim erit gratum Abrahamo & habuisse filium, & habere vxorem lactantem, quæ ipsa illi puerum nutriat. ac si imperfectum maneret Dei beneficium, si cum partu lac non præberet, vt puer maternam cum illo sugeret sanctitatem, neque degeneris nutricis moribus assuesceret: sic capio Ambros. *lib. 1. de Abraham cap.* 7. addentem post Græcam versionem quam attuli, hanc sententiam. *Locus moralis: prouocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos: hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se proprijs commendent viris.* perpende ly *meminisse dignitatis suæ.* cùm enim filiorum virtus, sit matrum dignitas & corona: videntur dignitatis suæ obliuisci, quæ bona vilioribus nutricibus exponunt, vnde mores sugant fœdiores. hoc iterum Phauorinus. *Quæ (malum) igitur ratio est nobilitatem istam nati modò hominis, corpusque & animum benignè ingenitis primordijs inchoatum: insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si ista quam ad præbendum lac tunc adhibetis, aut serua, aut seruilis, & vt plerumque solet, externa atque barbara nationis: si improba, si informis, si impudica, si temulenta est?* obliuiscitur ergo nobilitatis suæ, quæ filiorum dignitatem, infami permittit lacte deformari. maius addo.

1402. Habet non parum mysterij ad rem meam Hebraica huius loci prædicti versio: *Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filios?* vbi Lyranus ita scribit. *Ex hoc dicunt Hebræi, quod vicinæ mulieres dicebant, Isaac non esse filium Saræ, eo quòd diu vixisset cum marito absque prole, sed acceperat eum Sara occultè ab alia muliere, pro pretio, & finxerat se eum genuisse. & ad hanc opinionem tollendam, Abraham fecit conuiuium grande in die ablactationis pueri, vt statim subditur in littera, & vicinæ mulieres vocatæ ad conuiuium, apportauerunt pueros suos adhuc lactentes, & Sara lactauit eos, ad probandum quòd habuerat puerum.* vbi mihi pende, eo ipso quo alienos pueros lactauit Sara, maternum sibi titulum comparasse, illosque sibi filios dixisse: quasi cum lacte, aliquid ingenitæ nobilitatis suæ illis instillasset, quo titulari cognationi non degenerea deinde responderent.

1403. Capies hinc illud Heroinæ illius, quæ totica mater martyr, quoties in charis pignoribus cruciabatur: quæ robustior adhuc erga vltimum, sic illum admonet, & commouet: *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi*, 2. Machab. 7. num. 27. non delegauit nutricibus, quæ corrumperent lacte degenere, quos ediderat generosos. Sed cur se in filij vacillatione miseram formidat? cur non potiùs, miserere, inquit, tui, miserere fidei quam Deo vero debes, quàm, *miserere mei.* quasi ipsa in puero periclitaretur? quia in allactato à se puero, necessariò mores materni splenderent: ac proinde si ille de inconstantiâ impius notam subiret, eamdem minimè posse euitare ipsa videbatur: sic quæ nutriendo post partum, omnes matris partes impleuerat, non poterat in filio perdito honorem non minuere. Adhuc pulchra sunt verba Fauorini. *Quid est enim*, inquit, *hoc contra naturam imperfectum, & dimidiatum matris genus: peperisse, ac statim ab sese abiecisse? aluisse in vtero sanguine suo, nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte quod videat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem?* totam egerat matrem illustris fœmina, sic totum sibi constanti similem filium exigebat: qui si nutrici daretur, pessimos illi mores possat imputare. bene Auicenna lib. 1. fen. 3. de considerandis nutricis affectibus: *Omnes enim*, inquit, *isti corrumpunt complexionem, & permutant, & transeunt in infantem lactatum.* Proh detestanda frequens hodie conditio semimatrum.

1404. Inuita post tres lactationis menses, talem se gerere dolebat mater Moysis cùm illum sic exponit, vt dummodo saluetur, alienis vberibus admoueatur. Sed pugnauit pro matris pietate puer, imò & Deus: fertur enim nunquam potuisse cogi vt Ægyptia vbera sugeret: quòque magis Thermutis ancillæ lactare conabantur, eo lactêre puer enixius renuebat: id volunt significatum verbis illis sororculæ, ad Thermutem Pharaonis filiam: *Vis vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire*

possit

poſſit infantulum? reſpondit: Vade. perrexit puellam, & vocauit matrem ſuam, Exodi 2.n.7. vnde ſatis probabiliter infertur pupulum alienas mamillas detrectaſſe: ideo Niſſenus in vita Moyſis: *repertus*, inquit, *ac gratia quæ in eo apparebat, & ſpecie, à Regis filia dilectus in filium fuit adoptatus. Verùm naturâ quadam inſita mamillam omnino faſtidiens, conſilio propinquarum eiuſdem, à propria enutritur parente.* præcauente ſcilicet Deo, ne cum lacte mores biberet, & qui euertendis Ægyptiis deſtinabatur, ne de Ægyptio lacte Ægyptum redoleret. Paulo aliter; ſed etiam ad rem noſtram, idem Niſſenus id allegorizans: *id enim mihi*, inquit, *videtur hiſtoria ſignificare, cùm aſſerat matris propria lacte enutritum: oportere vel cùm exterioribus, in tenerioribus annis, dati ſumus, Eccleſiæ lacte nutriri: mores, conſuetudines, exquiſitamque viuendi normam, quibus altius animus aſcendit, perdiſcere ac obſeruare.* quaſi etiam Moyſes cum ipſo lacte mores ſugeret maternos: vt & nos cum primæ doctrinæ lacte, mores apud Eccleſiam matrem haurire aſſueſcimus.

1405. Hoc in auguſtiori matre ſignificatum voluit fœmina piiſſima exclamans ad Ieſum: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*, Luc. 11.n.27. ſic enim bene moratum dominum admirata, non potuit non admirari matrem integram, quaſi cum lacte mores communicaret. non eo quidem Chriſtus indigebat: fœmella tamen ex humanis principiis bellè fuit philoſophata: dedecebat ſanè tantum Infantem alio quàm Mariano vbere enutriri. Hugo Cardin. ibi. *Ex hoc*, inquit, *relinquitur, quia tantum vbera virginis, & non alterius mulieris ſuxit: quod figurauit Moyſes, qui lactari noluit ab Ægyptiaca muliere, vt dicunt. Quare autem hæc duo coniunxit, ſcilicet ventrem & vbera? Gloſſa reddit rationem: quia ex eodem fonte procedit ſemen ad gignendos pueros, & lac ad nutriendos, &c. ex eodem, id eſt, ex carne matris.* quia nimirum ſi puer Deus formandos aliunde mores poſſet capere, vt naturalem indolis complexionem, moralem etiam à Mariâ ebibiſſet. facit his hymnica Eccleſiæ cantilena: *ſola virgo lactat vbere de cœlo pleno.* vt idemmet Spiritus ſanctus, qui Marianam carnem Chriſto diſpoſuerat, lac etiam puriſſimum appararet. ſed de lacte Deiparæ agam plenè in opere quod Dominæ dico integrum.

1406. Ex dictis iam claret, quantum Eccleſiæ debeat Societas noſtra: dum enim illa, huius de inſtituendis pueris inſtitutum (tarum dicam: an magis, piè audax inuentum innatæ ſolertiæ?) approbauit: eo ipſo nutricem talem declarauit, quæ matris munere exactè functa ſic Eccleſiæ conformaretur, vt nihil in illa degener formandis filiorum moribus timeretur: ſitque idem ab Eccleſia Romana matre, quàm à Societate nutrice educari: vt iam nemo hîc timeat quod olim Phauorinus, qui addit: *Plerumque ſine diſcrimine, quæcumque id temporis lactans eſt, adhiberi ſolet. Patiemur ne igitur infantem hunc noſtrum pernicioſo contagio inficì, & ſpiritum ducere in animum atque corpus ſuum, ex corpore & animo deterrimo? id Hercle ipſum eſt, quod ſæpenumero miramur quoſdam pudicarum mulierum liberos, parentum ſuorum neque corporibus, neque animis ſimiles exiſtere.* Nemo, inquam, hoc timeat, neque enim temere & ſine diſcrimine debitoque examine Nutricis munus impoſitum Societati: cuius conſtitutiones legens ſummus Pontifex (vt in vita D. Ignatij legi poteſt) *Dei digitum appellauit.* Imò & Clemens Octauus, Societatem *Dextrum Eccleſiæ brachium* dicere non dubitauit. cuius viuæ vocis oraculum plures audierunt. vnde iam non timendum malè imbuatur infantia & iuuentus catholica, quæ à talibus Eccleſiæ vberibus educatur. Aptè Philon de filia Pharaonis ſic ſcribit. *Ferunt*, &c. *infantem vt alienum ſuæ matri commendaſſe, eamque libenter pollicitam ſuam operam in nutricando: tamquam mercedis gratia Deo prouidente, vt prima educatio contingeret infanti domi, apud hos ipſos à quibus educatus fuerat, &c. maturè ablactatus eſt mater eadem & nutrix, cùm reddidit ei à quâ acceperat eleganti ſanè præditum indole.* habentur *lib. 1. de vitâ Moyſis.* Societati ergo ſatis gratiarum pro immenſo hoc labore à Deo refertur, ſatis penditur mercedis, quòd illam tanti pendit, vt ipſi Romanæ Eccleſiæ filiolos (tamquam ſi germanæ matri porrigat) tradat nutriendos. Ambitioſa mater Moyſes, ſi quam aliam gratiam mercedis, pro nutriendo puero vellet, quàm nutrire, & nos ambitioſiores abominabitur Ignatius, ſi ſtipendium aliud pro mercede, quàm ipſam nutritionem captemus. nullius ambitioſa, nullius cupida honoris Societas, fœtus Eccleſiæ Chriſto alit: ſatis beata ipſo honore nutriendi.

Pintus in Cantica.

§. II.

Spiritualis nutricis mores, & amores.

1407. SEd quoniam ex doctrinæ lacte, Societas, Deo auſpice, hanc gloriam comparauit, qualis huic miniſterio lacteus fōs à Chriſto requiratur, & quo charitatis affectu paruulis propinandus, videamus: id eſt, Nutricis ſpiritualis mores & amores, optimè Societati conuenientes explicemus. Suſpiranti ſponſæ diuini oſculi vnionem, quietam profundæ contemplationis ſerenitatem, *Cant.* 1. *n.* 2. ſic ibidem reſpondent ſodales: *quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Abrupta planè verba, & quæ querenti affectuoſiſſimè ſponſæ Chriſti moras, vix frenandi deſiderij, & reprimendi voti cauſam exprimunt: an ideo ceſſabit à petendis oſculis, quia pulchris vberibus adornatur? imò ideo, tamquam dotibus excellentior, illis inhiabit: quid ergo his verbis ſibi volunt ſodales, dum querulam ſponſam aut ſolantur, aut reprehendunt? Audi Bernardum ibi *ſerm.* 9. vbi ita: *Demus ſodalibus iſta depromere, iniuſtè inquiunt, murmuras aduerſus ſponſum, quia id plus valet quod ille iam dedit, quàm quod tu petis: quod enim poſtulas, te quidem delectas: ſed vbera, quibus paruulos alis, quos & paris, meliora, hoc eſt, neceſſariora ſunt vino contemplationis: aliud ſiquidem eſt quod vnius lætificat cor hominis, & aliud quod lætificat multos.* ideo non ſemper contemplatur Societas, ſed quando oſcula Deo libranda ſuſpendit, ſeque impendit paruulis nutriendis: gratius aliquid, & magis neceſſarium rependit.

1408. Poteris etiam prædicta verba, ipſis paruulis æquè materno vberi, ac illa ſponſali oſculo, inhiantibus, attribuere. equidem non ingrata marito coniux ſollicita, ſi huius ſuſpendit amplexus, vt communibus pignoribus, lachrymulas (lactis pretium) fundentibus ſatisfaciat. æquè eleganter ibidem Bernardus ſic concludit. *Vt quid verba hæc non magis conuenire eis ipſis dicamus, quibus præeſt in ſollicitudine mater, aut nutrix? nec enim æquanimiter ferunt iuuenculæ, & tenera adhuc anima illam vacare quieti: cuius plenius erudiri doctrinâ, & exemplis informari deſiderant, an non denique eaſdem in ſubſequenti capite compeſcitur inquietando, vbi ſub graui conteſtatione prohibentur ſuſcitare dilectam, quouſque ipſa velit? hæ itaque neſcientes, oſculis inhiare ſponſam, ſecretum quærere*

sibi, fugitare publicum, declinare turbas, & cura ipsarum propriam praferre quietem: noli, inquiunt, noli, quia maior in vberibus, quàm in amplexibus fructus existit. Sic dulciores sponsæ nutricantis partes agit Societas, & vt paruulis morem gerat, dilatat amorem.

1409. Habet tamen maiorem emphasim ad hanc rem locus ille, quem innuit Bernard. est enim mira vox ista Christi ad filiolos importunos, lactisque auidos: *Adiuro vos filia Ierusalem per capreas, ceruosque camporum: ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit*, Cant. 2. num. 7. vbi meritò Ailredus apud Godefr. ad cap. 5. Cant. *Rogo*, inquit, *quando volet? quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu, vel pectore volet separari?* pulchrè: fruebatur suauissimo somno contemplationis: læuam habebat sub capite, vbi diuitiæ sunt, opesque superbæ, quasi nihil esset pretiosum, quod amorum ceruicali non sterneretur: habebat amplexantem dextram, ac si totius felicitatis cumulo obumbraretur: arctissimè interim coniuncta sponso, cui dum vnus spiritus adhæret, deificatur. Quomodo ergo sponte à tam cupitis laqueis auelleretur? respondet pulchriùs idem Ailredus: *Certè*, inquit, *quando charitas ipsa qua eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit.* Intus est affectus qui pungit, dum voluptas vngit: ipsa charitas pulsat, ipsa mutato exercitio imperabit curæ vigilias, quæ delicias somni imperauerat: cùm expedierit, relicta contemplatione, paruulis attendet. Ecquis enim credat non esse gratiorem sponso illam, quæ dum honesto fruitur amplexu, dissoluit illius vincula, laqueos explicat, vt gementis paruuli brachiolis implicetur?

1410. Eleganter D. Chrysostom. *homil. 1. in Psalm. 50.* de superba diuitis alicuius vxore, sic habet. *Cùm generauerit filium, statim eum tradit foris, erubescit fieri nutrix, qua facta est mater. Christus autem non ita, ipse nutritor est noster: ideo & pro cibo, propria nos carne pascit, & pro potu suum sanguinem nobis propinauit.* Quis ergo addubitet, similem exigat in suis conditionem, qui talem exhibet? meritò proinde Gilibertus *serm. 31.* ad hunc versiculum, quem explicamus: *Quàm pulchra sunt mamma tua.* sic scribit. *Quis non auidè, & cum bona spe ad vbera currat, qua sic sponsus laudare curauit? hac vbera sunt, quorum Petrus nos quasi modò genitos infantes lac concupiscere hortatur. & commendatio prasens, nonne vim quamdam inuitationis videtur obtinere? quàm pulchra sunt, inquit, mamma tua.* vt dum affectus ostenditur in laudante sponso, & sitis in paruulis inuitatis accenditur: iam haud inuita sponsa ad lactis fontes soluendos adducatur: eo moribus comprior, si prætermissis quandoque delitiis sponsi, paruulorum amoribus indulgeat.

1411. Equidem hoc erat quod in præsenti capite laudatis oculis & crinibus sponsæ, quibus inter contemplationis delitias & vulneratur sponsus Christus, & ligatur: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, n. 9. repentè omnibus aliis vultus venustatibus prætermissis, *num.* statim 10. mammæ, vt vides commendentur: de quo aptè idem citatus Gilibertus ita. *Cur post oculum & crinem statim ad mammas sermonem deflectis?* &c. *mihi quidem in capitulo superiori mentis quidam & cogitationum excessus ad Deum videtur innui; sobrietas verò, & temperantia ad paruulos, in isto: ibi vnum necessarium est, hic sollicitudo, & sermo doctrina partiendus in plura: ibi intemperantia feruidi amoris collecta in vnum & constricta & penetrans ipsum dilecti pectus sauciat, hic temperata doctrina & sermo sobrius lacteo quodam potu paruulos satiat.* ac si ideo ad sanciandum Deum euehatur, vt inde deuehatur ad paruulos satiandos. *Sponsa*, addit ille, *planè est qua nouit huiusmodi variare vices, ideo in laude ipsius post contemplationis excessum, de consolationis, & doctrina vberibus sermo statim contexitur.* quia semimater foret, & indigna sponsa, nisi sponsi amplexus intersisteret, vt paruulorum curaret nutrimentum. attende nunc dicendis.

§. III.

Societas Iesu fausta gratia Multimamia, paruulis quàm feliciter proficiat.

1412. ALtiùs quidem tendit cultissimus scriptor Gilibertus eodem sermone, dum hanc mammarum partitionem, & crinium oculorum examinat vnitatem. *Vulnerasti*, inquit Christus, *cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui: quam pulchra sunt mamma tua.* Vterque oculus ad vnum redigitur contemplando, & cogitantis capillamenti diuersitas, mutuo adunatur: mammæ verò dicuntur numero vago, vt quodammodo liceat multas existimare. & cur ita? nimirum naturæ Deam, nomine proprio MVLTIMAMIAM prisca coluit ætas, vt rerum omnium nutricem, nunc hác, nunc illa alentem declararent: huius veterem statuam nuper Romæ repertam, expressere pictores: inde mihi allatam imaginem non inuidens tibi exhibeo lector: talis erat.



huius notitiam fusiorem, passim apud auctores poteris inuenire. Sic Multimamiam gratiæ Ecclesiam, Multimamiam Societatem voluit Deus: vt variè mystici vberis tenore, alendis variis sufficeret, id est, doctrinam variè, pro variis audientium modulis accommodaret. Audi nunc Gilibertum. *Purus*, inquit, *oculus, & pulchra mamma: ille sponso, ha filijs sponsi: ille Deo vnus dicitur, ha plures: quia varia debet esse vberum temperatura, pro sugentium qualitate diuersâ.* talis Deo annuente est Societas, quoties nunc elementariis, nunc grammaticis pueris in gymnasio, nunc etiam in foro rudioribus variæ transformatur, simulat balbutiem, & profundioris doctrinæ pelagus dissimulat.

Vidistin'

1413. Vidiſtin' aliquando nutricem nunc papillas prementem, & de foris alumni labella irrigantem: nunc laxiori vbere lac fundentem, nunc intus admouentem, aut laxo, aut tenui imbre, pro vt lactantis neceſſitas aut auida, aut faſtidioſa videtur poſtulare? & ſocietatem nunc altiora, nunc pleniora, nunc planiſſima fidei, & ſcientiarum rudimenta docentem, exiſtima vidiſſe. Scilicet habet magiſtrum Paulum: *Facti ſumus*, inquit, *paruuli, in medio veſtri: tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos*, Theſſalon. 2. num. 7. bene enim non filium dixit, ſed filios, quorum ſemper alij, aliam habent lactandi rationem: vt doctrinæ vbera in totidem videretur commutare, quot erant nutriendorum conditiones: vno verbo, gratiæ fauſtam Multimamiam Paulus ſe præbuerat. Gilibertus adductus: *Tot*, inquit, *videtur abundare mammis, quot modis arte ingenioſa, capacitati ſe infirmorum coaptabat: factus ſum, inquit, in medio veſtri, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Nunquam Paulus Chriſto formoſior, quàm dum in Multimamiam nutricem transformatus. & bene nutricis non tam alumnos vocat, quàm filios: quia penè eiuſdem conditionis & indolis cum matre Eccleſia nutrix ſpiritualis, nec alumni ſugendo poſſunt, vt ſuprà dixi, degenerare.

1414. Sed habet adhuc ad rem meam (qui artificioſas gratiæ transformationes, & ſimulatam ſocietatis balbutiem commendaui) ponderis multum quod non putaret Apoſtolus ſatis ſe nutricis partes exequi, ſi multis mammis lactaret: niſi etiam illud nutricum imitaretur, qui ſe, vt paruulis blandiantur, in paruulos videntur transformare. Nullus hunc locum pulchriùs Chryſologo explicauit ſerm. 62. *Nutrix*, inquit, *pius niſi totus fuerit redactus in paruulum, nunquam paruulum, perfectum perducit in virum. Denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, ſenſus ſeponit, infirmat viſcera, abijcit vires, membra diſſoluit, greſſum tardat, ambit non ambulare, ſed repere: videre ſimulat, timere fingit, flere mentitur: quia eſt in illo mendacium pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, eſt infirmitas virtus. hoc reor beatum Paulum feciſſe cùm dicit; facti ſumus paruuli in medio veſtrùm, ſicut ſi nutrix foueat filios ſuos.* hoc nutricandi magiſterio quid non faciat ſocietas? in quam non transformetur paruitatem, vt gratius Chriſti paruulos alliciat? Multimamia eſt gratiæ, gratiam imitatur.

1415. Hoc erat quod volebat Salomon cum cœleſtia illa, & ſine vitio monſtra quæ Ægyptij totei, quibus foti Hebræi, librans, ſic ſcribit de adminiſtra creatura: *propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebat*, Sap. 16. n. 25. ſic iſte locus in correctioribus vulgatis legitur: tenent & Sixtiana, & expreſsè in Græco αὐτῶν μεταλλευομένη ὑπηρέτει. nunc pende nuſquam alibi ſignatius diuinam gratiam nutricem appellari, quàm in hoc loco, cùm creaturam in omnia transfiguratam ſibi facit adminiſtram. cùm enim familiarium habitus, ad mores & voluptatem Domini componantur, blanditur gratiæ de transfiguratione, natura, quia gratia, quæ nutria ſemper transfiguratur, non ſolùm numero varia, ſed etiam figurâ Multimamia.

1416. Redeat iterum Paulus in exemplar. *Factus ſum*, inquit, *Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*, &c. *Iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem*, 1. Corinth. 9. n. 20. Atqui, inquis, non erat ſatis, ſi conuenienti, & vario doctrinæ lacte Iudæos paſceret aliter, & aliter Gentiles? quorſum in illos transformatur? quorſum quò ad licèt nunc ritibus non prohibitis iudaizat: nunc moribus non nefariis gentilizat? quia cùm eſſet Multimamia gratiæ, neceſſariò cum gratia transfiguratur. bellè Gilibertus toties citatus: *Vide*, inquit, *quomodo Paulus Iudæis factus eſt Iudæus, & yt qui ſine lege erant, quaſi & ipſe ſine lege eſſet: infirmus infirmus. nonne velut tot applicat diſcipulis vbera, qui tot in ſe transformat genera? quid aliud molitus eſt temperaturâ tam multiplex, niſi vt leniter, & lactis more, teneris auditoribus, eius doctrina influeret animis?* ne mireris ſi Multimamia gratiæ ſocietas, in tot tamque varia lactana transfiguratur.

1417. Videamus iam quàm feliciter ſub hoc habitu paruulis ſocietas proficiat, quàm Deo placeat. hoc crederem ſignificatum voluiſſe Dauidem quando dixit: *ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem*, Pſalm 8. num. 7. ea perfecto, & ſudato doctiorum carmine humani principes laudentur: Patri nulla vox gratior ſonat, quàm paruulorum ſuorum balbuties, & gratioſiſſima credo ſonat Dei auribus Chriſtiana doctrina paruulorum, quàm præcinente ſocietate plateæ, fora, templa capiunt. Tertul. de Anima cap. 19. *At enim*, inquit, *Chriſtus ex ore lactentium & paruulorum expediendo laudem, nec pueritiam, nec infantiam hebetes pronuntiauit: quarum altera cum ſuffragio occurrens teſtimonium ei potuit offerre, altera pro ipſo trucidata vtique vim ſenſit.* explicat Dauidem alludens ad pueros Matth. 21. *Oſanna clamantes*, & ad innocentes infantes ab Herode trucidatos. Si ergo, licèt aliunde laus Deo capiatur, tamen ex infantibus maximè perficitur, *perfeciſti laudem.* iam videbis quid apud tot barbaras nationes, quamque glorioſè ſocietas laboret, vbi quotidie (Iapones teſtor) lactentium balbuties Chriſto ſonat, & lac verſum in ſanguinem de martyrio, Dæmonem ſauciat.

1418. Scilicet ex puro doctrinæ lacte, iſta dimanarunt: nec poſſent iuuenes Machabæi, nunc laudum voces fundere, nunc fundi victimæ: niſi mater piiſſima, cum lacte vberum, pretioſius lac doctrinæ inſtillaſſet: quod, dum naturale efficitur nutrimentum, ſic excellit, vt Deo præbere libamen mereretur: ſuxerunt ergo gratiæ magis, quàm naturæ fontes, & ideo naturales Deo fontes ſanguinis pro Deo fluentes, ipſi gratiæ & pyropos, & purpuram addiderunt. non grauabor tranſcribere quæ pulchra de hoc habet Euſebius Gallicanus homil. 4. de Epiphan. *Hoc loco*, inquit, *expreſſius requiramus quæ tandem cauſſa paruulis vires dedit, vt inter tam exquiſitos nouoſque cruciatus, infatigabiles Iudæi confeſſione durarent. & quæ alia cauſſa chariſſimi, niſi in primis gratia diuina, quæ vbi infirmitatis noſtræ inuenerit votum, ſtatim ſupponit auxilium: quæ, inquam, alia chariſſimi, niſi diuina gratia, & doctrina domeſtica? quæ cauſa alia niſi, quia ſtatim poſt tranſacta cunabula, inter annos infantia, religionis affectum, de inſtitutione, & conuerſatione pia parentis acceperant, & de tam ſancta matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini, vincula linguæ trepidantis abſoluerant? exempli enim fœmina in pignoribus fuit, animas magis cupiens nutrire, quàm corpora, fidem primam teneris ſenſibus vice lactis infuderat, vt rudes eorum mentes, & mali neſcia, in ipſo vitæ limine vitam ebiberent, eoſque primitus agnitio diuini timoris impleret: vt in noua viſcera ſacris ſtudijs occupata, locum vana ſæculi non haberent.* hoc ergo eſt quod pro parente Eccleſia facit nutrix ſocietas, noua induit vaſa, vt ſemper liquorem priſcum valeant redolere.

1419. Et quidem ad hanc rem germana notandus lo-

eus Apostoli, loquitur de fidelium cum infidelibus matrimonio non intermittendo: *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis, per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, 1. Corinth. 7. num. 14. nam vnde, quæso, sancti sunt pueri ab altero parente infideli, baptisma, vt euenire solet, prohibente? vnde sancti, qui in culpa nati, ex diuino nondum spiritu renati fuerant? coniectabat Apostolus, vt par erat, alterum fidelem parentem impensissimè curaturum, vt infans communis honestis ab vbere moribus assuesceret, & sanctæ educationis disciplina (vigilantius quàm ab infideli consorte) admotâ, virtuti addiceretur: sicque spem certam futuræ sanctificationis puerorum, pro fructu iam computabat. Tertul. libro citato cap. 39. *Apostolus*, inquit, *ex sanctificato alterutro sexu Sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogatiua, quàm ex institutionis disciplina: cæterùm, inquit, immundi nascerentur: quasi designatos tamen sanctitatis, ac per hoc etiam salutis intelligi volens fidelium filios: vt huius spei pignora, matrimonijs quæ retinenda censuerat patrocinarentur. alioqui meminerat Dominicæ diffinitionis; nisi quis nascatur ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum Dei, id est, non erit sanctus.* Sic iam ex mente Tertulliani apud Apostolum nutricatio sancta valebat adeò, vt lucis & sanctitatis designatos, iam sanctitatis titulo afficiendos existimaret: sicut olim consulatus designatus, iam consul suo modo appellabatur.

1420. Claudo titulum & caput verbis Dauidis: *Cogitatio*, inquit, *hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, Psalm. 75. num. 11. vbi addubites, cur si tota cogitatio Deo datur, reliquiæ eiusdem iterum promittantur? aut si bis Deo reddenda intelligitur, cur in secundo loco reliquiæ solidioribus partibus quodammodo alibi impensis Deo adscribantur? respondet Bernard. serm. 67. in Cant. *Quod*, inquit, *de cogitatione prophetica, verbo & exemplo Propheta venire in medium poterat, id Propheta in publicam mox laxabat confessionem, & ex eo confitebatur in populis Domino: reliquum sibi & Deo seruans, vnàque festiuum ducens in lætitia & exultatione. hoc ergo est quod nobis intimare memorato versiculo voluit, quidquid videlicet sua illa scrutabunda, & auida cogitatione ex arcano sapientiæ eruere præualebat, partem quàm poterat, in salutem populorum sollicitâ prædicatione impartiebatur: reliquum quod capere plebes non poterant, festiua iubilatione in Dei laudibus impendebat.* quasi esset minus perfecta contemplatio, quæ in paruulorum (hos etiam plebem intelligo) non cederet vtilitatem: neque piissimo Patri Deo festiua iubilatio nisi reliquiarum esse possit: sic parentes paruulorum suorum reliquias esu difficiliores, de labellis vdas, de gingiuis ambesas, de morsiunculis sordidas, auidè gustant, relambunt intædiosi, quas alienus quisuis fastidiret.

CAPVT QVINTVM.

Vers. 1. Comedat fructum.

§. I.

Quàm auidè amore nostro pascatur Deus.

1421. CARPVNTVR à Christo poma, & virtutes amatorio (vt nostri) cibi istius genere, potius quàm quouis alio designantur: vt Christus Dominus præcipuè amore nostro pasci intelligatur: ideo passim in Canticis sponsus de pomorum esu, de hortorum ingressu celebratur: ideo & sponsa ad illum, *omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi*, Cant. 7. num. 13. quæ verba de Dei, & proximi dilectione explicauit non nullus. Videamus ergo quàm diuinâ amoris, si fas dicere, nimietate, Deus nos esuriat, quamque suauiter amoribus erga ipsum nostris epuletur. Cupiebat planè, imò esuriebat pia anima à Christo istiusmodi esuriri, ideo rogabat sedula: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, Cant. 1. num. 6. Quis enim non dubitet, cur tam anxia vota, solummodo ad meridiem restringantur? cur quæ captat dilectum, non quouis inuentum tempore apprehendat? quia nimirum in feruore tantummodo, in ignibus cordis elari, in charitatis meridie diuinum pasci sponsum intelligebat: alibi statio fortè, in feruore, & requies & epulum illi apparatur. ita visus hunc locum intelligere D. Ambros. *serm. 8. in Psalm.* 118. obiter ad rem aliam, sic locutus: *Vbi innocentiæ*, inquit, *prolixior custodia, virtutumque longa meditatione processus: ibi splendor bonæ conscientiæ diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mentis tuæ epulas exhibebis, & in diuitijs eius, etiam ipse pascêris.* quasi amantis, immo amentis cordatissimo amore mentis charitas, epulum sola Deo exhibeat iucundissimum.

1422. Aduertistin' aliquandu quàm miris modis post resurrectionis gloriam, Christus se suis facilem exhibeat, ambiat putari comis, & comitate amores expiscari? sed quorsum tendit, quòd piscatorum se coquum facere non dedignatur, quòd panem parat, quòd piscem assat? *vt ergo descenderunt*, inquit Ioannes de Apostolis, *in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem*, cap. 21. num. 9. Si donis captat allicere, cur ad epulum refugit, qui tot alia poterat apparare? nimirum, vt dum mirâ facilitate, humanitatis cuiusdam diuinæ viscera ostendit, illorum cordibus ob singularia blandimenta iam charitate feruido, tamquam epulo sibi dulcissimo saginetur: qui ergo epulum appetebat redonandum, quid aptius, quàm epulum appararet? Adducet Chrysol. ibi serm. 78. *Vt humanitas*, inquit, *ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem: corpus enim resurrexisse non crederent, nisi eum toto hominis ordine cernerent manducantem: hinc est quòd petit escas saturitas ipsa rerum, Panis ipse manducat, quia non ille cibum, sed suorum semper esurit charitatem.* O piissime Iesu, dulce satis quod conuiuium pares, sed longè dulcius, quod ipsi tibi conuiuæ cedant in pabulum.

1423. Hinc iam percipies nouitatem illorum verborum, quibus, non sicut alijs Episcopis, Episcopo Laudiceæ Christus scribit: *Vtinam frigidus esses, aut calidus*, Apocal. 3. num 15. Quis illud *vtinam*, in Deo non miratur? vnde hæc vota, vnde hæc optata? Audi quod sequitur. *Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Pascebatur Christus auidissimè illo, dum feruidus charitate perseuerarat, & instar helluonis viri, cui nimis dolet si esca illi ab ore eripiatur: sic dolet Christus eripiatur sibi cibus iocundissimus, quo (vt piè in illo incorporaretur homo) volebat enutriri. Aptè Cassianus hîc apud Gudefr. *Non immeritò*, inquit, *eos Dominus, quos iam receperat in visceribus charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam auulsione sui pectoris euomendos esse pronuntiat: qui cùm salutarem ei quodammodo præbere possent substantiam, euelli* ab

ab illis viſceribus maluerunt. ecquæ maior felicitas noſtra, quàm quodammodo ſubſtantiam Deo præbere. aut quæ maior diuina charitas, quàm Deum id nutrimenti ſollicitare? ſed de hoc multa alibi: hæc pauca nunc ſufficiant, vt ex illis aliquid magis maius eruamus.

§. II.

Et quem inde incantati amantis tenorem ſortiatur.

1424. *Diuini amoris incantatio paſſiua.*

AMantiſſimum Deum noſtrum quandoque vt diuini ardoris vehementiam oſtendat, quodammodo dementati amantis mores ſortitum, & cordatiſſimâ inſaniâ æſtuantem eſſe, colligi poteſt ex variis locis: mihi ille ſignatus Cant. 4. n. 9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* in Sixtianis eſt, *abſtuliſti cor meum.* nam, vt inſaniam populi ſignificaret Deus *Oſee 4. n.* 11. ſic dixit: *fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.* id eſt, vt omnes explicant, dementant. En tibi ergo amatorio aſpectu ablatum ſibi cor fatetur Deus. Expreſſiùs adhuc Græca: ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, *excordiaſti me.* vt vehementia amoris, quodammodo excordia mores ſubiiſſe videatur. de excordi amentiâ habes ſuprà multa, vbi de culpæ ſtoliditate. Quid ergo ſi dicamus ſimiles affectus ex his commanducandis pomis Chriſtum Dominum quærere: certè in pomis vim quamdam philtricam eſſe nemo ignorat: ideo fortaſſe apud Perſas ſoliti ſponſi die nuptiarum pomum edere. Strabo lib. 15. *procedit ad thalamum poſtquam malum edit, nihil aliud eo die deguſtato.* quaſi cum amatorio cibo amores ſumpturus eſſet. vnde ex Artimedoro *lib.* 1. conſtat eſum malorum apud veteres ſomniatum, amorum fruitionem ſignificare, & quidem alibi probo ſolum ex attactu pomorum quaſi per philtricam potentiam amantes incantati inuicem, & mutuos amores extorquere: imò ideo ſemeſa poma mitti amantibus. Cùm ergo in hoc Cantico, & ſæpe alibi Deus plerumque pomorum allegoria vtatur amoribus diuinis & caſtiſſimis innuendis, quid ni eſa poma, & ſibi collecta credamus, vt totus amabilis, qui amore noſtro lubens incantatur, declaretur. Si ergo meros mores & affectus illorum, qui eſcis ſiue poculis amatoriis, amori potentiſſimo ſui impotes obediunt, in Deo quodammodo viderimus, nullus puto dubitationi locus relinquetur: ex his philtricis pomis, ſiue amoribus noſtris conſimiles hos effectus ſubiiſſe, percurramus iam aliquos.

1425. Primus ergo dementantis amoris effectus & affectus, quo ita vir aliàs prudens rei amatæ ſubiacet, vt illam de nullo ſecreto valeat celare, vt cui animam tradidit, animæ etiam ſecreta, & recondita penetralia manifeſtet. poſſemus ire per infinita profana, ni paſſim obuia: nunc ſatis diuina illa Sanſonis, ad quem Dalila: *Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Iud. 16. n. 15. vbi Lyranus: *quaſi diceret*, inquit, *hoc eſt falſum manifeſtè, cùm proprium ſit amantium ſecreta ſua inuicem reuelare.* Sed cùm id quidem non ſit ſemper, quia aliò quandoque cogunt ſilentij debitæ leges arctioris: ideo crederem argumentum Dalilæ viſum robuſtiſſimum, quia fucatis blandimentis iam Sanſonem crediderat incantatum, cuique mentem via amoris eripuiſſet: & quidem talis erat, Sanſon ideo tandem ſecreta reuelauit. quidni, ſi figuræ myſterio inſcius ſeruiebat. mirum quidem ligandum Chriſtum, deiectis quidem priùs ligaturis turbis imperaſſe: quid ligaturos proſtas, qui tandem patieris ligari? quorſum affixus cruci ſolem obnubilas: petras concutis, velum rumpis, aperis ſepulchra: ſi tandem morti fragilis vis ſuccumbere? ſcilicet vt occultæ ſub homine diuinitatis manifeſta ſigna daret, & nihil de ſe ingratæ ſponſæ ſynagogæ occultaret: vt enim erat amando incantatus, ſecreta retinere nulla poterat. Bene Drogo Oſtienſis lib. de ſacr. dom. Paſſ. *Sub hoc*, inquit, ſcilicet aſſumptæ carnis, *pallio ô fortiſſime Sanſon abſcondita eſt maxima fortitudo tua, quam etiam dilectæ, & non diligenti te ad vltimum non celaſti, vt inimicam verteres in amicam: in tantum amaſti mulierem non amantem te, ſed perſequentem, vt propter amorem eius ſapientia tua ſtulteſceret, & fortitudo tua infirmaretur: ſed quod ſtultum eſt Dei, ſapientius factum eſt hominibus.* Quid ni ſi incantatus vehementiori æſtu, quàm Sanſon, ardebat Chriſtus, & ſuauiori ardore dulciſſimus amator hominum æſtuabat.

1426. Pergebat Dominus Sodomitas euerſurus, ſed ſiſtens gradum, *Num celare*, inquit, *potero Abraham, quæ geſturus ſum?* in Græco eſt, *non celo Abraham puero meo*, Geneſ. 18. n. 17. vbi appellatio pueri, de viro ad ſenectutem prouecto amoris ſatis indicat teneritudinem. Sed vnde hæc Deo tacendi impotentia? putarem, quia conuiuio illo, quod charitatis viſceribus, amanti pectore illi pararat Patriarcha *n.* 8. imò potiùs eiuidem amore, quo auidè ibidem Dominus paſcebatur, tamquam philtricâ eſca fuerat incantatus, ſuique impos fieri iam non poterat. prætereo alios Patres, qui myſticè de hoc epulo diſſeruerunt: adduco vnum Ambroſium, qui pendens verba illa, *ſubcinericios panes*, pro quibus in Græco eſt ἐγκρυφίας, ſiue *abſcondita*, poſt multa ſic concludit. *Hoc*, inquit, *paſcitur diuina maieſtas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi ſit, nec ſacra in medium ferat*, in amore noſtro delitiarum internarum ſecretum, & cordatum ſilentium requirit Deus, odit loquacitatem: quo tamen ita delectatur, vt ipſe excordis inſtar, diuina deſipiente ſapientiâ præ charitatis dulcedine, ſecretum minimè poſſit cohibere.

1427. Sacramentum corporis ſui, & ſanguinis myſterium Chriſtus inſtituerat, id eſt, amatorium poculum condierat, quo intima ſecreta animæ, non ſolùm vt ſolebat penetraret, ſed etiam inuitam quodammodo, ſuaui ſibi attraheret violentia, de quo alibi fusè dicam. Quid tunc anima? parat etiam poculum, quo Chriſtum penetret, & omnia illius ſecreta perſpicax inueſtiget: nec compos iam ſit Chriſtus aliquid occultare, hinc ait: *apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis*, Cant. 8. n. 2. ſi enim quæris vnde tanta fiducia, qua ſe abſolutè docendam, & omnia cognituram ſperet anima, nil aptius inuenies, quàm quod ſubiungit: *& dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* eſt enim frequentiſſimus hebraiſmus, vt norunt pueri, præpoſito effectui cauſſam ſubſignare, atque pro *quia*, particulam *&* apponere. quaſi dicat, ideo me docebis, ideo ſecreta tua cognoſcam, quia tibi vinum condiam, & de amore meo, amatorium poculum miſcebo, quo amantes ſolent excantari. partem cogitationis huius fouet Philo Carpathius ibi. *Quòd vino*, inquit, *ſalutis potata ſit ſponſa à ſponſo, idem per ſe declarauit cùm dixit: Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. poſſumus etiam intelligere ſponſum à ſponſa nunc viciſſim potari per charitatis officia, vt quod à ſponſo gratis accepis, id aliquando rependat eidem.* propinauit, addo ego, anima charitatem, & ebibit ſecretam doctrinam,

nam, quam non poterat condito hoc poculo incantatus Christus denegare.

1428. Secundus incantatis amoris effectus est, amantem rei dilectæ amentem penè ita addicere, vt non multis iniuriis prouocatus, discedat lubens: multis lacessitus opprobriis roget adhuc: dura ingratitudine eiectus, adhuc circumeat, sollicitus perseueret adhuc, adhuc ambitiosus laboret, vt admittatur. Quoties delusus Samson rogabat? quot prouocatus procacis fœminæ iniuriis persistebat? excæcatur tandem à Philisthæis, & meritò, qui priùs amoris vehementia excæcatus, discedendi potentiam amiserat, & vires iugo infami euadendo prostrauerat imbellis. tandem ad molendum pistrino condemnatur stolidi animalis munere functurus, quia dum seruierat Dalilæ, circæo plusquam poculo incantatus, stolidam iam subierat conditionem: quomodo ergo posset discedere qui præ amoris voluptate, voluntatis amiserat arbitrium. vnde bene Esdras non Canonicus, de Rege illo, qui ab Apamene amica penè incantatus, illam aperto, vt ibi scribitur, ore suspiciebat, sic concludit: *Si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam*, Esdræ 3. cap. 4. num. 31. videamus id, quantum materia patitur, in amante Deo.

1429. Peccat Eua, inescat deinde pomo Adamum, & qui iam amore degebat incantatus, tantum abest vt fugiat fœminam per summam iniuriam, mortis illi, miserias porrigentem, vt potiùs ne ab illa separaretur siue viuente, siue moriente deglutit mortem, *Genes. 3. num. 6.* fuerat Eua serpentis, siue voluptatis præstigiis delusa & incantata, vnde Philo Iudæus lib. de opif. mundi: *Voluptas*, inquit, *suas præstigias & fraudes, viro non audet admoliri, sed fœminæ, & per hanc illi, idque admodum appositè efficaciterque.* Ast Adam dirioribus præstigiis amoris deluditur ab Eua, quam serpens euertendo viro selectius instrumentum destinauit: quidni si Eua seducta, diuinitatis vsurpandæ credula adhæsit dæmoni, mortem subiit: Adam verò, vt vxori adhæreret nociuæ, nulla spe delusus, sed ingratæ blandiens, amori seruiens, porrectam mortem absorbet; ideo D. August. lib. 14. de Ciuitate cap. 11. *Non frustrà*, inquit, *dixit Apostolus, Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset, accepit: ille ab vno noluit consortio dirimi, nec in communione peccati.* Maior ergo huius incantamenti vis, diriores amoris præstigiæ, qua Adam sciens & volens, ne vxorculam deserat, morti inseritur. Attende nunc Deo, cuius caussâ prælusimus in Adamo.

1430. Peccauit iste, & per sacrilegum nefas, è sede cordis sui Deum expulit, & tamen paulo pòst audit, vt in textu additur, *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso*, num. 8. deambulantis? & cur non præcipiti cursu fugientis? cur non fulminea celeritate discedentis? sed esto mitior incedat, procedat tardior: cur non ambulare dicitur, sed deambulare, id est, huc illuc regredi, & circumire? nosti veneficij genus quo incantatus amator fores dilectæ circumit, vnde fœmina apud Theocr. *Idyl. 2.*

Vtque voluitur hic aeneus orbis ope Veneris,
Sic ille voluatur ante nostras fores.

hinc erat, vt quandoque amantis discedentis pignora in limine per incantationem collocarent, quibus demens interiùs sic hærebat, vt ad limen volens, nolens redire cogeretur. allusit insignis venefica Virgilianæ pharmaceutriæ,

Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara sui, quæ ego nunc limine in ipso
Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnim.

putares ergo in limine Adamatici cordis adamati philtricum aliquid appositum, cui diuinus amator alligatus aut non posset discedere, aut discedens potenter reuocaretur. Bellè Hugo Victorin. hîc apud Godefr. *Deambulabat*, inquit, *& non discedebat: neque abyt in directum elongans, quasi irreuocabilis, nec reuersurus ampliùs, sed prope gyrans, & iuxtà deambulans, abyt & non ambyt: modò vadens, modò rediens, & magno quodam incerto æstuans: quasi nolens sedem suam deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere.* Certo fortius incantatus Adam ab Eua, quàm ista à serpente: sed vtrùm vehementiùs incantum dixeris, ab vxore Adamum, an ab isto Deum? repugnat diuinæ naturæ per gratiam in peccatore habitare, & tamen inuitè expulsus ambit, rogat, circumit, amoribus suis quasi sui impos, quasi incerto æstuans, affectat deseruire.

1431. Creat Deus vniuersam mundi machinam cœlo lucidam, terrâ stabilem, aëre vagam, igne flammeam, aquâ fluidam: torque mira sex tantummodo dierum spatio perfecit. peccat Iericho, expellit idololatriæ abominationibus à se Deum verum, & tamen ille iustas pœnas sumpturus, per septem dies integros, & continuos, ministrantibus militibus & Sacerdotibus illam circumit: *circumite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus, septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in iubileo & præcedant arcam fœderis, septiesque circumibitis ciuitatem*, &c. Ios. 6. à num. 3. itane? tota machina orbis creatur sex diebus, & septem ad vnius ciuitatis expugnationem expenduntur? dices, ibi creasse Deum, hic milites & Sacerdotes expugnasse: sed cur validissimus exercitus, qui primo insultu si permitteretur facile vrbem prosterneret toties iubetur circuire? certè dixeris aptius dux ipse exercitus licèt occultâ præsentia erat Deus, ipse circumeuntes præcedebat: ideo toties circumit, ideo qui tam facile creat, expugnat tam difficile: circumibat amator affectu humani generis incantatus, si fortè pœnitentiam ageret vrbs, & admitteretur ad veniam: ne ab illa per vltimum supplicium separari cogeretur: ipse est qui rogat, ipse qui toties circumit. Chrysost. homil. 5. de pœnitent. *Potentia*, inquit, *excellentia velox: mollè à de bonitate tardus. Sex diebus cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt creauit? vt vnam vrbem Iericho destrueret, septem diebus illam circumiuit.* ecquæ maior in tanta potentia potuit reperiri incantantis cuiusdam amoris patientia? sic amor quem semel creaturarum concepit Deum cogit, vt illas circumeat, ne à deliciis suis abire teneatur, & dicent meritò,

Vtque voluitur hic aeneus orbis ope Veneris,
Sic ille voluatur ante nostras fores.

§. III.

Incantamenti sacri sana insania sublimiùs expenditur.

1432. Qvousque procedet vltrà vxorij cuiusdam mariti amor, aut amatoris cuiusuis æstuans vehementia, quàm aperta coniugis adulteria, & amicæ scortationes manifestas aut non videre, aut quasi non visas dissimulare? qualis dixeris veneficæ experta manu temperatum poculum illud, quod zelotypiæ potuit extinguere ardorem, furorem reprimere, vt amores indulgentissimè habiti non lædantur? & tamen eò vsque diuina procedit

indulgen

indulgentia, humanis iam amoribus incantata, & qui, vt alibi dico, ipso zelotis nomine timebatur, fit iam sæpe hoc patientiæ genere amabilior.

1433. Prædicat Christus Iudæis, & qui suauissimis verbis ab ipso pumice suauitatis lachrymas extorqueret, à duriori illorum pectore, lapidosam rupis duritiem non amouet: quin imò *tulerunt lapides vt iacerent in eum*, Ioan. 8. num. 59. tulerunt, inquam, ab ipsa rupicis cordis lapidicinâ, nec tamen propterea imminuta, quæ non in carneas fibras, sed in asperitates saxeas recrescebat. Audi tamen erga sic apertè adulterantem Synagogam diuini sponsi teneros amores, mores patientissimos: *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo*. de quo ibi Chrysol. serm. 152. *Abscondit*, inquit, *se, non timens, sed ignoscens. Deus peccatorem cùm fugit, parcit; Deus rebellem non vult perdere, cùm declinat*. Sic se abscondit, quasi sibi abscondita velit adulteria: fugit ipse, vt adultera fugiat vindictam, & quod sanctissimus Ioseph castissimis Deiparæ Virginis amoribus quodammodo incantatus, in falsa illa suspicione exequi cogitabat: id re vera exequitur Christus erga procacem adulterantis sponsi imprudentissima impudentia.

1434. Sæuit Herodes in ipsum, adhuc puerum, & tunc Angelus ad Iosephum: *Surge*, inquit, *& accipe puerum, & fuge in Ægyptum*, Matth. 2. num. 13. fugit hominem, Deus; fragilem, fortissimus: omnipotens, caducum? ecquæ tam noua probandæ putatiui Patris fidei, examinandis motibus conditio? nullum mirum: iam in infantili corpusculo, prædictum amoris giganteum affectum exprimere cupiebat. id expressum voluit Chrysologus *serm*. 152. de rege impio locutus: *Magister*, inquit, *mali, minister doli, iræ artifex, inuentor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ: malus omnibus, suis peior, pessimus sibi, quem Christus, non vt euadat, sed ne videret, aufugit*. scilicet, vt suprà dicebat idem Deus peccatorem cùm fugit parcit, rebellem non vult perdere, cùm declinat: dissimulat enim culpam visam, ne inuisâ sibi vindictâ humanos amores suos lædat: adulteræ sic naturæ mores adhuc gerens. & bene in Ægyptum fugit, vt prouincia veneficiis dedita, quæque olim incantatoribus suis Moysis miracula eludere conabatur: nouum incantantis huius amoris miraculum, nouum benefici venificij genus tamquam insuperabile obstupesceret.

1435. Iam iam lapidaturi insequebantur Iudæi fœminam adulteram, quæ currens, & incurrens diuinis Christi pedibus ab illo piam operam postulabat. Ecquid hoc mulier? à Iudice iusto veniam, ab immerito læso opem imploras? non tam infidelis matrimonij leges austeras, quàm sacrilega debitum Christi amorem fregisti: marito corpus, Christo animam violasti turpiùs: quomodo ergo si illum fugis, confugis ad istum? maritus, diceret illa, adhuc sui compos, non sic amat ardens, vt læsus parcat: at sponsus animæ Christus iam sui impos, iam amoris veneficio incantatus, amplexus potius, quàm ictus apparabit. Esto id alibi fœmina: at nunc, quando populus culpam tuam penè suffusus pudore prædicat, & agnoscit: nonne necessariò Christus, ne insensibilis appareat, intimum doloris sensum manifestabit? an non puniet delictum, quod videt necessariò? dissimulabit visum, inquit illa, imò & non videre simulabit, & dum alij oculos acuunt cernendæ maculæ, vt manus arment ad vindictam: Christus suos velabit incantatus, quasi non videns à pœna excusetur. ita factum: vnde Ioannes de ipso: *Inclinans*, inquit, *se deorsum, digito scribebat in terra*, cap. 8. num 6. vbi iterum Chrysol. serm. 115. *Auertit*, inquit, *faciem suam Dominus, & declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret*. Iustitiam cæcam pinxerunt veteres, ne scilicet obiectorum fucatis affectibus, per oculos corrumperetur: econtra Iudex noster iam amatorio poculo internis oculis quodammodo excæcatis, ne videat quod puniat foris excæcatur.

1436. Sed vlteriùs adhuc pergit hæc incantatio in amatoribus, cùm visâ culpâ (quam quidquid simulare velint, dissimulare non posse cognoscunt) ad pœnam coguntur: amicos rogant sint veniæ interpellatores, vt venia, quam nimis optant indulgere, extorta sibi existimetur. neque hoc in Deo nostro piissimè & prudentissimè amatorio pharmaco dementato potuit non inueniri. Fornicatur populus, & infami idololatriæ deditus, Deum benignissimum deserit ingratissimus: tunc Deus ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos*, Exodi 32. num. 10. Sed quid? tenuerat ne Moyses Deum? non legitur. quid ergo? ita monens rogabat Deus illum, vt teneret. Stephanus Cantuar. hîc apud Godefr. *Quasi diceret: tu tenes me, vel tenere potes: per hoc dedit fiduciam exorandi, & impetrandi pro eis: si enim velles verberare filium tuum, & diceres sedenti iuxta te: Dimitte vt verberem filium meum, nonne quodammodo exhortareris, vt te exorares ne verberares eum? tenuit ergo Moyses Deum, seruus dominum, creator creaturam*. & quidni teneat, si Dominus iam interioris incantantis affectus vi longè arctiùs tenebatur.

1437. Ecquæ olim regio fœdioribus vitiis, turpioribus idololatriæ dedita adulteriis, quàm Romana? & cùm videbatur vltimis afficienda suppliciis ob Deum derelictum, tunc fit prouinciarum omnium charissima: quæris vnde? audi. Solent potionati amatores, vt nosti, etiam post commissas illatum culpas amicas perfidas rogare: vt quas fortè leuissimâ offenderunt reprehensione, leniant exasperatas: mitigentque subiratas ob duriusculum verbum, quæ seuerissimo verbere iustissimè excipere deberent: tunc iam deposito iurgio, suauioribus blandimentis indulgetur. Nouerat ergo genium, & ingenium Dei Apostolus, ideo ad Romanos: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, cap. 12. num. 1. Sed cur per misericordiam, cùm per iustitiam post tot naturæ nostræ debita, hoc sacrificium ab illis Deus repetere posset meritissimò? respondet Chrysologus serm. 108. *Paulus*, inquit, *imò per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult, quàm timeri: rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quàm pater: rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem*. non poterat non rogare per misericordiam, qui in ipsis rogationibus (cùm imperare posset,) summæ misericordiæ, & mansuetudinis erga offendentes se exhibet testimonium.

1438. Quid dixerim de pretio quo vxorcularum lachrymulas hi tales habent? fingebat ideo Apuleius nouisse aliquando Psychem inter lachrymandum sic maritum Cupidinem delinire, vt misellum incantaret, & primum incantationis effectum scripturus sic subdit lib. 5. *his verbis, & amplexibus decantatus maritus: lachrymasque eius crinibus suis detergens*, &c. quasi lachrymis vxoris tamquam gemmis, ad incantationis suæ stemma coronaretur. Attende nunc. Venit aliquando Christus ad fores animæ, quas, vt illi lubens & facilis aperiret, allegabat: *quia caput meum plenum est rore, &*

cincinni

tincinni mei guttis noctium, Cant. 5. n. 2. Sed aspicin' Domine esse creaturam, ac proinde de conditionis nostræ vili ingenio, plus vtilitati suæ, quàm necessitati tuæ attendentem? cur ergo non potiùs aliquid sibi vtile allegas, quod exceptura excurrat auidulà? imò allego, inquit Christus, sunt enim hæ guttæ noctium, lachrymæ illæ, quibus anima in absentiæ noctibus me plorauit: quid igitur illi vtilius, quid decorius, quàm lachrymas suas cincinnis de incantanti affectu certere gemmantium loco insertas lapillorum, quasi iam præ his lachrymis stellæ sordeant, quibus coronabat? Paraphrastes Chaldæus: *quoniam capilli capitis mei, pleni sunt lachrymis tuis.* maiorem adhuc incantamenti agnosco efficaciam.

1439. Degis quidem, dicebat Christus huic ipsi sponsæ, tamquam crystallinus abyssus viuentium aquarum gratiæ, quæ de niuibus Libani, id est, de cœli nubibus emanant: *puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano*, Cant. 4. n. 15. & quando, quæso, vidisti impetuosos aquæ decursus, præcipitas torrentes, vbi pariter inordinatos cursus non videres? fluuius ideo extra alueum erumpit, vt inordinatè perrumpat & insolitè: vt laxis habenis humidis certo deserto itinere, incertum petat impetuosius. Aquæ igitur gratiæ, quæ certo ordine & tenore fluxuræ videbantur, quomodo debitam viam permeabunt, si præcipitantur impetu, si deuexæ præcipitio rapiuntur? sinamus ita fluant, fumus illarum ordo, deinordinato hoc humanis iudiciis, cursu constat: Libanus ipse Christus vnde fluunt incantatur amore: affectum visus sequi, non rationem impos quodammodo sui, vt supremæ charitatis euadat compos. grauiter Guillelmus ibi in catena Delr. *Tantus, inquit, est enim impetus fluentis gratia, vt sine ratione fluere videatur: dum præ piscatoribus non attenduntur imperatores, & reprobatis Philosophis, idiota assumuntur.* Claudamus iam materiam, &, ni fallor, claui aureâ.

1440. Mihi quidem ad apicem incantationis amatoriæ venisse visus amator, qui post summissam iniuriarum amicæ patientiam, quod leui iurgio correptam, & ideo irâ accensam nequit reconciliare, totus venditur, empturus dona, quibus rebellem valeat promereri, & quid aliud tu putes fecisse amatorem nostrum Christum, (cùm naturam humanam ingratissimè illi mortem parantem, & Iudæos suauissimis verbis correptos, agnosceret, illi Crucem sæuissimam machinantes) pridie quàm pateretur Eucharistiâ institutâ: nisi donorum summo, rebelles sibi amores conciliare, & dementati amantis, ad viuum mores quo ad poterat exprimere? dementauit se olim Dauid, vel finxit dementatum apud Achis, vt vitam seruaret: vnde illud, *& immutauit os suum, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, diffluebantque saliua eius in barbam*, 1. Reg. 2 1. n. 13. Aliqui ex Græco vertunt ἐτυμπάνιζεν, &c. *deferebatur in manibus suis.* vbi valde addubitant interpretes, quomodo quis in suismet manibus deferri possit. Augustinus ergo in *Psalm.* 33. hoc tantummodo in Christo, cuius simulatâ amentia Dauid typum gerebat, ait verificandum: vnde titulum Psalmi qui habet: *Dauidi cùm immutauit vultum suum*, sic scribit: *Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cùm commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas: & ipse se portabat quodammodo cùm diceret, hoc est corpus meum*, quasi Daoidis insania, solùm de insaniente sanissimè præ amoribus Christo, & hæc parante dona capi posset: vnde pulchrè ibidem ad illud eiusdem Psalmi: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*, n. 9. sic subiungit. *Nonne aperit se Psalmus, vt ostendat tibi illam quasi insaniam, & furorem consistentem, sanam insaniam, & sobriam ebrietatem illius Dauid, qui figuratè Sacramentum dominicum ostendebat?* Neque enim se suis, & iis ingratissimis gustandum daret, & tantum munus offerret, nisi cordata amoris phrenesi quodammodo laboraret. hæc satis pro philtrica pomorum natura ad incantandum: ponderemus in eodem versiculo alia non contemnenda.

§. IV.

Amoris diuini stemma liberalitas.

1441. *Amor liberalis.*

Nihil fructuum, nihil deliciarum suarum numeranit Christus, quod amicis suis exhibitum non dicatur: nescit enim diuinus Amor auaras manus, cuius vnicum stemma liberalitas. equidem nescit amoris penetralia auaritia: quid neget amor, qui sui ipsius prodigus dispensator? aut totus finit in dona, si diues: aut si pauper, in lachrymas, quòd non donet. Post longissimæ peregrinationis labores animosè aditos, peruenit Mesopotamiam Iacob, felicemque portum in consobrinæ suæ officiosis de consanguinitate osculis inuenit. quis ergo non putaret visâ Rachele, in mille lætitiæ affectus, & finiti gratulationis laboris, iuuenem erupturum? sed quàm aliter: *& adaquato*, inquit textus, *grege osculatus est eam, & eleuata voce fleuit*, Genes. 29. n. 11. hæccine de inuento portu lætitiæ monumenta? hæccine fausti ominis de visa primum Rachele hilaris exultatio? puto iam tunc amabat, in ipso primo aspectu arbitrium pulchritudini captiuans, & cor casti connubij arrhas puellæ donans: cùm igitur dona alia non habuisset, quibus liberalis amoris genio satisfaceret: dolere paupertatis cruciatus, in lachrymas prorupit. Lyranus ibi (ex Hebræorum doctrinâ supponens Iacobum onustum muneribus paternâ domo excessisse) sic subiungit. *Dicunt igitur quod Ephas primogenitus Esau, qui iam erat adultus, de precepto patris sui, insecutus est Iacob, cum multitudine armatorum, & comprehendit eum, &c. dimisit eum solum, & omnibus bonis spoliatum, &c. cùm igitur vidit consobrinam suam, & non habuit aurum & argentum, seu iocalia ad dandum sibi, sicut seruus Abraha dederat Rebecca, vt suprà dictum est: memor huius rei, capit lachrymari.* non legitur itaque doluisse de ereptis sibi bonis, nisi quando iam instigante affectu, nouis amoribus erant offerenda. & bene ideo fundit lachrymas, quia dona profundere non poterat: neque enim Amor putat se probabilem, nisi muneribus præbitis comprobetur.

1442. *Amoris diuini stemma liberalitas.*

Hinc est, vt diuinus Amor vbicumque se liberalitatis ingerat occasio, totus effluat in dona, nec se vsquam à pretioso hoc vsurpando stemmate contineat: vnde D. Cyprianus orat. 1. *Non enim*, inquit, *(qui beneficiorum terrestrium mos est) in capessendo munere cœlesti, mensura vlla, vel modus est: profluens largiter spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia refrenatur: manat iugiter, exuberat affluenter. nostrum tantum sitiat pectus, & pateat: quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratia inundantis haurimus.* sic thesauris exundantibus repagula tollit Amor diuinus, ne ipse vilibus coërcitus repagulis intelligatur: quia reueta ita liberalitati commensuratur, vt si infinita dare non posset, (quæ certè dedit) neutiquam infinitus crederetur.

Venit

1443. Venit in luctam Deus cum Iacob: oppugnat, nec expugnat creator creaturam: audentiùs dicam, penè expugnatur Deus ab homine, qui etiam percuſſus ſemore claudicante, ſic illum adſtringit, vt euadere amplexum quodammodo non valeat. quid faceret diuina potentia de amoris teneritudine ad incitas redactâ? ipſum amorem aduocat in auxilium: prætendit amor Gentilitium ſtemma ſuum, liberalitatem: *Benedixit*, inquit, *ei in eodem loco*, Geneſ. 32. num. 29. tunc cedit Iacob, & Deo concedit lauream, tunc ignoratum fatetur: *vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*, num. 30. quaſi non poſſet non eſſe Deus, & diuinus ille amor, qui etiam ſub ſpecie contentionis liberaliſſimus dona concedebat. ideo abſque dubio ſecurum impotentis quodammodo in luctâ de myſterio potentiæ ſuæ honorem, putauit Deus: quia hanc, poſtremâ amoris ſui liberalitate, ab omni vindicandam iniuriâ præcognoſcebat: iam ſe, etiam dum cedit homini reputans victorem, quia vltimâ erat illum victurus liberalitate. hinc Chryſol. *ſerm.* 131. de Deo: *Iacobo*, inquit, *vianti conuiator occurrit, & ita ſe humano collegio ſocium præbet, vt prouocanti homini Deus totus in luctam inſeratur, & tunc videbatur neruis, aut lacertis vincere, quando victor cœleſtia dat dona, munera dat diuina.* mauellem legeres textui & acumini aptius, *quando victus.* vtcumque ſit, lacertorum vim non curat Deus, quin ob myſterium fragilitatis ſpecie diſſimulat, dum amore vincat; hic autem neſcit vincere, niſi liberalitatis ſtemmate glorioſus.

1444. Neque mirum; ſicut enim hîc potentia liberalis amoris opem implorauit: ſic viciſſim & Amor, potentiæ quandoque operam rogauit, cum hoc tamen diſcrimine, quòd impotens de myſterio potentia, vt amor totus de liberalitate panderetur, optauit: amor verò de religione auarus aliquando, vt potentia diſſimularetur, effecit. & quanto hoc grandius, & rarius? ibi enim Amor ſub generoſo ſuo ſtemmate, potentiæ accurrit in auxilium: nunc verò potentia ſub viliori pallio deſeruit amori, quaſi vbique cætera cedere patiatur Deus, dummodo illiberalis amantis notam euitet. ex his nouo ſplendore accedet illuſtrior trita aliunde, ſed optima explicatio Ambroſij *lib. 5. de fide cap.* 3. ad illud Chriſti reſpondentis filiis Zebedæi: *Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*, Matth. 10. de quo ita ſanctus Doctor: *Volens oſtendere, quòd non perfunctoriam rem aliquam diſcipuli poſtularent, ſed eam quam impetrare non poſſent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiæ reſeruauit, non metuens ne quid iuri proprio derogaret*, &c. *noluit his quos diligeret videri quod peterent denegaſſe. Sanctus & bonus Dominus, qui mallet aliquid diſſimulare de iure, quàm de charitate deponere.* nihil Deus in ſe patitur amore cerni ſpecioſius: ideo cùm Amor hîc rationabili religionis auaritiâ ſaltem humanis oculis minui videretur, ius potentiæ ſuæ æquale patris, ne excelleret curauit diſſimulare, æſtimans pluris cognoſci donator omnium, quæ poteſt, quàm potens aliquorum quæ inuideat. militauit ergo in ſuperiori loco Potentiæ Amor, ſed ſub purpurea chlamyde, & imperatorio ſtemmate liberalitatis: militat hîc Potentia amori, ſed ſub gregario ſago viliori: ne dum liberalitatis ſtemma neceſſariò tegit amor, potentia ſplendeſcere videatur.

1445. Idem in aliis attributis euenit etiam. petiuit heu! ſacrilegè prodigenda bona ſua deperditus adoleſcens fratre iunior: quid tunc Pater? *& diuiſit*, inquit Lucas, *illis ſubſtantiam*, cap. 15. num. 12. alter tantum petit, & vterique donatur, & cur ita? timuit bonus pater, cæleſtis Dominus, ne amor eius auaritiæ inſimulatetur, quod eatenus filiorum bona retineret, donec peterentur: vnde qui eo vſque conſeruandorum ergò illa retinebat, iam tota etiam non petenti effundit: malens apud ſacrilegas, ſi fortè, linguas improuidentiæ, quàm auaritiæ denotari. Chryſol. ſerm. 1. *Petente*, inquit, *vno, ambobus omnem ſubſtantiam mox diuiſit: vt ſcirent filij, quod antè teneret pater non fuiſſe auaritiæ, ſed amoris: prouidentiâ, non inuidentiâ non dediſſe. tenebat pater, ſeruare ſubſtantiam filijs, non negare, & manere eam pignoribus cupiens, non perire.* Si ergo teneta prouidentiæ erat ſubſtantiam conſeruare: conferre illam lubricæ ætati, poſſet apud aliquos incuriæ improuidæ aſſignari: deuorat tamen Deus hanc calumniam, dummodo amor ſuus liberalitatem oſtentans, auaritiæ non ingerat ſuſpicionem.

1446. Facit huc mirificè locus ille Lucæ de Chriſto Domino: *ait autem ei quidam de turba: Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. at ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* cap. 12. num. 13. ne turberis homo è turba: reſponde reuerenter, ſed audacter: quis te conſtituit iudicem mi Domine? ipſe pater, qui te dedit mortuorum, & viuorum iudicem rectiſſimum, qui tibi cauſas & cœlorum commiſit & ſæculorum, qui iuriſdictionem omnem tibi, in quo ſibi bene complacuit, placuit delegatam. Euge: reſpondiſti bellè. Quid ergo hoc iudicium euitat Chriſtus? iudiciariam poteſtatem ſibi Dominus videtur denegare, & iudex à Patre conſtitutus, ſubmittens maieſtatis faſces, dignitatis imperium, exhibet ſe priuatum: aut mentior, aut aliquid in hac lite intercedebat, vnde liberalis eius amoris ſtemma obſcurari videbatur: quod ne fieret, maluit iudiciarium ſplendorem obuelari. haud dubiè ita eſt: non ſolùm *Iudex*, ſed etiam *diuiſor* vocabatur: at Amor ille profuſiſſimus neſcit miſeriam partium, qui quidquid det, quantum eſt ex ſe, totum dare liberaliſſimè concupiſcit: mauult ergo non putari Iudex, quàm auarus & per partes diuiſor reputari. Chryſologus ſerm. 162. *Homo*, inquit, *quid hunc ad diuiſionem vocas? quid hunc ad diſcuſſionem miſerandus inuitas? quid ab eo partem petis, qui tibi quæſiuit, & contulit totum?* ſed hunc locum alibi ad rem aliam preſſiùs examinabo. nobile nunc liberalitatis ingenium examino.

§. V.

Non tamen hæc liberalitas, venditans eſt, aut vana munerum ſuorum oſtentatrix.

1447. NOſti quàm precioſa ſint, quæ Chriſtus in hoc loco ſuis porrigat: mirare ergo pretioſa iſta chariſſimis indulta, ruſtici doni habitu & nomine deliteſcere, ſic ſolet diuinus Amor vanam in tribuendo oſtentationem euitare: ſic infrà in hoc cap. *num.* 14. manus eiuſdem laudantur *plenæ hyacinthis*, quos alij de gemmis, de floribus alij explicatunt, ſunt enim certè quidam, qui vendere videntur beneficia dum à ſe illa venditant conceſſa: quaſi non ſolùm quòd bene fecerint oſtentent,

ſed

fed vt oftentent, benefaciant: hinc minima quædam venditantes attollunt,& pigmæa munufcula, fub giganteo habitu exptomoot, buccinantur. longè alia, & ideo longè aliter diuina liberalitas: gemmas fundit,fed floribus commixtas, quafi pro eodem reputet vtrumque, tam longè à beneficij fui venditatione,vt pretiofiffima quæuis, rufticorum munnfculorum velo ambiat delitefcere: ita vt quod Heliogabalus de prodigalitate faciebat enormi,de fanctâ faciat Chriftus liberalitate: de illo Lampridius in eius vita: *mifcuit gemmas pomis, ac floribus: iecit & per feneftras cibos totidem, quot exhibuit amicis.* fcilicet hoc fummum eft in beneficiis beneficium,quo accipientium confulitur pudori, vnde & diuini amoris liberalitati cohæret neceffariò.

1448. Prouocabat Iacobus fideles, vt confidenter petituri accederent ad Deum,& fubdit: *fi quis autem veftrùm indiget fapientia, poftulet a Deo, qui dat omnibus affluenter,& non improperat*,cap.1.num.5.quafi mauellent indigere, quàm improperanti fuccumbere munerario.Bene Hugo Cardin.ibi: *Poffet*,inquit,*aliquis dicere:Verum eft quod dat, & non vendit; omnibus fine acceptione perfonarum, qui piè petunt,& affluenter, non parcè: fed tamen non liberaliter, & curialiter facis, quia poft datum improperas, & ad hoc refpondet, quòd non: vnde dicit, & non improperat: ficut mundus* Ecclef. 20. *exigua dabit, & multa improperat:Dominus facit è conuerfo,multa dat, & nunquam improperat.* quid mirum fi fic latentes fub florum foliolis gemmas pluit, ac fi non tam pretiofiffima,quàm rustica ferre dona videatur:fimulans paftorale epulum, vt pretiofitatem munerum diffimulet.

1449. In diuina illa parabola indigentis amici fic dicitur follicitatus dominus refpondiffe: *Noli mihi moleftus effe,iam oftium claufum eft, & pueri mei mecum funt in cubili,non poffum furgere & dare tibi*, Luc. 11.num.7. Affumebatur ifte familiæ dominus, in diuinæ liberalitatis typum: quid ergo, dicat aliquis, fic importunas quærit preces, & anxia rogantis vota exigit? humana certè beneficia multis extorta precibus,non tam dari dicuntur, quàm diuendi: vnde impudenter poftmodum te donaffe iactes, quod accipienti tam caro precum pretio ftetit: diuina tamen beneficia ea funt, tantâque excellentiâ vota noftra fuperexcedunt, vt licèt hæc fint maxima,femper ex gratia donantur, non de iure: vult tamen Deus vt precibus noftris ab illo magis vendita, & nobis empta, quàm donata effe videantur: vt poftea non venditanda effe, & obiectanda videantur. Acutè Chryfologus hîc ferm.39. *O quàm dare*,inquit, *vult,qui fe inquietare taliter,aliter patitur fufcitare. O quam neceffitatis effe fua,quod fua poteftatis eft,vult videri.* quafi dicat:fugit dediffe neceffariò, quod non folùm liberè,fed etiam liberaliffimè conceffit, & ideo tunc maximè dare liberaliter intelligitur, cùm fe patitur inquietare: quia iam venditare non poterat, quod vendere amouendæ inquietudinis pretio fimulabat.hæc eft germana mens fancti Doctoris,vt ftatim patebit.

1450. Et meritò: ideo enim & nox intempefta, & fomnus parabolæ, præter follicitas preces, aduocantur,*num.5.* vt donantis liberalitas, derogantia quodammodo iure,id temporis venientis, velaretur: ac fi tam daret quod liberalis, quàm quod emaces preces recurfurus ad fomnum non poffet euitare: oportieretque illum datis muneribus importunos depellere clamores, & pellacis fomni emere fibi voluptatem,aut redimere faltem interpellarum. Idem aureus Doctor *ibidem*: parum eft quod facienti mifericordiam nox velabatur:quod largitatem dantis, petentis obtegebat improbitas. nifi ad cumulum pietatis velandæ afcriberetur & fomnus: inducit in hac humanitate,geminam neceffitatis fpeciem,petentis,& dormientis,vt illum petere hofpes, dare compellat hunc fomnus: vtpote qui propterea *fe daturum ei dicat in tempore, quo non occurrere amico,fed recurrere videatur ad fomnum: vt ei magis dormire liceat, quàm dare libeat fic petenti.* ego clariùs legerem, & corrigerem, *quod facientis mifericordia nocte velabatur.* vtcumque: confulunt petentis pudori noctis vmbræ, & donantis liberalitas, improbitatis petentis velo tegitur: fomni fui magis redemptor, quàm alienæ neceffitatis fopitor fimulatur: vt per omnia inuitè vifus dari,dedat nobis fiduciam, ne id nobis poftea improperandum timeamus: qui enim inuitus beneficia confert, non poteft liberalitatem imputare, quæ tot circumftantiis extorta, imò potiùs iam empta iudicatur.

1451. Et noctu, vt fuprà dicebam, & poft longam contentionem benedicitur Iacob: *Ortus*, inquit textus,*eft Sol, poftquam tranfgreffus eft Phanuel*, Genef.32. n.31. vt nocturna benedictio, minùs aliorum oculis venditari videretur. *Sed quorfum*, inquis, dura contentio? quorfum lucta, vbi diuinæ vires cedunt quodammodo, fragilitatis labe penè notandæ, fi, vt dixi, da amoris liberalis ftemmate non decorarentur?imò,quomodo liberalitas, quæ fic extorta?certè nunquam Deus liberalior, quàm dum fic fua bona offert, quafi proferat inuitus: vt iam non timeatur venditator,qui venditor fuis git fic haberi. fauet ibi D.Thomas: *Ideo*,inquit,*Deus fingebat fe omnino recefurum, vt inftantia precum fortius retineretur,& quafi violentaretur, feu compelleretur fuum rigorem flectere.* vt dum de violentiâ magis luctantis hominis,quàm de reluctantis Dei benedictio orta videbatur, omnis improperandæ benedictionis timor aboleretur.

1452. Hinc iam intelligis quid fit illud: *fi quis audierit vocem meam,& aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipfe mecum*, Apocal.3. num.20. Quid grandius,quàm cum Deo cœnare? quod beneficium auguftius, quàm fupremo Imperatori difcumbens affidere? Sed expende, dici priùs, *& cœnabo cum illo.* quafi iam Dei cœna fit debita, qui priùs voluit effe hominis cœnipeta. diuina liberalitatis techna: ne fit timor exprobrandi conuiuij præftiti ab illo, qui humanum piffimum affectauit. Gilibertus *ferm.*40.de fponfa Chriftum inuitante ad hunc locum acutè & deuotè fic fubiungit. *Non habes neceffe ò bone Iefu, morari ad oftium fponfæ:ipfa enim te votis vltrò interpellat. redde vicem, reinuita illam Sediffi ad menfam eius, vide quanta fint appofita tibi, fciens quia tanta oportet te præparare: tanta, inquit, & fufficit ei: hoc autem dico: totam fe impendit,tu te totum rependo:quomodo totum erit,fi illam fe totam dat, tu te demidiaři?* Si diuina cœna rependitur magis, quàm impenditur, certè non imputabitur. O quanta liberalitas, occultè illa dare, vnde maiora emantur beneficia,ne quafi liberaliter data,oftentationis periculo expofita videantur: te enim vera occultè dederat priùs Chriftus impendia, quibus anima epulentum illi epulum miniftrabat, quo diuinæ cœnæ emax collaudatur.

D.ftilla

VERS. 5. Diſtillauerunt myrrham.

§. I.

Affectus Deo immolatus detinet, non adimit: differt potius, quàm aufert voluptatem.

1453. EXhilaranda tandem de inuento dilecto ſponſa, priùs mortificante myrrha imbuitur: tunc enim vernat dulcior voluptas, cùm è mortificationis ſepulchro renaſci viſa, incaſſum planè quæreret: nec iucundam de inuentione felici perciperet lætitiam, niſi hæc ſub mortificatione priùs abſconderetur: detinet enim affectus quinis Deo per mortificationem immolatus voluptatem, non adimit: diſtuliſſe magis creditus, quàm abſtuliſſe. Nouerat id Propheta, ideo clamat: *lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*, Pſalm. 85. n. 11. Varabl. vertit: *coge pectus meum, vt timeat nomen tuum.* quia nulla mortificatio ita violenter cogit, quæ paulo pòſt volenter non lætificet: & licèt ſe coactum ex repugnantia carnis fateatur ſe Dauid, breui tamen lætificandum ſe confidit: imò lætitiæ excipiendæ ſolum cor, mortificationi cogendi totum pectus offert: aut quia hanc vberioris menſuræ exoptabat: aut quia illam ex mortificatione ſuſceptam, & ideo ſuauiſſimam, in pectoris meditullio, in corde penitimo recondebat.

1454. Moritur Chriſtus Dominus, & ſol compatitur: mortuo Domino, mortificatâ luce litat pius, tribuſque horis proprio deliquio, vitam tribus diebus mortuam teſtatur prudens. ſed quid? periit ne ſoli voluptas ex proprio fulgore percepta, & ſapienti mortificatione Chriſto immolata? minimè quidem, quin reſurrectionis die, iocundius ſibi reſtitutam gratulatur: ideo de fœminis Chriſtum exquirentibus, *& valde manè, veniunt ad monumentum, orto iam ſole*, inquit Marcus *cap.* 16. *n.* 2. Sed ſi *valde manè* veniunt, quo verbo præuenta aurora deſignatur, quomodo ortus iam ſol interim inſeritur? Reſpondet aptè Chryſol. ſerm. 82. *Qui*, inquit, *præter horam, vt Domino compateretur abſceſſerat claritate, cùm reſurgeret Dominus ante tempus occurrit, & qui vt ſuo commoreretur auctori, ipſam meridianam ſuam mortificauerat claritatem, vt conſurgeret auctori ſuo, cũctis tenebris antelucanus erupit.* Erat igitur *valde manè*, ſi temporis articulum reſpicias: quem tamen indebito ordine ortus ſol præoccupat, vt fideli mortificatione nõ ſine nouæ ſpe lætitiæ defunctam lucem, ſed quaſi in cuſtodia dilatam manifeſtaret.

1455. *Mundi omnia ſic ſper-nendo, vt nec [illegible] digna habentur.* Luctabatur Angelus cum Iacob, id eſt, Chriſtus cum populo Iudaico: ſuperat Iacob Angelum, vt poris eſt Iudæus Chriſtum morti tradere: ait tamen Angelus, ſiue Chriſtus: *dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, Geneſ. 32. n. 26. Sed quodnam, dum ſe vinci ſuſtinet & morti tradi, ab aurora præſidium proteſtatur? breui diſcrimine per mortem, mortalem vitam immortali æuo mutandam indicabat, potuiſſe inter patiendum detineri quidem lætitiam, non adimi, dilatam voluptatem tamquam in cuſtodia, non irreparabiliter ablatam. Euſeb. Gallican. hom. 8. de Paſcha: *hoc indicabat*, inquit, *poſſe eum à morte vinci, non poſſe à ſe retineri: ſed poſt illam fugatâ luce paſſionis noctem, promittit illico eſſe reſurrectionis auroram.* breue interſtitium eſt, pungentis in mortificatione doloris, & venientis ab illa voluptatis: perfecti imitatores Chriſti, huius inſtar norunt experti in ipsâ tribulationis nocte illico aduenturam auroram nuntiare.

Pintus in Cantica.

1456. Iſaac ſuum ipſo nomine riſum & lætitiam patris exhibentem, iubetur fidelis pater immolare. in morituro filio pater mortificabatur, & quot greſſibus ad montem appropinquabat, tot in menſis ſpatiis à voluptate diſcedere putares. iam iam impingendum gladium exerat, cùm audit: *Non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quidquam*, Geneſ. 22. n. 12. equidem, ſi tantummodo vt probaretur Abraham, Dominus ſacrificium præcepiſſet, ſi filium infeſto morbo opprimeret, tabida macie vlcere fœdo: conſtaret enim Abraham, hilaris filium Deo redderet, & cordis penetratorem non falleret, noſque ſatis exemplo conſtantioris alterius Iob firmaret, plus enim Abraham in filio, quàm Iob in propriâ perſona conſtans pateretur: maius ergo aliquid hoc exemplo imperati ipſi patri ſacrificij, & deinceps prohibiti edoctum nos voluit. Vidit D. Bernardus ſerm. de verbis, *Ecce nos*, &c. vbi poſt multa, ſic concludit: *Quidquid affectio propria iudicet, ſecurus eſto: non Iſaac, ſed aries morietur, non peribit tibi lætitia, ſed contumacia, cuius vtique cornua vepribus hærent, & ſine punctionibus anxietas eſſe non poteſt: tenuat enim te Deus, nec mactatur Iſaac, vt opinaris. Viuens viuet, ſed eleuatus vtique ligna, vt in ſublime gaudens, nec in carne propria, ſed in cruce Domini glorieris, per quem nimirum crucifixus ipſe es, ſed mundo.* In ipſo altari lignorum, in ipſa mortificationis cruce vbi lætitiam immolas, vbi holocauſtum reddetis, exſurgis melioris voluptatis phœnix felix: dilata eſt dum incedis, non cùm accedis ablata defœcatæ lætitiæ factus compos, & melioris particeps voluptatis.

1457. Hinc puto inter eundum, licèt ionato doloris ſenſo præditus, nec tamen leui gemitu conſtantiam ſuam violauit Abraham: hinc fuit, vt iam iam percuſſurus, ad diſtricti gladij fulgorem non denſa mœſtitiæ nube, non amaro lachrymarum imbre oculos hebetaret: imò hinc ipſe iuuenis conſtanti pectore victimam agebat, ligari patiens, ne licentioſa natura inuito inuicti cordis robore calcitraret: quia, vt ſuprà dixi, experti & ſpe firmi præſumebant, poſt tam ingentem dolorem, illico voluptatis auroram illis orituram. fauent verba D. Zenonis ſerm. 3. de Abraham: *Religioſus*, inquit, *carnifex ſtringit gladium: patris erat quòd leuauit, Dei fuit quòd pepercit: nec qui feriebatur, timuit: nec qui feriebat, expauit. ſacrificium Domini, non dimittitur, ſed mutatur: melius ſeruauit filium, dum non pepercit: ſola enim fides deambulat inter gladios tuta, inter eſurientes feras amica, in ignibus frigida: ſola fides præferenda, id eſt, operibus ornata, qualis fuit Abraha.* qui ergo voluptatem in ſecuro cupit collocatam, hanc mortificet, ibi meliùs ſeruatur, vbi ab omni putredine præſeruatur.

1458. Exultat ſanctus Iob in ſpe reſurrectionis ſuæ, *& rurſum*, inquit, *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*, cap. 19. n. 26. cum quo grauiſſimè ſic expoſtulat Galfrid. apud Tilm. *Dic mihi bone vir, quid exuuijs talibus opus habes? non potes ſine pelle tam lacera, tam miſera carne beari? repleta eſt iſta putredine, & ſordibus pulueris illa exaruit, & contrita eſt: quid facient in regno Dei, illa ſciſſa vlceribus, & vermibus iſta ſcatens.* ſcilicet cognoſcebat non ſibi ereptam integri corporis ſanitatem, imò per ipſam tantæ miſeriæ mortificationem, in meliorem aliam commutandam exultabat: teſtâ ſaniem radens vlcera exaſperabat, ſed dum caſtigat corpus, omni voluptatis ſenſu longè amoto, longè ſecuriorem paratam ſibi augurabatur voluptatem. bene ergo reſurrectionis memorans lætitiam, laceram pellem,

putridam carnem in medium adducit, quaſi quot vermes, quot vlcera numeraret, tot teſtes futuræ lætitiæ, incontraſtabilis adduceret veritatis: ideo Galfridus. *Erit ipſa pellis, & caro ipſa, ſed corruptio iſta non erit: igitur dum caſtigo & redigo in ſeruitutem, ad illam vitam foueo & nutrio carnem meam.* Vt vel etiam ipſa caro exultet in Deo, & ſub ſpe voluptatis ſacræ purpuræ induendæ, purpureum mortificationis ſanguinem aſpiciat libenter. ideo granum frumenti *cadens in terra,* Ioan. 12. num. 24. Chriſtus celebrauit, quia ex ſui corruptione, hilariùs, & viridantiùs mille aliis coronatum renaſcebatur: apta huc verba Chryſol. ad rem aliam ſerm. 103. *Semina,* inquit, *naſcuntur, creſcunt, adoleſcunt, iuueneſcunt, ſeneſcunt, decidunt, moriuntur, & iterum vitalibus ſepulta ſulcis, reſoluta putredine ſalutari, ex morte in vitam ſuam redeunt, de corruptione, propria ſuſcitantur in formâ.*

§. II.

Sic diuinam vitam viuis mortificatus, quia vitali gladio feliciter iugularis.

1459. APetit ſponſa Chriſto, quærit, vt illum in cordis ſui introducat penetralia, & quid hoc aliud eſt, quàm id conari conſequi, vnde exultans dicat: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus? bene ergo mortificantem amaritudinis myrrham ſic prætendit: vna hæc eſt, quæ, vt dicebat ſuprà Bernardus de Iſaac, vitam tribuit iuſto, ſed ſuper crucem, vt ſublimiori vita gaudeat Chriſto concrucifixus. neque mirum, vitali quippe gladio iugulatur, ſicut auctore Chryſologo, quem nunc audiſti, granum vitali ſepultum ſulco, ſalutari putredine occiſum, reuireſcit amœnus. Breuiter igitur hoc preſſiùs videamus. loquar autem promiſcuè, vt §. 1. egi de morte, deque iuſtorum mortificatione, quia mutuo ſibi præſtant exemplar, & ad rem quam intendimus perinde ſe habent.

1460. Obſtupebat Herodes Chriſti miracula, & in re dubia, illud planè ſibi certius iudicabat, *& dicebat,* inquit Marcus, *quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo,* cap. 6. num. 14. Sed heus tu perfide, ſi audis Chriſtum ſe Dei filium aſſerere, & propterea Iudæorum inuidiam ſibi conflare: quomodo Ioannem, quem hominem noueras, Dei filium & Deum verum aſſeueras? quomodo is, cuius toties ſanctitatem fuiſti expertus, qui ſe huius, calceamenti corrigiam ſoluendo indignum buccinabatur humilis: in tantum poſtea arrogantiæ deueniret, vt ſe pro ipſo agno cœleſti venditaret? equidem non erat Ioannes Chriſtus, occiſus tamen pro illo, iam huius ſpiritu viuens reſpirabat: cæcus ergo, temerè viſus vidiſſe Herodes, & incertus animi, certiſſimum ſcopum planè attigit: viuebat Ioannes in Chriſto, & vitam quam fuderat pro Domino mortalem, immortalem in Domino recuperabat. Acutè Chryſolog. ſerm. 173. *Stultus,* inquit, *de mortuo piè credit, quem feraliter perſecutus eſt viuum, & tamen confitetur ignorans, quia in Chriſto, pro Chriſto reſurgit occiſus.* vt iam non ſolum Chriſti ſpiritu gubernari, ſed animari etiam videatur.

1461. Exacuebat Apoſtolus ad virtutem Coloſſenſes ſuos, quos ſanctitatis Coloſſos ſpirantes, animata fidei optabat ſimulachra; tunc ſic addit: *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria,* cap. 3. num. 3. Sed quomodo, inquis, viui homines quibus ſcribit, mortuos appellat, qui ſolùm vitam abſcondere videbantur? reſpondet ibi D. Anſelmus: *Mortui eſtis, quomodo videntur arbores per hyemem quaſi arida, quaſi mortua: ſed ne areſcatis, intus eſt radix, intus eſt vita, intus eſt charitas, quia vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* vt quemadmodum arbores in hyeme, non tam perdunt vitam, quam æſtate vernaturam præparant, ſuccoque abſcondito diſponunt: ſic iuſti per mortificationem, & ſæuientis inimici tempeſtates quaſi areſcentes, non tam moriantur, quàm meliorem vitam ſibi diſponant: vocantur tamen mortui, quia dum illius vitæ flores & fructus abſconduntur, inſipientium oculis mortui, aridi, & ſine ſpe viroris reputantur. Sed quæ, inquis, hæc vita abſcondita? apertè Paulus, *Chriſtus vita veſtra.* quia dum humanæ vitæ luxuriantis folia, odoratos flores, fructus voluptuoſos ſibi penitus denegant, latenter diuino ſpiritu animantur.

1462. Habet tamen non parum difficultatis, quòd tamquam aliquid diuerſum à Chriſto, vita mortificatorum cum Chriſto in Deo abſcondita dicatur, cùm tamen eiſdem Chriſtus melioris vitæ loco adeſſe, ſtatim nuntietur. Sed pende Pauli ſubtilitatem: cùm enim viuificantis iſtius Chriſti fructus pretioſior nondum adeſſet, ſalus ſcilicet æterna, cœleſtis gloriæ lætitia: bene vita illa meritorum per Chriſtum quæ iam aderat in pectore iuſtorum, ſed quodammodo abſcōdita in Deo, appaɼitura dicitur cum ipſo Chriſto vita glorificationis: vt iam ſub diuerſo reſpectu Chriſtus vita ſanctificans, & Chriſtus vita glorificans diſtingui à ſe inuicem videatur. Fauet Anſelmus ibi: *Verè,* inquit, *cum Chriſto abſcondita eſt, quia cum Chriſto manifeſtabitur: cùm enim Chriſtus apparuerit eſſe vita veſtra, id eſt, cùm omnes in iudicio viderint, Chriſtum eſſe vitam, & ſaluationem veſtram, ſic & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* vt qui occultum Chriſtum per mortificationem trahere videbantur laborioſè, eumdem iam ſuauiſſimè ducere in gloria videantur. Vtrobique ergo in hoc, in futuroque ſæculo Chriſtum reſpirant mortificati: ſed ſpiritum Chriſti hîc ſanctificantem, ibi abſcondunt cum ipſo glorificante, qui nos glorificaturus apparebit, gloriæ reſpiramine dando, datum gratiæ reſpiramen manifeſtans.

1463. Adhuc tamen attentiùs ponderanda illa verba: *vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Vbi quamuis fortaſſe nimij videremur, ſi diceremus Deum ob nimiam charitatem, qua dilexit nos, ideo abſcondiſſe in ſemetipſo vitam humanam, vt illam mutuo quodammodo reſpiraret: at ſaltem fateamur neceſſe eſt, vitam noſtrám, quam diuina commutauimus, in Deo, in quo abſconditùr, locum ſortitam eſſe: cumque transformata in Chriſtum, cum illo abſcondatur, non quemuis locum obtinebit, ſed cor ipſum & ſinum Patris, vbi ſemper vnigenitus inhabitat. huc etiam viſus tendiſſe Anſelmus *ibidem,* vbi ita: *Quia intus,* inquit, *apud Deum viuit affectus deſideriorum veſtrorum, vt extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra ſinum intimi amoris abſcondat.* fortè legendum *abſcondatur.* pergo, ecquæ maior gloria extincti mundo affectus, mortificatæ mentis: quam non ſolùm ex Deo animare, ſed & in ſede amoris, in ſinu ſiue corda diuino conquieſcere?

1464. Certè quàm Lazarus vermibus ſcatens, ſanie pro

profluens, vlceribus fulcatus vitam patienter perdidit: in corde ipsius Patris Deum referentis, felicioribus auspiciis iucundissimam recuperauit: portatur enim ab Angelis *in finum*, id est, gremium Abrahæ, *Matth.* 22. vt in eius corde tandem conquiesceret, cui nullam in vitâ mortificationis labores requiem concesserant: *finum* enim, in hoc Euangelij gremium esse & pectus, præter alios docet passim Chrysol. vt in epistolario meo fusè probo. vnde & *ferm.* 122. clamanti diuiti, *Pater Abraham miserere mei*, sic respondet: *bene diceres, si Lazarum in finu residens, ipsum pectus indicis non teneret.* tenet Lazarus Dei (hunc enim, vt dixi, Abraham repræsentabat) pectus, cordi insidet, excellentius inde respiraturus, qui iacens olim ad portas diuitis suspirabat.

1465. Quis ergo neget vitalem esse gladium, quo sic felices victimæ iugulantur? rogabat Paulus ouium suarum tenerrimus amator, vt immolatis omnibus affectibus se Deo consecrarent: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*, ad Rom. cap. 12. num. 1. Dubitaui suprà *num.* 1448. cur non potius hanc institiæ, quàm misericordiæ postulationem indicaret? sed maiori nunc iure: quid? nonne pro immolato Christo, iustitia diuina, immolationem nostram exigeret necessariò? iubetet meritissimò? sed quamuis hîc iustitia intercederet, nouit optimè Apostolus, summæ misericordiæ Dei esse strictissimam mortificationem nobis imperare, per quam meliori vitæ genere potimur tandem: quidni si ipse gladius qui ferit, sanat, quasi non mortis arbiter, sed vitæ potiùs veneris minister: ideo mortificati, dum hostiæ dicuntur, deuictis iam affectibus, id est, virtutis hostibus immolatæ: pariter etiam viuentes appellantur, quasi vitali gladio iugulati, vitam interim compararent, dum effundunt. D. Chrysologus serm. 118. *Viuit*, inquit, *corpus tuum ô homo, quoties a te virtutum vita, vitiorum mortibus immolatur: non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi.* Grande mysterium: dicitur immolata vitiorum vita, quia Deo offertur, cùm tamen illæsa maneat, tantummodo vitiis morte irrogatâ: quia, vt suprà dixerat Bernardus, Isaac præstantior perstat, aries occiditur, ne tam pereat lætitia, quàm contumacia: durat victima vita quæ vitali sibi ictu, tantum vitiis lethiferis sacrificatur. properemus ad alia.

§. III.

Tam fausto sacrificij genere, caro in spiritum: absque illo, spiritus in carnem, quodammodo commutatur.

1466. Nota tandem, meritò tantâ auiditate sponsam myrrhæ mortificationem arripuisse, vt viuienda Deo, puro scilicet spiritui, tota iam in spiritum occurreret transformata: est enim hoc prædicto mortificationis insitum sacrificio, vt ipsam etiam carnem spiritualisset: sicut immortificatio spiritui videtur fœdam carnis obtrudere conditionem. Monens Apostolus Romanos: *Qui*, inquit, *in carne sunt, Deo placere non possunt*, cap. 8. num. 8. Quid ergo, dicat aliquis, trucidanda caro, ambienda mors, excedendum è vita, homicidium patrandum, vt Deo placeamus? quis hominum in hoc sæculo degit, qui in carne non sit? Respondet ibi Chrysostomus: *Carnem*, inquiens, *hic non corpus appellat, neque corporis substantiam: sed vitam carnalem mundanam, voluptate & luxu diffluentem, qui hominem ipsum quantuscumque est, facit esse carnem: quemadmodum qui spiritu erecti, ac veluti volatiles viuunt, sic & corpus quoque spirituale efficiunt; sic qui a spiritu sunt auersi, ventri autem ac voluptati seruiunt, y & animam carnem efficiunt, non substantiam quidem mutantes, sed illius nobilitatem perdentes.* Non ergo perdenda caro, sed nobilitanda, vt iam instar spiritus erecta, & mortificatis voluptatibus volatilis Deo placeat: sicut & ipse spiritus degenerans in carnem, ipsi displicet.

Pintus in Cantica.

1467. Hominum scelera pertæsus Deus, *non permanebit, ait, spiritus meus in homine, quia caro est*, Genes. 6. num. 3, quia scilicet ipse spiritus hominis iam in carnis conditionem deformatus, carnales sensus induerat, producendis diuini Spiritus fructibus ineptiens. Bene D. Ambros. serm. 4. in Psalm. 118. *Secundum voluntatem*, inquit, *Dei ambulemus, vt adhærere discamus Deo: nam qui secundum corporis appetentiam viuit, caro est, qui secundum præcepta Dei, spiritus est: non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, ne dicamur caro sicut & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est, quia caro sunt.* iam planè nihil spiritus in se continebant, qui solo carnis titulo insigniuntur; nihil præterquam carnis tribulos germinabant, qui spiritus amiserant appellationem: ideo non permansit in illis spiritus Dei, qui spiritus sibi exoptat vnitendos. Ponderosè, vt solet, Chrysost. hom. 13. in hunc locum, sic verba paraphrazat ex ore Dei: *ego substantiam ex anima, & carne illis dedi: ipsi autem quasi sola carne circumdati, ita virtutes animi negligunt, & solam carnem sectantur.* sic miseri carnis pedissequi, animæ pulchritudinem deformarunt, & Spiritum sanctum proiecerunt, qui solum in spiritibus conquiescit: vt iam ex anima & carne compositio, vndique *caro* appellentur: sicut vndique *anima*, iusti mortificati appellantur. probat id multis Ambros. *loco citato.*

1468. Pulchrè autem *lib. de Isaac & anima*, componit hunc locum *Genesis* 6. de quo diximus, cum illo alio Genes. 46. num. 26. *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex.* quasi iusti vndique animæ dicerentur carne iam in spiritum transformatâ. Notandum tamen ad rem nostram qui suscipiendo Deo sponsam mortificatione paratam prædicamus, aptissimè in hoc loco iustos animarum vocabulo insigniros: cùm enim Ægyptij omnes, ad quos veniebant (instar illorum, qui in diluuio perierunt) quia caro erant, Deum à se propellebant: meritò Hebræi, qui Deo adhærebant, gratum illi hospitium parantes, animæ tunc dicuntur: quasi tanto hospiti excipiendo, carnem etiam spiritus conditione illustrarent. Fatetur citatus Ambros. *De alterutro, inquit, legitur, quia homo dicitur, & de anima & de carne: sed illa discretio est, quod vbi anima pro homine ponitur, Hebræus significatur Deo adhærens.* quasi non posset Deo adhærere, si in carne carnalitatis aliquid retineret, cùm qui adhæret Deo, cum illo vnus fiat spiritus necessariò.

1469. Sunt quidem optima, licèt obscuriuscula in hanc rem illa Dauidis: *Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, Psalm. 72. num. 26. Ænigma puto, quomodo cum in deficiente corde Deus permaneret? quomodo Deum cordis sui appellat, qui cor suum euanuisse iam testatur? qui retinet vbi Deum excipiat cor, qui vt aptè exciperet, cor ipsum defecisse prore-

ſtatut? pende attentiùs verba: Caro cum corde dicitur defeciſſe, vt quidquid carnalitatis in corde erat, periit, vt in ſpiritum totum mutaretur: neque illius cordis eſſet Deus, id eſt, in corde illo non ſubſiſteret, quod mortificatione præuiâ, quidquid carnale habuerat, non deſtrueret. Nunc capies D. Paulinum epiſt. 25. *Quia*, inquit, *tunc Deus eſſe dignatur cordis noſtri Deus, cum noſtrum, quod eſt carnale defecerit, ſpirituali ædificatione deſtructum.* mutaretur cor Prophetæ conditionem, & deſuper ædificato ſpiritu, ſpiritus nobilitatem, abiectâ vilitate carnali adeptum erat: nec enim niſi deficiens in carne, Deo ſufficeret ſuſtentando: nec erigitur ſpirituale ædificium, niſi carnale penitus euertatur: huius ruinæ, illius ſunt fundamentum.

1470. Prædicabat conſtanter Ionas: *adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*, cap. 3. n. 4. ab exitu comminatoriam dixeris ſententiam, & ſolùm conditionali ſenſu verificandam. mihi tamen dubium ſemper, cur idololatris adhuc, & ignotantiæ nocte ſepultis hominibus, comminatoria conditionis tacitæ, conditionalis ſcientiæ decreta proponantur: quæ tamen viris etiam fidelibus ſic obſcura, vt ne, quod ipſi putant, dubium Deum faciant, malint conditionalem ſcientiam amandare. Sed hoc quamuis doctis immeritò obſcurum videatur: indoctis tamen Niniuitis ſcrupulum neceſſariò ingereret. Putarem ergo aliquid etiam ipſo exitu probatum illis nuntiari, euertendos ſcilicet mores Niniuis, vt in deſtructæ carnis ruinis, ſpiritus ædificium erigeretur. Acutè D. Eucherius Lugdunenſis, imò, vt ſæpe dixi, Euſebius, non ille Emiſſenus hæreticus, ſed Gallicanus, homil. de Pœnit. Niniuit. *Subuertitur*, inquit, *planè, cùm calcatis deterioribus ſtudijs, ad meliora conuertitur: ſubuertitur, inquam, dum purpura in cilicium, affluentia in ieiunium, lætitia mutatur in fletum.* ſic deſtructa carne, ædificatur ſpiritus, & fit ad meliora ſtudia de ſubuerſione felici, conuerſio feliciſſima.

1471. Dubitaſtiu' aliquando quid ſit illud Iſaiæ de Deo creatore locutus: *dans flatum populo qui eſt ſuper eam*, (terram ſcilicet) *& ſpiritum calcantibus eam*, cap. 42. n. 5.? ſi enim de vitæ principio, id eſt, anima, ſermo inſtituitur, cur tam diuerſis vocabulis inſignitur? pende illorum diſcrimen, quibus datur: alij ſuper terram ſunt, id eſt, in illa incedunt, quaſi ſibi in eâdem complacentes: alij calcant, id eſt, de faſtidio premunt, ſubigunt de deſpectu: bene ergo horum anima de ſpiritualibus operibus ſpiritus nobiliori vocabulo inſignitur. bene anima illorum vilis flatus appellatione nuncupatur, vt in porcis (quod dicunt) anima eſt pro ſale, ſic in iſtis flatus eſt pro anima: carnalium quippe vita, & anima iam tota penè caro, leui tantùm reſpirationis flatu ſignificatur. acumen eſt Tertull. lib. de Anima cap. 11. *Anima*, inquit, *id eſt, flatus populo in terra incedente, id eſt, in carne carnaliter agenti: poſtea ſpiritus eis, qui terram calcant, id eſt, opera carnis ſubigunt.* vt ſi quando carnalis homo viuere videatur, non tam humanam vitam ex ſpiritu, quàm ex craſſa quadam & ſimili beſtiis animâ, imò leui quodam vento, viuentem quamdam naturam manifeſtent, fatentur id ipſi impij Sap. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tamquam non fuerimus, quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum.* hi, & ſimiles huius æui ſub Caluiniſticâ laruâ puri puti atheiſtæ, & ſi numquam mortalem animam poterunt probare: at ſic carnalem operibus manifeſtant, vt ſibi tantùm leuem quemdam flatum relictum fateantur: verè moribundi, quibus hoc vnum tenuiſſimæ vitæ ſignum ſpiratur.

1472. Ideo Apoſtolus de Iuſtis: *qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum*, Rom. 8. n. 4. vbi audiendus Chryſoſt. homil. 13. *Non ſatis*, inquit, *eſt nobis ad ſalutem, à malo declinare, ſed & bonis operibus operam dare oportet. hoc porrò erit, ſi ſpiritui animam dederimus, tunc carni perſuaſerimus propriam ordinem ſeruare, locumque agnoſcere ſuum: nam ita demum illam efficiemus ſpiritualem, quemadmodum ſi nos ipſos ad ſocordiam, ignauiamque dederimus, animam etiam carnalem efficiemus.* quaſi anima non data ſpiritui, vt ſuprà dicebam, non tam ſit vita hominis, quàm vegetantis corporis veſtigium, & caro immortificata imperans ſpiritum infauſtum, miſeram animam in ſe conuertat. neque mirum: qui adhæret meretrici, inquit Apoſtolus 1. *Corinth.* 6. vnum corpus fit cum ea: & ſpiritus miſerè vxorius, & carni ſuæ deditus, in ipſius carnis naturam deformatur, quam feliciter mortificatam in ſe poſſet transformare. Quid enim eſt terrena iſta caro, niſi meretrix inſidioſa? Ambroſ. *ſerm.* 4. *in Pſalm.* 118. ad hunc locum Pauli: *Terra*, inquit, *iſta, quam gerimus, meretricij quibuſdam nos illecebris capit: & quaſi vultus quoſdam voluptatum corporaliumque delectationum fucu illinit, vt lateat in his veritas: & foreuſi quadam ſpecie decipit appropinquantes.* non ſolùm decipit, ſed captos in ſe transformat ſpiritus, & miſerâ deformitate ſibi conformat, Deo deuenuſtat Circe potentior.

1473. Quantum propterea huic malo remedium parauit Deus! dixi ſuprà *ad cap.* 4. ideo Verbum quod totum aſſumpſit hominem, tantùm caro fieri dictum, & proinde incarnatum celebrari, vt hominem iam totum in carnem conuerſum denotaret. Sed latet adhuc noua emphaſis ratio ad rem præſentem in verbis Ioannis: *Quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, Ioan. 1. à n. 12. Nos recipimus Chriſtum, ille nobis inhabitat: inde ex Deo naſcimur, vnde Deus naſcitur à fœmina. bene ergo tunc non ex carne naſcimur, non ex viro, vt iam caro eſſe deſinamus, & ſpiritus vicem Domino rependamus, qui pro nobis caro fieri dignatus eſt, non poteramus ſcilicet aliter, niſi per mortificationem ſpirituales facti, in Deo (inſtar mortificatæ ſponſæ) habitare, illi vniri: vt & ipſe iam caro factus habitaret in nobis. debes grauiſſimam gnomen Auguſtino tomo 2. epiſt. 120. ad Honorat. *O homines*, inquit, *nolite deſperare vos fieri poſſe filios Dei, quia & ipſe filius Dei, hoc eſt, Verbum Dei caro factum eſt, & habitauit in nobis: reddite vicem, efficimini ſpiritus, & habitate in illo, qui caro factus eſt, & habitauit in vobis.* turpe ſit tam felici fortunæ, tam fauſto fœnori manus non inicere.

1474. Vidimus quantum remedium; videamus ad rem tituli noſtri, & ad eius calcem quanta illorum pœna, qui iſtud ſpreuerunt. Sunt difficilia, ſed ex dictis explicanda illa Petri, vbi diuinum iudicium inculcans, ſic concludit: *propter hoc & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur ſecundùm homines in carne, viuant autem ſecundùm Deum in ſpiritu*, 1. cap. 4. n. 6. Euangelizare in hoc loco nihil eſt aliud (auctore Iobio iam citando) quàm nuntiare ſimpliciter, & ſententiam Euangelio conformem irrogare. & quorſum, inquis, tendit hæc vltima ſententia, vt cùm mortuorum quoſdam æterno igni amandandos, alios cœleſti regno vocandos nouerimus: in

hoc

hoc loco dicatur, illos carni, hos ſpiritui adiudicandos? reſpondet Iobius Monachus apud Photium cod. 221. *Quemadmodum*, inquit, *aliquem damnari atque puniri dicimus igne: ſic & ſacra Scriptura dicit, vt iudicentur carne; grauiſſima enim pœna eſt, maximè reſurrectionis tempore, quando eâ delectatione perfruuntur iuſti, quæ humanam omnem ſuperat, & ſpiritu viuunt: tunc peccantium multitudinem in nuda carne, & ſine vlla ſpirituali gratia, vitam ſuam in æternum transfigere, atque conterere.* Sic qui in vitâ nihil præter carnem habuerunt, poſt mortem eo maâlè torquentur, quòd ſemper meræ carni conuiuere iubeantur: ſicut econtra ij, qui ad ſpiritus iura, carnem dum viuerent reuocarunt: tunc glorioſis dotibus immutati, nullo videbuntur carnis pondere grauari, ſed eidem quodammodo ſpiritualiſſatæ congaudere. noua difficillimi loci explicatio, & quæ formandis moribus venit aptiſſima præſenti loco.

VERS. 6. Anima meâ liquefacta eſt, &c.

§. I.

Tenerrimo Deus amore vulneratus, languidus, liqueſcens.

1475. VOcauit, vt in dramate expoſui, ſponſa dilectum amatorio blandimento *animam ſuam:* quem, vt vides, deſcribit liquefactum. ne mireris, nouit tenerrimus hominum amator Deus, de nimiâ charitate vulneratus, quodammodo languere, imò liqueſcere, vulgaremque hyperbolem, qua amantibus tribuimus *derretirſe*, ſuperare. Amoris pathos, & affectus penè innatus, languoris teneritudo: bene Gilibertus ad illa verba ſponſæ: *adiuro vos filiæ Ieruſalem, &c ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, Cant. 5. num 8. ita habet. *non languet amor, ſed languet amans: vbi viget amor, ibi viget languor, ſi abſit quod amatur. quid eſt languor niſi affectio quædam de abſente dilecto, amantem conficiens?* ſic quo viuidior amor, eo amans languidior. Originem verò huius languoris, aperit Græca verſio, quæ habet: *quoniam vulnerata charitatis ego ſum.* vbi D. Ambroſius: *Vulnerat*, inquit, *Dei verbum, ſed non vlcerat: eſt vulnus boni amoris, ſunt vulnera charitatis: quæ perfecta eſt, vulnerata eſt charitatis.* quidni ergo langueat amans, ſi fons vitæ, ſi cor ipſum vulneratur? videamus ergo iam Deum corde vulneratum, & inde totis amorum delitiis tenerrimè languentem augurabimur.

1476. Delirat homo, Deum amantem deſerit, iudicem prouocat: qui tunc *tactus dolere cordis intrinſecus: delebo, inquit, hominem quem creaui*, Geneſ. 6. num. item 6. ecquis vnquam, iratus meritò ad vindictam corde doluit? ſæuit tunc animus, prudens ſuſcitatur furor, zelus ad iuſtitiam commouetur: ſed dolor vnde? ſed interim, inquis, amat dum vindicat, ideo etiam dum punit, doleat neceſſe eſt: bene eſt, doleat amator, qui inuitus punit quodammodo: verumtamen cur ſignatiùs corde doleat, qui brachio gladium immittente, vt vulgo ſolemus dicere, doliturus videbatur? reſpondet Hugo Victorinus hîc apud Godefr. *Nota*, inquit, *quòd pereunte homine, Deus dolore cordis intrinſecus tangi dicitur: ibi enim dolor fuit, vbi amor.* vulneratus charitatis in corde Deus erat: recruduit amoris vulnus, doloris nouo vulnere ſtimulatum: nec ira iuſtitiæ gladius hominea delinquentes, quàm gladius amoris, cor, deſtinatum punituri Iudicis ſcopum vulnerabat. non ergo alio aptius venit dolor, quàm vbi amor doloris cauſſa fouebatur. dicebat Ambroſ. ſerm. 14. in Pſalm. 118. *habet clauum ſuum charitas, habet gladium ſuum quo anima vulneratur: felix qui hoc gladio meruit vulnerari.* imò felicior anima, inquam ego, quæ hoc gladio ipſum Deum meruit vulnerare.

Pintus in Cantica.

1477. Obſtupebant, credo, homines ad verba illa Chriſti, quæ Dominus tamquam quid maximum prædicabat: *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. num. 12. quis enim non miretur ſaluo cœleſti Iudice, Deo ſoſpite, cœleſtia violenter aſcendi mœnia, & adamantina diuini domicilij propugnacula, vi expugnari? iuſta planè admirationis ratio, ſi conſtaret, vt ita dicam, ſalus ducis, quod liberè ſupponis: languet quidem Deus amore, charitate vulneratus: quidni cedant mœnia, ſi cedit dux? quidni triumphet homo cœlos, ſi Deum amoris iaculo detriumphat? non auderem, ni ipſe teſtaretur: *Vulneraſti*, inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum*, Cant. 4. num. 9. de quo pulcherrimè Gilibert. ſerm. 30. *Acutus*, inquit, *& efficax, & verè violentus, qui tuum Ieſu bone meretur, & mouet affectum: magna & violenta eſt vis charitatis, ipſum affectum Dei attingens & penetrans, & velut ſagitta iecur eius transfigens. quid mirum ſi regnum cælorum vim patitur? ipſe Dominus violenti amoris vulnus ſuſtinet.* languente duce, languent militum arma, & ipſa propugnacula languida videbuntur.

1478. Explicabis hinc illud *Abacuch 3 n. 3.* de Chriſto: *ſplendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* vbi ex Hebræo legunt: *ibi poſuit charitatem firmam gloriæ ſuæ.* quaſi nunquam Dei charitas ſit firmior, nuſquam conſtantior, quàm vbi fortitudinem abſcondit, quando tenerrimè languens infirmatur: vt ita in luce maieſtatis, in cornuum præſidio, amoris teneritudo vigeat, & ſplendeſcat. Sic Aſſuerus in gloriæ ſolio, & ſceptri aurei ſplendore metuendus, dilectæ Eſtheris languore viſo, viſus fortitudinem abſcondiſſe. dum *feſtinus ac metuens exiuit de ſolio*, cap. 15. num. 11. nec enim pudet Regem in ſumma potentiâ conſtitutum metuere, qui ad amatæ languorem ſimili etiam affectu turbabatur, *num.* 19. penè cum exanimata deliquio, exanimatus. affectuoſior eſt amor diuinus, ideo ad locum ſuperiori num. citatum ex Cant. *vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* ſic habet ibi D. Iuſtus Orgelit. *Vulnus*, inquit, *illud cordis, dilectio eſt ingentis amoris: itaque in illo oculo Eccleſia Chriſto complacuit, quoniam non temporalia, ſed æterna proſpexit.* ingens amor qui vulnerat, vt initio dicebam, languorem affert.

1479. Sed certè amantis languor tunc verè amatorius, cùm ex deliquiis tranſit ad liquores: vel, vt clariùs dicam, quando amans non ſolùm languores patitur, & deliquia, ſed etiam totus præ amoris teneritudine, imò ardoris vehementiâ colliqueſcit. Videamus id prius de iuſtis, vt quæ ſit liquefactio Dei videamus. *Memor fui Dei*, dicebat Dauid, *& delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus*, Pſalm. 76. n. 4. Et quomodo, inquis, deficit ſpiritus, qui immortalitatis fulget prærogatiua? deficere videtur, dum videtur deeſſe corpori quod animabat, quaſi fugiat, quaſi diſcedat, ſe ipſum æſtuantem ferre non potens extra corporis anguſtias, laxiora reſpirationi ſpatia quæſiturus: ſicut cera quæ à facie ignis deficiens, ſui impotens dum exæſtuat, videtur à ſemetipsâ ſui

impotens fugere dum liqueſcit. myſtico planè acumine Gilibert.ſerm.47. *Quæ eſt*, inquit, *humanæ mentis fortitudo, vt ſuſtineat, cùm eam ille cœleſtis amor ſponſi exagitat? liqueſactus in hac exercitatione ſe fugit animus, amoris violentiam ferre non valens. Sic enim in conſumpta materia etiam deficiente languidiora redduntur ignis incendia, & Deus noſter ignis conſumens eſt. Sentit omnino vim ſermonis huius, qui vehementiori languet affectu: in meditatione Dei ſui delectatus, exercitatus, & deficiens. O potens, & præpotens paſſio charitatis! ſi non temperatur, non toleratur: iure potens, quæ animum quem poſſederit, ſui ipſius efficit impotem.* Amoris itaque apex, languor: languoris vehementia æſtuans, liquefactio, qua animus à ſe fugit deficiens, declinat effuſus.

1480. Sed quò fugit? certè cereus globus aduerſo igni adliqueſcens, ad ignem excurrit fluidus, ab igne conſumendus, in ignem transformandus. Sic ſpiritus qui liqueſcens à ſe fugit quaſi reſpiraturus, ad Deum qui ignis conſumens eſt, confugit, tunc quieturus, cùm in eumdem, ab eodem abſorptus transformabitur. hunc locum, quem ſub hac notatione ſingularis (vt in dramate) de ſponſo explico, cæteri de ſponſa explicarunt: ſtemus nunc illis, vt dicta comprobemus. pulſarat Chriſtus cordis oſtia, tardauit ineptiens ſponſa, & dum friuolas concatenat excuſatiunculas, dilectus declinarat, atque tranſierat: tunc exſurgit illa, aperit, vbi non inuenit, ſubdit: *anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt.* Sed quid nunc, inquis, memorat liquefactionem, quæ inquiſitionem narrare feſtinabat? quia liquefacta quæſiuit: quia dum creſcit amor, colliqueſcens effunditur celerior ſic effuſa impetuoſi inſtar fluminis dilectum conſecutura. idem Gilibert. citatus: *Bene*, inquit, *liquidum quod ex puritate dilecti claritatem percipit, & quaſi percitum & promptum extra ſe effuſum, poſt dilectum feſtinat, qui iam pertranſiit.* felix qui id experitur, ego turbans ſcribo, quæ non capio.

1481. Non poterat ſumma hæc languentis amoris perfectio, tenerrimi amatori noſtro Deo deeſſe: liqueſcit etiam ſuauiſſimus, piiſſimus effunditur. neque enim in amoris effectibus, & affectibus à creaturis ſe patitur, imò nec poteſt ſuperari: effunditur quandoque anima & liqueſcit vt Deum aſſequatur, fateor: ſed certè id ex eo fuit quod ipſe priùs liqueſcens & effuſus illam aſſequeretur: exultans adeò hoc affectu, vt tamquam è glorioſiſſimo ſtemmate inde ſibi glorioſiſſimum titulum affectaret. Fatetur id ſponſa Cant.1.num.3. *Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* neque enim Deum ita diligerent, vt poſt eum liqueſcerent: niſi ipſe priùs liqueſceret poſt illas, & tota funderet viſcera miſericordiæ: è paternoque ſinu, ad parthenicum gremium condeſcenderet. Philo Carpath. ibi: *Immenſam*, inquit, *ipſius miſericordiam atque pietatem erga nos oſtendit, tunc enim verè effuſum, cùm ſe noſtra mortalitate contexit, vt nos ſua immortalitate donaret. tunc ſeſe totum nobis per viſcera ſua miſericordia effudit cum pro nobis vel crudeliſſimè non recuſauit.* & poſt multa de hac re, concludit de adoleſcentulis: *nam poſtquam Deus noſter in carne apparuit, ſuaque diuinitatis odorem hominibus impertiuit, cœperunt tunc animæ iuſtorum nomen ipſum effuſum in cordibus ſentire, ipſumque vehementer amare.* neque enim ita vehementer amarent, & liquefactæ poſt Deum ſe effunderent, niſi ipſe priùs colliqueſcens amore effunderetur. benè propterea Ambroſ. *lib. de Iſaac cap.*8. explicans cur ſponſa dixerit, *dilectus meus mihi, & ego illi*, Cant.2.num.16. ſic habet: *ille enim demonſtrante ſe, etiam adhærendi Deo ſumpſit affectum.*

1482. Viuus Chriſti figura, expreſſiſſimum ſymbolum Manà: videbatur propterea, omnes temporis iniurias, omnes creaturarum influxus ſuperaturam, ſicut Chriſtus etiam mortis iacula ſuperauit: audis tamen: *cumque incaluiſſet ſol, liqueſiebat mana*, Exodi 16. num.21. Heus cœli panis, quid terris influis, breui diffluxurus? quid non perſtas, Chriſti imaginem præſtiturus? an non à generoſitate deliquis, dum liqueſcis? ſed quid faceret vmbra, ſi veritas idem præſtat: in re nulla expreſſior ſimilitudo, quàm dum præcipuam exemplaris ſic exhibet conditionem ſi amoris ſui feruore liqueſcit Chriſtus, cur feruidis radiis mana non colliqueſcat? Sapienter, & eleganter Balduinus ibi apud Tilmanum: *Mana*, inquit, *liqueſieri dicitur, quia Chriſtus cùm corde ſuſcipitur, quodammodo per compaſſionem reſolutionem patitur: quomodo enim cor peccatoris à ſua duritia reſoluitur, ſi non Chriſtus à duritia Iudicis relaxatur? qui cùm peccata ſoluit (ſicut glacies in ſereno ſoluitur) ipſe tunc à ſeueritate Iudicis reſoluitur: vt in verbo eius mens attacta in ſpe veniæ, amoris deſiderio molliùs reſoluatur.* neque enim liqueſieret amore pœnitens, niſi verum mana, diuinâ priùs liquefactione molliretur.

§. II.

Peſſimum morbi genus eſt, quod vltrò refugit medicinam.

1483. PRæteritæ in aperiendo moræ pœnas à ſemetipsâ poſtulat ſponſa, & dum ſe culpâ læſam agnoſcit, ſurgit remedium, in ipſo Domino ſibi quæſitura: inueniet quidem illum, & ſanabitur: ſolummodo enim deſperandum illud morbi genus, quod tam quærit, quàm refugit medicinam. Voluit ergo ſponſæ exemplo Spiritus ſanctus illorum proteruiam reprehenſam, qui extremo vitiorum morbo laborantes non ſolùm ſalutem non ambiunt, verùm vltro oblatam ſponte fugiunt: occaſioneſque vbi à culpâ reſipiſcendum ſibi præuident, eas prætiment, præcauent, atque euitant. hinc bellè Tragicus in Hippolyto:

Pars ſanitatis, velle ſanari, fuit.

quia certè ſunt aliqui, qui ſanari nolunt, qui fugiunt medicinam, neque ſe adiuuant: vnde aptè præcedit in eodem Seneca,

Furorem ſiſte, teque ipſam adiuua.

Neque video cur non bene cohæreret hæc duo carmina, dixerit noſter Delrius, qui aptum locum ex Nazianzeno *Apolog.*1. huc adducit: addo & alium eiuſdem ex eodem libro: *Nobis*, inquit, *ingenij ſolertia, & cæcus noſtri amor, & quod facile cuique cedere nec ſcimus, nec ſuſtinemus, plurimum ad virtutem impedimenti affert: ac velut inſtructâ acie ſeſe iis, qui nobis opem ferunt, opponit, quantumque ſtudium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum Medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus: atque in noſtram perniciem fortes ſumus, & aduersùs ſanitatem noſtram periti.* vbi plura in hanc rem ſubtexit elegantiſſima.

1484. Inuidet impius frater, fratri virtutem, & inde inſidiatur eius vitæ: tunc *egrediamur*, inquit, *foras*, Geneſ.4.n.8. foras ſcilicet, id eſt, in agrum, vt ex eodem numero apertè conſtat: ideo ex Græco legitur, *eamus in campum*; ſed cur non ad nemus inuitat vernans, cur non ad prata florida, cur non ad læta ſata magis inuitat, ſed ad campum, ſcilicet

nudam

nudam terram, fronde, flore, fructu vacuam, hanc enim ager, & campus propriè deſignat? reſpondet Ambroſius lib. de Cain & Abel 2. cap.8. *Videtur*, inquit, *veritus, ne largior boni terra prouentus triſte facinus impediret, & liberalitatis aſſuetudine genitalis, qua facit ſibi fœtus & fructus varios germinaſcere, in hoc quoque criminis apparatu, vel muta ſpecie ſui, fraternum reuocaret affectum.* nouerat ſceleſtiſſimus fratricida germinantis naturæ feracem benignitatem, poſſe deſignio ſuo crudeli, & feritati impiè obuiare, & reſipiſcendi eſſe occaſionem; quomodo enim non reuocaret erga fratrem charitatis affectum, ſi naturæ ipſius vberrimos effectus contemplaretur? quomodo ſanguinem impius effunderet: ſi cerneret in fructus piiſſima terræ viſcera effuſa? quomodo Abelem vita ſpoliaret, ſi frondeo, ſi odorato comptu arbores, flores aſpiceret vitaliter veſtitos? has ergo occaſiones diligens, & malè prudens euitat, fugit: vt morbo pereat, perimit medicinam.

1485. Diſſipaturus bona, quæ pater illi tradiderat liberalis, abit prodigus *in regionem longinquam*, Luc. 15. n.13. nec videas cur itineris ſubeat faſtidium, viarum pericula qui poterat facilè in eadem ciuitate emancipatus, & ſui iuris, acceptam hæreditario iure ſubſtantiam nemine interueniente dilapidare. Quò abis infauſte adoleſcens? ibi ibi ſunt amici praui, deteriores amicæ, quibus aſſuetus, paternam pietatem diſſueuiſti: iam tuus es, iam poſſides tua: nunc largior indulge vitiis, quibus fueras ineſcatus: cur foris quæras, quod domi adeſt? heu! non ſolùm affectat morbum, ſed etiam vltrò refugit medicinam: reſipiſcendi præcidit occaſiones: parentales oculi præberent ſanitatem, quia, vt habet hî Chryſologus ſerm.1. *dies eſt aſpectus matris, ſol patris rutilat in vultu:* timuit ad quoſuis lapſus, ad quæuis vulnera, Medicos illos oculos experiri: fugit cenſorium pietatis conſpectum, qui deſpectam iam habet medicinam, dedit ſe tenebris, & ideo lucem refugit vt exoſam: *viuenti*, addit Chryſol. *inter tot virtutum duces* (lego *luces*) *criminum tenebra propinquare non poſſunt.* infelix ergo abit in longinquum, vt hæ abſque remedio appropinquent.

1486. Quamquam in templo ſibi gratiſſimo, & nouo intellectuali cœlo, domicilium in Adamo Deus collocarat; peccat ille, & diſcedit iſte: auditurque *Geneſ.3.n* 8. deambulans ad auram poſt meridiem, quia, vt ſæpe notaui, deambulando gradus tardabar, non diſcedebat currendo, ſi fortè à pœnitente reuocaretur. quid tunc Adam? *Abſcondit ſe*, inquit textus, *& vxor eius à facie Domini Dei*, ibidem nimirum ſchiſma diligebat, & infauſtum diuinæ ſeparationis morbum affectabat: ideo diuinæ ſocietati ſalutari aſpirare recuſabat, Hugo Vict. hîc apud Godefr. *Quid facis*, inquit, *ô Adam? quare ſiles? voca diſcedentem, ſequere fugientem, quoniam adhuc prope eſt, & expectat ſi fortè reuocetur*, &c. *ſed heu! non eſt qui memor ſit amoris, qui charitatis recordetur cui cordi ſit ſocietatis affectus.* cui enim cordi erat ſeparationis morbus, non poterat non excors ſocietatis fugere medicinam: inde abſconditur ſi quo modo etiam quæſitus nequeat inueniri.

§. III.

Sic quodammodo inuiti, beniuolâ cœleſtis Medici indigent violentiâ.

1487. Hinc fit vt diuina miſericordia fortiter attingens, & diſponens omnia ſuauiter, ſuauiſſimâ quadam (ſaluo ſemper libertatis arbitrio) & beniuola vtatur violentiâ, qua hi inuiti quodammodo amiſſæ ſanitati valeant reſtitui: medicas quippe diuinas manus ſemper fugerent, ni ipſæ inuitos modo dicto caperent, pari, imò maiori, pietatis impetu currentes ad medendum, quo illi prauitate furientes, ad euitandam fugiunt medicinam. *Venite*, inquit Oſeas, *& reuertamur ad Dominum: quia ipſe cepit, & ſanabit nos*, cap.6.n.2. Si iam ceperat, id eſt, captos habuerat, quid adhuc ad reuertendum prouocantur? quia adhuc affectu reſiſtere videbantur, & in ipsâ captione beniuola violentiæ coactione Deus indigebat, congruentibus ſcilicet gratiæ circunſtantiis, ne oblatam reſpuerent ſanitatem, ac ſi dicat: cur non acquieſcimus Domino medicanti, qui nos ſanandos, non iam vocauit obſurdeſcentes, quàm iniectâ gratiæ manu capiens, pius coactor detinet ſanaturus? Stephanus Cantuar. hîc apud Tilm. *In verbo*, inquit, *capiendi, quaſi coactio notatur: capit enim per gratiam Deus hominem, fugientem per peccatum. vnde: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.* itaque non currimus ad Chriſtum medicum, nec capimus, aut cupimus medicinam, niſi piâ nos capiat miſericordiâ, & ſuaui congruentis modi detineat coactione, beniuola violentiâ.

1488. Quibus non gratiarum incrementis reſponſuram, quibus non humilitatis obſequiis humanam naturam crederes proſecuturam, fauſtum illud nuntium, quo Deus induturus hominem prædicabatur? offerenda quidem vltrò videbatur, ſupplicatura tantæ felicitatis aduentum, & honoris eximij dignitatem? audi tamen quid de hoc Paulus: *nuſquam enim*, inquit, *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, Hebr.2.n.16. Apprehendit? ergo non liberalem aſſumpſit, ſed reſpuentem coëgit: ergo non venientem excepit, ſed detinuit diſcedentem. ita eſt, fugiebat natura portionem illam ſacratiſſimæ humanitatis, quantum eſt ex ſe, Verbo negatura, ne tota inde ſaluberrimam medicinam experiretur: fœdè fugientem, piiſſimè inſecutus Medicus, quaſi inuitam detinuit apprehenſam. Acumen pium Chryſoſtomi ibi, apud gloſſam: *Apprehendit*, inquit, *non aſſumpſit, quaſi longè fugientem conſequens, in quo humanæ naturæ dignitas intelligi poteſt: & miſericordia & gratia, quæ hoc fecit, & cura, quam de nobis habuit: fugientem quippe ante humanam naturam, & longè fugientem (longè enim eramus) inſecutus apprehendit.* quam explicationem loco ſuprà citato annectit etiam dictis Cantuar.

1489. Superat mortem Chriſtus parato ſibi de cruce ferculo triumphali; aſcendit ſupremi Capitolij cliuum, & auctore Propheta ſeſſurus ſuper cœlos cœlorum ad Orientem: videbatur ergo, verſa ad orientalem plagam facie Chriſtus expiraturus, quaſi iam ſibi rectam viam ad cœli tractum vbi conſtiturus deſignaret; & tamen conuerſâ ad Occidentem facie occubuiſſe conſtans eſt multorum opinio: vide Adrichomium *in Theatro terræ ſanctæ, in deſcript. Ieruſalem, num.*152. Damaſc. *lib.*4. *fidei cap.* 13. quos affert nominis & religionis conſors meus Pinto *lib.*1.*tit.*2.*loco* 2.*num.*9. hucque vult alluſiſſe Ieremiam 18. num.17. *dorſum, & non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.* quia Golgotha vbi crucifixus Dominus ad Occidentem eſt Ieruſalem, vbi deinde auerſo à Iudæis vultu Saluator gentes quæſiturus occubuit, nunc attende. Quid gentibus à quatuor terræ partibus conuocandis, cum Occidente: vt eo ſaluaturus redemptor præcipuè attenderet, & quaſi eo immittendam, ani-

nam exhalaret? quia vbicumque essent gentes morbo detentæ, fugientes remedium ad mortis occasum miserè properabant: insequitur ergo has Christus, quasi inuitis salutem illaturus. sic capio eumdem Stephanum Cantuar. *loco citato*, qui concludit: *propter illam fugam designandam sic dispositum erat tabernaculum, & etiam templum, quòd Sancta Sanctorum essent ad Occidentem: nunc autem apprehenso fugitiuo, caput Ecclesiæ est ad Orientem, propter idem habuit Christus faciem in passione ad Occidentem.* nimirum eò respiciebat, quò fugitiuus homo tenebricosi occasus amator spretâ medicinâ, properabat, inuitus quodammodo beneuolâ violentiâ capiendus.

1490. Obtulerunt quidam olim eidem Domino sanandum paralyticum, *& videns Iesus*, inquit Matthæus, *fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, cap. 9. num. 2. Mirare sententiam: sanando paralytico, aliorum fides commendatur, ægrotusque, quasi id antea non fecisset, ad similem fidei confidentiam impellitur: quia aliorum quidem fides, merita aliorum Christum Dominum de congruo impulerunt, vt congruam medicinam spirituali hominis paralysi, & deinde iustificantis gratiæ sanitatem homini adhiberet: quia ipse paralyticus, vix leui quodam & naturali suspirio animæ suæ salutem concupierat. Sed quemadmodum humanus solet Medicus, conuitiantis phrenetici verba non attendere, & ad omnem adhibendam curam, miseri pietate, & assistentium amicorum querelis induci: sic diuinus noster Medicus facere consueuit. quæ omnia aptissimè & eleganter prosequitur Chrysologus *serm. 50. ad hunc locum*, sic claudens. *Si homo iniurias despicis, maledicta contemnit vt sauciatis morbo vitam conferat, & salutem: quanto magis Christus Medicus bonitate diuinâ, morbis saucios peccatorum, & phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam inuitos trahit, & nolentes? O si velimus fratres! ô si velimus omnem mentis nostræ paralysim peruidere: animam nostram virtutibus destitutam, iacere in vitiorum stratis cerneremus: luceret nobis quemadmodum Christus & nostras quotidie respicit noxias voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos.*

VERS. 7. Tulerunt pallium, &c.

§. I.

Resculas terrenas sic sperne, fruiturus cœlestibus: vt nec calcatu dignas putes.

1491. PRudentes patres spiritus, Prælati religiosi (hi enim custodum nomine intelliguntur) qui subditos terrenis omnibus resculis denudant, vt cœlestibus liberiùs perfruantur. Pallio quidem inuoluta & implicata, minus expedita consequendo sponso, sponsa conuolaret. Ah relinquamus nugas istas, inania ista blandimenta, si cupimus diuina, quibus anhelamus beneficia adipisci: cur illa antè amplectamur, quæ perfectiores aut de sanctæ superbiæ despectu, aut de prudenti contagij timore, nec etiam calcatu digna reputarunt? vtrumque breuiter illustro, si audis priùs D. Cæsareum Arelat. quibus præcipuè hanc notationem dico, religiosis locutum; ergo ille homil. 27. *Hunc*, inquit, *sibi specialiter modum Religiosus ponere debet, vt tantum habeat, quantum necessitas poscit: habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in paruis, & plus torquetur in minimis, & nisi toto corde, & affectu pauper sis, paupertas ipsa, non virtus, sed miseria iudicanda est.* quàm hoc verum, nemo non experitur: quot videmus qui ingentem opulentiam, splendidam dignitatem ingressu religionis spreuerunt: postea resculis, & tenuis honoris vmbris tenaciter addictos noui plusculos. Iam ad rem.

1492. Cum patientia eximia, nec etiam minimo nutu, nec suspirio leui soleat rerum suarum iacturam significare: mirabar aliquando, quid perfectionis typus sponsa sibi vellet, quando dixit: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem vineis, vineam meam non custodiui*, Cant. 1. num. 6. quid enim, dicebam, tanti faciat perfecta anima vineolæ suæ iacturam vt illam quasi querula inculcet, proptetea fratrum duritiem deprecata: quæ potiùs gauisura, quòd de paupertate nudo suo Crucifixo amori, magis assimilaretur, videbatur? Sed amputauit scrupulum Bernardus ibi: *in tantum se profecisse*, inquit, *ex ijs, quæ ab æmulis passa est, gloriatur: vt pro vna vinea, quam sibi abstulisse visi sunt, super multas se gaudeat constitutam: hoc mihi, inquit, præstitere pugnando contra me, & contra vineam meam, qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea, vt vnam pluribus commutarim, hoc quippe est quod infert, vineam meam non custodiui, tamquam caussam subiungens vnde hoc illi contigerit: vt non in vna iam, sed in pluribus custos posita sit.* Vt tam longè absit dictum, à dolentis querela: quin potiùs sit exultatio gloriantis, quo scilicet discerent fideles, maxime religiosi priuatis quibusdam resculis non inhærere, & sic communitati religiosæ collata diuinitus omnigena beneficia amittere: quas si spernerent, in amplam diuini patrimonij segetem mitterentur.

1493. Nouerat sanctus Iob militiam esse vitam hominum super terram, & omnibus diebus dum viueret, sibi militandum, vt sæpe in suis scriptis probatum legimus. hinc est, vt ad vltimam rerum omnium cum filiis iacturam, tunc, *scidit vestimenta sua*, cap. 1. num. 20. impatientiam putares, & extremi doloris, signum apertissimum. non erat: sciebat nimirum post tot laborum pondera, necessariò coronam appropinquare, instareque vltimum & periculosissimum, ad eius consecutionem, certamen, & neque hoc superari, neque illam legitimè sperari, si adhuc aliquid proprij retineret. Olympiodorus in cat. post alias explicationes: *Dixerit*, inquit, *aliquis, qui concinniùs hæc ipsa velit interpretari: quasi athletam quemdam nudatum ad luctam, in diaboli conspectu vestem proiecisse.* Sic expeditus pergit ad coronam, in cui nihil adhæret, vnde à luctatore aduersario aut trahi possit, aut teneri, quam amittet cœlestibus in terra delitiis non fruiturus, si adhuc istis minimis adstringatur. Sed hunc locum alibi fusiùs illustrabo.

1494. Summus rei alicuius contemptus exhibetur, si calcanda demittatur. ideo Seneca factum Romanæ superbiæ describens epist. 76. *Eò delitiarum*, inquit, *venimus, vt nisi gemmas calcare velimus.* quasi non satis esset incedere gemmatis pauimentis, nisi exposito despectu calcata diceret, & de maiori alia opulentiâ gemmæ vilescerent: do multa alibi de hac re. vnde & fideles in primitiuâ Ecclesiâ opes ad Apostolorum pedes deponebant, quasi solum calcandis deseruirent. Sed quidem maiora adhuc peracturus, qui perfectè frui cœlestibus anhelauerit. Quandu Abraham non certè mortuam, sed tamen cruentatam vidit spem suam districto fidei feruore, idque longè violentius, quàm erat

districto

districto gladio cruentandus Isaac suus: quando orbem clarissimis splendoribus promptissimæ præstrinxit obedientiæ: vbi ad montem peruenit, nihil habuit prius, nihil antiquius, quàm sacrificandam noui generis victimam colligare: *cum alligasset Isaac filium*, &c. Genes. 22. num. 9. an fortè timens ne victima aufugisset? logi, germanæ gertæ: si enim id destinaret Isaac, colligari se non sineret, & iuuenis robustam anni pene vigesimi ætatem gerens, seniles fragilioris patris manus ante colligationem facilè euitaret: non ergo patiens lubenter victima, suspecta fugæ. an cauit ne naturalis mortis pauor, leui & inuita recalcitratione, supernaturale heroici facinoris lumen obnubilaret? non assentior, neque enim vinculorum strictiorum constantia, quibus lubens iuuenis voluntas nectebatur, fœdaretur: quamuis solutum corpus, humanum aliquid, neque liberi motus, pateretur. cur ergo colligatur? nihil acutius dixit Philo Iud. lib. quòd Deus sit immutab. *Isaach offert Deo, & reddit magna cum alacritate, vinctum pedibus, vt ait lex, & noui generis victimam: quia iam nihil mortale Deo destinatus calcare dignabatur.* quasi impediret Isaac diuinæ promissionis implementum: si Deo semel sacratus, non dicam possidere, verùm nec etiam calcando, tangere mortale quidquam videretur: vnde huic rei se penitus impossibilitare (liceat ita loqui) cupiebat: nunquã ad id deinde solutis pedibus, de sanctæ superbiæ fastu processurus.

1495. Verbis dilecti Iesu dulcibus, quibus frustrà putabat anima vocari, vt denuo terrenorum commercio inuolueretur, respondit: *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. falsò credit ad terrena impelli, incassum horum pertimet commercium, longè alia destinabat Christus: sed quamuis id crederet, nonne adhuc excusatio friuola apparebat? esto anima vt terrenis relictis nolis iterum immisceri: sed vnde tam delicata conditio, vt credas diuitiis & pretiositatibus terræ, quas alij venerabundi exosculantur, tibi pedes inquinandos? quid? sume calceamenta, sponsa, & vt hodie fieri solet, cothurnis immensum fulcrum adhibe: tuncque tam longè habebis ab inquinamento terrenorum, vt potiùs dum calcas, imò calces impingis, eadem generosè spernere videaris, prudentior tamen illa, posito quòd cogitabat: nouerat lutum istud contagiosum, vnde calcatum etiam nociturum: ideo non tam dixit: *quomodo si iterum inquino, lauabo denuo?* sed: *quomodo inquinabo?* quasi instar Isaac, ex quo primum Deo dicata fuerat sic pedum vsum tractandis terrenis inquinamentis etiam ad calcationem impedisset, vt nec etiam, quomodo hoc contagium aggrediendum, etiamsi vellet, recordaretur. Sed ego de hac pia impossibilitate ad culpam fusè agam *tract. de Lucifero obscurato*. ad rem præsentem audiendus Ambros. lib. 3. de Virginib. *Non dicit*, inquit, *quomodo iterum lauabo eos? sed, quomodo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij.* Contagiosa quippe ista pedibus calcaturis. quid faciat Religiosus votis dicatus, ligatus votis?

§. II.

Sin minus, prostratæ virtutis præbebis testimonium: neque iustorum more, in diem viues.

1496. HInc iam cognoscitur certissimum esse signum diuina aut nondum acquisiisse, aut prostratâ virtute amisisse miserè acquisita eum, qui adhuc terrenis inuolutus resculis, in diuini vsuram patrimonij, peculio suo misello non renuntiat. Perfectiores Ecclesiæ animas (quas propterea non neruis pulpæ, sed osseæ dentium constantiæ comparauit) laudaturus Christus, sic habet Cant. 4. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro*, num. 2. quæ verba nemo aptius ad rem præsentem explicat, quàm Gilibertus serm. 21. *Veterem*, inquit, *deponentes hominem, & onere superuacuo leuati, ac loti alacriùs ad superiora contendunt: siquidem ipsi pili veteres oneri iam esse incipiunt, cùm primùm noua vellera germinant, cùm hyems transiit, cùm imber abijt, & recessit. ideo si leui, & superuacuo leuium & inanium rerum vellere te inuolui adhuc necessarium ducis, nondum tibi hyemalia congelatæ mentis frigora transierunt: bene enim detonsi, & de lauacro ascendunt, quasi nihil veteris vel sordis, vel sarcinæ habentes.* & quidem ita est: detondearis oportet, vt persistas semper nudus: sin minus, quod contra frigus assumis munimentum, erit ignauiæ tuæ, & animæ prostrato robore torpentis monumentum.

1497. Inflictis iam pœnalibus Adamo maledictionibus, addit sacer textus, *fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, Genes. 3. num. 21. nimirum nudus creatus fuerat, vt rei nullæ priuatæ ligatus, summa inde Dei beneficia possideret.: ostentabat planè nudus athleta fortissimus vires dæmoni antagonistæ debellando: interim propriâ culpâ debellatur miser, ideo statim ad vestes confugit. quidni? fugit ad priuata, qui communia Dei in filios deriuanda, amisit beneficia: iam satis se his amissis victum contestatur, vestimentis siue impedimentis admissis, quibus inuoluatur. D. Nilus ad cap. 1. Iob in cat. *Nudus*, inquit, *cum virtute in paradiso versabatur, qui nuditatem à Deo tamquam eximium decus acceptum, tantisper custodiuit, dum violati pœna præcepti vestimentorum illi necessitatem imposuit. nam quamdiu cum aduersarijs ad diuinam legem perfringendam illum adhortantibus conflixit, nudus quasi athleta, in ludorum cauea consistebat: vbi autem victus est, atque à certamine depulsus, meritò indutus est, cum certandi virtute, nuditate quoque reiecta.* apertissimum quippe deuicti animi testimonium his indigere, ad corporis confugere ornamenta, imò dedecora.

1498. Mirabar aliquando illud Petri Ioan. 21. *Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare*, num. 7. nunc iam subodoror quod sit: in naui nudus, vt in mare se proiiceret Christo adnataturus, se vestiuit, cùm contra faciendum videretur, ne scilicet in diuino conspectu simulator hypocrisis appareret. quasi diceret: priuatis meis consului, vitam negator impius curaui, dignus proinde qui à bonis tuis omnibus abdicer communibus. cur ergo nuditatem, innocentiæ habitum, coram te geram? adsum, adsum meis miserè implicatus: prodat resculatum retentio apertum reatus mei testimonium. innuit etiam hoc, licèt intendat aliud, Chrysol. serm. 78. *Mirum*, inquit, *& verè mirum, quia qui naui nudatus est, in mare se demergit indutus: quia innocentia nunquam non nuda est, & reatus semper refugit ad velamen. Denique sicut Adam, ita & nunc Petrus, post culpam, suam gestit tegere nuditatem: qui fuerant ambo, vtique ante culpam sancta nuditate vestiti.* exigit, credo, Petrus hoc humilitatis habitu suæ misericordiam ignorantiæ, qua vt vilia sua lucrifaceret, periculo principatum Ecclesiæ exposuerat.

1499. Cognoscitur secundò causa, cur Deus, qui maximopere

ximopere curat suis prouidere, vt eleganter describit Chrysologus his verbis serm. 163. *Quis rex denotis militibus, debitam non procurat annonam? quis dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat? quis pater, non dat panem filijs? si ergo vobis Deus, & Rex, & Dominus, & pater est, quid negabit?* cognoscitur, inquam, cur ille, qui sollicitus suorum necessitatibus inuigilat, eosdem velit *in diem viuere*, sed diuinitus, & quidem humana phrasi in diem viuere vitio vertebatur: vnde Cicero contra Anton. Philipp. 2. *Iam iam*, inquit, *morari desino te otium perturbare, non modò vrbem odisse, sed etiam lucem, cum perditissimis latronibus non solùm de die, sed etiam in diem viuere.* quia cùm felicitatem suam in aceruando & seruando thesauro collocarent, qui prodigi in diem viuentes futurum contemnebant, quidni infames redderentur? hinc quæstus spreti queritur Columella lib. 3. de agricolis: *Non prouident*, inquit, *futuro, sed quasi in diem viuant, sic imperant vitibus.* fideles autem in diem viuant præcipit Deus, vt temporalibus nullis adstricti, & quidquid proprietatem priuatarum resculatum olet abhorrentes, diuini proprietatem patrimonij ingrederentur. est hoc illud quod præcipit instituens ad orandom: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, Matth. 6. n. 11. de quo Tertull. lib. de orat. c. 4. *Meritè*, inquit, *adiecit, da nobis hodie, vt qui præmiserat, nolite de crastino cogitare quid edatis: cui rei parabolam quoque accommodauit illius hominis, qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longa securitatis spatia cogitauit, is ipsâ nocte moritur.* Miser religiosus qui animum in accumulandis impendit, neque iactat cogitatum suum in Dominum à quo enutriatur: qui sollicitè procrastinans, in diem iustorum tenore viuere recusat.

1500. Sed esto, inquis, viuant in diem iusti, nec nisi diariam rationem, & exiguam sportulam affectent: quid tamen sibi vult expressior Lucas, qui verba sic conformat: *Pater, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, c. 11. n. 3. *si quotidianum* iam dixerat, quasi tantùm vnius diei necessarius cibus peteretur, quid *hodie* addidit? an largitas diuina ad vnum tantùm diem limitanda? an non votorum fiducia singulis suo ordine, sed præsenti tantùm diei tenuis dilatatur? viuant in diem iusti, sed dies in diem sperent transigendos, cur ad *hodie* restringent, quo vlteriùs indigent? vt dum diem vnum exprimunt, longioris quàm ephemeræ vitæ, & tenuissimi victus tædium ostendant: quasi ægrè laturi, si scirent saltem duos integros dies à patriæ bonis veris sibi peregrinandum: sic vita & victus non solùm in diem, sed in vnum solum diem postulatur, ne amor, ne tenacitas terrenorum etiam leuiter procrastinans cœlestium bonorum impediat acquisitionem. Eleganter D. Cyprianus epist. 8. ad hunc locum: *Qui*, inquit, *Christi cupit esse discipulus secundùm vocem magistri sui, renuntians omnibus, diurnum cibum debet petere, nec in longum desiderij sui petitionem extendere: ipso iterum Domino præscribente, & dicente, Nolite in crastinum cogitare*, &c. *meritò ergo Christi discipulis victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia contrarium sibi fit & repugnans, vt quæramus in sæculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire.* quasi non perfectè renuntiet qui viuendi diutius desiderium non amittit, nec amisisse credendus qui adhuc non nulla retinet, vnde non in diem viuere apertè conuincatur.

§. III.

Opum euersio, basis perfectionis: dum nudus exponeris, componeris ad victoriam.

1501. NVdatur præterea sponsa à pallio, siue terrestrium resculatum inuolucro, quod gerebat, vt in perfectionis via quam disponebat, de euersis opibus basim collocaret: vt diuitiarum nuditatem strueret in armaturam. fundat quidem spiritua paupertas perfectionem, & insultantes hostes longè propellit: nec posset sponsa incedere secura, nisi sub hac diuinitus muniretur. Vtrumque explicatum voluit Christus Dominus, cum positâ parabolâ illius, qui non cogitatis expensis iacit fundamenta turris irridendus, quique non facto computu militum in hostem audet erumpere insultandus. sic subdidit: *sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14. n. 33. de quo D. August. in cat. *Quomodo*, inquit, *pertineant ista similitudines, ipsa occasione satis aperuit, dicens, Qui non renuntiat*, &c. *itaque sumptus ad turrim ædificandam, & valentia decem millium aduersùs regem qui viginti millia habet, nihil aliud est, quàm vt renuntiet vnusquisque omnia quæ sunt eius.* quasi in paupertate sola stabile inueniret turris fundamentum: quasi in sola nuditate, pugnator arma structissima, & strenuissimaa acies sortiretur.

1502. Iam nihil reliquum præstantissimo virorum Iobo dæmon fecerat, cùm ille *scidit*, inquit textus, *vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit*, cap. 1. n. 20. Non quidem de patientia expugnata, vt suprà dixi, non de generoso animo iam perfracto: apage. sed nouit (addo adhuc) ad summam absque dubio perfectionem, tot immissis laboribus à Deo vocari: sic respuit vel etiam illa quæ reliquerat Dæmon, vt sibi de nuditate arma fabrefaceret, sine qua legitimè ad certamina non veniret. D. Nilus in cat. Græc. ad hunc locum: *Neque enim*, inquit, *amicti luctari homines consueuerunt, verùm illos nudos in stadium lex certaminis deduxit: aut si quis certamen recusat, idem nudari recusat. nam qui nudus est, aut vix, aut nullo etiam pacto per insidias comprehendi potest.* & quàm turpe est recusare certamen, cùm, auctore Apostolo, solum qui legitimè certat, coronetur, cùm in ipsa recusatione, non solùm ignauia tua, sed & hostilis victoria, sub infami fœderis habitu traducatur.

1503. Addebat Christus Dominus de illo, qui computans bellicos suos apparatus, non satis eos instructos aduersùs fortiorem bellatorem deprehendit: *adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt*, cap. Luc. citato n. 32. Sed heus ignauissime hominum, sine appropinquet hostis, sine ad tuarum conspectum alienæ acies instruantur: quid proximo iam metu trepidas, cùm tam longè adhuc sit hostis? quid minis magis, quàm armis territaris? quid pacem rogas infamis, bellum nondum expertus? quid aliud faceret, qui contra dæmonem egressus, paupertatis armaturam non instruxerat? non solùm tentationum pertimet conflictus, sed & leues tentatoris minas expauescit: rogat infamem pacem, amicitiæ dextram, cui manus dat deuictas, herbam porrigit. Egregiè D. August. citatus: *significans*, inquit, *etiam minas imminentium tentationum à Diabolo, non sustinere eos, qui non renuntiant omnibus quæ possident: & pacem cum*

eo facere, conſentiendo illi ad committendum peccata. quæ enim pax alia, aut quod aliud fœdus cum dæmone iniri poteſt, niſi ſub adeundæ culpæ conditione? ſolum ergo componitur aduerſùs infeſtos ad victoriam, qui nudus ad certamina exponitur.

1504. Allucebunt ex dictis illa Prouerb. *Tolle veſtimentum eius qui ſpopondit pro extraneo*, cap. 27. n. 13. longè aliter Sixtianæ: *Aufer veſtimentum eius, præterit enim iniurioſus, qui quidem aliena vaſtat.* & magis ad rem meam adductus ibidem Ambroſ. qui vertit: *Aufer veſtimentum tuum, præterit enim iniurioſus*, &c. Sed cur, inquis, deiicienda veſtis veniente, & prætereunte hoſte, id eſt, virtutum omnium dæmone vaſtatore? quia iſte ad certamen occurrit, & ni obuius procedas armatus, incurres mortem: fruſtrà autem in hoc conflictu, niſi de nuditate ſperes armaturam. D. Nilus in Aſcet. *Prouerbiorum*, inquit, *auctor ſic pugilem alloquitur: Erue veſtimentum tuum; acceſſit enim*, &c. *nam quoad extra ſtadium fuit, meritò veſtimentis non decertantium vtebatur: pugnandi fortitudinem ſub rerum ſenſibilium tegens indumentis: at vbi ſtadium introiuit, veſtimenta depoſuit.* viſus autem Vulgatus noſter, ad certatoris patrinum ve ſic dicam, verba direxiſſe, à quo pugil armandus nuditate: ſicut hîc anima ſancta, eâdem à cuſtodibus obarmatur.

1505. Ponderanda tamen verba Chriſti facta adoleſcenti, qui perfectionis monita expoſcebat: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes*, &c. *& veni ſequere me*, Matth. 19. n. 21. non enim ſatis erat aliqua relinquere: luctator non ſecum omnia ſua portat, ſatis procedet miſer, ſi de veſtimenti fimbriis vnde trahatur, anſam præbet antagoniſtæ: neque natator multis inuolucris indiget, vt obruatur fluctibus infauſtus: vno pallio ſatis fuerit implicandus, vorticibus immergendus. nequis tamen ſatis putet ad perfectionem omnia abieciſſe, addit Chriſtus, *veni, ſequere me*, quaſi baſis tantummodo ſit paupertas, maioraque adhuc ſuppetant ædificanda. Grauiter D. Paulinus epiſt. 2. ad hunc locum. *Non*, inquit, *tunc vincit, cùm exuitur athleta, qui ideo nudatur, vt incipiat dimicare, cùm legitimè certauerit coronandus, & natator amnem interpoſitum ſuperaturus exuitur, non tamen hoc tanto apparatu, quòd ſe deſpoliauerit, tranſnabit, niſi totius corporis niſu, & omnium ſcitâ mobilitate membrorum, & propulſu pedum, & remigio brachiorum, & lateris in lapſu, torrentis impetum ſcindat.* Non habes adhuc in paupertate perfectum ædificium virtutum, verumtamen non habebis, niſi priùs hoc iacto fundamento: non ab illâ ſolummodo Dæmon iacet, iacebis tamen miſerè coram illo, niſi ab huius armatura ad victoriam componaris.

1506. Peruenit ad torrentem rapidum Iacob, fratris timidus, hoſtilis occurſus trepidus: tranſmittit omnia, additque textus: *traductiſque omnibus quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus, & ecce vir luctabatur cum eo vſque manè*, Geneſ. 32. n. 23. alios iam cum Deo, dum iret, dum immutaretur in Meſopotamia, congreſſus habuerat Iacob: nec tamen adhuc aptus ad luctam, & benedictioni, id eſt, perfectioni aptus extorquendæ: quid in hoc loco peragit homo, vt Deo haberi colluctator mereretur, ſcilicet, quia vt perfectiori modo cum Deo ageret, non tam ab oculis ſolum, quàm à cordis affectu ſua ſibi remouit: remanſit ſolus, quaſi traductis omnibus renuntians: tunc Deus venit in luctam, & quodammodo patitur ſuperari, (vt iam diſcat in homines eſſe fortis, qui contra Deum potuit præualere) tunc illum athletam iudicat legitimum, ſciturum inde dæmoni & eius miniſtris expugnandis neceſſariam ſibi fore nuditatem. Idem D. Paulinus ibidem: *Video*, inquit, *nobis & in beato Patriarcha Iacob, huius expeditionis ordinem proluſiſſe, cùm illum lego poſtea quàm torrente tranſmiſit, præmiſſis curarum ſuarum oneribus, id eſt, facultatum corporalium, & neceſſitudinum impedimentis, ſolus in tabernaculi loco remanſerat, Deo colluctatum, cum extorquenda benedictione præualuit.* vt nudus cum inferno, cum Eſau tartareo pugnet conſecuturus victoriam iuſtus Iacob, qui præludens cum Deo nudus proceſſit.

1507. Aut quâ aliâ ratione, quæſo, intrepidus ſæpe ad certamen deſcendit Dæmon, ſæpe victor exultat, niſi quia nudus, niſi quia nihil quod iam amittat, quo impediri poſſit, habet reliquum? quanta emphaſi: Paulus. *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei aduerſus inſidias Diaboli, quia non eſt vobis colluctatio aduerſùs carnem & ſanguinem, ſed aduerſùs principes & poteſtates, aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, Epheſ. 6. n. 11. Vt vides, omnibus aliis concertationum generibus ſpretis, palæſtram intendit Paulus, gymnadem publicat: ſi ergo ad luctam, vt ſatis ex dictis patet, nemo nudus non venit, nemo niſi ſolùm oſtentatis varicoſæ nuditatis neruis procedit paratus: quid eſt ſanctiſſime Apoſtole, cur nos iubeas induere armaturam? an fortè armatura Dei, denudatio eſt? ita puto: vult Paulus ſic nudemur, vt quodammodo ad ſpiritualem Dei conditionem accedamus: tunc armaturâ eius rectè induti, cùm quidquid corporalis opulentiæ eſt, videmur exuere: ſic contra ſpiritualia nequitiæ certabimus, quæ ideo ſignatius *in cœleſtibus* dicuntur, quia licèt in terrenis pugnent, nihil habent terrenum, vnde trahantur, ſed in ſpiritus exultant nuditate. fauet D. Nilus proximè citatus: *Agite*, inquit, *exuamus omnia, nudus enim conſiſtit aduerſarius: nunquid induti luctantur pugiles? nonne lex certaminis iubet eos nudos in ſtadium ingredi? ſiue calor ſit, ſiue frigus depoſitis veſtimentis ingrediuntur: ſi quis nuditatem recuſat, idem certamen recuſet neceſſe eſt. nos autem qui nos pugiles profeſſi ſumus, quique multo grauiores habemus aduerſarios, non modò non exuemur, ſed innumerabilibus in humeros oneribus ſublatis, multas aduerſariis lædendi anſas præbentes conabimur decertare? quomodo pugnabit aduerſùs ſpiritualem nequitiam, qui poſſeſſionibus vacat acquirendis, vt vndique poſſit facile ſupplantari?* quaſi contra nudos ſpiritus, ſolùm ſpiritu pauperes, penè iam ſpiritus nudi valeant decertare. ſed de hoc ſtatim plura.

1508. Nunc audiendus iterum Apoſtolus ſub ſimili comparatione Timotheum ſuum inſtituens: *Nemo*, inquit, *militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: vt ei placeat, qui ſe probauit*, 2. Tim. 2. n. 4. miles quidem, etſi veſtes non deponat inſtar agoniſtæ: tamen ſic arctat, ſic conſtringit, vt nihil ſinuoſum laxet, nihil laxum prætermittat, vnde trahi, vnde poſſit impediri: ideo cinctus in vtraque pagina appellatur: ſic & Chriſti miles niſi ſe arctet, niſi paupertatis baltheo ſe conſtringat, pereat neceſſe eſt. idem D. Nilus ibidem, *eiuſmodi occupatio*, inquit, *militaria impedit exercitia: milites autem inexercitati, quomodo pugnantes peritorum impetum ſuſtinebunt.* impedit ſanè, dum non præcingit ad virtutis conflictum, ſed ad aliena negotia diſtendit, altius tamen adhuc deſcendit Paulus, & emphaticeoteros in Græco: *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis huius vitæ.* vita ſcilicet, quæ affectibus ſubiecta, ab eodem *corpus mortis*, meritiſſimò alibi appellatur:

qui

qui ergo Deo viuenti militat, si mortuis se rebus immiscet, quid aliud quàm mortis contagium acquiret? Optimè rem illustrat idem Nilus: *Tam ignaue*, inquit, *solutéque pugnamus, vt nec iacenti quidem hosti repugnare valeamus: sed stantes, ab ijs qui ceciderunt, permittamus nos vinci: quod quibusdam accidit propter auaritiam, vt dum mortuos spoliant, post victoriam sæpe adiacentibus interimantur, & turpis quæstus gratiâ, post trophæa miserabiliter pereant, adiacentem, & spirantem appropinquantes.* Caueat religiosus miles post sæculum superatum, adhuc mortuorum spoliis inhiare, aliàs peribit in prælio, vitâ virtutis, inter mortis spolia spoliandus.

1509. Hoc erat callidissimum illud, quod Naas Amonites, vel ipso nomine tartareum gestans serpentem machinabatur, cùm pro inducijs petebat, imò exigebat à Dei militibus dextrum oculum. *In hoc*, inquit, *feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros*, &c. 1. *Reg.* 11. num. 2. quàm dirum fœdus feriendum, non ferarum sanguine, sed ipso fuso lumine dextri oculi: vt si vltrà pugnare vellent, non tam æterna, quàm caduca sinistro oculo spolia mirarentur, ideo ab vtroque petendo supersedet: nouit enim sic sinistro intuentes, id est, terrenis bonis suspirantes, nunquam gloriosum aliquid gesturos, vtpote qui de nuditate ad victoriam non compositi, facillimèque sibi superandos. D. Anton. de Padua Dom. 2. post Trinit. *Oculus*, inquit, *dexter est visus descriptionis, quem diabolus nititur eruere. & sinistrum, id est, amoris mundani respectum relinquere: sciens quòd qui æterna non desiderat, terrenam prosperitatem amat: si per terrena tenetur quis, facile in bello cadit.* Si vilia hæc respicis spolia, victoriam tam despicis cœlestem: ni miles totus constringaris, amputans ne tenearis laxamenta, in bello cadens miserè præstringeris.

1510. Præceperat Christus Dominus discipulis *Luc.* 12. vt venditis omnibus, per manus pauperum bona sua transferrent in cœlum. Deinde subdit: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, num. 33. præcinctio, militaris est, vt suprà dixi, & alibi fusissimè illustrabo. Sed cur nunc præcipuè seruos suos, præcinctos armat in milites? certè, quia tunc maximè caducis omnibus denudarat. Chrysol. serm. 22. *Exutos ergo*, inquit, *totis diuitiarum curis, etiam per omnia expeditos, militare sibi in sæculo iubet, quos regnare donauit in cælo.* quasi non possis gloriosam de dæmone victoriam sperare, nisi depositis omnibus accingaris, nisi Dei armaturam de nuditate propriâ muniaris: vnde eleganter idem Chrysol. *serm.* 28. ponderans cur pauperes Christus elegerit discipulos: *Quod sic*, inquit, *virtutibus cognata paupertas, terrena & cælestis comprobat disciplina: athleta ad luctamen nudus accedit: confligit cum fluctibus nauta nudus: miles in acie, nonnisi expeditus assistit: qui tendit ad philosophiam, totum quod in rebus est, antè contemnit: est ergo virtutibus cognata paupertas, & si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur: sapere conuenit, quare Christus ad virtutis officium pauperes sic elegit.* & meritò: quia, vt suprà dixi, in quo marte cum nudis spiritibus, nisi nudi & pauperes spiritu decertarent.

1511. Sic explico illud eiusdem Christi: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. num. 24. Quid enim est se abnegare, quàm alium se profiteri, ac antea fuerat? at quomodo te melius alium profiteberis, quàm si qui compta caro fueras, spiritus nudus exhibearis? & quorsum, inquis? quia non sequeris Christum, nisi certamen dæmonibus paraturus: non autem nisi frustrà componeris ad victoriam, nisi de paupertate nudos exponaris. hac nouâ luce macto verba trita Gregor. magni ex homil. 32. ad hunc locum: *Quicumque*, inquit, *ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus assumimus: nihil maligni spiritus in hoc mundo proprium possidens. nudi ergo cum nudis luctari debemus: nam si vestitus quisque cum nudis luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur.* carnem, compturamque eius exuas necesse est, ne carnalibus impedimentis, & possessionibus vestitus ansam ruinæ præbeas lamentabili. an non ergo iure spoliatur anima pallio suo, id est, carnalium omnium inuolucro, quæ, in quærendo Christo, decertatura?

§. IV.

Opulentia paupertatis plusquam regia: in sæculo, non de sæculo ditescens: sacratiori gaudet ærario: dominio fruitur primæuo: de angustijs, augustior excrescit.

1512. Addo præterea nihil esse mirum quòd spoliata sponsa non queratur, neque rerum suarum doleat iacturam: nouerat enim longè sibi præstantiores diuitias in spiritus paupertate fuisse relictas. *Mecum*, inquit diuina Sapientia, *sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia*, Prouerb. 8. num. 18. nihil quidem abominabilius apud Deum, quàm diuitum superbia, potentium arrogantia; quo igitur iure, dicat aliquis, de opibus superbis, virtus gloriatur? scilicet abominabilis illarum opum superbia, quæ fluxæ & instabiles, nihil solidæ gloriæ afferre consueuerunt: sancta ergo quædam superbia, in solâ spiritus paupertate inuenitur, dum enim profanæ opulentiæ rerum omnium instabiliori opponitur, necessariò de stabili opum firmitate fit venerabilis. VVerricus hîc apud Godefr. *Bona*, inquit, *opes prorsus diuitiæ salutis, in quibus superbitur vt iustitia non deseratur: fratres, superbia ista, gloria exultantium in Domino, & insultantium mundo, quòd nihil habeat tam pretiosum, vt paupertati valeat comparari Sanctorum.* hæc est humiliter superbiens opulentia, gloriam de inaniter superbientium manibus, veluti iniustè possessam sibi eripiens. vide 1526.

1513. Obscuriuscula aliquibus illa Dauidis verba ad Deum: *A templo*, inquit, *tuo in Ierusalem, tibi offerent Reges munera*, Psalm. 67. n. 30. Si enim in templo munera Deo dicarentur, res esset plana: sed quòd dicanda Deo, à templo emendicentur, id quidem rarum: cur enim à templo sumitur, quod in Dei obsequium refundendum? Sed nota munera in hoc loco non quæuis, sed regalia celebrari. hæc autem à solis pauperibus spiritus offerri vera possunt, qui illa inuicem à templo, id est, diuino commercio acceperunt. fauet Ambros. lib. de Nabuthe cap. 16. *Vnde*, inquit, *pauperis hostia, magis quàm diuitis placet? quia pauper fide ditior est, sobrietate locupletior, & cùm sit pauper, ex illis est, quibus dicitur, tibi offerent Reges munera: non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus Dominus Iesus delectatur, qui corporali lasciuia, mentis dominentur imperio.* quasi sola gratiarum dona à Deo peti debeant, solumque ij, qui omnia spiritu abiecerunt, de regali munificentiâ, condigna Deo munera possint reddere.

Innuebat

1514. Innueba: id Christus quando ad Apostolos dicebat: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*, Luc. 12. num. 32. Sed hem mi Domine, dicat aliquis: sine retineant sua, donec regnum teneant: de præsenti, spoliatio bonorum imperatur, & speratur adeptio imperij in futurum: an non id humanæ fragilitati durum videatur? fallitur quidem quisquis ita putat, cum ipsa paupertate regnum veniat, regni alterius cœlestis regnum certissimum: ideo Chrysol. hîc serm. 23. *Peculia*, inquit, *pristina libertatis, iam diuitys, iam regys ditatos opibus qui reseruatur captiuus miseriâ, se nescit esse felicem. est consuetudinis, est animi felicis, vt adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis ciuibus indigentibus liberaliter prorogare: ne sis mendicus animo, qui censu functus & honore.* iam fungitur honore regio, iam censu maiestatis fruitur diues, qui paupertati spiritus studet: cœleste regnum postea possidebit, hîc tamen, iam quodammodo illius capit superba vectigalia, census pretiosos. Chrysol. de eodem, serm. 25. *Quòd te mereri dubitas, habere te, & possidere, iam cogeris confiteri: quid ergo cum terrâ illi, qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui indeptus est iam diuina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala, bonis fiunt gratiora collatis.* Vel quòd cum ipsa paupertate regnum veniat, vel quòd sine illâ non possit conseruari, & necessariò regnum cœleste, terrenorum nuditas comitetur: non ergo durum spoliare se foloce, qui cum ipsa denudatione induit purpuram, regios sinus laxat longè felicius, quàm grande miraculum, esse in hoc sæculo diuites, non tamen miseri huius sæculi in quo viuunt, sed beatioris alterius census computare!

1515. Hæc est emphasis verborum Pauli ad Timotheum: *Diuitibus*, inquit, *huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*, 1. Timoth. 6. num. 17. de quo D. Chrysost. hom. 2. ad popul. Antioch. *Qui dixit diuitibus huius sæculi, demonstrauit & alios futuri sæculi diuites esse, qualis ille Lazarus erat in præsenti quidem vita pauper, in futura verè diues, non auro & argento, & vlla tali corruptibili, & marcescibili materia affluens, sed arcanis illis bonis, quæ neque oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt.* Sed hunc locum Pauli ex Augustino vberiùs pondero in epistola quadam, quæ tota de paupertatis laudibus exarata: nunc obiter nota remouendam præcipere à fluxis opibus superbiam Paulum, quasi sancta quædam superbia, solum sit in firmis paupertatis diuitiis colloeanda: itaque sunt diuites etiam in hoc sæculo pauperes, alterius tamen sæculi opulentiâ. Aptè Chrysologus proximè citatus, de his bonis, quæ Chrysost. tangit: *Esse*, inquit, *in cælo, mirum: in cælo viuere, est maiestatis: iam regnare in cælo quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis, & tamen homo, quod æstimare non potes percepisti, Apostolo sic dicente, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se, & quod te mereri dubitas, habere te, & possidere iam cogeris confiteri.* Equidem pauperis est, dicebat ille alius, numerare bona; pauper igitur spontaneus ditissimus, quia quæ habet, nec numerare potest, nec æstimare.

1516. Quid mirum? diuinos animi motus indicat, qui terrena conculcat; quidni ergo ditissimus, qui taliter potest viuere animatus? Excipiebat Æneam Euander in pastoritio magis tugurio, quàm regio palatio: eo tamen, quo olim exceptus fuerat magnus Hercules, & subdit apud Virgil. *lib*. 8.

—Hæc inquit limina victor
Alcides subyt, hæc illum regia cepit:
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

quasi tunc solum aptè propinquo Deo assimilaretur Æneas, si opes conculcaret, & paupertatis amplecteretur excellentiam, idque egregio ausu, nec degeneres Deo spiritus ostentante. nescio an hoc somniaret Maro: scio tamen prædictæ explicationi Senecam prudentissimè inuigilasse, qui *epist*. 8. ita: *Incipe*, inquit ad amicum, *cum paupertate habere commercium: aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit.* En quo rapior de vsu sæculi præsentis: etiam vatis Ethnici Etheologiam, Ethnico si fas dicere parte cogor confirmare. pergo. Sic ille diues, ille Dei instar nullius egenus, qui fluxas opes nouerit spernere, opera verò regalia, munera Deo digna iste potest solummodo conferre.

1517. Intendebat mendicus Iacens ad speciosam, in Petrum & Ioannem, sperans ab eis aliquid accepturum: ad quem tunc Petrus: *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula*, Act. 3. num. 6. Princeps sanctissime, da quod habes: ecquis cogit quod non habes protestari? si sanitatem præstas, quid opus auri carentiam commemorare? adhibuit, credo, caussam effectus tanti, ne cui adhibenda sanitas suspecta videretur: quasi diceret: ideo habeo potentiam opulentam, & factum cœlestis Imperatoris ærarium thesauris sanitatis effundendis, quia auspice posui fluxarum diuitiarum cumulos affectu, effectu retia & nauigia conculcare: sic munera iam diuina diues, & penè Deus confero, qui humana contempsi. Allusit D. Chromatius *Episc. Aquil. in cap. 5. Matth.* vbi de hoc miraculo ita scribit: *O verè beata paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cælo largitur. non dat quidem argentum, & aurum, sed, quod plus est, omnibus diuitijs reddit corporis sanitatem: imaginem Cæsaris in nummo, quam daret, non habuit, sed Christi imaginem in homine reformauit.* imò ideo quod plus est, habuit: quia quod minus est, habere fastidiuit.

1518. Maius aliquid addam: ipse Deus, qui sit iustorum omnium thesaurus, priuato quodam iure pauperibus magis cedit in peculium. est hoc illud Dauidicum: *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus*, Psalm. 9. num. 6. vnde, aut quo? è sinu patris, ad matris gremium: omnibus aduenit, sed maximè spiritus pauperibus: vt & hi ditescant, & ipse in illis summopere delectetur. Vnde iam capio cur omnes religionum fundatores, in Mariæ Deiparæ obsequium forent impensissimi: fuit quippe illa cœlestis huius thesauri gazophylacium, cui ipsi diuitiis melioribus cumulandis, (spretis terrenis) inhiabant. Pissimè Adamus de Persenia apud Godefr. in cap. 24. Eccles. *Diuitiæ*, inquit, *salutis sapientia, & scientia, penes virginem nostris vsibus reseruantur: in partu nimirum virginis thesaurus sapientiæ & scientiæ ad locupletationem pauperum absconditur: propter miseriam inopum, & gemitum pauperum venit de corde Patris Christus, in cor Virginis: in virginis vtero pauperum gazophylacium collocauit, inde pauperes spiritu locupletati sunt, quos mundi superbia vanitate, & mendacio non ditauit.* quid imagineris ditius, quid opu-

Pinus in Cantica.

lentius, quàm ipsum sacratissimi ærarij principem habere possessionem.

1519. Norunt paupertatis huiusce excellentiam, ipsa vagientis orbis incunabula. Prodit à Deo Adam Dominus rerum, & tamen nudus prodit: indignum quippe si indigeret & gemmis & metallis ad ornatum, qui metalla & gemmas inter viliora imperij sui decora numerabat: vt scilicet iam posteri institueremur, tunc verè primæuo dominio innocentis Patris instar rerum dominos & imperatores esse, cùm sponte abiicimus caduca. Hinc illa exultans magis, quàm mœstu Iobi vox, summa cum patientiâ paupertatem à Deo immissam amplexantis, *Corruens*, inquit textus, *in terram adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, cap. 1. num. 20. Certè non propriè de materno vtero sermo in hoc loco esse potest, neque enim iterum concipiendus, renasciturus denuo eò reuerti poterat. quid ergo? de terræ vtero loquitur, vnde in protoparente etiam rerum Dominus fuerat productus: gaudetque proinde, quòd per paupertatem ad statum reductus innocentiæ, iterum primæuo rerum omnium dominio fruiturus conspiciatur. Eleganter ... i Chrysost. in cat. Græc. *Cuius tandem*, inquit, *vteri meminit? nempe primi illius opificij, suaque è terrá coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. nudus è terra diuino munere conformatus sum, minimè fucatus, nulla re superuacua oneratus, ac propè dixerim à materiæ concretione secretus: ergo nudus quoque reuertar illuc. quò? nempe ad locum plangere liberum. Si enim ad vterum, qui in promptu est, cogitationem traduxeris, credideris que maternum aluum tibi rursus subeundum esse, rationis decorum, atque verborum apta consecutio perierit.* & fortasse ideo non sine mysterio dicitur in terram corruisse, vt fortunatior Cæsare (qui corruens Africam tenuit) totam terram, cùm maximè nudus, sublimiore quodam modo possidere intelligeretur.

1520. Vnde iam video cur vrbem deserens quærat sterquilinium: *Saniem*, inquit textus, *radebat sedens in sterquilinio*, cap. 2. num. 8. (qui poterat minus abiectum locum, de gramine scilicet, vel de cespitibus compositum occupare, nam qui sciebat de paupertatis nuditate ad regnum euocari, noui diuinitusque indepti regni potentiam ostentaturus, solium nobile erecturus; necessariò pauperrimum elegit sterquilinium: vt quo vilius humanis oculis throni sui stratum videbatur, eo sublimius, & de maiestate ditius cœlo appareret. Bellè iterum Chrysostomus *ibidem* de Dæmone Iobum persequente: *Nisi*, inquit, *eum in fimo collocauisset, tantum diuitiarum aceruum ignorauissemus: neque enim tantus est Regis splendor sedentis in solio, quantus Iobi fuit in sterquilinio commorantis: quandoquidem regalem cellam mors excipit, illam autem stercorum sedem, regnum cælorum.* Sic in sterquilinio aceruum diuitiarum plusquam regium habebat iam, paulo pòst cœlestis regni possessione cumulandum.

1521. Occultius hanc rem neque sine dulcedine significauit Ioseph. qui appellans natum sibi secundum filium Ephraim, subdidit: *crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genes. 41. num. 52. q. d. Vano huc vsque nomine gloriabar, qui Ioseph, id est, *accrescens* appellabar, neque tamen videbar crescere, nec extolli: scilicet inter paternas Iacob opes, & regiam Abrahamicæ familiæ opulentiam, necessariò mihi erat decrescendum: in terra Ægypti vbi captiuus & pauper diu delitui, ibi verè creui: ergo nomen Iosephi hucusque falsum, Ephraim meus (quo crescens & frugifer significatur) impleat, & deinceps me verè Iosephum manifestet, nec fuisse vanum omen nominis confirmet. D. Anton. de Padua Dom. inf. Oct. Natiu. *Ioseph*, inquit, *accrescens, cùm miser homo affluit diuitijs, se dilatat in diuitijs, tunc decrescit, quia libertatem amittit, sollicitudo enim diuitiarum eum afficit, quibus deficit à se, & in se decrescit*, &c. *quid plura? nusquam vera libertas nisi in voluntaria paupertate: hæc est Ioseph, qui accrescens: vnde dicit, Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ: terra, inquit, paupertatis, non abundantiæ.* Sed de hac sponsæ spoliatione plura dixi ad cap. tertium, quæ huc faciant: propterea hæc nunc dicta sufficiant.

§. V.

Iniustæ patientia pœnæ, diuinitatis est index certissimus.

1522. SVfficiant, inquam, si in his custodibus spoliantibus sanctos Prælatos intelligas: si verò, quod alij volunt, hostes animæ intelligas, mirare illam inter spoliationes & vulnera patientem, nec etiam leui verbo querebundam: imò non mireris, quæ enim Deum quærebat sponsum, quouis modo posset debebat, vt se illi conformaret, ad diuinitatis participationem anhelare: nullibi verò melius, quàm in hac duræ & indebitæ pœnæ patientiâ, latentes diuinitatis radios inueniret. Considerabat latro Christum iam discessurum, & expansis brachiis, tamquam inflatis velis crucis nauigium, æternitatis portui impellentem: dumque in tormentorum pelago fluctuaret, suspirium magis, quàm vocem organissans miseræ suæ scaphulæ opem implorans, *Domine*, inquit, *memento mei dum veneris in regnum tuum.* ad quem tunc Christus: *Hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. num. 43. latro quoduis regnum indeterminatè dixerat: Christus expressè paradisum, id est, cœlestis regni gloriam assignat: ergo se Deum cœli Dominum voluit agnosci. ecquid diuinitatis, ô Domine, inter tot dolorum procellas, exhibes testimonium? respondet Euseb. Gallic. homil. de beato latr. *Credamus*, inquit, *Deum vel ex sola virtute patientiæ: qui dum ab homine cruci & neci traditur, sic quoque homini gloriam pollicetur: qui illas ipsas iniurias & plagas conuertit in pretium nostrum.* Equidem humanæ angustiæ tanto ponderi succumbunt: iam Deus putandus est, & filius Altissimi, qui tam altas potuit iacere radices patientiæ: vt dum orbis eumdem ab homine traditum, & eidem homini tunc maximè loquentem blanda audisset, diuina promittentem: non posset, quantumuis obesæ oris, in tanta patientia, augustam diuinitatis latentis conditionem non subodorari.

1523. Subodoratus iam quidem fuerat priùs ipse latro, hinc eius pia ad alterum blasphemantem increpatio: *neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es*, ibidem num. 40. dolebat Iudæos Deum illum crucifixum non timere, sed dolebat magis socium pœnarum latronem, eodem timore reuerentiæ debito carere: ast vnde nouit Deum? ex Iudæorum præcognitâ inuidiâ: quasi non posset non esse Deus, qui sic patiens, sic lubens Crucem non ex merito, sed ex inuidia subiret. Ernaldus hîc apud Godefr. *Credit*, inquit, *latro, & confitetur, testis est innocentiæ Christi, increpat maledicum, nec sibi parcit, sed tantùm accusator est sui: se ipsum aduersum se, sententia seueritate prolata prosequitur: neque tu, inquit,*

tunc

times Deum: Deum non erubeſcis fateri, quem ex inuidia, non ex merito noueras crucifigi. quærebat querebundus Poëta à Musâ ſua *Æn.* 1.

——quo numine læſo
Quidue dolens regina Diuum tot voluere caſus
Inſignem pietate virum tot adire labores
Impulerit.

& certè poſſet facile reſponderi, genus ſuum probare inde Æneam, qui ſe Deorum natum fabulabatur: indignus planè qui Diis ſatus laudaretur, niſi piiſſimus, impiiſſimi fati calamitatibus opprimentibus patienter ſubiaceret. oculatè id deduxerat Dido *lib.* 4.

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum
Degeneres animos timor arguit, heu quibus ille
Iactatus fatis? quæ bella exhauſta canebat.

Sed veriùs quidem ex patientiâ Chriſtus genus probat, patrem manifeſtat.

1524. Examinandus adhuc ad hanc rem locus Tertulliani tritus, ſed non dum, ſi rectè iudico, ſatis excuſſus: ergo ille ita lib. de Patient. c. 3. *Mira æquanimitatis fides: qui in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis, patientiam huiuſcemodi nemo hominum perpetraret.* prætereo quæ alij minus aptè: meus Cerda, qui vnus Tertullianum intellexit, ſic locum explicat: qui latet in aliena figura, videtur poſſe aliquid licentioſiùs facere: non ſic Deus, latuit quidem ſub homine, tamquam ſub aliena figurâ: ſed nihil licentiæ ſibi aſſumpſit ad humanam impatientiam. benè: ſic perſonatus princeps & ſub alieno habitu deliteſcens, ea non indecenter perpetrat, quæ regiam dignitatem apertam dedecerent. Adhuc tamen profundiùs, ni fallor, pergit Tertullianus: pende mihi τὸ *propoſuerat*, & ſenſum germanum mecum ſic expone. Eximia eſt fides, quam Chriſtus ſeruat propoſito æquanimitatis & patientiæ & cur mira, cur eximia? quia quodammodo contra it propoſito alij, quod Dominus habebat, celandi diuinitatem ſuam ſub humanitate. propoſuerat firmiſſimè Chriſtus confundendis hæreſibus futuris quas præſciebat, oſtendere in omnibus verum hominem, vero, neque phantaſtico corpore indutum: vt dum viueret, diuinitas crederetur, germana verò humanitas oculis cerneretur: firmo igitur huic propoſito remittendi fidei diuina, & humana aſpectui immittendi, nihil conduceret aptius, quàm ſi vmbram aliquam impatientiæ exhiberet, quæ humanæ conditioni congenita & propriiſſima accedit. & tamen non blanditur Deus huic propoſito, nec leuibus quibuſdam impatientiæ ſignis præſtitis, quin mirâ fidelitate æquanimitatis & patientiæ iura conſeruat: ſed quorſum? vt hac patientia, tamquam argumento maximo Iudæos infideles, qui eius diuinitatem negabant, confunderet, nemo enim purus homo patientiam huiuſcemodi perpetraret: ſicque inter humana latentis diuinitatis velamenta, clariſſimum eiuſdem diuinitatis veſtigium in tanta patientiâ relinquebat: quamuis humanitas, abundè aliis teſtimoniis confirmatâ, euidenti hoc impatientiæ ſigno defraudari videretur, ſic, vt ad rem meam concludam, probat hominem impatientia, ſic eſt index diuinitatis certiſſimus, patientia.

1525. Iam inde capio vocem Nabuchodonoſoris poſtquam ſe in fornace ſua agnouit triumphatum: *Ecce*, inquit, *ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel. 3. n. 91. nec enim *Pintus in Cantica.* alibi credo. viderat ille Dei filium, vt primo ſtatim aſpectu, eumdem de præteritâ noſceret recordatione: ſed non poterat non putare Dei filium, quem cum ſuiſmet ſeruis, ad iniuſtæ pœnæ diſcrimen venire patienter, & paſſurum, ſi opus eſſet, cognoſcebat: non potuit filium Dei non habere illum, qui cùm tantæ poteſtatis eſſet, vt medias flammas, in paradiſi commutaret amœnitatem, aliunde tam patiens veniebat, vt ſe ſuoſque omnes dynaſtas, tanti auctores ſceleris, emiſſis inde fulminibus non perderet: quin imò iniuriis in ſeruis affectus, iniurios hoſtes patientiſſimus ad pœnitentiam expectaret. prudentior quidem hoc nomine Nabuchodonoſor, quàm impij illi, qui de diuina patientia negandæ diuinitati anſam ſumunt. Bellè de his citatus Tertul. cap. 2 *Nobis*, inquit, *exercendæ patientiæ auctoritatem non affectatio humana caninæ æquanimitatis ſtupore formata: ſed viua ac cœleſtis diſciplinæ diuina diſpoſitio delegat, oſtendens patientiæ exemplum iam primum, qui florem lucis huius ſuper iuſtos, & iniuſtos æqualiter ſpargit: qui temporum officia, elementorum ſeruitia, totius genituræ tributa, dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere: ſuſtinet ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem: vt ſua ſibi patientiâ detrahat, plures enim Deum Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tandiu neſciunt.* alludit ad illud Chriſti Matth. 5. n. 45. *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* ſic enim diuinam generationem Dei filij comprobamus, ſi diuino cœleſtis ac viuæ diſciplinæ exemplo adhæſerimus. meritò ergo putauit Nabuchodonoſor illum filium Dei, qui nomen ſuum, cum familiâ ſua malè habitum, & blaſphematum iniuſtiſſimè ferebat patienter: perperam diuinitati non aſſentiunt, qui quòd ſubiratam non aſpiciunt, deſpiciunt inſolentes.

1526. Et ponderosè, vt puto, primus diuinæ patientiæ fructus, Solis nimirum huius communicatio, impios Deumque malè excipientes, benignè fouens: *flos* ab Afro cultiſſimo appellatur: vel vt (dum à patientiſſimo Domino viridantis cuiuſdam lucis flores prodeunt, qui eius patientiæ, nobis ſunt exemplum) iam inter labores, iniurias, ingratitudineſque aliorum, cùm vireſcimus, cùm floremus, ad illius ſimilitudinem, patientiæ meritis deificati cognoſcamus: vel vt ſciamus, in cœleſtes cuiuſdam ſplendidæ patientiæ flores, non viles, non marceſcibiles, non terrenos, nobis erumpendum, quibus datum originem è cœlo trahere: ſicque noſmetipſos Dei filios penè deificatos comprobemus: in flore quippe tota ſeminis generoſitas, & tota ſpes fructus propalatur. Primum illud voluit Propheta de iuſtis locutus, qui vt palmæ florent, & ſicut Cedri in atriis Domini plantantur, de quibus tandem concludit: *adhuc multiplicabuntur in ſenectâ vberi, & bene patientes erunt, vt annuntient*, Pſal. 91. n. 15 Vatabl. vertit, *& bene virides erunt.* quia patientia virorem ſpargere, flores mittere, ſed è domo Dei non ceſſat: vt quemadmodum Deus ſemper idem, & à tota æternitate nũquam veteraſcens: ſic etiam animus lubenter iniuſtas pœnas patiens, perpetuo virore incorruptibilis & conſtans, æternitatis originem annuntiet deificatus: inque non ſicca, ſed vberi ſenectâ, ſit idem patiens, atque vireſcens.

1527. Huc collimarat Salomon, quando ea ore Christi animam sic commendat: *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Cant.4.n.10. quid enim hîc odoris importetur, quo aromata omnia superantur? nisi illud quo Iustus, bonus Christi odor est, quo semper virescens redolet æternitatem immarcescibilem, & diuinæ generationis, Deo similis annuntiat generositatem? ecquod illud? Gilibert. ibi serm.32. *Bona*, inquit, *vnguenta impassibilitas, & patientia: per illam caro resuscitata lædi non poterit, per istam mens pia inter prouocationes & iniurias illæsa consistit: per illam quietò, & inconcussè iure carnis nostræ terram hæreditate possidemus, per hanc verò ipsam animam, in patientia, inquit, vestrâ possidebitis animas vestras*, Luc.12. *ipsa patientia quid aliud est, nisi velut quidam futuræ impassibilitatis odor? illic mala nulla inferuntur, hîc verò patientiæ beneficio, ac si vnguento quodam mitigatorio, etiam quæ illata sunt non sentiuntur.* Possidetur à iustis anima, & patientiæ bono æternatur? quique in cœlis in imaginem Dei transformandi, impassibiles deificabuntur: in terris adhuc, iam deificati illius status participant rationem patientes.

1528. Secundùm illud quod dixi de fluxibus patientiæ, vt non solùm similitudinem, sed etiam filiationem diuinam sortiremur patientes, habet idem Tertull. *cap.6.* ad locum Matth. adductum. & quidem asperum videretur præceptum illud nisi immenso hoc fœnore implendum suppleretur: *Prohibita*, inquit, *ira restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum: plus lex quàm amisit, inuenit, dicente Christo: Diligite inimicos vestros, &c. vt filij sitis Patris vestri cælestis. Vides quem nobis Patrem patientia acquirat?* quasi non aliunde, vt suprà dixi, melius homo participatam à patre deitatem ostentaret, quàm si illius patientiæ æmulator degeret mitis, lenissimus incederet: tu hoc flore totius generositatem seminis exhibiturus, totius spem fructus conseruaturus. quomodo enim non iam filius Dei, & totus deificatus, qui vnicam Dei filiam, & partum eius felicissimum, patientiam scilicet pectore recondit? audi ad eamdem rem ingentis lucum acuminis, sed patienter.

1529. Profugerat timidus Elias, & doloris penè impatiens subter vna iunipero mortem expetebat: confirmatur ab Angelo, donec visurus Deum peruenit in Oreb: *Ecce*, inquit textus, *Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras, non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio, non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, quod cùm audisset*, &c. 3.Reg.19.num.11. quidquid erat horribile, & velut irâ impatiens, præmittit Deus, non admittit, vt in sibilo lenissimo auræ tenuis occurrat. & cur ita? solent Principes furentibus quandoque equis, tota habenarum laxitudine trahendum currum permittere, quia de robusta virilitate subsultanti fereulo non timescunt: si autem eueniat vt secum delicatulam conuehant reginam, filiolam tenellam, tunc molli incedere fereulo, tunc blandis equorum gressibus gestiunt iter facere. olim ab strepente igne audit Moyses Deum, Iob è turbine: quippe bellator Dominus & solus, quadrigarum impetuosam duritiem non abhorrebat: nunc verò delicatæ filiæ secum vectæ, delicatum tenuis auræ currum accommodabat: afferebat secum scilicet patientiam aduersùs iniurias exhibendam, inque suo labore Prophetam edocebat, qui zelo impatiens, peccatorum exterminium perquirebat: perflatus ergo diuino hoc, & patientiæ spiritu Elias, iam instar Dei mitis, iniuriarumque patiens vrbes reuisit. Sic mihi olim adolescentulo videbatur capiendus Tertull. *lib. citato cap.15.* loquens de Patientia: *Sedet*, inquit, *in throno spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias: nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet: cùm ergo spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum: si non cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper.* Longè alio in accommodando loco ad Eliam tendit Cerda, gaudeo tamen quòd vnus contra cæteros mecum consentiens, Tertullianum ad locum Reg. citatum probauit allusisse. itaque comitatur Deum alumna, siue filia Patientia: vt & Elias, & quiuis alius non posset Deum excipere sine illa, quâ se verum Dei alumnum, & proinde deificatum protestetur.

1530. Quia tamen locus iste quàm celebris est, tam est difficilis, breuiter quia maximè ad rem meam facit, comprobandus. quis enim non dubitet cur dixerit Tertullianus, *quem tertiò vidit*, cùm tamen quarto visus loco, in Latino, in Græco, in Hebræo fonte graphicè describatur? certè non visus primò *in spiritu grandi*: non secundò *in commotione*: neque tertiò *in igne*: sed quartò *in aura tenui*. Vidit certè difficultatem Cerda, vnde in primo membro spiritum fortem, & commotionem copulauit: an iure, & pro textus veritate, ipse viderit. Ego igitur aliquando locum, vt ferè alios huius auctoris, putabam deprauatum, & corrigebam: *quem tectus vidit Elias.* vt enim patet ibidem, *operuit vultum suum pallio*, num.13. quæsito ab Afro lepôre, in visione hac rectâ, non reuelatâ, quasi ideo videre meruisset, quia videre timens, humilis se velauit: vel ideo tectus videt, quia non carnis, sed spiritus oculis, supremus ille spiritus quantum fas est in hac vitâ videri poterat. Nihilominus puto valentem locum malagmata abhorrere: triplicem ergo spiritum posuit Tertullianus, primum grandem, secundum commouentem, tertium sibilantem, nihil curans de igne, quia cùm de Deo, *vt spiritus est*, loquatur, solùm venientes tunc spiritus numerauit: commotio enim in hoc loco tremorem innuit montis, & regionis, similes autem tremores, à subterraneis ventis ortos, pueri norunt. Pulchrè ergo *glomeratus in turbine* vehemens ille primus appellatur & perflans: pulchrè *liuens in nubilo* latens ille secundus, & subterraneus dicitur: contra quos deinde tertius *apertus*, quia non occultus & subterraneus: *simplex*, quia non turbidus, de puluere, vt solet, & quisquiliarum conglomeratione permixtus. hæc habui quæ darem pro loco obscurissimo, donec alius abstrusam gnomen Septimij penetret feliciùs. pergo.

1531. His patientiæ encomiis probandis alludere videbatur Christus Dominus, quando dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi*, Luc.17. num.3. iniuriam quidem sibi illatam posse quemuis de patientiæ fontibus remittere, satis patet: at peccatum quod illatæ iniuriæ pariter inuoluitur, quis nisi Deus ipse læsus in homine poterit dimittere? quomodo ergo cuiuis etiam non Sacerdoti patienter iniurias, & iniustè illatas sibi pœnas condonari, etiam condonandi peccatum ius tribuitur: illique solius diuinitatis insulæ & potestas conceduntur? equidem, quia its patiens, iam Deus est, & dum è corde pio,

lædentí

lædenti proximo iniuriæ suæ veniam irrogat, etiam commissi peccati veniam visus irrogare, cum instar Dei, ab ipso Deo illam impetrat peccatori: sic explicandus Chrysol. qui acutè ad hunc locum sermon. 139. *Age*, inquit, *homo mandante Deo, dimitte peccata: esto misericors ad delicta: in te commissorum tu remissor esto peccatorum: tu modò non perdas in te diuinæ infulas potestatis.* quàm gloriosæ infulæ, quanta corona solius patientiæ priuilegio comparata.

1532. Fatetur id (gloriosiori, ab hoste, laude proueniente) ipse dæmon. totus iste occupatus videbatur in Saluatoris rebus peruestigandis, & in illius nece procuranda: sed ecce tibi, quasi otiosus degeret, quasi id minimè machinaretur, puellam ingreditur, informat saltatricem, lasciuos artus mouet, componit fractos gressus, mollit brachiorum nexus, vt præmium tam sudatæ industriæ sit Ioannis caput: *allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ*, Matth. 14. num. 11. & quorsum hue diuertis, serpens teterrime? quid à morte Saluatoris, quam sitis, sistis? sanè non sistit, imò tunc vehementiùs insistit: videbat Christi Domini deicidium, non posse pro eius libito, sed pro diuina voluntate accelerari, & aliunde videbat in tam iniustis vinculis patientiam, qua nouus quodammodo Deus videbatur: ergo in seruo iam deificato dominum præsumit delibare: in Ioannis paratiori sanguine, Christi sanguinem degustat. quid enim foret aptius diuinæ mortis siti interim fallendæ, quàm mors deificati iam hominis penè diuina. fauet Chrysolog. serm. 174. *Si caput*, inquit, *est viri, iuxta Apostolum, Christus: iam tunc auello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortem: iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem.* potuit bene diuini vicarium poculum, dæmoni Baptista ministrare: quem fidelissimum seruum pœnæ iniustè datæ, patienter habita vincula consecrarant, deificarant.

1533. Et fortasse id erat, quod olim nato Christo meditabatur: cùm enim auferri sibi puerum ministrâ Ægypti fugâ ferret ægerrimè, in totius prouinciæ pueros Herodis illapsus præcordiis desæuiuit, quia dum infantili qua possunt patientiâ, & voluntaria sine voluntate ad martyrium præparatione, infantis Dei voluntariam & perfectissimam patientiam referebant, deificatos iam infantes existimauit, & in ipsis infantem Deum, vt valebat, credidit trucidatum. Fuit hæc D. Leonis magni *serm. 5. de Epiphaniâ*, haud parua commentatio. *Herodes*, inquit, *quoque in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum, in ijs qui ad Christum transeunt, ingemiscit: vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere.* Sic enim innocentia illa iniustè afflicta, & patienter vt poterat, se habens, infantes in Iesum infantem transformarat, vt alter pro altero supponere viderentur.

1534. Imponat dictis coronidem illustris ille locus *Exod. 7.* delegauit quidem sæpe Deus homini potentiam suam, & diuinitatis commisit maiestatem: nusquam tamen vberiori titulo, voce digniori, quàm loquitur ad Moysem: *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis*, num. 1. quæ verba Interlinearis sic paraphrasat: *vt quidquid volueris præcipias ei, sicut Deus imperat creaturæ suæ.* & cur, inquis, vni Moysi conceditur id muneris, ea honorificentia, quæ nunquam aliis legitur concessa? caussam puto innuit Apostolus Hebr. 11. vbi post multa de Moyse sic concludit: *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æstimans, thesauro Ægyptiorum improperium Christi*, num. 24. O pectus iam ante Christum, Christianum! ô patientiam Christi æmulam! per patientem Christus obedientiam Deus agnoscitur: Moyses per iniustam cum populo afflictionem patienter latam, meritò Dei titulo coronatur: neque mirum ad id Moyses eligatur, de quo patientissimè ferente Aaronis Mariæque detractiones, addit textus: *erat enim Moyses vir mitissimus, super omnes homines qui morabantur in terra*, Num. 12. n. 3. quasi illi soli securè traderetur diuinitas, qui miris cuiusdam patientiæ (quæ illius foret custos, & administra) robore fulciebatur. Sed quid, dicat aliquis: labilis ne Deus, & mancus in homine, sine hac patientiæ basi, & instrumento redderetur? ita puto: qui enim in se semper firmus, & totus agens est, ne in nobis damno nostro labatur, & mutiletur quodammodo, patientiam sociam prærequirit. graphicè Tertull. lib. & cap. proximè citato: *Cùm ergo*, inquit, *spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum: si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutiùs perseueret, sine sua comite ac ministra: omni loco ac tempore tangatur necesse est: quodcumque inimicus eius inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi.* ergo in Moyse non tangeretur, id est, non periclitaretur Deus, quem semper mansuetissima patientia comitabatur: quem nunquam inter iniustas afflictiones patientissima mansuetudo deserebat: sic bene Deus dicitur Pharaonis qui totum Deum stabilem & efficacem respirabat.

Vt nuntietis, &c. VERS. 8.

§. I.

Feruor spiritus difficultates imminuit, & comminuit: expedit pennas: salebras complanat: læuigat aspera: onera leuat: laboribus inludit.

1535. PVrares enarrata pericula, prædictos labores, dilecto nuntiandos optaturam sponsam: illa verò de his nihil: solum amoris languorem narrandum illi cupit: credo, quia ipsos dolores haud doluit, imò haud sentiit: vt enim pergebat feruida, & robusti spiritus impulsu vecta, quidquid damni euenerat, pro nihilo reputabat: difficultates inuenerat de feruore comminutas: pœnas pennata transuolauerat: salebras complanatas incesserat, aspera læuigata: subierat leuissima onera: laboribus inluserat non laborans. Tritum satis ad hanc rem illud Isaiæ: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*, cap. 4. num. 31. vtrobique effectus viget gratiæ in currentibus, & in ambulantibus, vt in via virtutis pergant expediti: quod autem ambulantibus (quorum minor fatigatio) maius malum, deliquium nimirum prohibeatur: cùm currentibus (quorum impensior est opera) tantummodo simplex labor, nouis auxiliis dicatur adimendus, illud in caussa est, quòd in via virtutis qui currit feruidè, crucem impauidè apprehendens, ad summum laborat: qui ignauus & tardus ambulat, difficultatibus exanimatur penè, atque deficit. Sed maius aliquid

mihi in eisdem verbis venit ponderandum: cur enim, si stabilitas & constantia in virtute semper æstimatur, in hoc loco, tamquam alicuius pretiosissimi, fit mentio mutationis? cur non firmanda potius, quàm mutanda fortitudo celebratur? respondet Gilibert. serm. 14. *Mutabunt*, inquit, *fortitudinem, non quidem vt veterem perdant, sed vt nouam adijciant, &c. mutatio hæc, profectum videtur innouatæ iugis, sine defectu, sine defatigatione.* itaque non tam de inconstantiâ mutatur, quàm roboratur constantior: semper eadem in se, sed semper nouis augmentis visa noua, quia nouo feruore labores minuit, comminuit difficultates: nescit enim fatigari, qui virtutis laborem feruidus aggreditur.

1536. Sed adhuc prædictæ aquilæ pennæ non prætervolandæ. Dauid peccatoris pœnitentis gerens figuram, sic exclamat: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, & dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* quis enim non addubitet, cùm feruido iusto aquilinæ pennæ tribuantur: cur pœnitens non has, sed columbinas alas anxiè suspiret? Nota tamen aquilam alatum remigio, oris rostro, timone caudæ aërem nauigare reginam, pennis penè immobilibus vix laborantibus, & dum altissima petit, in æthere purissimo, de subtiliori raritate, non obstante vix defatigatur. Columba ad initium volatus, quas pennas non concutit, quo labore, non suspenditur, qua anxietate trepida non libratur, donec post longum conatum, iam sereno lapsu, volatu suauiori deferatur? ideo Poëta *lib. 5. Æn.*

——Speluncâ subitò commota columba
Cui domus, & dulces latebroso in pumice nidi
Fertur in arua volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum celeres neque commouet alas.

In hoc ergo causa est discriminis: feruidus semper serenos pergit, celeres neque commouet alas, nihil penè laboris expertus: pœnitens è peccato recens, terrenis adhuc commotans, sudat initio territus, laborat, donec in aperto aëre, & feruore duce in omnibus mortificatus requiescat, sine fatigatione pergens, neque mirum: ille enim iam Dei expensis quodammodo totis deuotus ducitur: hic adhuc sudore proprio defatigatus teptatur. cape huiusce rei insigne testimonium.

1537. Moysi, & Aaroni fratri suas partes ex sacrificatis victimis concessit Deus: *Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem tuam: sanctificabisque & pectusculum & armum, quem de ariete separasti, quo initiatus est Aaron & filij eius: cedentque in partem Aaron & filiorum eius, iure perpetuo,* Exodi 29. n. 26. Pullulat statim quæstio non facilis: Moyses ordinaria potestate Pontifex erat summus, & quamuis successionis ius non suæ, sed Aaronis familiæ reseruaretur: tamen dum viuebat, supremam dignitatem gerebat, ipsumque Aaronem inter subditos numerabat. quæ dixi, verior tuetur & communior sententia Theologorum. cur ergo pectusculum tantum digniori Moysi cedat, inferiori Aaroni pectusculum pariter cum armo, siue brachiolo victimæ concedatur? soluit acutissimè nodum Philo Iudæus lib. 2. allegor. *Est,* inquit, *brachium etiam signum laboris, & afflictionis: talis autem debet esse curator minister que sanctorum exercitijs, ac labore occupatus. cæterùm cui Deus perfecta bona abundanter largitus est, sine labore agit: hoc autem minor reperitur atque imperfectior qui labore parat virtutem, quam sine labore & negotio Moyses accepit à Deo: nam & labor ipse minor, & vilior, quàm quies, sicut & imperfectum, quam perfectum: à doctore quasitum, quàm id quod per nos ipsi discimus: hæc est causa cur pectus accipiat Aaron cum brachio, Moyses sine brachio.* vtrique pectus victimæ, id est, virtutis præmium, & voluptatis conceditur medullium: cum hâc tamen differentia quod feruido, & in plena affectuum mortificatione iam perfecto Moysi, solum præmium fratri proficienti adhuc, armus siue humerus, & brachium cum præmio conceditur: hic enim adhuc humerum labori subiicit, manum operi, adhuc fatigatione premitur: ille iam laboribus illudit insultans, & perfectas virtutes à Deo accipiens, iam non laborat.

1538. Est mira adiuratio illa Christi ad sponsæ sodales: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit,* Cant. 3. n. 5. aduocantur scilicet feruidi virtutis amatores, crucis antesignani, quorum meritis necessariò sodales adiuratæ præstarent reuerentiam: qui proinde meritò capreæ & cerui appellantur, quia immensos laborum montes, difficultatum salebras, virtutis aspera, persecutionum prærupta, insidiarum condensa transiliebant, ceruorum instar, de quibus Plinius lib. 8. cap. 32. *editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant*; de capreis idem ostendere, cùm sit per se notissimum, otiosum: ideo Christus transiliens colles, montes saliens, capreæ & hinnulo ceruorum comparatur, Cant. 2. n. 8. cap. 8. n. 14. Hinc ergo iam ingens suboritur difficultas, cur campestris planitiei cerui appellantur, qui se semper salebris rupicibus, rupibus confragosis exercuerunt? respondet pulcherrimè citatus Gilibert. *Ceruos,* inquit, *camporum dixit, quòd illis qualibet aspera, & ardua qualibet, plana sunt & peruia, & inoffensis exposita cursibus, quasi planioris æquora campi.* beati planè illi, & iam plenè mortificati, quibus de feruore ipsi asperi montes, duri saltus, prærupti colles, sic sublatis salebris asperis læuigatis sine labore superantur, ac si in aperta, & iucunda planitie decurrerent. quasi ipse feruor, ipsa pedum velocitas viæ impedimenta & offendicula non offendat, & obiecta strenuissimè deiiciat.

1539. Capies hinc obscurum locum Ieremiæ: *Quomodo,* inquit, *dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle: scito quid feceris, cursor leuis explicans vias,* cap. 2. n. 23. est enim scitissima quædam obiectio Dei, & peccatoris subsannans obiurgatio, quia ambulabat post vitia, vias mortis: ideo ly *in conualle,* vertunt LXX *vide vias tuas in sepulchro*: ac si quiuis offensionis lapis, cippus esset sub quo miserè sepultus obrueretur, qui aliàs quando post Deum feruidè & leui spiritus promptitudine currebat, vias alioquin angustas amoris offendiculis explicabat, illustrat, & illustratur Gilibert. serm. sæpe citato: *Bona quidem,* inquit, *fortitudo, quæ currens licèt cum labore, tamen ad defectum declinare non nouit: melior planè qua nec laboris sentit molestias, sed oppositarum difficultatum transilit scandala, & veluti in campestri planitie explicitis gressibus vtens: iuxta quod scribitur, cursor leuis explicat vias suas.* Vt ea quibus tepidus implicatur, non solùm non implicent feruidum, quin potiùs agilitate illius explicentur: fulmineo dente aper truncorum prostrata duritie viam sibi facilem sternit, & feruido ingressu instus eradicatis obicibus sine labore cursurus, difficultates molliens amolitur.

§. II.

§. II.

In idem plura.

1540. QVam ergo vera vox illa inuitantis perfectionis: *viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*, Prou. 4. n. 11. arctantur quidem gressus cùm via inhorrescit sentibus, turgescit salebris, angustatur obicibus: ingredienti ergo, id est, compositis gressibus, ambulatorio incessu, viam virtutis ad initium assumenti, satis est non coarctari: satis alligatum impedimentis & obicibus non detineri: sed quamuis lentè, vlteriùs procedere. quid si feruidus currat, quid si instanter properet? non solùm non coarctabitur, verùm etiam offendicula non offendet: ipse currendi feruor sic viam explicat, vt impedimenta amoueat, & horribilia tepido, nullatenus huic veniant pertimenda. bene ibi Beda: *quo alacrius*, inquit, *ad implenda Dei mandata curreris, eo minus aduersa, quæ te impediant, timebis*. & quis timeat, id quod nusquam est? quis adhibebit offendendi pauorem, vbi certè non habebit offendiculum, quod iam de alacritate penitus amouit? quod nunquam infestum incurret, dum faustè currat?

1541. Colaphizabatur Paulus à carne sua: implorat opem, & hanc iam sibi satis præstitam audit de irrogata gratiâ: additque Christus: *nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. Corinth. 12. num. 9. infirmitas carnis perficit virtutem, quia non miretur? nonne satis, si virtutem non retardet? nimirum firmus de feruore, robustus de alacritate spiritus, etiam ipsam carnis infirmitatem ad virtutis palæstram robntabat: non solùm hæc non officit, sed perficit D. Paulinus epist. 1. *Seruientes enim Christo*, inquit, *corporis seruitio, animi imperio magis vtamur: atque ideo voluntatem nostram Christo auctore directam, caro iussa comitatur, trahitque corpus ab animi firmitudine firmitatem, & ad Domini habitum, famulus componit obsequium: atque ita virtus in infirmitate perficitur, dum anima consensu carnis edomita Deo seruiens, per infirmitatis ministerium, implet officia virtutis*. vbi audis de firmo alacritate spiritu, non amotum solum infirmæ carnis impedimentum, sed, quod magis est, in virtutis perfectiuum commutari. Sed de hoc alibi.

1542. Verba illa Psalmi 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*, num. 1. de Ecclesia iam aliqui explicarunt. Sed tu mecum pondera, cur quæ *terra* dicitur, statim *terrarum orbis* appelletur: quasi totæ forma, sphæricæ figuræ mensio, foret ibi necessariò inculcanda? quid totæ magnum, vt quadratæ, quod dicitur, perfectionis tenori, veniat explicando, adaptetur in symbolum? vidit optimè D. Ambros. *in Psalm.* 48. ad rem nostram: *Orbem terræ*, inquit, *nuncuparunt: eo quòd vita Sanctorum qui inhabitantur ab spiritu, sicut rota in orbem, sine cursus sui offensione voluatur*. longissimum est discrimen, trahas ne aliquid repiando, an voluendo ducas: illic defatigatio summa, hic vix vllus labor. trahit ergo virtutis vitam sudando tepidus, sanctus verò & feruidus suauissimè deducit: quæuis sit angularis figura, quocumque deferatur impingit passim, millies offendit: rota facile labilis superatis offendiculis conuoluitur.

1543. Instruebat Paulus Corinthios suos, dicens: *empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. num. 20. quasi summa gloriæ portio, esset portatio; & cur ita? quia amabiliter, hilariter, & suauiter vult haberi Deus, non fastidiosè, non cum tædio: erit autem tibi necessariò fastidiosus, si tibi grauis fuerit & onerosus: porrò onerosus erit omnino, si ignauus trahas, ni feruidus portaueris: audi vt rem acumen Gilberti serm. 17. *Portari*, inquit, *vult à vobis Christum, sed gloriosè, non cum tædio, non cum murmure, non cum indignatione, & fluctuanti proposito: denique portari, non trahi: trahenti enim onerosus est Christus, onerosa castitas, onerosa humilitas, obedientia grauis, paupertas sordet*. cùm pondus aliquod trahis repiando longè grauiùs redditur: quod si in sinu sublatum portaueris, aut in humero, fit leuissimum: haud aliter si crucem ignauus, & inuitus trahis, grauescit ipsa, & grauaris miser: si impiger feruore tollis, & fit leuissima, & portantem portat: ideo Christus Dominus *Matth. 16. num. 24.* & sæpe alibi, tollendam crucem dixit, non trahendam, vt portans feras illam suauissimè, cui trahens desudabis. Denique non solùm graue pondus ignauus sibi adauget, sed etiam iniuriam perfectioni irrogat, quæ portanda cum glorificatione, non cum vilipendio trahenda: feruidus autem qui totam amplexatur crucem, & sinu fouet: se onere liberat, & Deum afficit honore, verumque confirmat dicentem, iugum suum suaue esse, & onus leue. de hoc multa alibi, redeo.

1544. Quis crederet sponsam illam sanctissimam, animam illam summo charitatis feruore æstuantem, totos mortificationis fasces non collegisse, totum crucis pondus non subiisse? & tamen audi quid de se prodat: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, Cant. 1. num. 13. ast cur totam mortificationis myrrham putat fasciculum, prædicat leuissimam? vide quæ multa dixi in huius versiculi notatione. addo ad rem præsentem, fasciculum esse, quia nimirum sustulerat illum, non traxerat, portabat sinu fouens, non solo reptabat fastidiens: sic feruor allenabat onus, quo tepiditas terreretur. audi quid statim subiungat: *inter vbera mea commorabitur*. portat cum honore, cum feruore: non trahit cum dedecore, cum fastidio: quidni immensos fasces, reputet fasciculum: idem Gilibertus *ibidem*, contra ignauos Deum trahentes, reptantes crucem: *Deformiter*, inquit, *portas, qui sic conuersaris: fascis tibi quidem grandis videtur fides, pietas ponderosa: non potes dicere, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. Sic cui non leuis crux, numquam poterit esse gloriosa.

1545. Post alia quæ de Christo descripserat, sic subdit Isaias, *& erit sepulchrum eius gloriosum*. ex Græco vertunt multi, *& erit requies eius honos*. quod de Cruce explicans Germanus Patriarcha Constantinopol. Orat. de Cruce post alia, sic concludit: *Requies appellatur, quia peregrinationis labor, & sudor & alia naturales & indetrectabiles passiones, & afflictiones, concessu diuinitatis, quando opus erat commota & concitata in humanâ Christi naturâ, vsque ad Crucis supplicium: de cætero consopita sunt, eiusque morte mortua*. nimirum vt nobis exemplar esset, imperfecta mortificatione requiem parari, nec feruidis laboris aliquid superesse, cui non iludant insultantes. & bene hæc *requies*, dicitur honos & gloria: quia, vt suprà dicebam, cùm tota Crucis mortificatio feruidè arripitur, honor & gloria Deo exhibetur, dum non trahitur, sed portatur: vt leuis in sinu geritur, non vt onerosus reptatur.

1546. Ingreditur Christus nauiculam, & subdit statim Marcus, *& facta est procella magna venti, & fluctus*

Etus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis, cap. 4. n. 37. & vnde sudus Iustitiæ sol, sæculi serenator conflat procellam, glomerat tempestatem? pende quid addatur: *& erat ipse in puppi super ceruical dormiens*, n. 38. de quo ingeniosè Chrysol. ibi: *Quoties*, inquit, *Christus nostra dormit in naui, & ignauia nostra somno soporatur in corpore, irruit procella, tota confusione ventorum: sæuiunt minaces vndæ, & dum spumosis fluctibus sæpius eleuantur & decidunt, amara nauigantibus gignunt expectatione naufragia.* Videmur in nobis dum vitæ pelagus nauigamus, Christum de ignauia consopire: vigeat igitur & vigilet in nobis Christus, ne de torpore nostro perfectæ vitæ amor, & virtutum feruor relentescens obdormiat: tunc nullis tempestatibus obruemur, nulla inueniemus pericula, laboribus illudentes suauissimâ malaciâ deducemur: viuat & vigilet in nobis mortificationis feruor: sic fluctuum tumultuosus feruor, procella æstuans, aut dormiet in nobis, aut peribit.

VERS. 15. Electus vt Cedrus.

§. I.

Corporeus decor, grata fallacia: vanitas pulchra: tegimen pædoris: temporis spolium.

1547. DEscriptam fusè sponsi, id est, iuuenis modestissimi corpoream pulchritudinem, iam vno verbo quasi per anacephalæosim incorruptibilitati cedrinæ comparat Salomon, vt perpetuò vernaturam significaret: nam in Sanctis quandoque etiam corporeus decor, de virtutum merito perennat. ostendamus ergo in hoc §. quàm sibi suoque genio relictæ fallax, putida, & breuis sit corporea pulchritudo: vt in sequenti optatior virtus veniat, cuius vi, vera hæc, & perennis, si res postulet, exhibetur: hinc enim forrasse apud vulgus, efficacius quàm aliunde sanctitatis amores & studia commendabimus. tritum in hac re illud: *fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur*, Prouerb. 31. n. 30. non tamen tritum quod examino, cur enim fallax lepor ille, & venustas gratiosa, quæ de vero humorum exoritur complexu? cur pulchritudo vana, quæ de plena membrorum aptitudine, de plenis rosei coloris calatbis venustatur? respondet mirâ elegantiâ hîc Balduinus apud Tilm. *Quid est*, inquit, *vana pulchritudo, nisi pulchra vanitas? quid est fallax gratia, nisi grata fallacia? cernentibus enim gratiosa placet, sed spectantes fallit, & intuentibus oculis, quasi quibusdam præstigijs illudit: nam si interioris hominis acumine humani corporis intima penetrantur, quid est pulchritudo carnis, nisi velamentum turpitudinis?* vt non tam habeat aliquid quo fallat, quàm studeat fallere, vt pro aliquo habeatur: non tam sit, vt euanescat, quàm euanescat, vt fuisse videatur. gratiosa apparet, vt pereant spectantes: magis quippe mera vanitas, sub pulchro velo contemnenda, quàm si foret vera sub vanitatis tegimine pulchritudo.

1548. Hinc illud apud Iob: *deuoret pulchritudinem cutis eius, & consumat brachia illius primogenita mors*, cap. 18. n. 13. & cur tantùm pulchritudo cutis, quæ de toto membrorum consurgit apparatu, nisi quia tantummodo de tenuissimo cutis velo constat pulchritudo? deme cutem, sepone laruam pulchram: quid nisi pædorem & turpitudinem introspicies? facit huc allegoria D. Gregorij ad hunc locum, dum sic scribit: *Pulchritudo cutis, est gloria temporalis, quæ dum foris conspicitur, quasi species in cute retinetur.* nec immeritò, quia quemadmodum temporalis gloria, interiora defraudans beat exteriora, & puram putam vanitatem, fastuoso dignitatis velamine obumbrat: sic corporalis pulchritudo interiora deserens, vnam asserit cutem, & venusto velo vanissimè superficiem exornat, spurcissimi sterquilinij, & putidissimi luti obumbratricem.

1549. Testatur vox id illa pœnitentis, & veniam summissè implorantis apud Prophetam Psalm. 43. n. 25. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Vnde enim animæ nobilitas ad terræ vilitatem deturbatur, nisi quia inani pulchritudini adhærescit? aut quid aliud est pulchritudo, nisi luteum volutabrum desuper gratâ fallaciâ inauratum? bene ibi D. Chrysostomus: *Qui amore*, inquit, *vinctus tenetur, & luto inhiat, & incorpoream quæ in se est facultatem cineri mancipat, iure hæc pati dicatur; quid enim aliud est pulchritudo corporis, nisi puluis, & lutum, atque adeò quidpiam his etiam deformius, ac tetrius? quod si fidem non habes, considera sepulchra hominum, & videbis lutum & puluerem; quando enim facies vitam præsentem exuerit, tunc apparebit id quod est: imò verò etiam ante mortem, quando senectus inuaserit, quando morbus afflixerit.* Quid ergo miserius, quàm impendere nobilissimam animam in fouenda propriâ pulchritudine, in fruenda alienâ, quæ luculento velo, lutulentam abscondit turpitudinem, aut volatilem componit pulueris vanitatem? bene humiliata anima dicitur his studiis, nulli quippe rei aut vaniori, aut abiectiori poterat desudare?

1550. Hæc de eius fallacia vanâ, dum sublucet apparens: videamus adhuc, quàm etiam sic duret breuicula, subitò euanescat: de quo idem Chrysost. in Psalm. 50. *Quid*, inquit, *est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica: pulchritudo autem sine his virtutibus præcipitium patens, venenum insipientibus compositum; decus enim corporis infirmitate marcescit, & pulchritudo ægritudine tabescit: animæ autem pulchritudo immortalis est*, vt quàm facile (quod suprà dixerat) morbus adulat, tam subitò pulchritudo inuoletur. quid? ipsa vita crescens, decrescentis fit ægritudo pulchritudinis: in perpetuo vita est transitu, & tamen nunquam absque spolio recedit: quantum addis vitæ, tantum tibi adimis pulchritudinis. Seneca in Hippolyto,

——— fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.

Sicut enim littora nullo fluctuum recursu non excauantur: sicut illarum arena nullo non constringuntur vndarum æstu: sic pulchritudo etiam perpetuo dierum circuitu laceratur.

1551. Ex hac similitudine sumpsit Ezechiel occasionem Tyro irridendo: *O Tyre*, inquit, *tu dixisti, perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita*, cap. 27. n. 3. quomodo enim poterat perfectus esse decor, qui perpetuo maris circumtradentis motu carpebatur? quomodo tot obnoxia mutationibus, sibi de perfectione blandiri poterat. D. Hieronymus ad hunc locum: *Dixit*, inquit, *perfecti decoris ego sum: siue ego mihi circumdedi decorem, cùm sit in corde, hoc est, in medio maris sita, & quasi insula moueatur, & fluctuet, & vndarum illisionibus confringatur.* vana etenim decoris præsumptio, vbi perennis eiusdem est consumptio. sic humana pulchritudo vnde huc allegoria deducitur, nullius facienda, quæ sic irrequie-

to ſubiacet defectui: quæ floris inſtar leui peſtilentis Auſtri aura corrumpitur, quæ nulli non momento infauſtas ſuimetipſius victimas non proſternit, quæ nouis ſemper diſpendiis impenſa vanitati veteraſcit.

§. II.

Bonus tamen, vt tradatur abuſui: vnde quandoque virtutis meritis nouit perennare.

1552. Nihilominus dummodo duret, bonus eſt corporeus decor, & bonum non contemnendum pulchritudo: quæ enim multa contra illius fallaciam dici poſſunt, illis præcipuè docendis congeruntur, qui eâdem ad turpitudinem abutuntes, plus nimio ipſi credere præſumunt. ideo Latius Pacatus in Paneg. Theodoſij. *Auguſtiſſima*, inquit, *quoque ſpecies, plurimum creditur trahere de cælo: ſine enim diuinitus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hoſpitium: ſiue cum venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo.* quaſi minus dignè nobiliſſimus & pulcherrimus animus ſub fœdi corporis hoſpitio deliteret: vnde ſoleat ad ſui formoſitatem quandoque corpus conformare. D. Ambroſius etiam 1. *officior. cap.* 19. ad hanc rem. *Non certè*, inquit, *in pulchritudine corporis locum virtutis non ponimus: gratiam tamen non excludimus, quia verecundia & vultus ipſos ſolet pudore perfundere, gratioreſque reddere: vt enim artifex in materia commodiori gratiùs operari ſolet, ſic verecundia in ipſo quoque corporis decore plus eminet.* ni fallor, adhæſit Virgilio dicente,

Gratior & pulchro veniens à corpore virtus:

vera enim Poëtæ gnome, quam malo cum Ambroſio comprobare, quàm cum Seneca reſpuere: noſti quæ ille, tetricus in hoc carmen.

1553. Hinc ergo eſt, vt ſæpe pro dono non exiguo, à Deo hominibus concedatur. Seriò idem D. Ambroſ. lib. de Paradiſo cap 7. *Pulchritudo*, inquit, *ipſa, & gratior corporis forma, frequenter in vitium, quam deformitas trahit: numquid igitur quiſquam, deformiores, quam pulchriores filios habere deſiderat, & inopes potius filios ſuos cupit eſſe, quàm diuites? plura ſunt einſmodi, quæ non ad imprudentiam largientis referenda ſunt, ſed ad malè vtentis errorem.* Donum itaque Dei pulchritudo, tantummodo de abutentis culpâ (ſicut optima multa aliâ) deprauatum. hinc oritur vt holus flores aliàs caducos, amœnarit diutius quandoque interioris virtutis irrigatio: huius venuſtatem, vetuſtate neglectâ, libidinum repreſſio in longiſſimas metas relaxarit.

1554. Peregrinaturus in Geraris Abraham, rogauit vxorem Saram, vt ſoror eius dici pateretur, ne eximia pulchritudine, marito vitæ periculum crearet: neque vanus timor. viſâ fœminâ, *miſit Abimelech rex Gerara, & tulit eam*, Geneſ. 20. num. 1. Sed vnde, dicat aliquis, marito timor? vnde amor Regi? certè Sara anicula iam erat. quotannis, inquis? ſi cœlo placet, pluſquam nonagenaria: habetur expreſsè *Geneſ.* 17. & fœmina, vix crederes niſi ſanctiſſima, ad ipſum fatetur *cap.* 18. *num.* 12. quæ ergo tatip timendi alteri, alteri adamandi? reſpondet ibi Lyranus: *Poteſt hic dici de pulchritudine Saræ, & teneritudine carnis, quod conſeruata ſunt à Deo propter eius ſanctitatem. & licèt hic ſenſus non ſic hic expreſſus in littera: tamen probabiliter poteſt trahi ex circunſtantiâ litteræ.* Durabat itaque de ſanctitate in nonagenariâ pulchritudo, & corpus ad libidinem crucifixum, amœnis ſemper floribus perennabat. Certè virtutis erat non vulgaris, quæ alienos Principum oculos adhuc detriumphans, iam ſe ſibi viluerat, vt licito matrimonij vſui ineptam ſe putaret: quæ flaueſcenti adhuc coma, vegetis oculis, colore roſeo, corpore rectò, annorum tantum ſpatium pertranſiens, non ſentiens iacturam, aniculam citato loco ſe proteſtatur. erubeſcat fucata canities, cutis rugata, diſſimulata lippitudo, eburnea liuentium gingiuarum impoſtura, quæ laſciuit adhuc in noſtro ſæculo, in ſumma collocans iniuria ſi de longæua ætate ſubnotetur. Sed redeo.

1555. Moyſis annos computans Scriptura ſic habet Deuteron. 34. *Moyſes centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt: non caligauit oculus eius, nec dentes eius moti ſunt*, num. 7. Sed quot ſunt hodie (noui ego pluſculos) qui ad extremam prouecti ſenectutem, neque viſus, neque dentium defectum patiuntur? Quid ergo tamquam mirum in Moyſe, id narrat Scriptura? ego putarem in his oculis non caligantibus non ſolùm commendari obtutum firmum, ſed etiam viuida illa & ſcintillans aciei venuſtas, quæ in iuuenili ætate, de protenſis ſine ruga palpebris ſolet emicare: quaſi ab oculis (vbi præcipua pars decoris) totius vultus, & corporis pulchritudinem integram, in tam prouectâ ætate Moyſis diſceremus: certè tot virtutis exercitijs, tot ob Deum exercitus Moyſes laboribus, id etiam inter alia à Deo promeruerat, vt corporea eius pulchritudo, illæſa vſque ad mortem perennaret, ſic expreſsè Pagnines vertit: *non caligauit oculus eius, & non fugit viror eius.* Gratior Paraphraſis Chald. *Non caligauit oculus eius, neque mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus eius.* Sed audiendus Lyranus loco ſuprà, qui in confirmationem pulchritudinis Saræ ob virtutem ſeruatæ, ſic ſubiungit: *ſimiliter habetur de Moyſe*, Deuteron. vlt. *non caligauit oculus eius: in Hebræo habetur, non obſcuratus eſt color eius: vel, non emarcuit recentia eius, ſcilicet carnis, & coloris eius.* Vt nunquam marceret pulchritudine is, vbi ſemper libidines marcuerunt: ſemper formoſitate vernaret, cui vitiorum deformitas exaruit: nec exularet ab illo amœnus color, vbi nunquam calor virij luxuriatat inſultans.

1556. Vnde fortaſſe poterit explicari illud Dei ad eumdem Moyſem de Iosue loquentis, *& dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael*, Numer. 27. num. 20 Origen. apud Sixtian. pro gloria, legit *claritatem*: vnde aliqui credunt alludi ad lucifluos illos radios, quibus facies Moyſis pulchrior & venuſtior reddebatur: quaſi virtus Ioſue partem nonæ pulchritudinis libare mereretur. quò viſus tendiſſe Chald. Paraphr. qui vertit: *de ſplendore tuo.* Vatabl. licèt aliter rem explicet, tamen ex Hebr. ſic vertit: *Da illi mandata eis ſpectantibus, dabis quoque ei de decore tuo.* nec diſſonat à contextu hæc explicatio: gloria enim ei danda dicitur, vt audiatur à Synagoga, id eſt, reuerenter habeatur: certè enim pulchritudo hoc habet ingenitum, vt excitet reuerentiam, ideo Statius 2. *Thebaid.*

Ibant inſignes vultu habituque verendo
Candida purpureum fuſa ſuper ora ruborem:

de quo multa noſter Cerda ad illud *Æn.* 9.

Te verò mea quem ſpatijs propioribus ætas
Inſequitur venerande puer.

vbi de pulcello adoleſcente. Addo ego alibi plura: ſolum affero illud Curtij lib. 6. *Plurimis*, inquit, *gentibus in corporum maieſtate veneratio eſt: magno-rumque*

rumque operum, non alios capaces putant, quam quos eximiâ specie donare natura dignata est. Datur itaque Iosoe viro sanctissimo pulchritudo & splendor vultus, idque ex genere Mosaici illius indefectibilis.

VERS. 17. Quæremus eum tecum.

§. I.

Charitas non quouis, sed modo suauissimo tenerrimè exercenda.

1557. POterant matronæ istæ Solymitanæ expedite famulos aliquos, aut ancillas quæ simul cum querebunda puella dilectum quærerent: sed maioribus affectibus cogit perfecta charitas, nunquam opere satis contenta, nisi suauiori modo quo potest operetur: ipsæ se socias promittunt, quia id afflictæ sponsæ iucundius & gratius videbatur, triumphatâ morte, dæmone prostrato perrupit Acheronta non iam fictus Poëtici labor Herculis, sed Dei veri filius Christus Iesus: si quæras quo cô tendat, liberaturus limbi animas contendit: ideo Dauid, *confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs, qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, Psalm. 106. num. 15. & quidni celebretur tanta misericordia, tanta charitas! non quouis, sed dulcissimo salutem modo exercuit, cæteri Saluatores liberant vinctos, vincula verò & carceres relinquunt immones, ipsis tunc libertatis si delinquant iterum, vel aliis facinorosis denuo allegandis: Christus quas semel inde animas liberauit, sic in tuto posuit, vt non relapsuris carcer omnino fractus intelligatur: cæteri datis litteris vicario, aut custodi miserorum exequendam committunt libertatem: Christus ipse inuisit carcerem, & solius tenerrimi affectus armatus asciâ, bipenni munitus est dirrumpit, ferrum comminuit. D. Chrysost. *homil. 3. de Cruce*, apud Gretf. *Reges*, inquit, *cùm vinctos dimittere volunt, missis epistolis: non ita agunt, sed iam fores, quàm custodes relinquunt, vt ostendant eo denuo ingrediendum, vel illis qui iam liberi abierunt, vel loco eorum alijs: non ita Christus, sed demonstrare volens mortem iam ad finem, metamque peruenisse, æreas eius portas confregit*. quia quantum est ex se, nemini tantam pœnam vlteriùs destinabat. pende ly *missis epistolis*. quasi id maximè in Christi charitate commendetur, quia licèt missis Angelis posset homines educere, dulcius per semetipsum maluit pietatis officium exercere.

1558. Fecit scilicet post victoriam, quod adhuc in pugna facere consueuerat. clamat ad illum leprosus: *Domine si vis, potes me mundare*, Matth. 8. n. 2. Satis quidem erat minimus voluntatis nutus ad huius mundationem: aut si vltrà vellet, voce illa qua facilè mundi fecit machinam, faciliùs hic posset facere medicinam; sed tamen audi, *& extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare*, num. 3. faciliùs itaque aliter poterat, sed non dulciùs: effectus aliter promptior ostenderetur, sed non aliter promptior affectus. pulchrè ibi Isaac apud Godefr. *Ideo*, inquit, *diuina sapientia, medicina pariter & doctrina, quæ solo verbo potuit, leprosum tactu curare maluit: vt tu non quàm faciliùs, sed quàm affectuosius potes, beneficium impendas, opus pietatis impleas: nihil abhorrens illorum, semper attendens propter quem facias: ille enim semper pulcher est, semper mundus, semper honestus, semper dignus in omni persona, loco, & opere.* Sic beneficium exhibet Christus, affectus teneritudine vestitum longe gratius. Veniamus ad alios.

1559. Hoc erat quod occultè significatum voluit Isaias, de anima iusta restauranda, sub Israëlis nomine locutus: *florebit & germinabit Israel*, cap. 27. n. 6. Si rerum naturam aspicias, priùs arbor humore concepto germinatura tumescit, & postquam germinat, deinde productis foliis amœnatur: cur ergo iustus, post opera charitatis quibus floret, postea tandem dicitur germinaturus? respondet D. Anton. de Padua Dom. 9. post Trinit. *Nota*, inquit, *cùm germen priùs sit flore, non præmisit germinabit sed florebit, & germinabit: hac scilicet ratione, quia cùm vir iustus floret, debet germinare compassione: quia non tam manu sed etiam cordis affectu, ipsam debet pauperi porrigere, ne eleemosynam defleat auaritia.* Deductio subobscura: ni fallor, id voluit Lusitanus meus: sunt aliqui, qui dum foris florent, intus arescunt, quasi à dono misso exsiccati: iustus, etiam post externos charitatis flores quasi retento succo adhuc dicitur intus germinare, qui dum pendit opus, impendit affectum, suauiori quo potest modo charitatem exercens, & de exercitæ gaudio pinguescens. in arbore naturali cum floribus, iam non interior tumor, germen grauidum, in mysticâ maximè: ideo ordo verborum non curandus.

1560. Præclarum gerendæ charitatis exemplar Abraham. videt peregrinatione defessos (sic putat) iuuenes, quos statim inuitat ad requiem, compellit ad mensam: *Festinauit*, inquit deinde textus, *Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes: ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum*, Genes. 18. n. 6. Nullum hîc verbum, tenerrimæ cuiusdam charitatis affectibus non scatet: non erat, credo, domi viri principis ancilla, quæ penates curaret, focos adoleret, massam subigeret: ipsa domina, ipsa princeps Sara, vxor delicata detruditur ad clibanum. minus hoc: ipse ipse Abraham ad gregem currit, quem pastoribus traditum suis, fortasse iam non aspexerat: ipse adstans ministrat prandentibus, quasi piissimæ aliàs coniugis diffidat pietati: vt de nullâ circunstantiâ, charitas dulciùs exerceri posse videretur. D. Chrysol. serm. 121. *Abraham*, inquit, *suscepto hospiti adstitit, non assedit, & fuit iste non conuiua hospitis, sed minister: Abraham viso peregrino, Dominum se esse nesciuit, ipse allator prandij, ad coquinam, satis delicatam sollicitus addixit vxorem, & qui se suaque omnia famulis suis credit, ac committit, committere vix audet hospitem coniugi quàm probata.* Sic præstitum officium de officiositate crescebat exercitij.

1561. Nec caret hoc affectu, quòd iubeat subcinericios panes apparare: quis enim credat in opulenta domo, in abundanti familiâ, nisi coquerentur tunc, nihil aliàs cocti panis superesse? supererat certè, sed quo vterentur necessitas, non quem charitas officiosa exhiberet: hæc nescit non meliori, & molliori modo quo potest actus suos exercere: hesternos fortasse panes, iam lapideos planè iudicabat: recentes affert, de cordis magis, quàm de clibani igne feruidissimos. ipse Chrysologus: *Abraham fratres, venientibus longè semper occurrit: prætereuntes etiam prece vocat, nolentes magna cum supplicatione suam compellit ad mensam: prima & saginata de gregibus, hospitibus semper apponit: suis, & coniugis suæ manibus calentes semper offert panes, quos frigidos, & hesternos esse, vtique ingis humanitas non sinebat.*

fimbat, erat perfecta charitas, erat iugis, quæ semper dulciosibus modis iuogi solet.

1562. Solùm posses opponere, cur non pararet ipse vitulum, sed daret coquendum puero: affectuosior quippe, si foret ipse coquus, videretur? Sed certè adhuc in hoc ipso dulciorem voluit exprimere charitatem: impenderat se ministeriis, vxorem penatibus: voluit vt filius Ismaël, quem vnicum tenerrimam pectoris sui partem tunc habebat, hospitibus etiam seruiendis se impenderet: vt dum iussu patris vili tunc ministerio desudabat, disceret in posterum, dulciori modo quo posset charitatis officia exercere. Lyranus ad hunc locum: *Hebræi, inquit, dicunt, quod ille puer fuit Ismaël filius suus, cui tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret hospitalitatis operibus.* sic nihil suum æstimabat, quod alienum obsequio non destinaret: ne solùm eligere hospitalitatem, sed etiam hospitalitatis diligere blandimenta nosceretur.

1563. Expressit mouitum istud Spiritus sanctus apud Michæam; *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*, cap. 6. n. 8. non satis est misericordiam, & charitatis opera exercere, nisi & ipsam sollicitus ames misericordiam. quidquid amatur, tractatur tenerrimè, dulciter fouetur: sic charitas si diligitur, dulcissimo tenore exercebitur. Hugo hic apud Godefr. *Non solum, inquit, facere, sed diligere, quia magis facit, qui affectu pietatis compatitur, quam qui ex debito præceptionis miseretur.* Cupit Deus vt non coactis, & veluti ex præcepto extorqueatur nobis charitas, quin potius vt ex visceribus fluat pissimis: quia quod sponte fit, fit dulciùs, & blandiùs exercetur. Sed de officio oblato, non extorto, alibi plura congero: hæc satis, vt videas quid affectus ostenderent Solymitanæ fœminæ, quæ se ipsas in sponsæ obsequium impenderunt.

§. II.

Charitas mutua, vinculum pacis, status columen, cælestis propugnaculi munimen, quàm sit communitati necessaria.

1564. ET meritò istæ fœminæ, in quibus tam viuida charitas splendebat, Ierusalem, id est, vrbis pacificæ, filiæ appellantur: nec enim pacis habitatrices essent sine charitate: nec vrbs posset esse pacifica, nisi illæ mutuâ charitate refulgerent: sic charitas maximè communitati necessaria, sine qua omnia penitus pessundantur: signatiusque id in religiosa familia: mendosè enim fratres appellamur, nisi fraterno amore inuicem prosequamur. De hac ergo re pulchrè Chrysologus serm. 132. *Hoc ergo, inquit, interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, & separationis præsumptam de ignorantiâ, aut negligentiâ vanitatem: quod in salute & honore integri corporis, species est vnitas membrorum, & in separatione viscerum, est fœda, lethalis, & horrida pernicies. Homo, quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sic diuisa coniunctio, aut tam coniuncta diuisio, nisi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres?* & statim è pulchriori membrorum separatio, diuisionis incommoda proponit, oculi nimirum exemplo, rem oculis cernendam obiiciens. *est quidem membrorum commercio salutari prerosus oculus, sed si perseuerat in corpore: alioqui, vbi corpori defuerit, sibi non aderit: debent illi membra omnia sua lucis obsequium, sed ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est: qui vtique cum omnibus membris ministratum membrorum prouideot, cum fusus è corpore, nec sibi vides.* nihil in hoc illustrius dici potuit, nisi semper ipse Chrysologus se excederet. quot ego noui, qui dum communitatis corpori per charitatem adhærentes, prudentiæ scientiæque lumine instar oculorum, radios emittebant, sibi, communitatique erant vtilissimi: hos vbi aut superbiæ, aut delitiarum impetus à charo communitatis consortio segregauit: eò impulit, vbi obscurati penitus vix noscuntur: quo tandem videant, si quid videre possunt, quamuis communitati lucem præberent, ab eâdem tamen pendere, quod lux essent.

1565. Insistit verò in hoc S. Doctor verbis Apostoli, pacificam inter fideles stationem, & vniuscuiusque in gradu suo charitatis constantiam declarantis: *Sicut enim, inquit, in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi, vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, Rom. 12. n. 4. monitum notissimum, vt vnusquisque conditione sua contentus degat, neque pedis vilitas, sublimitati oculi inuideat: neque despiciat oculus pedem abiectum. obiter tamen ad rem meam in vltima clausulâ, *alter alterius membra*: charitatis mutuæ necessitatem ad totius status conseruandum, expressit optimè: de quo minus obuia elegantia Balduini ibi apud Tilman. *Nonne, inquit, manus ad ministrandum nata, & ad seruiendum donata, vt quotidiana docet experientia, ad obsequium pedum se humiliam? quod si manus, vt casu nonnunquam accidit, ab altera vulneretur, nunquid læsa est zelo vindictæ, & percussa repercutit? nonne illa, qua læsit quasi reatus sui conscia, & quasi dolore pœnitentia compuncta, velut satisfactionis nomine, ferori læsa medelam curationis quam optimam potest adhibere festinat? nonne ipsa obsequy humilitate pro veniâ supplicat, & vt sibi ignoscatur, erat? nonne deuotâ sedulitate, & sua benignitatis studio, omnem malignitatis suspicionem excusat?* sic nobis mutua charitas fouenda, & si quando violata videtur redintegranda: aliàs discordes pereamus necesse est.

1566. Accessit nescio quis de turbâ aliquando ad Christum, eui & dixit: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, Luc. 12. n. 13. ad quem tunc Christus: *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* n. 14 dubitaueram suprà ad rem aliam, quò tenderet hæc Christi responsio: quomodoque se iudicem negaret, quem æternus Pater, vt virga directionis virga regni sui, homines in iustitia & æquitate cohiberet, causarum omnium fecerat cognitorem: respondi ex Chrysologo pro subiecta materiâ: Ad ingentum tu præsentiarum scopum dico, ideo hanc causam propulisse, quia in iudicem simul & diuisorem vocabatur: tam pius pater, qui mutua charitate coniungendis fratribus studebat, nullatenus hìc intenderet diuidendis: sic putat idem Chrysol. serm. 161. *Non potest, inquit, dicere fratri, diuide: qui per Prophetam decuit, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* succedit iuri suo in iudicio Christus, ne in diuisione partem habere videatur: sic illos quasi alienos à se reputat, quibus imputat discordiam de fracta charitate diuisio.

1567. Degebant filij Iacob pastores ouium, & ipsi grex patri seni iucundissimo: sed ecce Ioseph agnus patri charior pietatis balatibus illis insusurrat: *accusauit, inquit textus, fratres suos apud patrem crimine pessimo*, Genes. 37. n. 2. quæ non immania argumenta collegerunt ex dictis interpretum nonnulli, cui pessimi infaustus titulus conuenirer? in ea etiam

qua

quæ cogitatu indigna prorupetunt, fto Lycano, qui aptè ad rem nostram: *Hebraica*, inquit, *littera non habet, crimine pessimo: sed hic habet, & retulit patri rixam eorum pessimam, & istud concordat cum eo quod dictum est suprà, quòd filij Lia despiciebant filios ancillarum, & ex hoc erat odium & contentio inter eos. & illud in translatione nostra vocatur crimen pessimum: quia sicut fraterna charitas quid optimum dicitur, ita econtrario odium fraternum crimen pessimum appellatur.* frustrà scilicet inanem fraternitatis titulum, sine re charitatis retinebant: iustè crimine pessimo accusandi, qui dum ex ouium quas pascebant mansuetudine, mites possent spiritus edisc ere: luporum rabiem fraterno gregi obtrudere ausi sunt, & seniorem patrem dilectiori peculio quodammodo spoliate: penè enim sibi deperditos deplorat, quos inter se disiunctos agnoscebat.

1568. Patet hinc quid sit illud Dauidis, vbi mirabiliora Dei opera declarat: *Deus*, inquit, *qui habitare facit vnius moris in domo*, Psalm. 67. num. 7. vbi Vatabl. legit: *Deus qui orbis restituit familiam.* Sed ita ne, inquit aliquis? an idem est filios eiusdem moris, eiusdem amoris vinculo de pacificâ similitudine coniunctos domum replere, quàm eosdem orbatis parentibus restituere? certè idem: quia qui diuisis de prostratâ charitate animis patrem eingebant, licèt viui ac liberi, pro mortuis & captiuis & parenti & Deo putabantur: vnde cùm per charitatem vnius moris fiunt, restitui dicuntur. aliter etiam in notis: *efficit vt qui filijs carebant, habeant familiam amplissimam.* filiis namque carebat, qui licèt illos haberet: at sine charitate pacificâ diuersis moribus affectos, peste odij infectos deplorabat: ideo Vulgatus noster non tam vocat restitutos, quàm præhabitos, sed charitatis habitu, morisque eiusdem, & amoris ornatu circumfulgentes, quia eo ipso restitui videbantur.

1569. Pulcherrima sunt omnia, vnde ferculum illud constituitur Salomonis: sed bis pulcherrimis, media pulchriora. *Media*, inquit textus, *charitate constrauit propter filias Ierusalem*, Cant. 3. num. 10. Ast, cur non eodem charitatis comptu latera, cur non capitella, aut reclinatoria, cur denique non ascensus decorantur? quia nimirum quæ media sunt, communia sunt extremis: vnde in communitate, eo ipso quòd omnia sunt communia, & charitatis decore constrata nitere debent. Gilibert. serm. 19. *Charitas, inquit, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt: medio gaudet, & quasi in communi sua bona prostituit: media enim charitate constrauit.* Vnde aut communitatem desere, aut communitatis serua conditionem: charitas medium quærit, in propatulo sua exhibet, in communitate conquiescit: si charitatem desetis, quid hypocrita communitatem iactas præsumptuosus? filiabus Ierusalem, siue pacem amplectentibus, medium charitate sternitur, si dissensione perstrepis, iam hinc abigeris.

1570. Neque mirum: triumphantis enim Ierusalem, & cœlestis ciuitatis muros, ideo non solùm gemmis, vt Ioannes, sed etiam è pace formatos celebrat Dauid: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quia confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te: qui posuit fines tuos pacem*, Psal. 147. num. 1. ne scilicet muris illis, & finibus pacificis appropinquare, vnius moris filiis commisceri, temerè præsumat, qui pacifico charitatis habitu non incedit: hæc tessera est, hæc signum, vnde sanctæ vrbi nosceris confœderatus. D. Cæsar. Arelatens. homil. 11. *Ergo, inquit, vt ipsi videtis, Ierusalem illa cœlestis muros de pace constructos habet: qui enim talem pacem & charitatem habet, vt omnes diligat, &c. de qua parte voluerit intrare, illius Ierusalem portas apertas merebitur inuenire: qui autem non vult habere talem charitatem, &c. ex omni parte Ierusalem portas clausas inueniet.* Quid enim absurdius, quàm in ipso pacis loco, dissidiis & bello tumultuantes spiritus velle exultare? quid stultius, quàm portas charitatis, armatis discordiâ manibus pulsare? & cœli pacificum munimen odio inquietare?

1571. Pulsarunt tales virgines illæ fatuæ, quæ *acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum*, Matth. 25. Sed quæ aulicos cœli mores nescierunt, quæ mutui amoris tesseram spreuerunt, spretæ Christo pacifico nesciuntur: quomodo enim charitatis portæ clamantibus aperientur, quæ charitatis clamoribus, suas clauserant? D. Cæsareus citatus. *Quomodo enim, inquit, illis quinque virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt, illa cœlestis Ierusalem aperiet ianuas, vt intrent in gaudium Domini sui: sic illis è contrario quæ sine charitate veniunt, claudet, & æterna à se separatione repellet.* Possidonij Philosophi foribus laureatos fasces summisit Pompeius: vilia nautulæ tugurium *Cæsareâ pulsante manu*, subsistit securum, donec scaphulæ præsidium Cæsar impetrat: quippe nescit pacifica inhabitatio aut fastui cedere, aut terrore perturbari: nec portæ cœli illia aperiti, siue cedere, licèt virgines essent, quæ inuicem in sororum communitate, suaui charitatis oleo non ardebant.

1572. Meritò igitur perit sine charitate communitas, quæ cœlestis fœderis tesseram iam amisit. Obstupet orbis diuisum Erythræum: *Diuisa*, inquit textus, *est aqua*, Exod. 4. num. 21. Sed caussam puto, transeuntium vnitatem Hebræi olim mutua charitate coniuncti Deum colebant, naturâ potentiores, mare sic perambulent fas est, & vinculo fraternitatis adunati, vndas diuinitus scindunt, scissis & in parietes erectis, soliditatis vincula ne labantur, immittunt: deserunt postea Deum, Christum occidunt, & amissâ charitate palantes disperguntur: quidni peteant, & illos vniuersa terra nequeat sustinere? fortè voluit id D. Zeno *serm.* 11. de hoc populo: *Sanè, inquit, vultis scire, quanta sit sanctitatis? quem mare sustinuit adunatum: non potest terra baiulare dispersum.* amisit cum vnitate sanctitatem, & quem charitate ligatum reuerebatur natura, eumdem odio dispersum, deinceps abominatur.

1573. Sed quidni vnitatem amitterent, qui vnitatis vinculum disrupetunt, qui Christum occiderunt? describturus Apostolus quàm multa Christo Seruatori debeamus, sic concludit: *ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, Coloss. 1. num. 14. prætereo nunc litteralem, de vtriusque populi coniunctione explicationem: solùm examino, cur in hoc loco Christus non tam dicatur pacis dator, immissor charitatis, quàm pax ipsa, quæ diuersos in vnum copulauit? de quo audienda pulchra Chrysologi similitudo. *Sicut frequenter fieri videmus, vbi Regum, vel fratrum tabula compinguntur: vt inter vtrosque vnanimitatis declarentur insignia, artifex pictor fœminæo habitu post tergum vtriusque concordiam statuit, quæ brachijs vtrumque complectens, indicet quòd hi, qui videntur corporibus separati, sententijs, & voluntate conueniant: ita nunc pax Domini media assistens, & vtrumque nostrûm gremio palpante connectens, discreta corpora in vnum conuenire animum vluis cingentibus docet. in quo sine dubio completur sermo propheticus*, Zachar. 6. *qui ait, & erit concilium pacis inter vtrosque.* Quid ergo erit charitatem desetere, quàm diuinum hoc vinculum lacerare, &

& li d[illegible] m instar, Christum iterum crucifigere? ten[illegible] [illegible]c[illegible]rdiam amore palpantem, ne dolor pa[illegible]ant[illegible] demittamus. Vnde obiter video cur S[illegible]tas nostra vigeat charitate, nimirum quia [illegible]tuato titulo. Iesum, qui pax est nostra, fortitu est: frustrà tanto nomine gloriatura, si discordiis pa[illegible] fi[illegible] antem Dominum disrumpat. pergo.

1574. Mira est illa extremorum dissitorum coniunctio, sub vno monito, à Christo vsurpata: *Habete*, inquit, *in vobis sal, & pacem habete inter vos*, Marc. 9. num. 49. quam tameo aptè explicat Galfridus loco infra citando: *Sal*, inquit, *castitatis, ne corpora libidine, pacem charitatis, ne corda dissensione scindantur: alioqui & illa cùm putruerint, vermem generant, qui non moritur, & ista si in Deum, vel in se inuicem collidantur, ignem emittunt, qui nullatenus extinguetur.* quasi corda ista durissima instar sint ferri & silicis, quæ mutuâ per discordiam collisione ignem excitant, & scintillas odij immittunt. O duritiem! quandoquidem vt pacem istam Christus altiùs intimaret, sic nos orare docuit, vt vnum Patrem Deum agnosceremus: vt fraternitatis suauissimæ vinculo sciremus nos colligatos, qui vnum & eumdem nobis patrem profiterentur. hinc erat vt in illis felicissimis Ecclesiæ auspiciis, fideles omnes inuicem fratres vocarentur: de quo Tertul. Apolog. contra gent. cap. 39. *Fratres autem*, inquit, *etiam vestri sumus de iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres: at quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis: qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis.* Vix homines sunt, qui mali fratres: neque tamen vix homines, qui iam in Christo fratres charitatem mutuam non fouent.

1575. Ideo Salomon virtutis excellentiam ostensurus: *O quam pulchra*, inquit, *est casta generatio cum claritate*, Sap. 4. num. 1. LXX habent [illegible] *melior sterilitas cum virtute*. Galfridus legit: *casta generatio cum charitate*. quæ omnia si conc[illegible]des [illegible]feres, claritatem & splendorem coincidere cum virtute, quasi nulla sit claritatis nobilitas, non[illegible] lua nobilitatis splendor, sine virtute, & deinde virtutem antonomasticùs supponere pro charitate. idem Galfrid. ibi apud Tilman. *Castitas*, inquit, *& charitas faciunt hanc pulchritudinem: sine altera enim corpus in putredinem defluit, sine altera verò animus inextinguibilem sibi flammam de ardore suæ ab[illegible]inationis accendit.* quia quemadmodum ignis partem accendens, vt plurimùm totum quod est commoct[illegible] paulatim deuorat, quod non faceret si pa[illegible]s ill[illegible]ns discretæ forent: sic odia communitatis, eo ip[illegible]o quòd communitatis habet coniunctionem, immaniùs deseuiunt, inextinguibiliùs accenduntur.

CAPVT SEXTVM.

Vers. 4. Terribilis vt, &c.

§. I.

Gor[illegible]anus inolentis vitij nodus, scinditur potius, quàm dissoluitur: non tam tenetur, quàm tenet.

1576. Quæras fortasse, cur toties Ecclesia terr[illegible]is & armata describatur? quorsum eius virtutes hastis, gladiis, quibus arma[illegible]

Pintus in Cantica.

ta acies, terrori esse solet, comparatam: ego crederem talem necessariò processuram, quæ inueteratam peccati consuetudinem ab aliquibus alumnorum suorum quotidie fauente gratia amolitur: ita verò inolescens affectus roboratur, vt frustrà obduratum eius callum, nisi ferro, præsumpseris cessurum: nodus iste iam cæcus, sic intricatus, vt scindi potius possit, quàm dissolui. Bene de affectuum tyrannide Chrysol. serm. 115. *Passiones*, inquit, *sunt, per quas infirmatur infantia, pueritia trahitur, adolescentia insanit, iuuentus & senectus multis luctibus cumulatur: ipsæ sunt quæ totam hominis vitam inimico conturbante comitantur ad lapsum.* Sic peruicax, & pertinax vitiosi affectus persecutio, vt infantiæ se inferat, & quibusdam velut vinculis innodatos nec ipsam etiam deserat senectutem.

1577. Nunquam Alexander in remotiorem aliquando prouinciam felicitatis suæ ductus auspiciis fortunæ sublatus humeris peruenit: quin priùs à facinorum suorum gloria terrorem ingerente præueniretur, quæ plumis famæ adducta præuolauerat: ideo facile orbem superabat. cum hoc tanto splendoris apparatu, nescio quò peruenit, vbi ab incolis audit, fore vt triumphis suis infaustam metam poneret non vltra processuris, nisi cæteris eò venientibus Regibus consors probaret periculum, & feliciot superaret: ni scilicet extricaret nodum Herculeum, quem Gordianum appellabant: in cuius quidem implexis colligationibus, fausta videbatur Principum sors ligari, ne quid vltrà gloriolum facerent, ni priùs id perficerent. iubet ergo afferri sibi nodum Alexander, aspicit semel & iterum, voluit & conuoluit sedulus: tentat laxare, sed frustrà, & post longam laboris sollicitudinem agit nihil, dum plus satagit: milites interim & purpurati adstantes, pallere, erubescere, corrodi: dum Principem suum paris conditionis cum vulgaribus Regibus, suspicantur, dum eius fortunam interceptam duro nodo ferunt ægerrimè. tunc Alexander arrepto pugione medium nodum secat, subdens: *dissoluere, vel disrumpere perinde est.* certè non idem erat: consilij tamen calliditate obicem amouit, ipso facto designans fuisse sibi tanti nodi solutionem impossibilem. pende nunc.

1578. Quot è Prophetis, quot è sanctissimis fuere Patriarchis, qui nodum illum plusquam Gordianum quo affectus naturæ colligantur, dissoluere, si fortè, tentauerunt: sed quàm frustrà! quantum laboris incassum! Hinc ergo tot vota, tot suspiria cœlestem Alexandrum, potentissimum Saluatorem postulantia: venit tandem plenitudo temporis, & ecce Iesus: sed qualis? audi Paulum: *viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: compagum quoque & medullarum & discretor cogitationum, & intentionum cordis*, Hebr. 4. num. 12. Princeps pacis, quid arma geris? cur prædicationis tuæ sermones, acuis in gladios? quid propagandæ fidei pacatissimæ, linguam dolas in ens[illegible]m? quia nimirum separandis animalibus, ab spiritu veniebat affectibus: hi autem sic perplexi, sic innodati, vt viderentur quodammodo non dissoluente manu, sed proscindente gladio eguisse. D. Gregor. Nissen *lib. de beatitud. ad finem*, ita habet ad rem nostram. *Vbi viuus sermo, vt inquit Apostolus, efficax & omni gladio ancipitè acutior, penetrauerit in eum, qui veri fidem susceperit, & dissecuerit ea, quæ mali coaluerunt, & consuetudinis vincula ruperit: tunc, cum tanquam pondus animæ connexum mundanas voluptates, veluti cursor quidam ab animo excusserit, leuis [illegible] expe-*

ditus percurris: ipso certaminum præside duce, & adiutore vtens ad cursum. vt dum se bono nostro quodammodo solutionis impotem ostendit, potentiam huius innodatæ tyrannidis cognoscamus, immensum prauæ consuetudinis damnum euitantes.

1579. Canitur quandoque ad vrbem repentè classicum, properantes hostes speculis nunciantibus, & ecce subitò mœnia cinguntur armis, militibus opplentur propugnacula, equitibus palatij fora constipantur; imò & ipsa aula regia armatis magnatibus vndique splendet, Regem pariter sollicitè obarmantibus: omnia lituis perstrepunt, tubis resonant: vbiuis vrbis clamor, vbique confusio: arma, arma vndecumque postulantur. Ingredere id temporis reginæ gynæceum, & nouam rerum faciem admitaberis: omnia tranquilla sunt, omnia in pace quiescunt, quieta silent omnia, quippe à deliciarum thalamo, ab amorum loco Martialis horror penitus semouetur. Nunc mecum adi curiam pacifici Regis nostri Christi diuini Salomonis, ipsâ nominis suauitate serenitatem innuentis: vrbs eius profundiori longè quiete silet, quàm aliorum Principum thalamus secretior: thalamus tamen eius vbi virginalibus charitatis amplexibus anima despondetur, quo non apparatu bellico fit terribilis? *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, Cant. 3. num. 7. Itáne mi Iesu, solet sponsæ animus ad strepitum bellicum concidere, solet denudati aspectu gladij, pallore genas induere, pati deliquium, & tu in pacifica republica, ipsum deliciarum locum, quò inuitas, ipsum purissimi amoris cubile, quo prouocas: armis cingis, bello efferas, milite complesti? planè non potest anima desponsanda, diuini Salomonis pace frui, nisi adfectuum tyrannide propulsatâ: hæc autem duminatur perennis, sæua constringitur, nec nisi proscindente gladio detruncatur: ideo Gilibertus serm. 16. *Festina*, inquit, *filia, virgo sacra festina istam ingredi requiem: noli strictos in circuitu enses vereri: enses isti, enses verbi super femur, & propter timores nocturnos, vel carnis confingunt lasciuiam, vel timidè cordis abscindunt ignauiam.* Vtrumque scilicet prauus affectus durè innodatus ita aut corpori, aut cordi adhærescit, vt nisi Dei gladius accedat, non discedat.

1580. Ab Adamo quidem tyrannia sæua furit, & magis ac magis cæca apud posteros innodatur. eijectur idem à paradiso protoplastus, & statim eidem deliciarum loco custodiendo gladius apponitur, *& collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, Genes. 3. num. 24. ergo, inquis, lignum vitæ, & quod in illo mysticè significabatur, gustandum nobis, heu! deinceps desperabitur: quî ergo verum erit illud Salomonis ad Sapientiam inuitantis, blandimenta virtutum offerentis? *Lignum*, inquit, *vitæ est his, qui apprehendunt eam*, Prou. 3. num. 18. Vana Cherubici gladij custodia si tandem apprehenditur: si nunquam apprehenditur, vanissima promissio Salomonis: neutrum fidei synceritas patitur. quid ergo? nimirum neque vana custodia, nec promissio vana: neque enim gladius apponitur, vt penitus prohibeat ingressum, sed vt ingressuris adhibeat dignitatem: neque enim nisi prostratis affectibus introibunt, nec illi, vt sunt plusquam Gordianâ contumacia innodati, nisi transuerberante gladio resecabuntur. bene Galfridus ibi apud Tilman. *Opus est*, inquit, *temperantiâ, quia gladius imminet, qui superflua resecet vniuersa* quia nulla intemperata passio ligno vitæ fruitur: nulla nisi adactò ensis ictu temperatur.

1581. Quid? sic nodus constringitur, sic prauo cordis affectu innodatur, vt miser homo, non iam illum habere, sed haberi ab eodem videatur. Subdo in hanc rem plusenla, sed pulchra verba Senecæ lib. de vitâ beatâ cap. 15. *Prima virtus sit, hæc ferat signa: habebimus nihilominus voluptatem, si domini eius; & temperatores erimus: aliquid nos exorabit, nil coget. At hi qui voluptati tradidere principia, vtroque carnere, virtutem enim amittunt, cæterùm non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopiâ torquentur, aut copiâ strangulantur: miseri si deseruntur ab illâ, miseriores si obruuntur: sicut deprehensi in mari syrtico, modò in sicco relinquuntur, modò torrente vndâ fluctuantur. euenit autem hoc nimiâ intemperantiâ, & amore cæco rei: nam mala pro bonis petenti, periculosum est assequi: vt feras cum labore, periculoque venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos: ita habentes magnas voluptates, in magnum malum euasere, captæque, cepere: quæ quo plures maioresque sunt, eo ille minor, ac plurimum seruus est, quem felicem vulgus appellat.* eccur tyrannis magis sæua & saeua, quàm quæ genus humanum naturâ liberum, necessariæ quodammodo, compellit seruituti? quæ dum apprehendi iis tenenda, tenet apprehendentes? quomodo huic debellandæ, tota virtus terribilis in acies castrorum non ordinetur?

1582. Agebat Deus apud Iobum sub dæmonis typo, de omnibus ferè indomitis affectibus peccatoris: deinde de crudelitatis & vindictæ effreni conditione sic subiungit: *cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax*, Iob 41. num. 17. id est, contra furoris eius gladium resistet nemo, quæuis sibi defensiua & offensiua paraoerit arma. Sed pende nouam dicendi rationem: neque enim effrenis peccator apprehensurus gladium, vt videbatur, quin potiùs à gladio dicitur apprehendendus. Dicebat ludens Cicero de genero suo Dolabella pusilli corporis homine, sibique gladium mensuræ iustæ accingente, *Quis alligauit generum meum gladio?* quia debitæ staturæ viris gladius alligatur; homuncio verò è contra gladio alligatus videbatur. in hoc autem loco, seriò Deus hominem alligatum gladio, & ab hoc illum describit apprehensum: quia sic sui impotens, sic rapidus ad vindictæ crudelitatem, vt non tam furorem habere, quàm haberi à furore reputetur. Stephanus Cantuar. apud Godeft. loco infià citando: *Dicitur*, inquit, *qui per abrupta furoris graditur, non apprehendere gladium, sed à gladio apprehendi.* Iustus enim qui iustitiæ vindicatiuæ legi subnixus iram distringit, bene habere gladium dicitur: quia debitam iram regit, ad rationis vsque metas protendens: impius furore cœcus, ab ipso proretuè gubernatus, à gladio habeatur necesse est.

1583. Hinc iam clarebit obscurus locus Nahum: describit ille pœnas iam iam peccatrici vrbi à Deo inferendas, & addit: *Deus æmulator, & vlciscens Dominus: Dominus vlciscens, & habens furorem: vlciscens in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis*, cap. 1. n. 2. quo vltià inundationis sæuientis, & vindicantis manus describit pergere poterat? mirare ergo quod subditur statim n. 3. *Dominus patiens, & magnus fortitudine.* relinquo iam quòd videantur dicta repugnantia, dum idem Dominus æmulator, vlciscens & irascens, & statim etiam patiens describatur: illud mihi rarius, quòd sic post iram feratur patien-

patientia, vt hæc ab illa inferri videatur. Quid quæſo habebit furor iſte Dei, vt tamquam patientiæ principium præponatur? pende illud, *& habens furorem*, de quo pulchrè ibi Stephanus Cantuar. *illud*, inquit, *ſignanter dictum eſt: quia qui furorem non cohibet, imò cum impetu furoris agitur, potius poteſt dici quod habeat eum furor, quàm ipſe furorem.* meritò ergo infertur patientia Dei ex furore qui debitis circunſtantiis dum habetur, cohibetur: væ homini qui furore reptatur: cui ſic innodatur proteruè, vt ab eodem miſerè habeatur. contra igitur ſic diſtrictum affectum, ſic euaginatum gladium, an non neceſſe terribilis caſtrorum acies euaginetur?

§. II.

Plura de huius tyrannidis peruicaciâ.

1584. Dicamus adhuc plura de hac inueterati affectus tyrannide, vt terribiles & armatæ noſtræ acies illi debellandæ, omnino neceſſariæ cognoſcantur. Ecquid aliud fuit in accuſati Stephani vultu pulchritudinem Angelicam, *Act. 6. n. 15.* radiare, quàm ſpeculum quoddam clariſſimum ſceleratis hominibus apponi, vbi impietatem ſuam contemplantes, à perſequendo Martyre deterrerentur? Tygridi, dum volat liberatura fœtus, raptorem voratura, vitrea ſolet obiici ſphæra, vbi ipſa formæ ſuæ imagine deluſa, à curſu retardatur: ideo Poëta mihi princeps lib. 3. de rap. Proſerp.

Arduus Hyrcana quatitur ſic matre Niphates,
Cuius Nabamenio regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques: furit illa marito
Mobilior Zephyro: totamque virentibus iram
Diſperſit maculis, niminmque hauſtura profundo
Ore virum: vitrea tardatur imagine forma.

Vides hanc iram ad ſpeculum retardatam? & quanto nitidior Stephani vultus, vt ibi non deluſi formâ inſtar tygridis, ſed edocti diuinitus, iniquitatem ſuam intuentes, deſiſterent à ſcelere? quid ergo non deſiſtunt? quia ſemel violento affectu rapti, omni quidem ſunt tygride truculentiores: nec arctius huius naturæ, quàm illorum moribus rabies innodatur. Euſebius Gallican. homil. de Beato Stephano. *Aduerte*, inquit, *concepta ſemel iniquitas in quantum captiuos poſſideat ſenſus: impietatem ſuam in illius decore perſpiciunt, & tamen peragere triumphum eius, in ſua immanitate non deſinunt.* Gaudet itaque pertinacis affectus peruicacia, ad finem vſque tyrannidem exercere.

1585. Sed certè, quidquid præſumerent, non tam Iudæi Stephani ſuperati triumphũ peregerunt, quàm illorum cor, iniquus ipſe affectus detriumphauit. Bene D. Baſilius *ad cap. 1. Iob*, in catena Græc. de Dæmonis nominibus locutus, ſic ſcribit: *Satanas vocatur quod aduerſarium ſignificat: diabolus verò propterea quòd is noſtri peccati adminiſter eſt, idemque accuſator, & noſtro quidem interitu lætatur: ac de nobis ob noſtra facinora triumphum agit.* ac ſi quoties affectibus cedentes, facinora turpiſſima aggredimur, toties miſerrimè triumphemur, quos aliquando admiſſos, nunquam niſi paratiſſima caſtrorum acie triumphabimus.

1586. Id mirè explicuit Philo Iudæus ad illud *Geneſ. 2.* expendens ordinem & tenorem, quo Moyſes de quatuor principibus fluuiis ſcripſit concluders n. 14. *Nomen verò fluminis tertij Tygris, ipſe vadit contra Aſſyrios.* quærit igitur *allegor. lib. 1.* cur duo fluuij Phiſon, Gehonque regiones quaſdam dicantur circuire, alter Euilath, Æthiopiam alter: Tygris verò dicatur meare contra Aſſyrios, de Euphratis verò meatu ſileatur: cùm tamen Euphrates circumfluat quaſdam regiones, & ex aduerſo ſitas habeat multas: deinde poſtquam in his fluuiis virtutes explicat, ſic habet. *Dicendum igitur, prudentiam fortitudinemque, poſſe murum & vallum aduersùs contraria vitia ducere, imprudentiam timiditatemque, expugnareque ſic ea; infirma enim amba capiuntur facile, nam imprudens non ægrè in poteſtatem prudentis redigitur, timidus itidem in fortis. at temperantia non valet concupiſcentiam voluptatemque circumuallare, graues enim ſunt aduerſariæ, nec facile expugnantur: num vides vel temperantiſſimos neceſſitate mortalis corporis ad cibos ac potus adigi vnde ventris voluptates procedunt? ſatius igitur eſt reſiſtere, & repugnare concupiſcentiarum generi: quapropter contra Aſſyrios vadit Tygris, id eſt, contra voluptates temperantia.* Quid de Euphrate ſentiat Philo, alibi aperio. Nunc mihi pende quàm peruicax contumacia affectus voluptuoſi, quem nunquam circuit, & quaſi triumphandum concludit, vel conculcat temperantia, actura ſatis, ſi ſemper contra illam inuehatur: ne quandoque ſub neceſſitatis titulo obrepat delectatio, & videbis contra ſic peruicacem hoſtium protervíam, neceſſariò terribiles caſtrorum acies requiri, ne paſſim ab affectu carnifice miſera anima triumphetur.

1587. Quærit D. Auguſt. *lib. de mirabil. ſacra Script. 2. cap. 7.* cur Philiſthini per mures *1. Reg. 5. n. 7.* puniantur? & reſpondet: *quatenus qui miſera animalia diuino cultu venerabantur, per miſerrima animalia, in aduentu legis caſtigarentur.* quæ ratio ibi doctiſſimo magiſtro, heu! quondam meo, Franciſco de Mendoça, putatur litteralis, nec immeritò. mihi tamen ad mores etiam aptè accommodatur: nam quos affectus quis colit, eoſdem & tortores experitur: vnde pœnarum ſæuior prauis deſideriis, & turpibus affectibus noſtris tradi, quos dum imploramus Deos, duriſſimos carnifices deploramus. Ah qualis tyrannis, quàm ſæuè dominans, vt vnus & idem ſit culpæ auctor, & pœnæ ſit miniſter: vnus qui moueat flagitia, & qui ſupplicia admoueat affectus. facit huc etiam quod D. Zeno Veron. *ſerm. de fide, ſpe, & charitate*, de eiuſdem charitatis viribus ſcripſit: *Tu*, inquit, *Martyres glorioſos à confeſſione Chriſtiani nominis nullis tormentis, nulla nouitate mortis, nullis præmijs, nullis amicitijs, nullis affectibus, omni ſanè tortore pietatis mordacitate peioribus ſuperari permittis.* ex quibus verbis nouum carnificij genus colligis in affectibus, non durum & corrodens, quod voluit Auguſtinus, de quo & ego alibi, vbi de carnifice peccatoris conſcientiâ diſputabo: ſed molle & blandum, de quo ſuprà, vbi voluptatum ingenium ventilauimus. contrà igitur carnificis huius aut ferramenta dura, aut duriora blandimenta armata virtus procedit: ne miſerrimè paſſim proſternatur.

Adoleſcentularum non eſt numerus, &c. Vers. 7.

§. I.

Virtus initio tenella, & faſcinabilis: ideo cæleſtibus nondum numeris computata.

1588. Litigabat de filio viuo piiſſima quædam mater apud Salomonem, quem impia fœmina per necem diuiſum ſibi dari poſtulabat: ſcilicet ſuffocarat

Pintus in Cantica.

carat illa negligens filium suum, quid alienum occidere formidaret: at quomodo suffocarat? *Dormiens quippe oppressit eum*, 3. Reg. 3. num. 19. O somnum non iam mortis imaginem, sed indaginem mortis! itane quies negligens, incautiosus somnus matris, filium opprimit? sed quid mirum, tenellus erat, & è partu recens: hunc verò talem minima negligentia, imò & somnus opprimit abundè: sicut & Christus recèns in anima vel leuissima incuriâ nobis perit. Scitè VVerricus hîc apud Tilm. suos instituens, *& vos*, inquit, *matres estis huius pueri, ex quo à timore Domini concepistis, & parturiistis spiritum salutis: vigila igitur, ô mater sancta, vigila super curam recèns nati, donec formetur in te Christus: quia quo tenerior, facilius potest perire tibi, qui nunquam sibi.* Certè qui facit voluntatem Patris qui in cœlis est, ipse mater, & frater, & soror Christi est: quem tamen in animâ genitum, nisi initio diligentissimè seruet, & augendum enutriat, facillimè amittet: puer quippe sibi æternus, quia puer, fit nobis fascinabilis: *Vigila, inquam*, addit VVerricus, *super curam recentis nati, memor quia æmula tua dormiens oppressit filium qui datus erat ei: qua est enim crudelis, & stulta illa mater, nisi carnalis anima qua spiritum extinguit negligentiâ, & inertiâ.* Certè in tam periculoso negotio omnis sollicitudo necessaria.

1589. In Iosepho occulta virtutis monita fidelibus irrogaturus Iacob, sic ad illum: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* LXX. quod alibi non reperitur, subdunt. *νεώτατος μου ἀνάστρεψον, ad me reuertere*, Genes. 49. num. 22. & vnde timor, vt vix egrediens iuuenis, tam sollicitè à patre reuocetur? credo ab illo quod statim subditur: *filiæ discurrerunt super murum.* quasi pulchritudo pueri, puellarum oculis notanda, & proinde decor virtutis fascinandus timeretur. Hem sanctissime senex, dicat aliquis, quàm vanos timor! iunior longè erat Ioseph, cùm virili, posteritatis ad exemplum, plusquam pectore dominæ blandimenta conculcauit: quæ ergo modo solidiore iam spiritu obiecta pericula non conculcet? imò, adderet Iacob, propterea tunc victor, quia fugit, quia relictum pallium in pudicitiæ tropæum destinauit: ni modò intuentium fugiat vrentes oculos, ni citò ad me reuertatur paternæ coræ muro, amplexus paterni propugnaculo defendendus, fascinabitur: ita ne? tam mollis adhuc Ioseph, tam parum tutus? tam parum: nimirum accrescens adhuc vt puer, non dum virtutis virilitatem, & iustam sanctitatis staturam adeptus fuerat. meritò igitur adhuc timori expositus, indigus custodia, ne læderetur tenellus. fauet dictis Philo *in lib. resipuit Noë*, vbi ita. *Filius accrescens, minimus natu ad me reuertere. hic est ille, qui pugnat pro omnibus corporis potentijs, externarum opum haud fictus amicus, qui senioris animæ antiquum pretiosumque bonum, nondum perfectè inuenit: si enim inuenisset, vel totam Ægyptum perpetuo cursu fugiens abiuisset, &c.* Quamobrem adhortans ait, *Ad me reuertere, ac si dicat: seniorem sententiam expeto, non omnia iuueniliter age: iam tandem virtutem propter ipsam dilige: nec tanquam puer incipiens, fortunæ bonorum splendore perculsus, decipi te ac falsis opinionibus repleri patere.* Delicatus adhuc incedebat puer accrescens: toties apertissimis periculis incurrens, quoties illi videndo fascinatores oculi occurrebant: reuertere igitur, reuertere floscule germinans, ne fortè aura leuissimâ euertaris.

1590. Psalmum quadragesimum quartum sic inscribit Dauid: *Pro ijs qui mutabuntur.* Symmachus legit: *ἐπινίκιος ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν. Triumphale pro floribus.* puto ita dictum, quia virtus adhuc tenella & florens, nihil à mutationibus secura, & quemadmodum Statius in lachrimis Hetrusci dixit de floribus,

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Sic tenera virtus, pulchritudinem mœrore commutans primis tentationis flatibus euanescit. ideo, Aquila legit, *ἐπὶ τοῖς κρίνοις: pro lilijs.* quia scilicet lilia florum omnium tenuiora, spei symbola à Pierio & aliis passim dicuntur: quasi virtutum flores mutabiles, lilia sint: quia spei potius, quàm fructui tribuendi, & spei falsæ, quibusuis auris facilè resecabili.

1591. Inuitabat Christus Dominus sponsam Ecclesiam ad agrum, & inter alia subdit: *flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit*, Cant. 2. num. 12. id est, virtutes, vt ferè omnes explicant. Sed quid, inquis, itane lucri prodigus diuinus noster agricola, vt quo fructus speret, erumpentes modò flores iam detruncet? non credo: imò vocat sponsam, non tam secandis floribus, quàm secum eisdem floribus opem allaturam: quia, vt erant teneræ, vt germinabant vernantes facilè à prætereunte quouis secari poterant, leui vngue truncari: non igitur tempus Christo secturo opportunum, qui fructus sperabat: sed tempestiua occasio hostibus insidiantibus, qui dum radicatam arborem vix bipenni, pubentem florem pollice tenui prosternunt. proinde Græca, *καιρὸς τῆς τομῆς ἔφθακε*: quod in Sixtianis & passim alibi sic vertunt: *tempus sectionis aduenit.* non satis excusso mysterio, ni fallor. *φθάνειν* enim propriè significat, *anticipare, præuenire, præcedere.* Sensus ergo est: *tempus sectionis anticipauit.* hostis scilicet, qui florentibus, & nouellis virtutibus truncandis facilè rem persecuturus, insurgit animosior.

1592. Hæc certè caussa fuit cur Dæmon in Herode, tantopere contra primitiuos illos Ecclesiæ flores desæuiret: *mittens occidit omnes pueros*, Matth. 2. num. 16. nam si Christi fidem orbi adductam, ab orbe auferam turpiter cupiebat, videbatur speraturus vt Christus cresceret, vt quo iam notior, turpiùs plecteretur, eo vilior eius fides appareret: sed nouerat callidus hostis fidem iam de Christi verbis & operibus robustam, nec etiam crucis scandalo extinguendam, quæ initio & adhuc cum Christo infante infantilis vno stellæ præconio nuntiata, facilè eradicanda videbatur: nimirum iam tunc contra Christum in paruolis machinatur, quod quotidie contra fideles nunc exercet. Grauiter D. Leo serm. 1. de Epiph. *Herodes quoque*, inquit, *in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum, in ijs qui ad Christum transeunt, ingemiscit: vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. quod vtique sine cessatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum sanctum eripere, & quamdam teneræ fidei infantiam tentat extinguere.* Si enim vnquam, tunc mitis & tenella facilè fascinabilis extinguitur.

1593. Et pulchrè quidem (quod etiam suprà voluit VVerricus) in paruulis quodammodo extinctus Christus dicitur à sancto Doctore: id enim perpetuò conatur Dæmon dum spiritus & virtutis primordia pertentat: scilicet dolet, Christum iam victum in cruce mortuum tenaciùs fidelium cordibus inuiuere, dolet non enectum, dum paruulus, cui fides, vt credebat, consepeliretur: dum igitur

quotidie

quotidie ſpiritus quâ paruulos occidit, furorem ſuum fallit, deſiderio palpat, quaſi in illis paruulum Chriſtum ſic occidat, maius mirum eſt, quàm ſit illi mos impius vetuſtiſſimus: ideo enim qui *Apocal* 12. fœminæ parturienti inſidiabatur puerum ſi poſſet voraturus, id repetebat, quod olim Pharaonis pectori gliſcens perpetrarat, præcipiens obſtetricibus *ſi maſculus fuerit, interficite eum*, Exodi 1. de quo Rupert. dæmonem allocutus Cant. 4. lib. 4. *Egiſti*, inquit, *olim vt ſerpens, age nunc vt Draco magnus, Draco rufus*, Apocal. 12. *habens capita ſeptem. non quaſi imperans dico, ſed permittentis animo loquor: tu enim iam dudum ſurgere cœpiſti, nec aliud eſt, niſi acſi dicam, age quod agis, ſurge quod ſurgis, debacchare quod debaccharis: quando enim ſurgere cœpiſti? nimirum antequam fieret hæc altera mulier, contra quam decipiendo, nil poteris: vbi verbum promiſſionis, quod nunc impletur, audiſti, quod ad Abraham dictum eſt, in ſemine tuo, &c ſtatim inſurrexiſti, quia prædictas inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius, inimicitias eſſe præſenſiſti. Surrexiſti, caput erexiſti: caput primum regnum Ægyptiorum, dixiſti enim loquens in Pharaone: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, occidite.* quaſi in maſculo virtutis vigore recèns nato, de cuna tranſlato ad tumulum, benedictum germen promiſſum, Chriſtus ſcilicet extinguetetur: contra quem grandem, nihil ſe præualiturum ſperabat.

1594. Vocabat Salomon inſtantiùs ad virtutem, & præmonens ſubdebat: *auerſio paruulorum interficiet eos*, Prouerb. 1. num. 32. quia ſcilicet dum paruuli perſtant, & perfectæ virtutis diſciplinam reformidant, miſerè faſcinati a Dæmone interficiuntur. Beda ibi: *Paruulos non ætate ſed ſenſu dicit, quibus ſupra dictum eſt, Vſquequò paruuli diligitis inſaniam: qui non parui, ſed perfecti ſenſibus eſſe potuiſſent, ſi non à conſilio ſapientiæ auditum auerterent: quo autem auerterant, eo ſe æternæ morti deſtinauerant*, quia nihil periculoſius, quàm ſtatus virtutis puerilis. Auertuntur ab ſtudio litterarum pueri metu ferulæ, tædio laboris, licèt cauſſam aliò detorqueant. bene Perſius *ſatyr.* 3.

Tunc queritur craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha,
Dilutas queritur geminet quòd fiſtula guttas.

haud aliter virtutis paruulus ſe excuſat, dum auertitur: ſed quemadmodum ille [illegible]ius analphabeticus manet, vt ſit omnibus deriſui, ſic iſte dæmoni irridenti obiicitur faſcinandus, inſtar Galatarum inſ[illegible]ſatorum periturus.

1595. Fortaſſe id edoctum voluit Chriſtus diſcipulis ſuis, dum ad eos poſt reſurrectionem, *Pueri*, inquit, *nunquid pulmentarium habetis*? Ioan. 21. num. 5. de quo ibi Chryſol. ſerm. 38. *Quia eos*, inquit, *fidei virtute repererat deſtitutos, & à virili robore inuenerat per deiectos, arguit tales, pueros nuncupando: ibi enim erat Petrus qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat.* ſcilicet deturbauerat hos Dæmon, quia adhuc pueri, quia nondum virtutis virilitatem fuerant aſſecuti: piè igitur exprobratur illis puerilitas, vt illius pericula euitarent.

1596. Prodigum illum, quem ſibi paſcendis porcis ſeruire fecit Dæmon, quem è paterno gremio in has turpitudinum dettaxit faſcinator, inde morbum contraxiſſe videtur, quia adoleſcentiæ ſtatum, virtutis ſcilicet principia non euaſerat, ideoque ad [illegible]lium comparatus, dicitur *adoleſcentior*, Luc. 15. num. 12. nam qui, ſi de naturali ætate ſermo eſſet, vt pædagogo & paternâ curâ conſtrictior, ſic ſeniore fratre euadere debebat reuerentior, ideo longè effrenior deputatur, quia virtutis virilitatem non aſſecutus, omni proculcata tutelâ, hoſtilibus vitiis peruius reſtoquebatur. Chryſol. ſerm. 1. *Adoleſcentior*, inquit, *iſte planè non ætate, ſed ſenſu, qui congregauit bona patris, & abijt, longè plus mente, quàm loco.* perditus miſer altero in ſalute perſiſtente, quia licèt eiuſdem ferè ætatis adhuc primis virtutis metis adhærebat.

Pintus in Cantica.

1597. Sunt obſcuræ querelæ illæ humani generis ſub nomine Iſraël: *Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ*, Ierem. 31. num. 19. Sed longè obſcurius, quod ſtatim reſpondet Deus: *ſi filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus, quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius*, num. 20. vel, vt legunt LXX. *filius electus Ephraim mihi, paruulus, delicatus, quia*, &c. ſi enim Ambroſio credimus ſtatim citando, ideo *delicatus* dicitur, quia delitiis, & voluptatibus aſſuetus, quibus in culpas adductus opprobrium adoleſcentiæ ſuſtinebat: cur ergo interim electus, cur honorabilis, id eſt, ad priſcum honorem infertur reſtituendus, cùm maximè tunc puniendus videretur? pende quod additur *puer*, ſiue paruulus: quaſi ſumeret diuina miſericordia anſam ad veniam, quòd ſciret puerilem illam virtutem facillimo negotio deperdi, breui ventulo exſufflari. fauet (licet connexioni non attenderet) Ambroſius lib. 1. in Lucam cap. 1. *Si non fuiſſet*, inquit, *puer in delitijs, nunquam peccauiſſet, & bene vtrumque dixit, & puerum, & in delitijs: eſt enim puer qui non peccat*, Iſaiæ 42. *ecce puer meus, quem elegi: per delitias itaque peccauit, qui non ita erat informatus a Domino, vt neſcius eſſet erroris: ergo etſi puer in delitijs non fuiſſet, etſi in virum perfectum proceſſiſſet virtutis ætate, nunquam lapſus fuiſſet.* tam facilè puerilitas læditur, tam miſerè tenella initio virtus faſcinatur.

1598. Ex dictis iam facilè intelligitur, quid ſit in præſenti loco quem explicandum aggredimur, *adoleſcentularum non eſt numerus*. quemadmodum enim mercator adhuc calculis ſuis non annumerat, quod interim mare deuehetur, vtpote tot periculis hyemis, procellæ, ſcopulorum, & piratarum expoſitum: quemadmodum agricola ſegetes in herba licèt ridentes, nondum ad quæſtus numeros reducit quas ſubita calamitas, intempeſtiua grandinatio, imbreos inundans ſolet miſerè proſternere: ſic apud Deum, cui arenarum & ſtellarum numerus apprimè cognitus, dicuntur animæ adoleſcentis cuiuſdam virtutis numerum non habere, non quòd ignoret numerum, ſed quia illas vtpote fragiles, & in ſummo periculo conſtitutas adhuc, non vult pro ſuis computare. Rupertus ibi. *Adoleſcentulæ*, inquit, *rectè dicuntur quæ nondum ſaltem ad timorem Dei perfecerunt, & propter hoc cuſtodiâ indigent, vel magiſterio hominum, quia nec dum intus diuini timoris, ſeu amoris habent magiſterium. & multa huiuſmodi, quod valdè pauendum eſt, inueniantur extra numerum, quia de adoleſcentia nunquam ad perfectam ætatem perueniunt, ætatem interioris hominis, quam quidam amicorum inſinuans, Occurramus, ait, in virum perfectum.* inquitur ex ore ſponſi Chriſti, q. d. dum infantiles ſunt, ad numeros non reduco, non redigo ad calculos, vix meas computo, quas reputo facillimè faſcinabiles. Clariùs rem expreſſit Guilelmus in cat. Delr. ad hunc locum: *Non eſt numerus*, inquit, *quia non numerantur, & quodammodo pro nullis habentur dum adoleſcentulæ ſunt. Sanè cùm eſſent filiæ Babylonis numerabantur, & aliqua erant, ſed ad malum: factæ verò de filiabus Babylonis magni Regis adoleſcentulæ, iam quidem nulla ſunt ad*

malum, sed nec adhuc aliqua sunt ad bonum. Sunt ergo,& non sunt, quia sic sunt,vt facilè ad non esse reducantur. quid infelicius?rem abiectissimam dicturus Poëta dixit,

Nos numerus sumus,& fruges consumere nati.

hæ tales sic infirmæ, vt nec etiam pro numero capiantur.

1599. Conciliantur hinc obiter illa Prouerb.14.n.33. *in corde prudentis requiescet sapientia, & indoctos quosque erudiet.* in Sixtianis legitur: *in corde bono viri sapientia, in corde autem imprudentium non dignoscitur.* in Vulgatis enim *prudens* ille est, qui in Sixtianis dicitur *vir*; quia indocti pueris comparantur. Sed quid? idem ne est erga sapientiam indoctos erudire, quàm in illis non cognosci? certè Idem: voluit enim Sixtiana versio explicare genium & ingenium puerilis sapientiæ, seu virtutis incipientis, quæ licèt erudiat, tamen vix dignoscitur: quia iam apparet, iam absconditur, iam viget, iam labitur: nulli mutationis statui non obnoxia, nulli fascinantium oculorum respectui non exposita,& licèt ibi sit, tamen quòd vulgo dicimus, *no ay tomalle tino.* imitatur quippe virtus incipiens insipientis pueri conditionem, de quo Horatius *in arte,*

——iram

Colligit ac ponit temere,& mutatur in horas.

sic ista mutata toties non dignoscitur.

§. II.

Virtutis ergo virilitati indesinenter anhelandum.

1600. QVid ergo, inquis, nobis faciendum, vt apud Deum in numero,& ratione habeamur? facilis responsio. procuretur virilitas virtutis, non puerilitas modò, sed & pueritia eiusdem exuatur: sic stabilis redditur, & Deo numerabilis efficitur. Annuntiaturus Gabriel Baptistam eum futurum, qui nec leui famino vitam contaminaret, subdidit: *erit magnus coram Deo*, Luc.1.num.15. quia scilicet lactens adhuc, virtutem erat virilem meditaturus: vt desperaret Dæmon de fascinando infante, qui quidem omnem virtutis infantiam deposuerat. Ambrosius ibi. *Est etiam*, inquit, *paruitas animæ,& pueritia virtutis*, &c. *vt vir perfectus ille dicatur, qui caret errore pueritiæ,& lubricum adolescentiæ animum, maturitate non sentiat: pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum.* Ioannes ergo infans, sed magnus, sic enim impensâ curâ, præuio properatæ rationis splendore curauit fascinantes hostis oculos illudere: vt deinde maximè laboraret, ne vir infantiæ redderet, quod infans virilitati iam concesserat.

1601. Delicatus ergo in voluptatibus Ephraim, vt suprà dicebam, à puerili nunquam, ad virilem erigitur statum: stat Ioannes delitiis auersus semper, ne à virili ad puerilem relabatur: sic illum obscurat fascinus, hunc verò gloriosum facinus illustrat. Idem Ambros. de Ioanne. *Non fines*, inquit, *alicuius propagauit imperij, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis præoccupauit: sed quod est amplius in deserto prædicans, delitias hominum, corporisque lasciuiam, magna animi virtute depressit.* Sic curanda virilitas, sic eius conseruationi anhelandum. Alexander, Pompeius inane magnorum nomen de bellicis triumphis sortiti sunt: solidam magni tituli gloriam solus adeptus Ioannes, qui, vt dixerat Ambrosius, lubricum adolescentiæ animum maturitate non sensit: qui Ephraim delicatæ pueritiæ insultaturus, humanas omnes delitias auerruncauit.

1602. Sed quidni virilitatem affectaret infans, vir custodiret: qui penè antequam esset moræ impatiens, in matris suæ vtero, æterni iam Patris fungitur legatione? Chrysol. serm. 81. *Ante suscepit diuina munera, quàm corporis membra: ante cœpit viuere Deo, quàm sibi: imò antè vixit ille Deo, quàm Deus viueret illi, iuxta illud Apostoli, Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus. Sexto mense, sua matris exultat in vtero, & in vterum virginis venisse nuntiat Christum: feruens nuntius, qui ante gestiuit nuntiare, quàm viuere.* Noluit scilicet vnquam Baptista esse puer, qui nouerat huius status, in tot hostium stationibus pericula. quid plura? raptim seipsum præcedit gigas factus, ne paruulus & fascinabilis Christum præcederet: *Ioannes*, addit aureus Doctor, *antequam Christum præcederet, se præcessit.* hoc est (vt capias obscura verba) quod suprà dixit, prius illum vixisse Deo, quàm Deum illi: quia quodammodo prius erga Deum munus præcursoris exercuit, quàm erga illum Deus manifestus redemptor viueret, extra virgineum scilicet vterum in carne. præcedit denique se, seipso maior, vt semper maiorem, atque maiorem Christum in se poneret.

1603. Hæc erat illius vox postea ad Iudæos, de Christo loquentis: *Illum*, inquit, *oportet crescere, me autem minui*, Ioan. 3. num. 30. non id erat quidem genij Christi suos obscurare: sed ingenij fuit Baptistæ ita nos edocere, vt homo vetus minui, & homo nouus crescens semper in nobis, infantiam relinquere videretur: Augustinus in catena post multa: *Crescat*, inquit, *in nobis gloria Dei, & minuatur gloria nostra, vt in Deo crescat & nostra. quanto autem magis intelligis Deum, videtur in te crescere Deus, non autem in se crescit, sed semper perfectus est: sicut si curarentur alicuius oculi ex pristina cæcitate, & inciperet videre paululum lucis, & alia die plus videret; videretur ei lux crescere: lux tamen perfecta est, siue ipse videat, siue non. sic enim & interior homo proficit quidem in Deo,& Deus in illo videtur crescere.* Id ergo edocebat Baptista, vt periculosâ infantiâ desertâ, virilitati sedulò anhelaremus: vt crescente in nobis Christo, nostra in nobis imperfectio minueretur: ætas augeretur robustior.

1604 Anhelauit quidem Zachæus, qui paruulam staturam, quomodocumque potuit, adauxit: quo nobis meditandos paruitatis excessus præmonstraret: *Quærebat*, inquit textus, *videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat*, Luc.19. num.3. conscendit arborem vt excresceret: de quo D. Eucher. Lugdun. homil. in dedicat. Eccles. *Præ turba*, inquit, *& quia staturâ pusillus erat: hæc duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Iesum: mala turba, quæ tali tantaque bono hominem deturbat. turba ista vitiorum est, quæ quis circundatus fuerit, Christum videre non poterit. staturâ verò pusillus est, qui ad scientiæ ætatem, & perfectionem nondum peruenit.* Conare ergo vtcumque assurgere in virum perfectum: aliàs, quid expectes nisi fascinari hostium oculis spectantium, qui pusillus salutem spectare haudquaquam potes?

1605. Ascensurus in Oreb Elias, id est, iustus in montem perfectionis: *dimisit*, inquit textus, *puerum,& perrexit in desertum*, 3. Reg. 19. n. 3. neque mirum: securitatem montis quærebat, & infirmam pueritiam necessariò erat depositurus: neque enim perfecta charitas puerile aliquid admittit, nec infirma

ma & fascinabilis ætas, periculosa montis ardua, sine aperto discrimine potest conscendere. Odo de Morio hic apud Godefr. *Puer*, inquit, *dimittendus, quia à dilectione procul puerilitas est arcenda: dimisso verò puero, securè iam pergitur in solitudinem: puer enim squalorem eremi, laborem itineris tolerare nequiret: ardorem sitis, famis inopiam ferre recusaret. quanti cum puero pergunt in solitudinem, & eius impedimento deficientes in via, non perueniunt in montem Dei Oreb!* non pergitur securè cum puerili ætate, quam nisi in perfectum virum crescere contendat, facile quiuis potest, à proposito sancto reuocare.

1606. Perfectam virtutem descripturus Paulus, sic habet Ephes. 4. n. 3. *Donec curramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* quemadmodum enim phaselus, quouis ventorum flatu, quauis fluctuum trepidat æstuatione: nauem autem magnam vix inflatus commouet Boreas, vix feruescens agitat mare: sic tenella virtus facile delabitur, nisi ad viri contendat perfectionem. qui locus licèt vt plurimum aliter accipiatur: tamen de pueritia deserenda, & asserenda virtutis virilitate sumitur à Ruperto §. superiori citato, & D. Thomas hîc signatus: *oportet ergo*, inquit, *quòd deseras pueritiam, qui Domino debes occurrere.* nam eum illa Oreb culmen, tot periculis cinctum non conscenditur.

1607. Inuitauit turbas ad conuiuium Christus, septem panibus (quos PP. credunt fuisse sicut alibi hordeaceos) multa hominum millia satiauit. Sed cur, inquis, lautiori apparatu hospites non excepit, qui æquè facile posset illos opiparè recreare? causa [illegible] in verbis Matthæi: *Erant autem*, inquit, *qui manducauerunt, quatuor millia hominum extra paruulos & mulieres*, cap. 15. num. 38. quia nimirum qui in sequendo Christo muliebrem ignauiam, & puerilem non deserunt fascinabilitatem, dulcioribus escis digni non habentur. Nicetas ad Gregor. *Orat. de Pentec.* post alia de hoc tenui apparatu: *quod autem*, inquit, *cum mulieribus, & pueris comedunt, id significat, eos à voluptatum cupiditatibus, & imperfectâ rationis infantiâ, non planè liberos & alienos esse.* ac si propterea istis operosiores delitiæ non apparentur, quia virilitati non anhelabant: ideo priùs dixerat Nicetas, *per hordeaceos panes illud significatur, hanc doctrinam promptiorem, atque obuiam esse, naturalemque speculationem imperfectam habere: quandoque nec hordeaceo pane, quidquam est vilius.* Frustrà autem suauiora speres, nisi paruitate relictâ robustiori ætati anhelaueris.

1608. Trium in hac re illud Genes. 21. num. 8. de Isaac: *Creuit igitur puer, & ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactionis eius.* vbi ferè omnes Patres cum Interlineari, spiritus profectum, & virtutis eius infantiam propulsam explicant celebratam. Sed quæro adhuc, quidnam sit illud, quod in hoc progressu existimetur iucundius? certè id quod fortius, id quod robustius: scilicet quod iam mens robustiori fulcita fundamento, non ita est prona ad lapsum, non ita labilis ad ruinam: nam quæ dum lacte nutriebatur, facile oculo fascinante languesceret in vomitum: iam de solido delitiarum cibo præsumpta virilitate roboratur. D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 7. *Non*, inquit, *quia nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham: sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc, vt Corinthij 1. cap. 3. lacte potandus: sed epulis solidioribus mandatorum mentis sua lacertos firmans.* Sic virilitas consecuta periculum premit, quod petiuit infantiam. sic procurat iustus virilitatem, sic illi Deus, quod iam teneritudinem euadat infantilem, indulget festiuiùs, robustioribus lacertis congratulatus.

1609. Hinc Dauid postquam se virtuti adhæsisse affirmat, iurans concludit: *si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea*, Psalm. 130. num. 2. quasi diceret, explicatore Vatablo in notis: *frustrer spe meâ, si non coercuerim, & similem reddiderim animum puero nuper ablactato, omnia expectans à Deo, vt ille a matre sua, cùm ex se nihil possit.* Sed cur non se potiùs infanti comparauit, hianti adhuc osculo vberibus inhianti, lac sitienti? puto sperare securius auxilium, quia robustior implorator, id est, robustioris ætatis anhelator dimisso lacte accedebat, de quo iam certus subiungit: *speret Israel in Domino, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.* qui adepta robustiori ætate, cibo solidiore, infantilis pericula euitat, is ad sperandas nouas, & nouas delitias inuitatur.

1610. Sunt hæ illæ voces Christi ad animam iam virilem & perfectam: *pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Cant. 4. num. 10. quarum seriem & quasi gradus, pulchrè ad rem nostram ponderat Gilibertus serm. 32. *Conferamus*, inquit, *inter se ista tria, vina, vbera, vnguenta: in vino, veteris hominis defectio: in vbere, noui refectio: in vnguentis, quædam delectatio. vino, carnalis sensus inebriatur: vbere, nouus nutritur: vnguentis adultus delitiatur. in primo, homo vetus conficitur: in secundo, nouus reficitur: in tertio, iam appropinquans ad perfectionem, ineffabili lætitiâ affluitur, & bonus ordo, vt de refectione ad delectationem accedas, post lactis primitias, ad vnguentorum delitias.* sic enim piissimâ quadam ambitione virilitas ambienda, vt in delitiis interior homo spiritualibus pericula euadat, nec vltrà labilis discrimini insultet.

1611. Qua non curâ, quo non spiritu Salomon sapientialia sua illa scripsit? Si autem quæras, quò tenderit, respondet: *Parabolæ Salomonis, &c. vt detur paruulis astutia*, Prouerb. 1. à num. 1. Aquila pro *paruulis* legit [illegible]: *ijs qui se facile lactari, & palpari sinunt.* lactatur enim facilè, & seducitur tenella virtus, pestilenti fascino contabescit: vnde nihil ardentius cupiebat Salomon, quàm iustis, adhuc virtute paruulis, ad virilem astutiam animos adhibere ne in tanto periculo morarentur, imò morerentur. talia erant vota D. Paulini *epist. 3. ad Seuerum.* vbi de Christo: *Sicut*, inquit, *in illo ipso homine quem gessit: ita in nostris membris gradus quosdam corporea ætatis exequitur, nascitur, crescit, roboratur, senescit: sed orandus, ne in nobis diu, aut iugiter paruulus, & infirmus, & pauper sit.* Orandus quidem, vtinam exoretur: aliàs in nobis, quo ad nos puer paruulus, id est, tenella virtus exsufflabitur.

1612. Simile quid concipiebat absque dubio Seneca, cùm ad Lucillium suum *epist. 4.* sic scribit: *Perseuera vt cœpisti, & quantum potes propera, quo diutiùs frui emendato animo & composito possis: frueris quidem, etiam dum componis, etiam dum emendas: alia tamen illa voluptas est quæ percipitur ex contemplatione mentis, ab omni labe pura. Tenes vtique memoria quantum senseris gaudium, cùm prætextâ positâ, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es: maius expecta, cùm puerilem animum deposueris, & te in viros philosophia transcripserit.* quibos non periculis expo-

ſitus puer ingenuus? quibus non laſciuis oculis olim mores illi faſcinabiles? ſuſpirabant ergo qui prudentes & pudentes virilem togam, qua iam ſeniores reddebantur, & fortaſſe (ſcio quid alij dicant) hæc apud auctores vocatur *umbo*, quia clypei inſtar, mores iam viriles munitos ſignificabat. hoc ergo, ni fallor, voluit Seneca, ideo gaudium de virilitate virtutis immenſum percipi, quia ſtatum labilem depoſuerat iam firmior.

1613. Apertiſſimum quidem inter vtramque virtutem diſcrimen, & quænam illarum eſſet procuranda, patefecit Apoſtolus, vnde ad Galatas ſic habet cap. 4. num. 27. *Quicumque in Christo baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* recens enim à Baptiſmo accepta virtus, eâdem facilitate deponi poteſt, qua induta veſtis exui conſueuit: ideo his, qui faſcinati vt paruuli fidem euomuerant, *ibidem num.* 1. indutum Chriſtum fuiſſe aſſeuerat. Contrà verò Epheſiis, quibus virilem quamdam precatur virtutem, vt eiuſdem illos redderet auidos æmulatores, ſcripſit illud orans: *virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem: Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati*, cap. 3. num. 16. quanto enim tenaciùs adhæret domus fundamento, & arbor terræ radicibus affixa, quàm veſtis corpori: eo tenaciùs & firmiùs virtus virilis, (hanc ambiendam illis proponit Paulus) quàm paruula faſcinatis Galatis, Epheſiis adhæreat cupit Apoſtolus. Pulchrè rem explicuit D. Eulogius Archiepiſcopus Alexandrinus apud Phot. cod. 230. *Habitat*, inquit, *ſapientia Dei in iis, quibus imperat, & qui irradicati, & ſuperædificati ſunt: induit autem Chriſtum, qui illum poſtea rurſum exuere poteſt. quapropter meritò de radicatis in eo, dicitur Chriſtus habitare in eis: aliis autem ob inexplicabilem ſuam erga homines charitatem fit indumentum.* Quàm difficile ſeparabuntur à Chriſto ij, quibus Chriſtus ipſe eſt ædificij fundamentum viuis iactis radicibus, vt in Chriſto fundati ipſi gratum præbeant habitaculum. Aliunde etiam eadem differentia (vt fugiatur infantia, virilitas virtutis procuretur) pulchrè explicatur. nam virilitas quodammodo totum Chriſtum in ſe continet, qui proinde tamquam in tabernaculo, ibi habitat: infantiæ verò, Chriſtus veſtis eſt, quaſi externam tantùm eius ambiens ſuperficiem. idem Eulogius: *Veſtis*, inquit, *ſummam tantùm cutem tegit: tabernaculum verò totum tegit*: non quòd gratia ſanctificans alio, atque alio modo iuſtis inhæreat, ſed quòd his metaphoris excellentiores eius gradus (vt auidiùs Epheſiis affectaretur virilitas) Paulus auctore Eulogio voluerit explicatos.

VERS. 8. Viderunt eam filiæ, &c.

§. I.

Terrenus honoris faſtus deſigurat.

1614. Mirabar aliquando euectam ſponſam iis honoribus, vt vna tantummodo electa nominetur: viſa adhuc nihilominus agnoſcibilem relinqui, vt ab aliis viſa & cognita, felix & beatiſſima poſſit prædicari, cùm honoris faſtus homines quidem ſoleat deſigurare, ne noſcantur. poſui admirationem, cùm honores iſtos viderim diuinos, humanus quippe honor deſigurat: diuinus verò, tantummodo transfigurat: de illo hîc, de hoc in ſequenti titulo diſſeremus. Signum contra Deum erigit Lucifer, parat copias, caſtra mouet: ſed malè parta, eodem tenore, malè dilabuntur. perit miſer, è ſummo gradu, ad profundum vſque tartarum deturbatus. Inſultat proſtrato Deus, væ victo canens: *eleuatum eſt cor tuum, in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam, in decore tuo*, Ezechiel 28. num. 17. quaſi diceret: te infelicem, quem ſomniata gloria ſic inflauit, vt & naturam & oris habitum mutares, quo ſtultus perditâ ſapientiâ neque teipſum noſceres, neque me dominum recognoſceres. At qualis hic decor? Polychronius: *perdidiſti ſapientiam in regno tuo.* quaſi non tam adeptum, quàm ſolummodo phantaſticè præſumptum regnum, ita Luciferum immutaſſet, vt ſibi nouo decore longè pulchrior videretur, nec in ſe cognoſcendo, & Deo recognoſcendo ſapiens perſeueraret: nimirum miſer honor cogitatus, natiuo vultui laruam ſuperpoſuerat.

1615. Diuinam gratiam captaturus Dauid, tamquam quid magnum id enarrat: *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*, Pſalm. 130. n. 1. quid autem ſit *ambulare in magnis*, ſeu, vt legit Symmachus *μεγαλοπρεπείαις*, *in maieſtatibus*, clariùs expreſſit Vatabl. per verbum *oſtentare*, qui legit: *neque oſtentaui res magnas.* quaſi dicat Propheta, ſe de poſt fœtantes ad regnum aſſumptum, non ſuperbiiſſe, neque regiam maieſtatem venditaſſe. Illud ſolum dubium mihi, cur hanc maieſtatem, hanc oſtentationem neget factam ſuper ſe: putaremque voluiſſe aliorum conditionem declarare, qui ab humili loco ad honorem aſcendentes, nouam quodammodo ſuper ſe maieſtatis figuram ſuperinduunt, vt à priſca humilitate deſigurati, nouos ſeſe iam homines oſtentent. ac ſi dicat: nunquam me regem ſuper me ipſum exuli paſtorem, vt quaſi ſub noua larua, ſub maieſtate imperatoriâ, paſtoritia vilitas deliteſceret. hoc abſque dubio voluit intellectum Diuus Zeno Veron. ad hunc locum: *Cùm addidit*, inquit, *ſuper me, oſtendit nunquam ſe elatum fuiſſe, cùm poſſit: nulli enim faciliùs efferuntur, niſi quos inopinati honoris culmen extollit. Dauid quippe humilis, abiectus, ignobilis, ſic iacebat in domo patris, oues ſemper paſcendo propemodum peregrinus: innocens, cum innocentibus deputatus: hic placuit Deo, vnctus in Regem, inſpiratus in vatem non inſoleſcit in regno, obumbrat neminem prophetiæ terrore.* qua poſitâ explicatione, licèt obſcurior, magis tamen emphaticus Vulgatus noſter verbum ambulandi vſurpauit: *neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* quaſi mortales vtplurimum, non ſolùm ſuperpoſitâ maieſtatis perſonâ, omnem obliterent formam priſcæ abiectionis: ſed etiam hanc ſub pedibus calcantes premant, ne vnquam caput attollere, & vlteriùs conſpici poſſit: ſicque ipſi viles, ſibimetipſis iam illuſtribus, tantum calcati ſoli & ſolij inſtar haberi, ne appareant, videantur. ecquæ monſtroſa magis deſiguratio?

1616. Ideo ipſe Propheta (vt his monitis eos imbueret, qui è populo ad tribunalia eliguntur, in honore conſpicuo, aliis iudicandis conſtitui) ſic ſcribit: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Pſalm. 81. num. 1. homines enim in dignitate collocati, qui præ aliis velut Dij habentur, ideo ſupremi iudicis aſperrimo iudicio ſubiacebunt, quia in honore ſuo facies mutant, nouaſque affectuum ſuperbientium laruas habere conſueſcunt. D. Hieronymus ibi poſt adductam ordinariam huius loci explicationem, ſic ſubiungit: *cæterùm eſt alia interpretatio ſacratior:* ſolet

ſolet in theatro vnus homo frequenter diuerſas habere perſonas: nunc ingreditur in mulierem, nunc in virum, nunc in Regem, & qui in Regem proceſſerat, rurſum in ſeruo procedit. Dixi exemplum, vt de carnali venire poſſimus ad ſpirituale, & nos diuerſas perſonas accipimus: quando enim waſcor, perſonam leonis aſſumo: quando res alienas rapio, lupi perſonam aſſumo: quando verè crudelis ſum & interficio, aſſumo perſonam crudelis. loquitur S. Doctor (quiſquis is ſit) pro vſu illius æui: ſemper enim diuerſis laruis, vt diuerſas figuras repræſentarent, perſonati prodibant hiſtriones: vnde factus patœmiæ locus, *ponere hiſtrioniam.* id eſt, ad ſe redire. & fortaſſe inde nos hiſtriones, & viros in humanis honoribus illuſtres eodem nomine vocamus *Perſonages*: illos, quia olim perſonâ vultui impoſitâ repræſentabant: hos, quia vultibus nouas facies & perſonas inferre videntur. quidni, ſi humana gloria pura puta comœdia eſt, inania repræſentatio?

1617. Has ne de humano more, ſubeat etiam iuſtus, cùm ad culmen eueh tur dignitatis, induſtriâ, & fauore diuino opus eſt: inde illud, *in manu Dei proſperitas hominis. & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum,* Eccleſ.10.num.6. certiſſimè enim ſcriba, id eſt, Prælatus ad honores prouectus, faciem mutaret, faceret ſibi laruam, niſi Deus immutabilis honoris ſui, vultum Prælati faceret participem: ſic honor humanus illum conuerteret, & peruerteret: neque enim ſine laruâ, ni Deus præbeat opem, ſtare poterit. Bene D. Gregor. Niſſenus, *tract. de beatitud.* de illis locutus, qui ex abiecto loco, in altum aſcenderunt: *Quos,* inquit, *ita affectio perſuadebit, quòd nihil quidquam differant ab ijs, qui in ſcenam cum pompâ prodeunt: etenim illi quoque perſona quadam polita, atque ornata, veſtiſque purpurea auro intexta iniecta eſt, & in curru magnificè inuehuntur, & tamen nullius ſuperbiæ morbus eos ex rebus eiuſmodi incendit: ſed quo ſenſu atque ſpiritu ſpirant antequam in ſcenam prodirent, eundem animi habitum, etiam in ſcena conſeruant.* Vtrique igitur & hiſtriones, & magnates, perſonati, ſiue *perſonages*, ſe defigurant: niſi quòd illi in ſcena, & ante ſcenam eodem ſunt ſpiritu animati: hi verò deformes ſpiritus in pompa aſſumunt. ſcilicet vultus animi index eſt, & ideo iſti ſeriò vultum exteriorem defigurant, quia antiquam animi ſimilitudinem deformarunt: itaque foris cernuntur defigurati, qui ſibi intus defigurati is iam per honorem, ſic configurantur.

1618. Pulchrè ad hanc rem Propheta, de ils quo ad honorem eleuatos ob admiſſa piacula delecit Deus: *velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tuâ imaginem ipſorum ad nihilum rediges,* Pſalm.72. num.20. Sed cur, inquis, ſolam imaginem dicuntur amiſiſſe? quia illa totius culpæ, caput erat: nimirum in illâ dignitate, abolitâ Dei imagine, imaginem ſibi aliam iniecerunt, vt defigurari penitus, alij viderentur iuſtâ ergo pœna [illegible] ad nihilum redigitur. D. Hieron. in epiſt. ad Marcellam: *Cùm in vno, inquit, homine animorum tam diuerſa ſit facies, Propheta Dominum deprecatur, dicens: Domine in ciuitate tua imaginem eorum diſſipa: cùm enim ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi ſimus, ex vitio noſtro perſonas nobis plurimas ſuperinducimus, & quomodo in theatralibus ſcenis vnus atque idem hiſtrio nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: ita & nos (qui ſi de mundo non eſſemus, odiremur à mundo) tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata.* quaſi qua facilitate hiſtrio laruas mutans ne pro eodem cognoſcatur, vnus longiſſimè diuerſa repræſentat: ſic nos ad altum euecti, libidinibus obnoxij, diuerſos capiamus vultus, ſemper tamen priſcâ imagine noſtrâ obliteratâ.

1619. Quis, quæſo, iuuenem ad imperia recèns euectum, ſpeculo inſtaum intueretur, qui non crederet, placiturum populis vultum in pulchritudinem interim amœnare, cæſariem comere, & vel etiam motus ipſos ad decorem conformare? Audi tamen Suetonium de Caligula cap.50. *Vultum verò,* inquit, *natura horridum, ac tetrum, etiam ex induſtriâ efferabat, componens ad ſpeculum, in omnem terrorem ac formidinem.* uolebat ſcilicet agnoſci, qualis ante imperium fuerat: omnia priſci vultus deler lineamenta, quaſi neceſſariò, tritâ maieſtate, vetus figura per horribilem eſſet laruam defiguranda.

1620. Emendi frumenti anſâ, in Ægyptum deſcenderunt filij Iacob, anxij tenera de fratris ſui Ioſeph inuentione, (vt ea Hebræorum doctrinâ firmat Lyranus *ad cap. 42. Geneſ.*) quem ſciebant ab Iſmaëlitis, *Geneſ.37.num.25.* eò deductum, *& tamen,* inquit textus, *fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis,* Geneſ.42. num.8. Intermediis annis mutatam eſſe Ioſephi faciem, non ibo inficias: ita tamen, vt fratribus cupidiſſimis poſt longos ſermones, nec leue veſtigium ad agnitionem reliquerit, quin aliquid nouum, & affectatum accederet, non crediderim, cùm aliâs ſoleant hæ ſpecies etiam minus aduertentibus, nedum ſollicitis de actione minimâ excitari. quid ergo? honoribus ne defiguratus Ioſeph? abſit: ſed indulſit puto ſanctiſſimus Patriarcha, ad maiorem Dei gloriam, paululum maieſtati: hæc more ſolito in formidinem & terrorem vultus efferauit, ne vllatenus cognoſci potuiſſet: vnde paulo antè *num.* 7. dicitur: *quaſi ad alienos duriùs loquebatur.* ſic innatum honori, ſi ſibi relinquatur, faciem mutare: ſic ſolitum qui clari euaſerunt, ſe defigurare. Pulchrè Gregor. Nyſſen. loco ſuprà citato: *Alicuius,* inquit, *aliena perſona formam ſibi ſumunt, naturalem habitum vultus mutantes, & in ſeueritatem atque terrorem componentes.* hæc nunc ſatis de honore terreno, videamus quàm aliter procedat diuinus.

§. II.

Cæleſtis verò longè aliter, tantummodo transfigurat.

1621. Vidimus terreno honore homines defiguratos, ne quid priſcæ humilitatis appareat, vtque pereat memoria vilitatis antiquæ apud alios. Sed longè alij iuſti, & iuſtorum princeps Chriſtus: ſemper ſe comes, ſemper ſe quales olim fuerant, exhibent cognoſcendos: vno verbo, transfigurentur licèt de cæleſti honore, nunquam defigurantur. Aſcendit Chriſtus in Thabor, immortalis regni ſpeciem, adhuc in carne mortali oſtenſurus, immenſæque gloriæ in ſtillam effuſurus, & ſic transfiguratus, *reſplenduit,* inquit textus, *facies eius ſicut Sol,* Matth.17.num.2. Sed itane, inquit aliquis, Domine Ieſu? quid tunc mortales diſcipulorum oculi? quomodo hebetes obtutus non caligent? quomodo te ſole ſuffuſum poterunt intueri, nedum agnoſcere? quomodo Regem omnino immutatum velut ignotum ſibi non trepidabunt? equidem regiam exhibuerat dignitatem, ſed ita comem, ita facilem, vt & ſuis agnoſcibilis maneret, & Petrum à commorando, & cohabitando ſecum non deterreret, vt ea textu patet. Bene Tertull. de reſurrect. cap.10. *Dominus,* inquit, *in ſeceſſu mentis,*

mentis, etiam vestimenta luce mutauerat: sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat. quia transfiguratio licèt cumulauerit gloriâ, non tamen forma priscâ spoliauerat: nedum cœlestis splendoris libat fontes, incognoscibilis suis Christus redderetur.

1622. Potrasse genium istum illius intellectum voluit Lucas, cùm de eodē iam plenè glorificato, & discipulis euntibus in Emaus se exhibente, sic scribit: *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*, Luc.24. num.16. ac si dicat: nemo putarit, Christum ab humilitatis, ad gloriæ statum deductum, vultum mutasse, & instar fastuosi principis sese incognoscibilem reddidisse: certè idem erat, & adhuc eadem in ipso, cùm vultus specie clariore, comis agnoscibilitas permanebat; sed ad mysterium oculi discipulorum tenebantur. facit huc, licèt aliò inteodat, D. Hieron. epist. ad Pammachium contra errores Ioánis Ierosol *Nunquid, inquit, alius fuit, quando non cognoscebatur, & alius quando agnitus est? certè vnus, atque idem erat: cognoscere ergo, & non cognoscere, oculorum fuit, non eius qui videbatur, licèt & ipsius fuerit, oculos enim tenebat eorum, ne se agnoscerent.* quemadmodum enim (puto) adulterioo quodam miraculo Principes vti videntur, quo nouos vultus simulent ne agnoscantur: sic vero Christus vtitur miraculo, vt eumdem vultum dissimulet in gloria maiestatis constitutus: sic beneuolè venerat agnoscibilis, sic idem, ni oculos illorum teneret, necessariò agnosceretur.

1623. Nec solùm per lucis transfigurationem, priscam humilitatis speciem non defigurat: verùm etiam cùm & aliis possit, solùm priscis humilitatis signis se vult agnosci: ideo vulnera ostentat discipulis, vulnera præbet Thomæ peruestiganda. D. Eucherius homil.9. de Pascha eleganter: *Ostendit, inquit, manus & latus: necessarium enim erat, vt manifestarum præsens impressio cicatricum, crucifixi corporis faceret fidem, quia splendor noua lucis pristinam obduxerat veritatem, & agnitionem quodammodo claritas obscurarat.* Veritatem priscam lux obduxerat, non obliterarat: claritas non tollebat, sed agnitionem solummodo obscurabat: claritatem tamen temperabat vulnerum humilitas: illâ Christus tamquam victoriæ extollitur monumento, hâc bono nostro præbetur agnoscendus. O mirum claritatis obscurantis, quæ ad agnitionem de obscuritate vulnerum clarescit!

1624. Condemnat scilicet Christus hoc facto falsam hæreticorum illorum opinionem, qui putabant indecens fore nobis post resurrectionis gloriam, eodem hoc nostro corpore permanere, vnde cœleste quoddam gloriosis animabus corpus somniarunt: ne in summa illa dignitate, aliquid pristinæ & vilis mortalitatis agnosceretur. Ah quale effrœtis hæresis nefas! cœlesti honori, terreni fastus mores impingere cupiebat. Querebatur anxiè Dauid *Psalm.40.num.9.* hostium suorum peruicaciam: *Verbum, inquit, iniquum constituerunt aduersus me.* Putares mille Prophetæ obiectas calumnias deplorari: audi tamen quid addat: *Nunquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat.* quasi esset nefarium verbum hoc, & iusto indecorum, quod impij iactabant garrientes: Nunquid, inquiunt, putas ô Dauid, non nouam quamdam naturam homini in resurrectione adiiciendam? nunquid putas in tanta dignitate, & gloria, carnale hoc & terrestre corpus non destituendum, aliudque cœleste pro illo substituendum? falleris certè: imò iniquum est id putare, reclamat Propheta: claritas addetur, & gloriæ suauis immutatio: idem tamen homo, & proinde eodem corpore, de prisco cognoscendus perseuerabit. noua planè loci interpretatio, cui tamen satis fauet prædictus D. Encherius: *Vbi sunt, inquit, qui dicunt, animas nouis, in quibus antè non vixerint, corporibus induendas? ecce in resurrectionis auctore, hoc ipsum video resurrexisse, quod cecidit, & ideo mortuus, non adiiciet vt resurgat.* manebit idem homo gloriâ mutatus, substantiâ immutabilis, & de humilitate, corporis eiusdem olim pugnantis, iam triumphantis gloriosior cognoscetur: verè enim, auctore Apostolo *Philipp.3. num.21.* in resurrectionis honore configurabitur corpus humilitatis nostræ Christi Domini claritati, non defigurabitur.

1625. Euitauit quidem ostentationis notam, & defigurationis iactantiam Angelos ille resurrectionis, quem cœlestis curia, tamquam festiuitatis solennis ostentamentum pulchriùs ob rediuiuum Christum expediuit: *erat, inquit Euangelista, aspectus sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix*, Matth.28. num.3. Ast cur non totus, dicat aliquis, cœlesti fulgurat maiestate? cur non vndique fulguris radios emittit? quid illi cum niue terræ, mixto imperfecto, quotanti apparatus feruor frigere notaretur? quia licèt accidentalem suam gloriam in assumpto illo corpore, regio triumphatoris habitu ornato, manifestaret: volebat tamen in illo honore suo comis agnosci, nec se minus, quàm solebat hominibus familiarem exhibere. Chrysologus serm.75. *Vultus, inquit, claritas à vestium candore separatur, & facies fulguri, niui vestis Angeli comparatur: quia fulgur de cælo, nix de terra, &c. in facie ergo Angeli claritas cœlestis seruatur natura, in veste verò figuratur gratia communionis humanæ, & temperatur species Angeli colloquentis, vt carnales oculi & vestium ferant placidam claritatem, & ex fulgure vultus, nuntium sui cremerent, & reuererentur auctoris.* Sic dulci mixturâ licèt dignitatem conseruet, comitatem non amittit: lucet in maiestate, sed adlucet etiam ibidem philanthropia, cœlestis vultus splendor, terrenæ niuis vt temperetur, admittit tenuiorem claritatem: ne quia gloriosior, ideo incognoscibilior, quàm olim Patriarchis exhiberetur.

1626. Excitauit hoc mihi fabulosa illa Poëtarum commentū de Phaëtonte. Dubius adolescens de paterno genere, nec bene apud cœuos audiens, à matre in cœlum expeditur, patrem agniturus Solem, si placet Superis: ingreditur illius regiam pyropis nitidam, lucifluo vomitu aureas trabes, eborea laqueata respergentibus: deinde Numen conspicit in gemmeo solio purpuratum, cuius tamen diuinum splendorem palpebræ cōniuentes respuebant? perituræ ni obuiis manibus tamquam obiecto vallo muniteonr. quid ergo?

> —*At genitor circum caput omne micantes*
> *Deposuit radios propiusque accedere iussit:*
> *Amplexuque dato, nec tu meus esse negari*
> *Dignus es.*

plura Ouid.2. *Metam.* vbi ingeniosè Poëta blandam erga filium exhibet comitatem, qui seruato vestium decore, & solij maiestate, vt numen agnosceretur: illa tamen deposuit, quæ de nimio splendore mortales pueri oculos præstringebant: ne minus in cœlo blandus filio, quàm olim in terra matri præberetur: néve defiguratus mutaret mores, qui solum transfiguratus amores retinebat.

1627. Felicior quidem vtpote verior ἥλιος, verior sol Helias, non fictâ quadriga, non fabulosis equis

poëti

pocũ decantatis cœlo inuectus, vt alibi dicam: ſed tamen in ſummo hoc honore facilior adhuc Eliſæo ſuo, quàm Phaetonti filio ſol deſcribitur. Dominum ſemper ſuum, Eliam vocaueral Eliſæus: imò & minores Prophetæ Eliſæum hoc titulo decorabant, inde illud: *Nunquid noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?* 4. Reg. 2. num. 3. & ſæpe alibi. Properat tandem pretioſa tempeſtas, turbo luciſluus, & rapitur interim Elias, immortali abſque dubio decore indutus, & ideo mortalitatis pallium demittens; & ſubdit textus: *Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius:* num. 12. commorantem Eliam in terris melote vilem, perſecutione humilem, tribulationibus afflictum vocabat dominum: nunc verò ad cœlos aſcendentem, purpurâ radiantem, nectare perfuſum, delitiis cinctum, patrem familiarius audet nuncupare: pedibus olim nudis ſpinis Carmeli laceris ſeruus prouoluebatur: nunc ad illius Eliſæ vlnas iam Olympum calcantis, iam ſtellas calceantis filius anhelat. ecquod monſtrum? planè abſque vitio. Videbat Eliſæus diſcedentem, agnoſcebat: imò videbat tunc faciliorem magiſtrum, patrem dulciorem, ſuauiorem amicum: nunquam enim magis comem & beneuolum, magis de interioribus viſceribus agnoſcibilem, quàm in curru gloriæ Elias ſe exhibuit iam triumphans: abfuit tantum vt deſiguraretur, quin potiùs transfiguratus agnoſcebatur, vt pater, qui olim dominus dici conſueuerat. ſauet Galfridus ibi apud Tilman, licet in contextu neſcio quid allegoricum intermiſceat. *Liquet*, inquit, *quòd iam ab eo ſuus ille dominus in patrem tollitur: liquet quòd ex ſeruo in filium adoptatur.* neſcit enim cœleſtis honor, lineamenta perdere, & priſcæ humilitatis veſtigia adueniente faſtu abolere. inde D. Chryſoſt. *homil. de aſcenſ. Eliæ*, ſacra eloquentiæ licentia fingens, aërij exercitus Principem Prophetæ occurrentem, ſic eundem dæmonem indueit ferocientem. *Non ſine cauſſa eſt, quòd ſine congreſſione afficior, quod ſolo vincor aſpectu: quis tamen ille ſit curru propinquante iam cognoſco: ipſe enim fulgor, qui celabat, oſtendit: Eliam video, Elias eſt ille: agnoſco fortiſſimum bellatorem, ſed de me fateor ſæpe victorem.* quia nimirum fulgidus ille Eliæ honor, non hominem deſigurarat, imò priorum, humilitatis tempore, certamiuum, cognoſcibiles notas oſtentabat.

1628. Claudant hanc materiam verba cuiuſdam Ethnici, ſed illa prudentiſſima, qui Traiano ſuo diuinitatem aucupaturus, rariſſimam hanc virtutem de illo prædicat, hoc maximum commendat: agnoſcibilem permanſiſſe in imperio: ac ſi neceſſariò è cœlo lapſus homo eſſet habendus, qui humani honoris moribus, imò morbis carebat. Plinius eſt in Panegyr. *Reuerſus*, inquit, *Imperator, qui priuatus exieras; agnoſcis, agnoſceris: eoſdem nos, eumdem te putas, & ob id tantum cæteris maior, quòd melior.* Credo vt hoc daret ſignum euidens, Traiani electionem diuinitus fuiſſe inſpiratam, honorem illum è cœlo demiſſum (quod præcipuè in panegyrico intendit auctor) qui licèt transfigurarct hominem, non illum tamen potuit deſigurare. Diminurè ergo Lipſius, vir aliàs acuminis ingentis, locum ad mores non mutatos deſert, cuius totus ſcopus in non deſigurato vultu latet, quod fecerat Caligula.

Aurora conſurgens, &c.

§. I.

Iuſti viuæ ſtellæ, quibus cæleſtes præbent famulatum: excubias præſtant, fercula miniſtrant, horum comptui, ſcalpuntur in gemmas: texuntur in purpuram: aptantur in cothurnos.

1629. Comparatur anima iuſta auroræ ſurgenti, pulchræ lunæ, Soli electo, & meritò, viuit inſtar ſideris iuſtus fulgurat. Sed adhuc ex verborum tenore venuſtior ſenſus elicitur: quaſi pulchriores planetæ iuſto honorum ſuorum conſerant tributa, quibus pergat venuſtior: ſed neque hoc mirum, norunt aſtra virtuti obſequio famulari, præſtare excubias, fercula miniſtrare: cuius comptui ſcalpuntur in gemmas, ad coronam: texuntur in purpuram, ad veſtem: ad calceos aptantur in cothurnos. Singula breuiter percurro. Fuit illa quidem olim veterum falſa, ſed ex pio quodam affectu celebris opinatio, illuſtres ſcilicet viros, in ſtellas poſt obitum transformari, hocque vnum virtuti præmium maximum tribuebant. do alibi plenas paginas: nunc ſatis illud Tragici in *Oct.* locuti de Principum clementia:

Hæc ſumma virtus, petitur hâc cælum via,
Sic ille patriæ primus Auguſtus parens
Complexus aſtra eſt.

ideo ſummus adulationis apex habebatur, ſi viuentes adhuc, ſidera appellarentur: vnde illud Sueton. in Caligula: *Inter altaria, & victimas, ardenteſque tædas, denſiſſimo & lætiſſimo obuiorum agmine inceſſit, ſuper fauſta nomina ſidus, & pullum, & pupum appellantium.* quaſi nullus fauſtior titulus, ſideris appellatione. id ergo Deus optimus maximus intendit: vt quod priſci per ſomnia mentiebantur, id re ipſa viri ſancti adepti forent. Vide de hoc Ambroſ. *in fragm. de fide reſur.* Auguſt. *in Pſalm.* 8. & *Pſalm.* 93. denique ferè omnes PP. qui iuſtos ſtellarum nomine ex mille Scripturæ locis illuſtrarunt. do pauca minus trita.

1630. Inſequebatur generoſus accipiter Deus homunculum, qui ſuperbiæ plumis, volatu impio cœlum videbatur affectare: Nil plumæ proderunt, inquit, quo vngues ſeueræ punitionis euadas vindices: *Si exaltatus fueris vt aquila, & inter ſidera poſueris nidum tuum, inde te detraham*, Abdiæ 1. num. 4. mira ſimilitudo: aquila in altiſſimo rupium confragoſo, in præcipiti montium ſupercilio, &, ſi lubet, in frondoſo cedri cacumine, nidum collocat: ecquæ aquila iſta, quæ quaſi in nouam conſtellationem aſſurgat Ganimedi æmula, ſideteum cubile ſic affectat? anhelabat miſer princeps Ethnicorum more, ſuperbiâ factuoſus fieri ſtella: apage, inquit Deus: ſicut enim exhalatio vilis dum conſcendit, condenſata tandem ſpuriâ luce ſuperbit ſtellæ inſtar: donec miſerè infauſta rareſcit, & deluſos ſpectantium oculos admonet euaneſcens: ſic & tu cometa infelicior, proprij ſolius exitij fatale augurium, in auram, fumum, vmbras extenuaberis. eſto; ſed vbinam ſtellæ, apud quas miſer cupit collocere? præſto, ad manum erant. D. Anton. de Padua ſerm. in quinquageſ. *Huic ſuperbo*, inquit, *dicitur: Si inter ſidera, id eſt, inter ſanctos, qui in hoc caliginoſo loco tamquam ſidera in firmamento lucent, poſueris nidum, ſcilicet vitam tuam, inde te detraham.* indi[illegible] quippe, vt inter puriſſimas columbas, [illegible] co[illegible]

cornix alieno plumarum splendore, vilis vapor nothis radiis inter candidissima sidera collucebet. vide plura supra num. 694.

1631. Non patitur itaque Deus stelliferum titulum impiis communicatum, non patitur inter luces legitimas spuriam splendorem. Triumphanti iam Abrahamo, post fidei eximiæ, & spei contra spem tropæum gloriose erectum, dixit Deus: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris*, Genes. 22. num. 17. Quis non miratur vnum idemque semen, tam diuersis extremis comparatum? Quid stellæ illustrius, quid vilius arena? an ergo cummiscebuntur? minimè: sed arena despicabilis in conculcationem deputabitur, quia impius, sine nomine inglorius: stella computabitur ad thesauros; ideo enim Propheta de Deo: *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, Psalm. 146. num. 4. Pulchrè Galfrid. apud Tilman. Numer. cap. 22. *Nonne*, inquit, *semen Abrahæ sicut stella cæli: sed heu! & sicut arena maris. grauis mixtura: sed Deus illas discernit, & vocat nominatim* Ne quis iorer hæc purissima sidera, nisi sidus pulcherrimum collocetur.

1632. Sed de stellante iustorum conditione, vt dixi, passim multa offendes: do tantùm verba Bernardi *serm. 27. in Cant.* alludentis ad Apostolum, qui nos ab Adamo cœlesti, cœlestes appellauit, quia meritis aptissima: *Ego puto*, inquit, *omnem animam talem, non modò cælestem esse propter originem, sed & cælum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem, & tunc liquidò ostendit, quia vera origo ipsius de cœlo est, cum conuersatio eius in cœlis est: est ergo cælum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes*, &c. *porro stellas dixisse virtutes, non me pœnitet considerantem congruentiam similitudinis. quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis: illud sanè cautela est, hoc necessitatis.* tu vide reliqua apud eumdem.

1633. Illud, vt rarius, sic fusius confirmandum, recognitam scilicet cœlestibus stellis, intellectualium stellarum excellentiam: vnde suæ in obsequium, & penè dixerim adulationem, his ministrasse sedulæ, sollicitæ famulantur. id puto voluere prisci aliquando, vnde Claudian. *in 4. consul. Honorij*, de stella (siue verè ita factum, siue fictum fabulosè) quæ illius ortum præcessit, sic scribit:

Visa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso:
Apparet quid signa ferant: ventura potestas
Claruit Ascanio subita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex, phrygioque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

vt stellas in Principum gratiam obsequium non aspernatas ostentaret. Claudianum explico ab Augustino in P[illegible]. *Veteres*, inquit, *vates decepti, & decipere volentes, in eorum adulationem, qui sibi aliquid secundum amorem sæculi præstitissent, sidera ostendebant in cælo, dicentes quòd illius esset illud sidus, & illud illius.* Sed certè vanitas in sol dam veritatem commutata iustos exornat: habent famulantia sidera, planetas obsequentes, prostratos cœlos, qui ipsi virtutis iure, plenius longè hæc omnia sunt sortiti.

1634. Ægrotat Ezechias, & pathos morbi pestilens, mortis iam exequendum ictum intimabat: expetit dolens ad Deum lachrymarum legationem, veniam exor[illegible], & in securitatis pignus, accedit Isaias & intentum horologio facit optionem: *Vis vt ascendat umbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* 4 Reg. 20. num 9. ad quem tunc hilaris ægrotus: *Facile est umbram crescere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.* dict[illegible] : regressa est retrorsum vmbra decem lineis, scilicet ad Solis regressum: quia, vt bene E[illegible] clesiastic[illegible] de Ezechia, *in diebus illius retro rediit Sol, & addidit Regi vitam*, cap. 48. n 26. Sed ades dum, mi Rex: hæc ni sisti ægritudin[illegible] del[illegible], at vale [illegible] fastidia videri istam ne facile putas solem e ita tempus decem lineis pergere vlterius? habet sol ab origine orbis metas destinatas, quas nisi successiuo gradu latum vnguem excedet: exultet licet vt gigas ad currendam viam, non tamen secundam, nisi præteroolata priori, suo ordine attinget vsquam. cur ergo facile? facilè, inquit ille, si cum retrogressu, quem postulo, comparetur. exultat sol stellarum princeps, & lucis maiestate superbiens, semper vlteriori anhelat dignitati: iussus ergo vt passum acceleret altiùs & vlteriùs processurus, lubens subibit imperium: at iossus incedere retrorsum, minui, id est, humilem subsequentis serui locum occupare: id quidem sine ingentis vi miraculi non perficiet. Esto, inquit Propheta, si enim stellæ viuæ Domini sumus, soli etiam stellarum principi imperamus. Age sol, incede retrorsum, seruorum loco fungere, & officio. Sic capio D. Asterium apud Phot. cod. 271. *Oratio*, inquit, *Ezechiam ab orci faucibus liberauit, & solem prius (vt alia illius opera taceam) monstrauit seruum esse, & seruorum vsui seruire.* Attende lector.

1635. Vrbanè itaque Sol retulit pedem: væ autem illi ni faceret, quia cùm non solùm famulus, sed & seruus iustorum sit, ni humilis cederet, vapulans instar fugitiui serui ligaretur. nota Iosue historia, nondum satis perpensa. Hostiles dux exercitus profligabat, & properabat interim eò sol, somniculosus, vt dicitur, cubiturus ad Occidens: econtra ascendebat luna impotuidens destinato noctis imperio regnatura: dolet Iosue tempus sic deficere, & exuberanti robori gentis suæ. hotas ad victoriam decurtari, & exclamans ait: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aylon*, cap. 10. num. 12. idque vehementi excandescentia dixisse, colligo ex Ecclesiastico, qui ait cap. 46. *Nonne in iracundiâ eius impeditus est sol? nunc* iam ingens suboritur difficultas: miraculum intendit perpetrare Iosue, & excandescit? nonne Spiritus Dei totus modestia, lenitas totus, iracundiæ stimulos retundebat? nimium non erat hæc culpabilis iracundia, sed zelus sanctus, quasi stomacharetur in seruum. nequam, qui à Domino in diuini obsequij rebus deficiebat. ergo *impeditus est sol*, quia compeditus, pedibus ni[illegible] o vinculorum genere colligatis: *stetit itaque sol in medio cæli*, n. 13. obedientiæ compedibus detentus [illegible] ia Episcopi Pouti in epist. ad Leonem Imperat. in Concilio Chalcedon. tom. 2. *Sol*, inquiunt, *stetit iusti oratione vinctus, & proprio cursu sufsistens.* vt posset vincere, potuit solem vincire: seruus Deo preces, soli vincula D[illegible]us imm[illegible]ttit Iosue. bene Sedulius de hoc m[illegible] [illegible]olo,

—[illegible] tunc famulata videbant
Sidera venturum præmisso nomine Iesum.

Iesu enim virtute, cuius typum & nomen gerebat Iesus Naue, siue Iosue, stellæ iusti famulæ adscribuntur.

1636. Renascitur is à Iesu iam nato gentibus, fit sidus signum; accedunt ergo vitam inuenturi hom[illegible] es in præsepio, & clamant: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum*,

deorum, vidimus enim ſtellam eius in Oriente? Matth. 2. num. 2. Sed quorſum, inquis, tanti nuntij, conuocatoria tam nitidi impendium? quia cùm familiarum principes ſoleant propinquis inferioribus vti pro famulis, imò & hi illorum ambire obſequia: ſic cœleſtes ſtellæ, ad intellectualium, & principum ſtellarum humilem famulatum ſe exhibent cognatæ. D. Leo Magnus *ſerm. 3. de Epiphan.* locutus de Chriſto, *& ipſe*, inquit, *erat expectatio gentium, de quibus quondam beatiſſimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio: non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda, & ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre, non terrena, ſed cœleſtis progenies ſperaretur. Ad creandam ergo promiſſam poſteritatem, heredes in ſideribus deſignati, ortu noui ſideris excitantur, vt in quo cœli adhibitum fuerat teſtimonium, cœli famularetur obſequium.* habeant ſtellarum ſeruitia, qui viuentes ſtellæ, cœleſtibus dominandis renaſcuntur.

1637. Quid? ſolent hi tales Principes corporis ſui cuſtodiam propinquis fidelioribus committere, iſtique ſedulam ſtationem vigilias ſollicitas pro dominis & propinquis libenter ſubire, præire ad explorandum, ad tutelam ſtipare, ſtare ad nutum: omnia hæc (& meritò) in ſtella prædictâ, munia recognoſcit Chryſologus *ſerm. 156.* de Mago diſſerens: *Nec ipſe*, inquit, *agitur curſu ſtellæ, ſed ipſe ſtellæ agit curſum: cuius per cœlum ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, vt Magorum ſeruiat, & mittatur ad greſſum: nam ambulante Mago, ambulat ſtella, ſedente Mago ſtat ſtella, Mago dormiente, excubat ſtella.* An non de hoc tali verè Germanè dictum, *ſapiens dominabitur aſtris?* Seruit Magus Deo, & inde cœleſtis renaſcitur, & inde conſeruam ſtellam, vt addit Chryſologus, videt obſequiis ſuis mancipatam. ideo iterum pulchrè ſerm. 158. *Stella*, inquit, *hæc, miniſtra viæ, non vitæ: comes Magorum, non cognata Chriſti: non dominantis domina, ſed ancillula ſeruorum.* & bene *ancillula*: quæ non ſolùm robuſta ſeruorum miniſteria, ſed, ſi res poſtulet, ad delicata ancillularum obſequia deſcendet ambitioſula.

1638. Faciunt huc verba Sapientiæ: *Paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, ſine labore omne delectamentum in ſe habentem*, cap. 16. num. 20. pende τὸ *paratum*, & apparantes, iam quæres neceſſariò, imò ad panis condituram, apparatum. ergo feruet opus in cœlo. frumentum è ſacro horreo adducitur: tunditur adamantinis ſphærarum molis: cribris ſapphirinis perpurgatur farina: pollen aquâ, quæ ſuper cœlos eſt, inſpergitur: ſubigitur delitioſè maſſa: panes ſuauiſſimi componuntur, & in clibano, non vili flammâ, ſed ſolaribus radiis temperato conquocuntur. habes apparatus. Ecquæ apparantes famulæ? nam famularum hoc munus, nemo neſcit: bene Virgil. in conuiuio Didonis *lib. 1.*

Quinquaginta intus famulæ quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.

Iuſti ſtella viua ſunt, quibus proinde ſeruiunt ea omnia cœleſtes.

Quæ ergo ancillulæ condiendis iuſtorum exercitui epulis deſtinatæ? quæ focariarum vtuntur miniſterio? ſtellæ in id ſeruitij animantur: mentiar, ni id voluit Saluianus *lib. 1. de Prouid.* poſt multa de Iſraëlitis, ſic ſubiungens: *adde itinerantium caſtris alitum greges Dei pietate indulgentiſſimâ, non vſibus tantùm hominum, ſed etiam illecebris ſeruientes: datum per quadraginta annos aſtris famulantibus cibum: rorantes iugiter eſcis dulcibus polos, non ad victum tantùm, ſed etiam ad delitias, perfluentes.* Romani, nihil coctum in caſtris vendere permittebât, de quo Valer. Max. *lib. 1.* at Deus militibus ſuis recreandis, ſtellas ipſas

Pintus in Cantica.

vocat ad coquinam, imò eò volant illę ambitioſæ. ſcilicet cœleſte cibi genus iuſtos non eneruat ad luxum, ſed ad prælium roborat: hæc vera Ducis noſtri gloria, quam falſò ſibi, olim Cæſar vſurpabat, iactare ſolitus apud Sueton. *c. 67.* milites ſuos etiam vnguentatos & conuiuantes poſſe decertare: ſed de hoc ad rem Eucharisticam alibi. felicia ergo caſtra, quibus aſtra famulantia in penu condunt, condiunt in penatibus.

Maiora meditor. Ornando iuſtu ſtellæ gemmaſcunt in coronam: ſol in veſtem ſubtexitur: luna conformatur in ſoleas: ſic clarè Ioannes, ſiue Eccleſiam, ſiue Deiparam, ſeu quamuis ſanctam animam intelligas: *ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, Apocal. 12. n. 1. incipio ab hac coronâ. Summum honorem ab ſponſo Deo credito datum Ariadnæ credidit antiquitas, quòd illius coronæ gemmas in aſtra commutarit, cœlo insereret, ideo Ouidius de hac coronâ raptâ: — 1639.

Dumque volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes.

Alluſit huc Tertull. de cor. mil. cap. 7. *Ariadnæ ſertum ex auro & indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, pòſt & ſidus.* Magnum hoc gemmarum decus, ſiderum ſplendorem ſubiiſſe, etſi fictum: at quanto illuſtrius factum? ad iuſtorum honorem ambitioſa ſidera in gemmas transformantur. D. Bernardus ſerm. de beata Maria in hæc Apocal. verba: *Dignum*, inquit, *planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potius, quàm ornetur ab eis.* hæc certè ambitionis ratio: hic feſtiuus deſerentium cœlum, ornando capiti, ſiderum volatus, ornari indidem, vt poſſis refingere Ouidianum illud,

Sicque volant ſtellæ nitidas ſe reddere gemmas.

Quis illas, addit Bernardus, *æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet, quibus Maria regium diadema compactum eſt?* Pulchrè etiam D. Andreas Cæſarienſis de hac apocalyptica viſione locutus: *Quod nobis*, inquit, *eſt aurum, & pretioſi lapides, hoc illis ſunt ſtellæ, & quidem cæteris præſtantiores, & illuſtriores.* vide quæ de pulchra iuſtorum corona ſuprà n. 1321.

1640. Neque mirandum virtute Chriſti pro nobis crucifixi inductum cœlum, vt aſtra ſua iuſtis fũderet in coronas: cùm ſummus ipſi cœlo honor aliquando, quòd in ſpeciem crucis naſcente Chriſto ſtellas conformaret. de hoc miraculo D. Gregor. Nazianz. *orat. 2.* contra Iulian. ſic ſcribit. *Quòd autem hoc clarius, mirabiliuſque fuit, lux in cœlo ſtetit crucem in orbem deſcribens, ac nomen illud, & figura quæ in terrâ priùs impiis contemptui fuit, in cœlo nunc omnibus æquè oſtenditur: Deoque victoria de impiis relata trophæum efficitur, trophæo omni ſublimius & præclarius.* Deinde deridens fabuloſa Ethnicorum ſidera, ſigna mendacia: pulchrè ad rem noſtram declarat, cur cœleſtis illa crux in circulo appareret, & cur cœleſte ſignum, vt ita dicam, crucifigeretur: loquitur ad apoſtatam Imperatorem, *vbi tu hunc circulum in tua matheſi habes? vbi etiam ſtellam illam Magorum tuorum ducem, & auſpicem quæ priùs ab ortu in Bethlem excurrit? ipſe quoque non nihil habeo quod de cœleſtibus rebus differam, ſtella illa Chriſti præſentiam indicauit: hæc victoria Chriſti corona fuit.* itaque formandæ coronæ, crux circulo includitur, & conformando circulo ſidera cuditur.

1641. Videamus ſolem textilem, in purpuram veſtiendis Sanctis elaboratum. diffuſus dixi quæ huc faciant à num. 727. fuſior à n. 1312. & alibi dicam fuſiſſimus: nunc pauca. Equidem habitu ſolem referre, ſuperbi Principes aliqui voluerunt: rubis

Augustus, de quo iactata vulgo illa carmina apud Suet. *cap.* 70.

Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria, &c.

quia semel Solis habitu discubuerat. De Persarum principibus sic habet Chrysol. serm. 120. *Radiato capite ne sint homines, Solis resident in figura.* Sed quis illorum vnquam ausus fuit immortales telas cupere, & ad vestitus solem sollicitare? at Sanctos sol sollicitat, purpuram offert, & illorum coesuitur in ornatum. D. Andreas Cæsar. ea doctrina Methodij, de hac muliere sole amicta: *Quod*, inquit, *nobis vestis est, hoc illi lux est.* Quàm magnum, vt tota Solis lux ad vestiendum corpus inumbretur!

1642. Rapitur in cœlum Elias, condensatur ascensuro ignis cœlestis in currum: circulatur in rotas: dirigitur in temonem: concameratur in arcum: mollescit in habenas: denique animatus in equos, iam lucet in oculis, iam in naribus fumat, iam candescit in spumis. Interim prima videtur cura, imò & vna pallium proiecisse, vnde subditur de Elisæo, *& leuauit pallium Eliæ quod ceciderat ei*, 4. Reg. 2. num. 13. & cur ita? quia triumphator ascendit, & sicut Reges olim triumphatoribus solebant purpuras suas communicare: sic Deus qui Solis purpura splendescit, amictus lumine sicut vestimento, *Psalm.* 103. *num.* 2. terreno pallio ac melote vili exuit Prophetam, regiâ ipsâ purpurâ induendum. Fouere videtur hanc cogitationem D. Chrysost. homil. de ascens. Heliæ: *Apud quosdam*, inquit, *veteres Reges moris erat, vt si quis fortiter pro Rege fecisset in bello, & corpus & animam periculis obijcere non timuisset, curru atque alijs regiæ dignitatis insignibus decoraretur. igitur Reges terreni atque mortales, ita sibi deuotissimis remunerari consueuerunt. quanto magis omnipotens Deus, qui Rex regum, & Dominus dominantium est, Eliam suum tota se corporis & animæ deuotione zelantem, post multorum laborum sudores*, &c. *igneo curru, atque equis fumantibus impositum, triumphali gloriâ præfulgentem, ad sua regna voluit peruenire.* Si ergo ex Pharaone erga Iosephum, ex Assuero erga Mardochæum, ex Baltazare erga Danielem constat in vestium commutatione, præcipuum hunc honorem versari: non immeritò coniecto proiectam melotem vt lucis diuinæ purpura assumeretur: indeque bene à Chrysostomo præfulgentem Eliam celebrari.

1643. Difficile solum est ergo in hoc Apocalypsis loco, quod meditor de cothurnis: cùm *luna sub pedibus*, non tam calceata videatur, quàm calcata. puto tamen non me in hanc mentem inani impulsum coniectura: attende. non solùm calceos & cothurnos suos mille gemmis, vario ornatu veteres depingebant: sed etiam ipsas subtus soleas emblematis quandoque floridabant. Clemens Alexandr. 2. Pædag. cap. 11. *Multa fœminarum soleis quoque amatorias salutationes imprimunt: vt vel per terram numerosè incedentes, meretricios spiritus in incessu insculpant.* Deinde nosti Romanos in calceis suis lunulas præcipuum nobilitatis insigne gestasse. dabo alibi multa: nunc satis illud Statij *syl.* 5. de Crispino,

Primaque patritiâ clausit vestigia lunâ.

Anima ergo Iusta in hoc loco, non tam de lunæ effigie gloriatur, quàm tamquam viliorem ornatum cothurnorum format in soleas, vt calceata non tam in pedibus, quàm sub pedibus gestari videatur. Persarum Monarchæ capitis ornamentum de lunæ similitudine affectabant. Chrysologus citatus: *Impositis*, inquit, *sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in lunam.* Iustis econtra non effigies lunæ caput, sed ipsa luna pedes exornat. Equidem potuit olim luna se iactare, quòd lucis cornibus, iustorum diademati deseruiret, & tamquam decoris sui ornamentum, cornutam Moysis faciem ostentaret, *Exodi* 34. *num.* 29. creuit gratia per Christum, & à cœlesti Adamo, renascuntur cœlestes homines, & ecce crescunt inde lunæ obsequia, iam caput non audet, pedibus contenta: iam è diadematis solio, ad solearum bases inclinatur: non præsumit fastigia, sed vestigia exosculatur. Quidui iustorum pedes stabiles reddit virtus fidei, *Coloss.* 1. *num.* 23. gaudet luna ibi, perfidæ instabilitatis infamiam abolere. Sed iam satis.

§. II.

Virtus quo pergit cultior, eo degit tutior.

Vides in hoc versiculo proficientem magis, ac magis animam, deque aurorâ in lunam, de lunâ in solem commutatam, tandem terribilem, & fortissimis castris similem celebrari: nil nouum istud, quo impensiùs se colebat, eo se fortiùs propugnabat: quia virtus quo pergit cultior, eo tutior degat necesse est. Petenti Iacob Mesopotamiam, Deus cernitur in summitate scalæ, togatus ille, vt sic dicam, purpuratisque suis pacifico & splendenti habitu stipatus: reuertenti, quos viderat pacificè incedentes Angelos, iam paludati & armati conspiciuntur; ideo exclamat: *Castra Dei sunt hæc*, Genes. 32. num. 2. quàm aliæ curiæ facies! mutantur in castra, palatia: aulici, in milites: aurum, in ferrum: in armaturam, ornatus! ecquæ caussa? facta quidem in Angelis mutatio, quia mutata virtus in Iacob: creuerat nimirum per immensos labores eius sanctitas, cui tuendæ robustior cœlestis custodia destinatur. Præcipuum huius virtutis incrementum habet Ambros. de Iacob. lib. 2. cap. 6. *Perfectis*, inquit, *& fidelibus diuina solent adesse præsidia: perfectus autem qui cogitabat de reconciliatione fraternâ, ita vt humilitate eam inuitaret, officijs requireret, muneribus quoque emendam putaret.* Securus enim contra quosuis pergit incursus, qui tot progressos fecerat sanctitatis: Angelos habet commilitones ad bellum, qui rebelli fratri sic parcebat.

1644.

1645. Rotandâ fundâ, lapidibus armatus, contra carneam turrim, giganteam sæuitiem pergit Dauid: si quæris vnde sibi tantam eo, respondet: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, 1. Reg. 17. n. 45. pergit post longum tempus alios debellaturus, & audit à Deo, *cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum.* vel, vt habet Vatabl. *cùm audieris sonitum incessus*, &c. 1. Paralip. 14. n. 15. & quorumnam hic incessus? cœlestium exercituum: vt qui priùs nondum perfectâ adhuc sanctitate, solum sub Domini exercituum nomine bellum inibat, nunc iam perfectior, ipsis dominicis exercitibus bellaret stipatus: fauet pro parte idem Vatabl in notis: *Incessum*, inquit, *id est, strepitum Angelorum incedentium.* quo virtute cultior, eo tutior Angelis propugnatoribus incedebat.

1646. Illustris in hanc rem locus ille Prophetæ loquentis de Deo iam iam idololatram populum perdituro, *& dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*, Psalm. 105. num. 23. in Hebræo habetur: *nisi stetisset in rupturâ ad faciem eius*, quasi à confractis mu-

sis,

ris, à ruptis mœnibus metaphora deſumatur. & quorſum, inquis? vidiſtin' pugnatricem vrbem cinctam vndique integris ſolidiſque mœnibus hoſtes irridentem: quæ tamen ſi fortè aliqua murorum rupturа violatur, trepidat tota, & miſerâ confuſione ingruentes iam hoſtes reformidat? talis miſer populus remanſerat poſt culpam: in quem vltore Deo diuina irrueret ira, & nouæ deſperationis miſerrima ſtrages, dæmoneſque tortores: niſi Moyſes ibi obiectus charitatis vmbone, impetus propulſaret. Bona ad hunc locum Vatabli notatiuncula: *Id eſt*, inquit, *niſi in puncto iræ occurriſſet Deo, recenti adhuc dolore: quod non minus periculoſum, quàm eſt ruptura murorum, quòd ea parte pateat hoſtibus in vrbem aditus: metaphora à ruptione murorum obſeſſorum, qua parte hoſtes irrumpunt.* Itaque tutus, munitus, proindeque intrepidus erat populus dum in alta ſanctitate morabatur, & quo maiori virtute, eo ſecuriori cuſtodia percingebatur: exarmatur tamen per culpam!, petiturus ni armatâ Moyſis virtute egregia defenſaretur, qui ſe ſummo diſcrimini ob illius ſalutem expoſuerat. Sed colligamus ex Cantico plura in hanc rem.

1647. Floridum illum lectum, vbi felicem animam ſponſus caſtiſſimis cordis amplexibus, ſuauiſſimis mentis recreat cogitationibus, *ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*, Cant. 3. num. 7. Compara, quæſo, hanc, cum illâ aliâ Lucæ cuſtodiâ: *cùm fortis armatus cuſtodierit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet*, cap. 11. num. 21. cur ad atrium cuſtodiendum, vnum tantùm armatum collocari inſinuat Chriſtus, qui ſexaginta cuſtodiendo lectulo collocarat? certè, quia atrium alibi erat, alibi lectus. in hoc ſponſa perfecta, in deliciis diligenter cuſtoditur: in illo, mens domino (quicumque iſte ſit) ſuo vnita, non ita diligentiùs defenditur. Gilibertus ibi ad hunc locum Cant. *Vberior*, inquit, *hic commemoratur cuſtodia, quia vberior gratia lectuli, quàm atrij, & ſponſæ ſollicitudo maior, quàm poſſeſſionis.* Anima igitur perfecta, in lectulo timores iam expellit nocturnos ſub tantâ cuſtodiâ, & in intimis penetralibus, impenetrabilis penè diſcrimini, defenſatur: atrium verò ſub vno tantùm forti ſinitur adhuc periculis tot exponi.

1648. Imò compara hunc ipſum Salomonis noſtri lectulum, cum eiuſdem vinea, de qua dicitur: *vinea mea coram me eſt: mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius*, cap. 8. num. 12. nam vnde, aut cur in tam amplum numerum, ſexaginta illi priores excreuerunt? en adduntur his cuſtodientibus mille ducenti: quis non miratur? excreuit planè ſanctitas ſponſæ, & ideo cuſtodiæ firmitas excreuit, vt quo erat excelſior, eſſet & ſecurior. D. Ambroſ. lib. 1. de virginib. *Suprà*, inquit, *ait, ſexaginta potentes in circuitu propaginis eius, ſtrictis armatos telis hic mille ducentos: creuit numerus, vbi creuit & fructus, quia quo ſanctior quiſque, communitior.* nimirum cor ſponſæ quà lectulus, delitias, & ſuauiores virtutes miniſtrabat: quà vinea generoſiores affectus, & ebrietatis ſobriæ, fortiſſimique amoris vina ſuggerebat: ergo quàm ab atrio proficit dum lectulus, tam dum vinea eſt, à lectulo in ſecuritatem proficiat neceſſe eſt.

1649. Inuitarat hæc anima Chriſtum, dicens, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum*, Cant. 5. num. 1. ad quem deinde poſtea cap. 7. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, num. 11. ad veniendum in hortum prouocat vt fruatur pomis, non ad commorandum: vbi verò ad agrum inuitat, iam villas memorat, vbi commorentur: neque villas ſimpliciter, ſed & illas turritas & munitiſſimas: ideo cum Ambroſ. legunt aliqui, *requieſcamus in caſtellis.* Sed quorſum, inquis, in agro caſtella & propugnacula, quæ horto viſa denegari? qui hortus floribus, pomis delitiarum omnium genere ſcatet: delitiarum, inquam, ad blandimenta: ſed ager plenus erat, & cui benedixerat Dominus, de ſoliditate frumenti, & generoſioris prouentus, hortis omnibus vnus præcellentior: caſtella ergo ibi erigenda, in quibus eſſet requies ſecura, vberior cuſtodia. Videtur huc collimaſſe idem D. Ambroſ. ad hunc locum: *Suprà*, inquit, *ad hortum inuitabat, hic ad agrum habentem non ſolùm florum gratiam, ſed etiam triticum & hordeum: hoc eſt, ſolidiorum firmamenta virtutum, vt fructus eius aſpiciat.* hæc ergo firmamenta virtutum, magis caſtellorum firmitate obfirmanda: vt quo cultior erat ſanctitas, eo degeret tutior.

1650. Maius eſt quod ad ipſam ſponſam Chriſtus ait: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, Cant. 4. num. 4. vbi mihi pende Petrum *epiſt. 1. cap. 2.* iuſtos alios, domos ſpirituales fieri, præoptare. Paulum *Epheſ. 2.* cupere, habitaculum in nobis Deo præparatum: ſponſam verò in turrim erigi, armari in propugnacula. ſcilicet ſponſa erat, vnita Deo, & proinde perfectionis iam apicem attigerat; vberiùs igitur munienda neceſſariò, vt virtus eo degat ſecurior, quò erat comptior. Gilibert. ſerm. 26. *Vide*, inquit, *priuilegium ſponſæ: Petrus Apoſtolus hortatur nos ædificari in domos ſpirituales: hæc verò non tantùm in domum, ſed etiam in turrim ædificatur. Paulus in habitaculum Dei, coædificari nos optat: ſed ſponſa hoc non contenta, etiam propugnacula adiungit, vt ſublimis, & ſecurior ſit habitatio.* Ecquam iam timeat hoſtium oppugnationem, quæ tot fortiſſimis propugnatur munimentis?

1651. Et quidem notandum, quondam, cùm adhuc ſponſa tenella eſſet, & delicatula, hoc eius collum, quod nunc turri bellatrici, pulcellis fuiſſe monilibus comparatum: *collum tuum ſicut monilia*, Cant. 1. num. 10. vt ſcires tot gemmas, tot virtutum margaritas, eo ipſo quòd pretioſæ erant, debere roborari, & ad ſui defenſionem, turris inſtar fortiſſimæ excubare. Suetonius de Cæſare erga ſuos milites cap. 67. *Habebat*, inquit, *tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret: ſimul & ad ſpeciem, & quo tenaciores eorum in prælio eſſent, metu damni.* Diſcebant hoſtes non timere, dum pretioſitatibus ſuis timent: ſecuri de victoria pugnabant, quia dum ſtudebant comptui, contemptui hoſtes haberent neceſſariò. ornatur ergo monilibus illud collum, quod poſtea propugnaculis conſtruitur: vt inde degat ſecurior ſponſa, quo ſibi, pro pretioſitatibus defendendis, acriùs decertandum cognoſcebat: ſicut & in hoc loco, pro ſtellifero ornatu tuendo, ad ſecuritatem terribilis apparet. attende.

1652. Eodem puto, non ſibi, ſed exemplo noſtro conſulens, vſus eſt ſtratagemate Chriſtus Dominus, dum prælium cum dæmone inſtruius, vt orbem ſibi rebellem confirmaret, ſic deſcribitur à Propheta: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt. indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe, etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*, Pſalm. 91. num. 1. quia eo ipſo, quòd gerit decora, induit pretioſa: eiſdem defendendis tenetur & induere fortitudinem, vt iam non timeat hoſtes hâc armatus, qui pretioſis ſuis ornatus ſtudebat. Fauet

Pintus in Cantica.

huius, & superioris loci explicationi tantisper Gilibertus citatus. *Collum turris*, inquit, *iam fortia ad sponsam & de sponsa loquitur. nam delicata in superioribus, vbi sic ait: Collum tuum, sicut monilia. & simile quid habes in Psalmo: Dominus decorem induit, induit fortitudinem. bona hac indumenta, quorum alterum ornat, alterum armat.* Reuera adaugetur fortitudo, decrescit timor, dum pretiosa magis propugnamus. posses huc non inuita adducere quæ plurima suprà dixi de forti iuxta, ac pulchra virtutis armatura.

1653. Bellum contra hostes gestura Tribus Dan, id expressit typicè: ideo de his viris cùm pergerent, ait textus, ante se ire fecisse, *paruulos & iumenta, & omne quod erat pretiosum*, Iud.18.num.2. nam quorsum tam mollis apparatus ad prælium? respondet ibi Abulensis. *Vt incitati*, inquit, *amore istorum, pugnarent acriter, & non putarent propter quemuis sinistrum casum fugiendum esse: quia nihil boni superesset, ad quod fugere possent.* quomodo enim non fugeret inde metus, vires crescerent, vbi maximè res maxima periclitabatur? hæc ergo caussa, cur perfecta virtus tutior incedat, etiam dari potest: quia cùm tot pretiosa gestet, quoad illa defendenda sit animosior, eo longiùs discriminis timorem auerruncat, & abiecto timore fortior reddita: necessariò securior procedit.

VERS.12. Reuertere, reuertere, &c.

§. I.

E minimis, perditio vtplurimum solet inchoari.

1654. Verba sunt, vt vides, sponsi Christi animam de leui caussâ turbatam celerrimà sibi reuocantis, vtpote qui nouerat, è minimis vtplurimum perditionem animæ inchoari, & qui huius salutem destinauerat, citò illam, ne penitus sordescerer, reuocauit. Est multus in hoc ironice Salomon Ecclesiastes 10. vbi statim *num.* 1. sic habet: *Muscæ*, inquit, *morientes, perdunt suauitatem vnguenti.* Complutens. legit *Muscæ mortuæ*: sed maiori emphasi D.Hieron. in Sixt. *morituræ*. Condis pretiosa balsama, aromata suauissima: interim aduolitant muscæ, viuæ saltitant, putas paulo pòst auolaturas, nec auertere curas importunas. proh misellum! ludunt illæ, sed tu illuderis: non solùm mortuæ, & putrefactæ odorem perdunt, sed adhuc viuæ corrumpunt, quas ad importunitate, pertimere debueras certò morituras. perditur scilicet, aut certè pro deperdito reputatur virtutis odor, quem defectus licèt leues superuolitant: quorum ni obstas principiis, necessariò animæ erunt infigendi, & eamdem tandem corrumpent. & iterum n. 10. *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.* quàm sensim, quàm sine sensu acies acuta ferri retundi solet! nullus est ictus sine acuminis hebetatione, & tamen post plures ictus, via dignoscitur: donec obtusa penitus, sudorem refingentis magis, quàm acuentis fabri requirere videatur: sic virtus. Sed hæc duo membra diuisim assumamus, & priùs in hoc loco ex parua scintillâ ortum incendium: deinde in hoc extinguendo laborem declarabimus.

1655. Solis æmula, aureo quodam fulmine astra ferjens, & flumine splendido irrigans intuentes, aurum capitis in cœlo Nabuchodonosoris statua condebat. proh quantam à vertice ad talos dissimilitudinem! auri frons prodiga, *Dan.2.num.32.* pedibus effroos lucem inuidebat, lutum cumulabat. & vnde tantum malum, quo posses dicere cum Poëta,

—turpiter atrum

Desinit in piscem, mulier formosa supernè.

Vnde tanta lues? quia licèt argentum, præ auro non sic vilescat: tamen quia statim à capite aureo, in argenteum pectus degenerarat, necessariò quodammodo in fœdissima vsque extrema desinendum: paulatim enim per suos gradus, ex gloriosis principiis si frigescant, ad hos fines turpissimos descenditur. Richardus Victor. ad hunc locum apud Godefr. *O quantum*, inquit, *est inter testam & aurum: inter finem statuæ, & principium. ex auro incipit, in testam desinit: puto, quia nemo repentè fit turpissimus, sed quia minima negligunt, paulatim defluunt. O confusibiles operarios! qui initio conuersationis sua opus inchoant ex auro, & tandem consummant ex luto.* idque non quidem repentè, sed quia ea fulgore auri candicarunt in argentum, rigueruot in æs, in ferrum torpuerunt: tandem de testa pedum confundantur est.

1656. Hinc Propheta de auxilio diuino sibi gratulans: *ipse Deus meus, & Salutator meus, non emigrabo*, Psalm.61.num.7. ex Hebræo apud Vatabl. legitur: *Vtique ipse est petra mea, & salus mea, arx mea, non nutabo.* eædem quippe quodammodo gratiæ Deo debentur, quòd virtutis impediat nutationem, quàm quod ad vitium impediat emigrationem: penè enim infallibilis consequentia ab spontanea nutatione, ad mutationem infamem. hinc iterum habes Psalm.65.num.9. *Qui posuit animam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.* Vbi etiam Vatabl. *nec permisit vacillare pedes meos.* Vacillat, id est, mouetur quandoque aliquid, sed non propterea statim commouetur: at non ita in via virtutis vtplurimum. nam qui vacillat, cadit, & qui mouetur, rarò non miserè commouetur: nec is talis æternæ vitæ aptus existimatur, qui pallulantem affectum non iugulat statim, vnde coosensus & prauus actus paulo pòst pertimescitur.

1657. Debellatæ infausto euentu Euæ aduenit piissimus Dominus in medelam: vode ad Dæmonem, *ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*, Genes.3.num.15. At, tam facilè ne, inquis, caput draconis conteretur, vt nulla brachiorum vis, nullus pectoris nisus, sed calcanei tantùm videatur desiderari conatus: quasi dum insidiosè impetitur, valeat si velit, gloriosè Deo auspice triumphare? certè tam facile: quid enim caput, n isi insidiantis peccati principium emergens? sed quàm facile principio obstare: tam id necessarium, ne pereas, si ignauescis. D.Nilus in Asceitico. *Idcirco*, inquit, *per figuram legislator voluptati aditum occludens, serpentis caput obseruare iussit, quando & ille calcaneum obseruat: scopus enim illi propositus est, vt actio consequatur, qua nisi fuerit confecta, haud facilè potest morsui venenum infundere. nostrum verò studium in eo vigere debet, vt primum voluptatis impetum repellamus, quo quidem confracto vis actionis est imbecilla.* Caput ergo, siue principium conterere nascenti affectui, ne nusest ad mortem vsque conteraris: restringe primos impetus, & consensus, primasque cogitationes, alioquin infaustis seruitutis catenis constringeris.

1658. Exhibuerat se olim Danieli Deus *vestitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo*, cap.10.num.5. qui tamen Ioanni ostendeodos, cætera idem, præcinctione

ctione sola diuersus exhibetur: *vidi similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ*, Apocal. 1. num. 13. & cur olim ad renes, nunc ad pectus præcingitur Christus Dominus? credo ita factum, vt in habitu modum ostenderet, exhiberet tenorem, quo iusti vtriusque temporis præcingebantur: illi minus cauti, vtpote imperfectiores, opera & motus carnis in renibus significatos cingere, satis existimabant: hi primos pectoris conatus vix liberos, libertate spiritus melioris, quomodo possunt etiam constrictos: ne fortè si primis cordis affectibus conniueant, eisdem postea turpiter cæcutiant. Adducet D. Anton. de Padua *in Dom. 2. post Pascha*, explicans ibi Prælatum similem filio hominis, & in ipso Christo repræsentatum. *Daniel*, inquit, *vidit virum accinctum circa renes, quia in veteri Testamento carnalia opera constringuntur: additur ad mamillas, quia in nouo Testamento, etiam cogitationes iudicantur.* equidem iudicantur, ne fortè irruant perdituræ, nisi perditè obuiantur. Bene in re aliâ Sallustius de armis iniustis, semel perturbantibus: *nisi opprimantur, opprimunt*, & ni affectus emergentes tibi succumbant, eisdem laniandus incombes infaustissimè.

1659. Quid? ipsa pusillanimitas ad hos vincendum, te ad immeosa scelera perpetranda, audacem aget, & præcipitem. hinc Isaias salutem à Christo afferendam celebraturus, sic scribit: *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate; dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Vatablus ex Hebræo pro *pusillanimis*, vertit: *dicite præcipitibus corde.* quia ipsa ignauia quæ affectus non reprimit pusillanimis, animos postea imprimit præcipites ad omnia vitiorum genera aggredienda. neque mirum, quia ni statim penitus euellantur, dissimulati crescunt affectus, & suffocant. Aptè D. Nilus citatus. *Licèt*, inquit, *cupiditates non lædant, quòd propter assiduos congressus lædendi non inueniunt opportunitatem: clam tamen insinuant sese, & corroborantur, ac maiores ex temporis spatio vires colligunt. & quemadmodum terra frequenti pedum incessu conculcata, quamuis habeat spinas, tamen eas non profert, exortum enim illarum prohibet pedum conculcatio: interim tamen propagantur radices, & simul ac tempus concesserit, vberes spinæ, florentesque prodeunt, sic & cupiditates.* non satis ergo contra rebellantes pugnare, ni cures primas statim radiculas extirpare: aliàs etiam quietæ dummodo moreantur, inquietabunt.

1660. Non ergo solùm pullulantem affectum, verùm etiam quiescentem, dummodo noscas, debes abominari, ne si pullulat, & vincit, reddaris abominabilis. Peccat Cham in patrem impudentissimus, nec tamen ille, sed filius eius puniri videtur Chanaam: *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis*, Genes. 9. num. 25. cui explicando, (sæculi nostri allegorias abhorrentis pace) præmittenda carptim Philonis allegoria lib. resipuit Noë. *Filius*, inquit, *Noe, Cham quiescentis vitij nomen habet: nepos autem iam mouentis se: Cham enim interpretatur calor, Chanaan commotio, calor autem in corpore febrim indicat maximam, vitium, &c. hoc iam quiescit, iam mouetur: motum eius vates Hebraico nomine vocat Chanaan. nullus autem legislator pœnas decernit contra iniustos quiescentes, sed quoties mouentur, & exercent iniusta opera: sicut nec mordaces quidem bestias vir moderatus occidet, si absit morsus periculum, &c. Merito igitur hic iustus videtur, seruare maledictionem suo nepoti Chanaan.* Nunc iam attende. si re ipsa in Chanaan punitur Cham, quia, vt Patres notant, acrius in filio,

Pintus in Cantica.

quàm in se, maledictionem erat dolitutus: cur etiam in figurato, non potius (quod intendebam) quiescens origo, quàm motus partus punitur? imò punitur: sed vt pater in filio, sic pestilens vitij calor, in actus commotione. ipse se explicat Philo subdens: *Videtur, inquam: quia si non actu, potentiâ tamen filio suo Cham per illum maledicit: motus enim ad peccandum, Cham ipse, fit Chanaan.* Itaque non tam maledicitur Cham, quàm *videtur* maledici, cùm tenera in illo inclusus maledicatur Cham: quia in opere præcipuè affectus ipse, quem quiescentem non expugnasti, hostem & victorem patietis, illumque præcipuè debes execrare, ne à minimo in omnimodam venias perditionem.

1661. Peccant protoparentes: *cumque cognouissent*, inquit textus, *se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, Genes. 3. num. 7. quia nimirum qui peccauerant in gula, statim luxuriæ irritamenta, & lasciuiæ fomenta inquisierunt: folia enim ficus, ipsa naturæ conditione prurientem libidinem excitare dicuntur, vt ex multis Patribus alibi firmaui? Sed cur, quæso, non aliunde, sed à ficu, quam affectant luxuriam, souere destinant? respondet Tertullianus loco satis obscuro, quem ibi affero, nunc vlteriùs expendo: ergo *lib. de anima cap. 38.* loquens de ætate hominum quatuordecim annorum, qua pubescit, quodque nūc malitia promptior præcociori egeat medicinâ, sic subiungit. *Si enim Adam & Eua ex cognitione boni & mali, pudenda tegere senserunt: ex quo id ipsum sentimus, agnitionem boni & mali profitemur: ab his autem annis & suffusior, & vestitior sexus est, & concupiscentia oculis arbitris vtitur, & communicat placitum, & intelligit quæ sunt, & fines suos ad instar ficulneæ contagionis, prurigine accingit, & hominem de paradiso integritatis educit: exinde scabida etiam in cæteras culpas, & delinquendi non naturales, cùm iam non ex instituto naturæ, sed ex vitio.* relinquo intelligentibus extremum, cui comparationem ficulneæ accommodat, & sumo illam vnde comparationem deducit. Cingitur Adam post gulam foliis pruriginem excitantibus, ad luxuriam; & exinde non solùm lasciua luxuriæ concupiscentia, sed omnes reliquæ prurierunt; cùm enim prurigo scabida sit, scabiei sortitur conditionem. quia quemadmodum quò magis scabiei indulgeris fricando, eò prurit auidior, donec sæuis doloribus terminetur: sic quo magis cōcupiscentiis deseruis, eo efferantur magis: & ex quadam minus seuerè coërcita, reliquæ etiam lasciuiunt indomitæ. Bene ergo ad luxuriam, scabidam ficus pruriginem eligit Adam, qui sub peccatoris typo, ex vnius blandimento, in cætera prurire vitia denotatur.

1662. Nec vnum ergo, nec minimum affectui concedendum. ideo bene castissimus ille iuuenis Hippolytus iam iam impiam nouercam, & sceleratam amantem, cùm ipsam audiret, à se (cuius amores non extorserat) vltrò mortem cupientem, & postulantem, ictum cohibuit, addens apud Tragicum,

Procul impudicos corpore à casto amoue
Tactus, &c.
Abscede, viue: ne quid exores.

Sciebat prudens, quòd si à fœmina turpi etiam in re supplicij se exorari pateretur, iam disponi vt à lasciuâ aliàs, contra castitatis propositum in aliquo exoraretur: quia minima hæc negligenter habita, maiora extorquerent. certè paulatim per ignauiam satiscit virtus. Venit huc apta comparatio D. Cæsarij Arelat. homil. 32. *Quomodo*, inquit, *nauis postea quam pelagi fluctus euaserit, si in portu destinatâ non fuerit, de minutissimis guttis impletur & mergitur: sic*

& Monachus deuictis & superatis saculi tempestatibus, & mundi huius criminibus quasi periculosis fluctibus, cùm ad portum monasterij venerit, si subrepentia, & minuta, & quotidiana peccata de anima sua feminâ exhaurire neglexerit, in ipso portu, naufragij discrimen incurrit. priora verba absque dubio corrupta: ego sublata negatione corrigebam, *si in portu destituta fuerit.* tu meliùs.

1663. Nec minor elegantia Alcuini ad tritum aliàs locum in hauc rem ex 1. Ecclef. num. 18. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* vbi ita. *Domus nostra, quæ cum statu hominis creata, aut habitatio, quam habemus in cœlis, quia pigri sumus, & ad bona opera tardiores, humiliabitur, & omnis contignatio, quæ debet culmen portare in sublime, ad terram corruens habitatorem suum opprimet: cumque auxilium manuum, virtutumque torpuerit, omnes desuper potestates, & nimborum ad nos turbo erumpit.* Solemus vulgò dicere cùm rei alicuius securitatem iactamus: *solùm labente cœlo opprimi potest.* quasi id nullatenus fit vnquam euenturum, nec dari possit caussa, quæ ipsum firmamentum trahat in ruinam: sed hanc nobis adfectatam ruinam, in paruis defectibus non correctis, edoctum voluit Salomon, vt totum cœlum sentiremus hostem, qui defectus minimos sentire neglximus: supernasque potestates ploremus contrarias, qui deploratâ negligentiâ oscitauimus.

1664. Et bene *in pigritijs*, dixit, non in guttis, aut ictibus importunis: quia quæ de se (si depositâ pigritiâ, cura mediocris occurreret) non nocerent, ipsa nos premunt, opprimunt: non tam ex innatâ illorum furia, quàm ex ingenitâ nostri incuria. Cassianus hic apud Godefc. *Lapsus quispiam*, inquit, *nequaquam subitaneâ ruinâ corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitijs crescentibus, casu miserabili cecidisse.* En tibi locum sæpe ad hanc rem impetitum, quem tamen à me non dixeris repetitum, cùm de noua pondecatione innouetur. Sed pondera adhuc ly *humiliabitur*, quasi non tam è loco, quàm è dignitate abiectum cœlum opprimens (in explicatione Alcuini) videatur, dum in vilissimæ Creaturæ cogitur vindictam. En tibi ex quàm paruis, ad quàm magna venitur: neque mirum, quia, vt aptè Seneca epist. 16. *Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, vbi desinant non habent, nullus enim terminus falsò est: viam eunti, aliquid extremum est, error immensus est. retrahe te à vanis, & cùm voles scire, quod petis, verùm naturalem habeat, an cæcam cupiditatem: considera an possit alicubi consistere: si longè progresso semper aliquid longiùs restat, scito id naturale non esse.* quia nescit modum affectus, & ni emergentem immergas illico, imò & trucides, in profundum, & immeabile te præcipitium deducet. Veniamus ad secundum quod initio promisi.

§. II.

Et quàm sit inde difficile resipisci.

1665. EN secunda caussa, piæ in reuocanda statim sponsæ celeritatis, prius quàm penitus labetetur: difficultas nimirum, quâ anima post lapsum aliquandiu volitum resurgit. Fecit dulce ptæ charitate vitæ naufragium diuina nauis, & inter crucis procellas expirauit humanitas, & naufragat interim pariter de pietatis obsequio lux Solis, æris claritas, terræ stabilitas, quies petrarum: resurgit tandem gloriosiorem de summersione portum sumpturus Dominus, visitat alumnos suos: crederes dum esset in medio illorum, totum in suaues amplexus ruiturum, ille nihil: tantùm ingrediens dixit, *pax vobis*, Luc. 24. & cur non etiam læta oscula huius pacis, festiua blandimenta? latet mira emphasis in ly *vobis*. Quàm bellè vidit Chrysol. serm. 81. *Bene*, inquit, *addidit vobis, quia iam terra steterat, dies radiarat, sol recurrerat, & ordinem suum compago mundi redditum iam tenebat: discipulis autem manebat adhuc bellum, & collidebat eos acriter fidei perfidiaque conflictus. non sic terram, sicut discipulorum corda turbo concusserat passionis, & ideo animos eorum credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione vastabat: insistebant mentibus eorum cogitationum cateruæ, & excursibus desperationis ac spei robusta licèt pectora rumpebantur.* Naufragarat scilicet discipulorum fides in communi rerum omnium naufragio, & tardiores, reliquis quiescentibus, adhuc fluctuabant: quia re omni facilior ad lapsum homo, & re omni difficilior ad resipiscentiam: nihil illo ociùs pottum amittit, nihil tardiùs iterum admittitur.

1666. Grauiter in hanc rem D. Prosper Aquitan. *de contempl. lib. 2. cap. 15.* de plumbeo cupiditaris pondere alibi explicando, ita habet. *Ipsa cupiditas, quæ nobis subijci vltrò volentibus hoc pondus imponit, contemni potest faciliùs, quàm expleri, & ideo qui se illi volentes dederint oppugnanti, voluntatem resistendi vlteriùs non habebunt tyrannicè dominanti. & hoc fit iusto Dei iudicio, vt qui cupiditati resistere nolumus ingressuræ, iam resistere nequeamus ingressæ. O plangendam miserabiliter mentis expugnatæ seruitium! ô intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium!* certè intolerandum: in quod volentes ruimus, quo recepto, velimus nolimus penè obruemur: quin fit ad reditum, nisi ardua, quæ ad aditum procliuis via parabatur: scilicet,

— facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradus, superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. pauci, quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus
Dijs geniti, potuere.

cecinit Poëta *Æn. 6.* quæ si christianizas, impleta etiam videbis in sacris litteris, & hos tales remeantes, præ rei difficultate, cum paucissimis fateberis numerandos. attende.

1667. Cupiebat Sapiens, vt debita satisfactione culpam aboleremus, & sic scribit: *de negligentia tuâ purga te cum paucis*, Ecclef. 7. num. 34. & quanto humilius videretur, quanto Deo gratius, si cum multis, imò apud omnes se purgaret? quanto sublimius, vt ex publicâ, & profusiore confusione, profundior correctio deprehenderetur? bene id, si paucitas ista testibus, & non potius purgatis assignaretur: mens ergo fuit ostendere, per paucos esse, qui se de negligentijs suis purgare, à culpis eripi, consuescant: ac si dicat. Esto tu de numero illo paucorum, qui se purgant: alioqui, nil id intenderet, quo apud plures purgaretur, tectiùs facturus exhibitâ satisfactione publicâ videbatur. Vnde capies quid sit illud Dauidis contra impios: *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum*, Psalm. 16. num. 14. quia nimirum pauci, & rarissimi sunt, qui se in terra, de terrenis perpurgant affectionibus: à quibus rogat Dauid impios separari, vt refrenatâ tandem peccandi licentiâ puniretur. Sic vtrumque locum explicat VVetricus *ad cap. 7. Ecclef.*

Eccles. apud Tilm. *Omnino*, inquit, *si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus: nunc autem, quoniam non modò minima, sed & maxima negligimus, longè à paucis de terra diuisi sumus.* & quidni sint pauci? Ecquis enim, nisi rarus, & generosissimus spiritus sufficiat, non tam corpori, quàm, si fas dicere, ipsimet animæ excoriandæ, cui sic arctè vitia constringuntur?

1668. Hoc certè voluit Propheta significatum, cùm de quibusdam dixit, *tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua*, Psalm. 72. num. 6. non tam tenent superbiam, quàm ab illa inuincibiliter tenentur, de quo latè suprà num. 1587. Sed audi ad rem præsentem Gilibert. serm. 9. *Quid est*, inquit, *tenuit, nisi irretiuit, & implicauit, & inolita consuetudinis indissolubili obligauit vinculo: hoc est enim quod sequitur, operti sunt impietate, & iniquitate sua, vt non facilè euolui, & explicare ab illa se possint.* Vides vngues iniectos, vides vitia vinculorum instar colligantia? parum hoc: connaturalizantur animæ, & ita miseram cooperiunt, vt instar pellis pecudem fouentis, carni adglutinatæ, illam iam carnalem, reddant pellitam: nec facilius ab anima vitia, quàm pellem reuellas à pecude.

1669. De vitulo offerendo, id est, anima Deo consecranda, sic ipse præcipit post immolationem sanguinis: *detractáque pelle hostia artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra qua sunt casa desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta qua adhæreat iecori, intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super altare, holocaustum & suauem odorem Domino*, Leuit. 1. à num. 6. Sed cur si holocaustum, id est, totum incendendum sacrificium præcipitur, non pellis etiam pro parte comportatur? peccata, inquis, denotat: fateor, sed cur abolenda peccata, non in ignem mittuntur consumenda? cur præuia excoriatione abiiciuntur detracta? Visus respõdere citatus Gilibert. *Vt amplius*, inquit, *dicam, quasi cute quadã, sic aliqui praua operti sunt & inuoluti consuetudine vitiorum, vt illam dediscere, & desuescere, non tam expoliari sit, quàm excoriari: in cuius rei indicium fortè institutio legis continet, hostia pellem abstrahi.* vt meritò doleat in exitu pio, quod in sacrilego ingressu delectauit. sic quàm facile ad vitia declinat anima, tam difficile iterum ad virtutem inclinatur. vide quæ de nodo Gordiano suprà dixi à n. 1587.

1670. Imponit Iosue præceptum Soli, & stat iste: cupit huiusce cursum impeditum, & compedes, festinus aliàs planeta, subit non inuitus, *cap.* 10. *num.* 12. mihi quidem magis noua imperantis fiducia, quam obedientia imperati: vnde enim tanta constantia Iosue, vt crederet solem libenter præcepta subiturum, qui se minus à militibus suis senserat obeditum? imposuerat ille præceptum de non spoliando hoste, sed incassum: Acham enim argentum, aurum, palliumque inuito furatur imperio, *cap.* 7. *num.* 21. cur ergo speret parendum sibi à sole, qui se à milite doluerat violatum: credo, quia nouerat, post tot annorum millia non ita cursui solem assueuisse, quantum breui vitæ curriculo Acham assueuerat peccato: vnde cursum ille, hic vero culpam non poterat obliuisci. fauet Ambros. 2. officior. cap. 26. *Iesus Naue*, inquit, *qui potuit solem sistere ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet: ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit.* quia facilius procedentis Solis cursus, quàm serpentis vitij gressus retardatur. Sic rarus datur regressus ad virtutem, quando inolens vitium penè in naturam alteram commutatur: ideo Seneca epist. 29. *Tunc*, inquit, *consummata est infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi qua fuerant vitia, mores sunt.* Infelix mora, quæ sic prauum affectum in morem commutauit.

Symbolum perfectorum virorum, qui sæcula nutriunt, genus alunt humanum virtutis, & exempli pabulo, vidit olim Pharao vaccas pingues è Nilo prodeuntes, *Genes.* 41. *num.* 2. sed post has, videt & fœdas alias macieque confectas. qua in re illud mihi mirum, quòd cùm macilentæ pingues deuorarent, non tamen harum pinguedine, illæ dicantur incrassatæ *num.* 4. quasi sub eadem macie remanerent, ideo, addi visum in explicatione n. 31. *vbertatis magnitudinem, perditura est inopiæ magnitudo.* perditura quidem inopia abundantiam, non tamen propterea impinguanda; & cur ita? visus respondere Richard. Victor. ibi apud Godefr. *Pingues*, inquit, *videt prius, macilentas posterius: mallem prius tenues, & postmodum pingues, omnis lans in fine canitur, sed multo facilius atque frequentius feruidam tepescere charitatem, quàm tepidam incalescere, atque incandescere.* deuorat macilentia pinguedinem, nec augescit, quin potiùs fœditas pulchritudinem exhaustam in sui deformitatem commutat: quia summa in eo raritas, & difficultas, vt post deturpationem vitij, splendor perfectionis elucescat. — 1671.

1672. Sed quoniam de flumine hoc Ægypti, Nilo scilicet, sermo incidit, audi pulchra verba Drogonis Host. *lib. de Sacram. Dom. Pass.* explicans ad rem nostram illud Prophetiæ: *in illa die sibilabit Dominus musca qua est in extremo fluminum Ægypti.* vbi ita. *Sibila Domine & huic musca immunda anima mea peccatrici: vt spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam, & vadam ad excelsam & montosam promissionis terram, qua de superioribus tuis irrigatur: non sicut terra Ægypti, quam fluuius de terra ebulliens totam cooperit: non enim est mons oppositus, non est aliquod obstaculum concupiscentiæ Ægypti: sed sicut terrena de mente ebulliunt, super detectam anima superficiem sine mora decurrunt.* quasi id eo delinquens anima de Ægypto potius, quàm aliunde vocetur, quia terra tota campestris, nullis potest repagulis inundantem fluuium impedire: sicut nec anima libidinum irruentes & obruentes vndas refrenare.

§. III.

Difficultas est, ex parte Dei, vomitus nauseatus: ex parte culpæ, ferocitas adulta: ex parte peccatoris, destiuati portus insaniens obliuio.

1673. EVsebius Gallicanus *homil. initio Quadrag.* ausus est hunc lapsum, irreuocabilem vocare: *qui minima*, inquit, *spernit, paulatim decidit. difficile est, vt non cadere in grauia permittatur, qui minus grauia non meretur: periculosus morbus est mala conscientia vsus, & irreuocabilis, ad deteriora, descensus. consuefaciendus est animus ad studia salutis: à fidelibus Christi, vsq; in finem exercenda militia, quibus æterna post finem corona paratur, & gloria.* nam ille ille altus, qui quandoque repentè cadit, nouitatem sceleris pertæsus, fortè resultet illico: qui verò paulatim, is familiaritate initâ venenum exhaurit sine stomachi commotione, leuioribus haustis assuetus. sed certè si non irreuocabilis ad deteriora descensus, certè difficillimus regressus: difficultatisque causam triplicem lubet declarare. Prima est ex parte Dei, quia semel

eiectum, tamquam vomitum nauseat, & perhorrescit. Secunda ex parte culpæ, quæ sic sibi relicta insolescit, vtque initio facilè posset opprimi, adulta iam ferociat in immensum. Tertia ex parte peccatoris, qui interim miseram destinati portus salutis subit obliuionem. Breuiter in duobus prioribus, diutiùs in tertia immorabimur: ex omnibus autem patebit cur anima in primo statim defectulo, ne in tot mala incidat, reuocetur in hoc versu.

1674. Venio ad primam. Iratus meritò Christus in quemdam: *Vtinam*, inquit, *frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*, Apocal. 3. num. 15. vbi omnes notant languentem virtutis teporem Christum ad vomitum incitare, quod tepida gustanti solet euenire. Sed altiùs hæret aqua. cur enim à Christo euomi, & non magis expelli, & eiici, dicitur peccator? ego puto terribiliores hîc intendi minas, vt arduus in posterum regressus timeatur, quàm duras inferri pœnas eiectionis: quasi non tam sit dolendum in misero eiici, quàm talem eiici, vt nullatenus reuocabilis, & comestibilis iterum videatur. Cassianus ibi apud Tilman. *Tanto*, inquit, *deteriores illis, qui nunquam ori dominico illati sunt, cibis: quanto id quod nausea compellente proiicimus, odibilius detestamur: quidquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, & salutiferâ suauitate percipitur: quod autem vitio semel perniciosi teporis est abiectum, non dicam labijs admouere, sed etiam eminus intueri, sine ingenti horrore non possumus.* Bene ergo non tam expelli dicitur peccator, quàm euomi: qui quod etiam aspectus Deo nauseam prouocet, irreuocabilis penè, diuinæ misericordiæ visceribus ingrediundis iudicatur.

1675. Sollicitus suadebat suis Moyses, vt virtutes fidelissimè custodirent, quo promissæ terræ benedictionibus fruerentur. deinde concludit: *Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam: cauete ergo ne & vos similiter euomat, cùm paria feceritis, sicut euomuit gentem quæ fuit ante vos*, Leuit. 18. à num. 27. Sed tantùm ne damnum à terra illâ expelli, in alia peregrinaturi certè tantùm: quia non simpliciter expelluntur, sed euomuntur: ne tam in aliâ peregrini, quàm à suâ, & ab ibi commotante Deo irreuocabiliter exules crederentur: quid enim recipi iterum sperarent, si vomitus instar abominabiles redderentur. fauet ibi Lyranus: *euomat, id est, ignominiosè & turpiter eyciat, tamquam abominabiles Deo, & hominibus.* Si abominabilis vomitus, qui reuocabilis? sanè vix vnquam aliquid iterum recipitur, quod exhorretur: ideo in Sixtianis vertitur: *vt non exhorreat vos terra.* exhorretur enim vomitus, nec aspici, vt dixerat Cassianus, etiam eminus sine horrore sustinetur.

1676. Propterea Sapiens ad Deum locutus huc alludens, sic habet: *illos enim antiquos habitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quia odibilia opera tibi faciebant*, &c. cap. 12. num. 3. necessariò enim horrorem commouerent, qui nauseato vomitu proiiciebantur. Hinc iterum Leuit. 20. num. 22. *ne & vos euomat terra.* ex Græco in Sixtianis legitur, *exhorrescat*, de quo ibidem adductus Isychius ita, *exhorrescat, hoc est enim euomere.* neque enim sine horrore tractatur vomitus: nec fastidiosior rei alicuius horror solet interuenire, quàm illius, quod nauseante vomitu expellimus. cùm ergo peccator, à diuinis visceribus euomatur, difficilem sortiatur regressum necesse est.

1677. Secunda, ex parte ipsius praui affectus insolentis oritur difficultas: qui ita de adulta ferocitate, in hostiles impetus excreuit, vt quem initio posses facilè, nullatenus decursu temporis vrgentem possis expellere: quemque irrideres priùs, postea reformides. loquebatur de illo mysticè Iob: *Tigris*, inquit, *perijt, eo quòd non haberet prædam*, cap. 4. n. 11. in Græco est μυρμηκολέων, *formicaleo.* bestia quidem, quam nulla mystarum notitia (quidquid velint aliqui interpretes) attingit: vnde enim imbellis formica in leonem exasperatur? nosti quid de dæmone ad hunc locum sentiant multi: audi quid ad rem meam de perturbantibus affectionibus sentiat D. Nilus ibi in cat. Græca: *Cùm inter dicendum*, inquit, *insidiantis perturbationis naturam vellet ostendere, compositi nominis rationem excogitauit: nomenque ex audacissimo leone, despicabilissimaque formica coagmentauit: irruentes enim perturbationes, à tenuioribus obiectis exorta, latenter formicarum instar obrepunt: confirmatarum iam, adeò immanis est superbia, vt non minus quàm leo, occursanti periculum inyciat. tunc igitur prælium cum perturbationibus aggredienti, opus est armis decernere.* Paulo aliter hic locus in libro ascetico legitur apud Nilum, vnde illum Olympiodorus catenator fuit mutuatus.

1678. Initio igitur debellandus leui ictu affectus, ne duro prælio, armis laboriosis, & fortasse incassum, postea egeamus. Pygmæi quidem sumus, neque rapaces affectuum vngues euitabimus, nisi contra illos, dum oua, dum pulli fuerint, sæuiamus: sic Plinius de his homuncionibus lib. 7. cap. 2. *Fama est insidentes arietum caprarumque dorsis, armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosque earum alitum* (gruum scilicet) *consumere ternis expeditionem eam mensibus confici: aliter futuris gregibus non resisti: casas eorum luto pennisque, & ouorum putaminibus confici.* pereunt pygmæi alitum incursibus, si pullos sinant plumescere, & adultâ grandescere ferocitate. Bene Tragicus in Hippol.

> ——— *quisquis in primo obstitit*
> *Repulitque amorem, tutus ac victor fuit.*
> *Qui blandiendo, dulce nutriuit malum:*
> *Serò recusat ferre quod subijt iugum.*

ad pios magis calculos hunc reduco.

1679. Quid enim aliud Dominus voluit quando dixit: *perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen*, Isai. 14. num. 22. vel, vt ex Græco vertunt Sixt. *& reliquias & semen*, quàm significare gratiam, qua homines (sicut in sponsâ vides) semina & oua, id est, tentationum & affectuum initia erant superaturi, quibus planè succumberent adultis? quid aliud voluit Dauid ad Babylonem cùm dixit Psal. 136. num. vltimo, *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* nisi ostendere implumes adhuc pullos debellandos, contra quos iam prouectos non sufficies? vtrumque locum suprà citatus Nilus rectè expendit in catena Græca: sed quoniam clarior est in ascetico, hinc cape. *Propheta*, inquit, *semen è Babylone delere iubet, id est, species ipsas, dum adhuc in sensibus sunt, abolere: ne in animi terram insidentes, coalescant & germinent, & ipsa meditatione quasi aquarum copia irrigatæ, multiplicem malitiæ fructum ferant. Alius autem Propheta beatos appellat, qui cupiditatum fœtus non excipiunt, sed obliuione statim natos interficiunt.* hæc satis de prioribus duabus difficultatis caussis: tertia iam vberiùs seorsim nobis declaranda.

§. IV.

§. IV.

Tertia prædictæ difficultatis cauſſa, de portus obliuione dilatatur.

1680. PRopero ad tertiam cauſſam, cur difficilis & penè irreuocabilis lapſus habeatur, nimirum quia deſtinati priùs portus obliuio obrepit: ſi enim ſemel voluptuoſæ culpæ portui appellimus, non ſolùm ibi libenter immoramur, ſed etiam virtutum bona, & perfectionis gloriam, quam ſcopum & portum propoſueramus, ita obliuiſcimur, ac ſi nec illis vnquam gauiſi, nec iſtâ eſſemus aliquando excitati: longioris interim nauigationis tædio afficimur, diuturniora pericula pertimemus, ne quantum ſit boni, quod turpiter amittimus, videamus. Sic de Troianis fœminis pulchrè Virgilius *lib.* 5. (quæ oblitæ deſtinatam Italiæ felicitatem, Siciliæ amoribus, quo fuerat iactata claſſis, tenebantur:) hoc ſcribit.

At procul in ſola ſecreta Troiades actâ
Amiſſum Anchiſem flebant, cunctæque profundum
Pontum aſpectabant flentes: heu tot vada feſſis
Et tantum ſupereſſe maris, vox omnibus vna,
Vrbem orant, tædet pelagi perferre laborem:

inde commotæ naues exurunt, Siciliæ addicuntur, proſperitatem fatorum ſibi promiſſam nil curantes. tunc fortiores alij,

Tranſcribunt vrbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.

prætereo ſocios Vlyſſis in portu & poculo Circes non ſolùm oblitos, ſed etiam incantatos: fabula quidem eò directa, vt tales nos in voluptuoſæ culpæ portu, à via perfectionis priſcæ portu aberrantes effigiaret. iam ad ſeria.

1681. Aberrat à perfectionis tramite protoparens, in vitiorum portu miſerè naufragaturus: tantumque abeſt, vt damna fugiat, opem diuinam homo aliàs ſapientiſſimus exoret, quin potiùs inquirentem ſe Medicum fugit. clamat iſte, *Adam vbi es?* Geneſ. 3. num. 10. at ille à facie Domini ſe abſconderat, *num.* 10. & vnde tam væcors perditio, tam peruicax væcordia? obliuiſcebatur iam quidem quæ perdiderat, ideo non tota anxietate remeat ad requirendum. Amiſerat homo amicum Deum, dominum ſuauiſſimum: amiſerat Deus dilectam creaturam, ſeruum iucundiſſimum: ſed iſte quærit, quia amans, ille amens, quod amiſiſſet non videbat. Hugo Victor. hîc apud Tilman. ita habet. *Heu! non eſt qui memor ſit amoris, qui charitatis recordetur,* &c. *quærit te Deus, vt tu ipſum inuenias, & quærit te, vt tu ipſum quæras, & dicas: Domine, vbi es? & tu ergo quid facis? non ipſe perdidit, tamen quærit: ſi perdidit, non totum perdidit, quia videt quod perdidit, non enim quæreres niſi videret. tu autem quid? Adam vbi es? totum perdidiſti, quia perdidiſti ne habeas, & videre deſiiſti, ne requiras.* Ecquæ maior miſeria, quàm ita amiſſi boni non recordari, ita affixi malo incantari, vt nec etiam amiſiſſe videamus?

1682. Adhæſit patri moribus magis, quàm ſanguine, ideo poſt culpam increpatus à Deo reſpondet, *Ecce eijcis me hodie a facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra,* Geneſ. 4. n. 14. & cur fugias, cur vageris hominum perditiſſime? cur non manes, inſiſtis, oras, ſi fortè exores? planè hoc ſolùm non eſt oblitus, quod cognouit paulo pòſt fore, vt diuinæ amicitiæ gloriam, perfectionis conatus obliuiſceretur, oblituſque ſine redeundi memoriâ vagaretur. idem Hugo ibi: *Vagus, inquit, & profugus in terra homo propter peccatum ſuum à facie Domini proiectus, ab intimâ contemplationis ſuæ luce, foras venit, eo quòd profundius ad terrena deſideria mentem inclinat: quo magis ſuperiorum dulcedinem, quorum iam guſtum perdidit, incipit obliuiſci: ſicque fit vagus & profugus ſuper terram: vagus ſcilicet per inordinatam concupiſcentiam, profugus per peccatricem conſcientiam.* quaſi etiam ipſe terror, illa confuſio quo peccatrix anima odit lucem, Deum fugit, obliuionis pocula illi propinet, vt tanti boni quærendi ſtimulis non vlteriùs impellatur.

1683. Sed quæ non ſtatim huius obliuionis ſigna expreſſit Cain? amiſſo cœlo, diuina familiaritate amiſſâ, neque id dolens; tamquam quid magnum timet humana mala, & mortem temporalem perhorreſcit. hanc impeditam volebat cùm precatur: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me,* ibidem. quaſi dicat: Ah ne fiat, ne vitâ hac ſpoliet iucundiſſima, & quanto iucundior vita illa animæ? cur hanc non ſentit amiſſam? abſque dubio immediatè poſt culpam, illius iucunditatem fuerat oblitus: obruit culpa, quaſi Lethæo flumine ſuperinfuſo peccatoris mentem, vt nec etiam pro illa rogare recordaretur. huc facit Bernardus in declamat. ad finem ad hunc locum: *Oblitus, inquit, eſt conſolationis maximæ, pro qua multo ſtudioſius ſupplicare, & remedium quærere oportebat.* quomodo ergo, qui rem perditam obliuiſcitur, hanc exigat. integra verba Bernardi ad rem aliam dedi ſuprà n. 578. vide.

1684. Paulum id diſcedit, *& habitauit*, inquit textus, *ad orientalem partem Edem*, num. 16. quæ vox, vt eodem num. 578. citato probaui ex Chryſologo, locum deſignat hilarem, & voluptuoſum. hanc, inquis, ad tantam miſeriam redactus, adhuc voluptuosè degere procurat? quid faceret? oblitus boni præteriti, & ſolidæ de diuina familiaritate perceptæ voluptatis, mala ſua non ſentiebat: ideo terrena vngitur voluptate, quia cæleſtia memoriâ non pungitur. Chryſologus ibi citatus, ſic dictis ſubdit: *Hinc eſt quòd homo dum mortem ſuam non ſentit, nullam ſollicitudinem ſui gerit: ſicque breui dum negligit, ad illos dolores pertrahitur, quos præ ſui magnitudine diſſimulare non patiamur.* & quidem ita eſt: vſus culpæ facit, ne mors in culpa deliteſcens ſentiatur, & ſuæ quiſque ſalutis debitam curam, quodammodo in deſperatione poſitus obliuiſcatur.

1685. Nemo neſcit, id ſibi voluiſſe Prophetam, cùm dixit: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit,* Prouerb. 18. num. 3. Sed profundum mihi myſterium, & occulta comparatio latet in hoc profundo. Quemadmodum enim iactata nauis, & procellis vndique ingruentibus in profundo pelagi agitata, illud peius patitur, quod ſinguli miniſtrorum ipſam obliti, mercium deſpectores, ſe quiſque curat, priuato tantùm conſulens negotio: nec pueri nautis, nec nautæ Nauarchis, neque Nauarchi parens ducibus: ſed ſumma in confuſione omnia turbantes deperduntur: ſic anima cùm in profundum venerit pelagus vitiorum, ſæuam potentiarum patitur diſcordiam, ſolùm concordantium in priuatis vniuſcuiuſque libidinibus exequendis, contempto rationis imperio, & gubernaculo. rem innuit D. Cæſarius Arelat. homil. 13. *Cùm in pelago*, inquit, *mundi innumerabilibus fluctibus fatigemur, ad expetendum portum pœnitentiæ, poſt longa nos temporum ſpatia reſeruamus, non intelligentes quòd de multitudine peccatorum deſperatio naſcitur: ex deſperatione verò abſque vlla reuerentia fræna peccatorum laxantur, & impletur illud, quod ſcriptum eſt.*

impius

impius cùm in profundum, &c. laxant (synderesi spretâ) frena potentiæ neque imperantis rationis vocibus iam parere volunt. tedeo.

1686. Facit hoc illud Dauidis: *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius*, Psalm. 9. num. 26. bene enim pollutæ illius viæ inquinantur, qui iudicium vltimum & tremendum, ante faciem suam non proponit. Sed vnde, inquis, tantum damnum, vt à iudicij conspectu amoueatur peccator, quo deserta virtutis viâ, (cui insistens, scopum sibi salutis proponebat) inquinatam viam miser aggrederetur? quia quot se vitiis magis implicat, tot ictibus memoriam iudicij contrucidat, vt in altâ caliginosæ obliuionis nocte, destinati sibi portus penitus non meminerit. D. Cæsar. homil. 19. *Habet*, inquit, *hoc infelix consuetudo peccandi, vt quantum amplius vnusquisque peccauerit, tantum minus peccata ipsa intelligat. Veniet illud quod Propheta peccatoribus clamat, Non est Deus, &c. etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio.* quî ergo ad pium Dei redeat timorem, qui timoris causam Infaustus obliuiscitur?

1687. Capies nunc illud Baruch: *Quid est Israel quòd in terra inimicorum es? inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis*, cap. 3. num. 11. quasi illud mirum, non quòd iustus apud hostiles vitiorum phalanges esset, sed quòd ibi sic miserè inueterasset, vt instar mortui, iam vitalem prisca felicitatis patriam non suspirasset. Atqui mihi, ex dictis, neque hoc mirum, quomodo enim patriæ anhelaret, qui nihil in captiuitate prius habuit, quàm patriæ memoriam deponere, & priscam penitus dulcedinem obliuisci? maius est sic in hac obliuione inueterasse, vt in eadem, tamquam in iucundissima patria conquiesceret. Auctor Cautic. sine titulo, ad hunc locum apud Tilm. *Terra*, inquit, *nostra est, memoria creatoris nostri, in qua dignis moribus conuersando, semina fidei, & castitatis sollicitè seruamus, & ex ea fructum contemplationis diuinæ, & æternæ beatitudinis metimus. aliena verò terra, qua inimicorum dicitur, obliuio Dei est, qua diuina postponimus mandata, ab illâ superna patria regione captiuos abducit, & æternorum bonorum penuria miserabiliter supponit.* Sed adhuc seorsim obliuionis huius effectus miseri breuiter declarandi: vt inde regressus, difficilior cognoscatur.

§. V.

Obliuionis huius effectus duplex: cæcitas, ne sui exilium: surditas, ne vocantis auxilium percipiat.

1688. Lubet huius obliuionis effectum duplicem explicare, vt clarius peccatoris sub hâc iacentis irreuocabilis gressus cognoscatur; indeque apertè videas, cur sponsa (quod tot dictis intendo) ne in illam incidat, à leui primo lapsu retrahatur. alter ergo est cæcitas, ne miser exilium suum nouerit, de quo obiter in hac notatione diximus pluscula: surditas alter, ne vocationis, si fortè auxilium percipiat. de primo Euseb. Gallicanus homil. ad Pleb. obtrect. *Vt ergo*, inquit, *non intelligamus mala nostra, vsus agit malorum: habet hoc infelix consuetudo peccandi, vt quanto amplius quisque deliquerit, tanto minus delicta ipsa cognoscat: suffundunt enim mentis intuitum tenebra delictorum: ac sic peccantem plus peccare delectat, quia de negligentia subtrahitur verecundia, & pudoris casta reuerentia, & de luxuriâ crescit illecebra.* cæcant quidem hæ tenebræ mentem, & sic excæcant, vt inter exilij pericula, tamquam in securitate conquiescant.

1689. In spem certissimam erigendus Abraham audit à Domino: *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram, & possideres eam*, Genes. 5. num. 7. terram scilicet, quam id temporis impij Amorrhæi possidebant, n. 16. at cur terra illa optima seu ad glebæ pinguedinem, seu ad temperiem aëris, seu ad cœli influentiam respicias, genti pessimæ interim concedebatur? cur tantum sub dominio aut iniquissimi, vt Amorrhæi, aut iustissimi generis, vt Abrahamici, permansura, maximè eùm ea esset, quæ animæ securam serenitatem, & serenam tranquillitatem denotaret? certè, propterea. grauiter Ricardus Victor. ibi apud Godefr. *Promissionis*, inquit, *terra, conscientia secura: meritò terra talis Chananæis, qui pessimi omnium erant, aufertur, & Iudæis, qui tunc temporis erant optimi, confertur. hæc enim terra, aut valdè bonorum, aut valdè malorum est: profectò securitatem conscientiæ, non valent, aut solent, nisi aut valde boni, aut valde mali habere*, &c. nam *impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit: denique perfecta charitas, foras mittit timorem.* quid ergo cæcus exilij damna sentiat, qui sic impiè securus conquiescit? aut quæ cæcitas caliginosior excogitetur, quàm hæc in profundo malorum obliuiosa securitas?

1690. Mirantur plures, delitias quibus patet prodigum suum excepit redeuntem, & mirantur meritò; sed ego crederem tot diuinæ bonitatis ostentamenta ideo impendi, quia non poterat monstrosa, vt ita dicam, Partis diuini charitas in illum filium exhiberi, qui monstroso tenore sic resipuit. Abierat ille in regionem longinquam, inueterauerat in terra inimicorum, in patris obliuione profunda, vt suprà diximus: stupendum ergo mirum, non ita ibi excæcatum, vt exilij damna non videret: mirum lapsus sui intelligere & fateri calamitatem: noscere quod patitur, vt quod amiserat, recognosceret. *Surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum*, Luc. 15. n. 18. vbi Chrysol. serm. 2. *Iacebat*, inquit, *qui dixit, surgam: intellexit lapsum, sensit ruinam: iacere se turpis ruina respexit in lubrico.* quî ergo non exciperetur festiuè, qui felix ad pottentum sic fœculentæ haræ cæcus non adhæsit? & bene *in lubrico*: quia adhuc haberet quò descenderet: præcipitandus absque dubio, si aut obliuisceretur amissa bona, aut miserias admissas nô videret. Prudenter Seneca Epist. 6. *& hoc ipsum*, inquit, *argumentum est in melius translati animi, quòd vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. quibusdam ægris gratulatio fit, cùm seipsos ægros esse senserunt.* sed de peccatorum cæcitate tam fusè suprà dixi ad caput primum.

1691. Venio ad surditatem, qua iam vocantis Dei inspirationes læsus capit, non percipit. De seruo, quem aliàs dominus volebat & debebat manumittere, libertati renuntiante, sic Deus præcipit: *Si autem dicat, Nolo egredi, eo quòd diligat te, & domum tuam, & benè sibi apud te esse sentiat: assumes subulam & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum*, Deuter. 15. num. 16. erat iste figura captessa illius, qui acquiescens culpis, in vitiorum captiuitate lubens perseuerat, & oblatam sibi à virtute respuit libertatem; sed cur illi perpetuæ captiuitati denotandæ, per summam contumeliam vultus non inuritur? cur facies protetua stigmate non insignitur? cur effrontí fronti ortæ

ne

non inscribuntur, quibus miserè litteratus, vecors legeretur? vt qui se perpetuo voluit dominio, imò tyrannidi subiicere vitiorum, in aure potius, quàm alibi læsus intelligatur, quasi instrumento auditus vitiato, non vltra diuinæ libertatis audeat percipere inspirationes. Philo lib. 2. allegor. *Non satis est*, inquit *ipsum suopte damnari testimonio: quin & Dei percellitur sententiâ, iussus certam æternamque seruitutem sustinere: aure perforata insuper, ne sermones virtutis percipiat, vtque in perpetuum, intellectui sensibusque seruiat, malis dominis & inclementibus.* mala quidem sensualitatis dominatio quæ serpens sibilat horribilis, aures obsurdat, ne spiritus delicatissimi sibilos percipiat. iusta Domini sententia quæ aures lædit, libertatem oblatam vltrò respuentium.

1692\. Animi illi, quibus Petrus percussit Pontificis seruum, iam tunc triumphum Ecclesiæ de Synagoga reportandum præsagiebant: iam tunc noui Sacerdotij Pontifex destinatus, veteris pontificij ministros condemnabat. Age dum Petre, feri truncа perfidiæ caput, qui caput iam Ecclesiæ designaris; sed ille longè aliter: *Simon ergo Petrus*, inquit textus, *habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram*, Ioan. 18. num. 10. bene Theophil. in catena: *Caesa*, inquit, *auris dextra serui principis Sacerdotum, signum erat surditatis eorum, quæ præcipuè in principibus Sacerdotum inoleuerat.* ne mutilato instrumento voces perciperent, qui in profundum barathrum sponte deuenerunt. phantasticus nimirum est in his auditûs apparatus, hypocrisim dissimulatam iusta Petri districtio abhorrebat. Acutè Ambros. *Docuit*, inquit, *quòd aurem habere in specie non deberent, quam in mysterio non habebant.* nullam supremus Inquisitor noster aptiorem pœnam perfidæ Synagogæ poterat irrogare.

1693\. Has Synagogæ aures clausas & surdas innuebat Isaias 6. *num* 10. ad Deum locutus: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* iusta enim obstinatæ de obliuione malitiæ pœna, hinc caligare, inde obsurdescere: de quo Tertull. in Apolog. cap. 21. *Duobus enim*, inquit, *aduentibus eius significatis, qui iam expunctus est in humilitate conditionis humanæ: secundò, qui concludendo sæculo imminet in sublimitate diuinitatis exertæ: primum non intelligendo, secundum quem manifestius prædicatum sperant vnum existimauerunt: ne enim intelligerent pristinum, credituri si intellexissent, & consecuturi salutem, si credidissent, meritum suis delictorum: ipsi legunt ita scriptum, multatos se sapientiâ, & intelligentia, & oculorum fruge.* itaque lamentabilior horum status, quàm illorum qui noluerunt intelligere, vt bene agerent, & quàm illorum, qui instar aspidum, aures suas vt obsurdescerent, obturarunt: quia possunt aures intelligendo applicare alij, alij admotam ab auribus caudam explicare: hi verò, qui etsi vellent perfuratas, abscissas, & aggrauatas aures quodammodo non possunt adhibere, duriori longè obturatione implicantur.

§. VI.

Pœnitentis citissimum, & certissimum remedium, cuius clamoribus Deus conclamat, dulcem pristinæ iræ facturus pœnitentiam.

1694\. QVæ hucusque in hoc versiculo dixi, caussam habent, cur sponsa tam breui, à leui perturbationis defectu tolleretur: quòd si in illo animam grauiter delinquentem vocari velis, moueri que, vt per pœnitentiam iterum reuertatur: nota quàm facile illi remedium proponatur, nimirum vt quæ auersa fugiebat, reuerteretur conuersa: est enim hoc nobilissimum pœnitentiæ encomium, vt citissimum & certissimum remedium præbeat peccatori. & quid mirum, si Deus peccatoris clamoribus conclamat: si dulcem ipse præ charitate, pristinæ iræ videtur agere pœnitentiam? singula iam illustro. Excusabis hinc verba illa Iacob ad fratrem Esau: *Vidi*, inquit, *faciem tuam, sicut viderim vultum Dei*, Genes. 33. num. 10. de quibus Alcuinus quæst. 242. *Verùm pauentis*, inquit, *& perturbantis animi verba, vsque in hanc adulationem proruperunt*: absit: nam reuerâ cordata fuerunt verba, & pro rerum circunstantiis prudentissima. timebat fratrem ingenio asperum, insuper iniuriâ, vt putabat, subiratum: inuenit mitem & collachrymantem. *currens itaque Esau*, addit textus, *obuiam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum eius, & osculatus fleuit*, num. 4. in Græco, *& fleuerunt vtrique.* tunc aptè ratiocinatus, prorupit in illam vocem Iacob: ac si diceret, qui miseri affectus miseratur; cui supplicantis lachrimæ lachrimas extorquent; qui dum iram poterat, misericordiam administrat: is iam Deum induit, & vultu illum exprimit, quem moribus imprimit. bene Alcuinus citatus: *Hæc verba*, inquit, *fraterna sunt, & benigno animo dicta, quoniam post benignam susceptionem metus ipse transierat.* dum benignè exceptus, quem durum trepidabat hostem, hospitem blandum experitur, & vbi timebat scopulum, portum inuenit: non potest Dei instar non imaginari. Sic Dei proprium affectibus, supplicantis affectus compensare, sic nobis tutum eiusdem semper veniam sperare.

1695\. Facit huc mirè vltima illa sententia contra impœnitentes peccatores distringenda: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. 25. num. 41. ac si nunquam ex mente Dei ignis ille hominibus pararetur. & cur ita? quia facile per pœnitentiam poterat euitari. Quærit Tullius alicubi, cur in parricidas nulla pœna apud veteres pararetur? & respondet nunquam illis persuasum, eò vsque sceleris aliquem peruenturum, vt vitæ suæ principio vitam eriperet. pari modo non paratur ignis hominibus, quasi ex se non esset credibile, vt hi in tantam miseriam deuenirent, vt facilè pœnitentiæ subsidium spernerent: paratur verò dæmonibus, quibus denegare auxilia statuebat Deus, ne vltra pœniteret illos commissi sceleris. Pulchrè Iubius Monachus sæpe citatus suprà, ad hunc locum: *Idcirco*, inquit, *ignem diabolo eiusque angelis, non autem hominibus præparatum scribitur: quoniam in nobis non inopinata fit à malo in melius mutatio, cùm illi confirmata sua voluntate, nullam de se spem reliquam fecerint.* imò quodammodo inopinata homines rapit finalis impœnitentia: qui si voluissent, non in alienum ignem, sed in destinatam gloriam transirent.

1696\. Prodegerat non tam aurum, quàm animam adolescens ille parabolicus, id est, diuitias magis patris, quàm suas profuderat insanus, & tamen cùm sanari optat, exclamat: *Surgam, & ibo ad patrem meum*, Luc. 15. num. 18. ad quem Chrysologus serm. 1. *Qua spe? qua fiducia? qua confidentia?* & meritò dubitat; quomodo enim quem offenderat non timebat? quomodo quem (si fas dicere) reduxerat ad paupertatem, paupertatis suæ consolatorem sperabat?

sperabat? sed respondet optimè: *quæ spe? illa quæ pater est: ego perdidi quod erat filij, ille quod erat patris non amisit. apud patrem non intercedit extraneus: intus in patris pectore, ipse qui interuenit, exorat affectus*, orat affectus, & exorat veniæ effectum: quippe non esset paterni cordis, si quem è barathro vocarat, iam emergentem luci, à venia seuocaret: si dum impellit ad pœnitentiam, volentem pœnitentiæ adpellere, propelleret: ad primum quippe filij clamorem, tota paterna viscera conclamarunt; crederemque patris nomen, quod prodigus longè adhuc expresserat, plenam patris pietatem expressisse.

1697. Peccatorum grauatus pondere, clamaturus ad Christum describitur homo *Isai.15. num.3.* & iterum num.4. *Super hoc expediti Moab vlulabunt, & anima eius vlulabit sibi*. Quid ad hæc Christus? statim subdit: *cor meum ad Moab clamabit*, num.5. nonne satis erat, si vlulatibus Moab, siue peccatoris responderet? certè diuinis illis visceribus, non satis: clamantia quodammodo vlulant, quia peccator vlulans clamabat: clamat affectus patris, filio indulgentiam, vt non oret tantummodo, sed exoret. Ailredus ibi apud Godefr. *Gratias*, inquit, *tibi Iesu bone: verè miserationes tuæ super omnia opera tua: cùm propter Deum cor hominis conteritur, mox cor Dei ad ipsum conuertitur*, &c. *Moab vlulat in pœnitentia, Christus clamat in misericordia: Moab vlulat confitendo, Christus clamat remittendo. Respondet itaque clamor vlulatui, affectus affectui, misericordia misero, Medicus ægro laboranti, & dolenti compassio*. Sic certa, sic cita venia pœnitenti.

1698. Sed non caret mysterio versio LXX. qui vbi nos legimus de Deo, *cor meum ad Moab clamabit*, legunt: ἡ καρδία τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ ἐν αὐτῇ. *cor Moabitidis clamat in ipsa*. quasi pœnitentis cor, ita iam cordi diuino adglutinetur, vt alterum pro altero ponatur: sitque idem clamare cor in filio, quàm paternum cor etiam commoueri. & notandum non dixisse, *cor Moab*, sed in terminatione fœminina, *cor Moabitidis*: solent enim lachrymæ, & suspiria fœminæ audiri citiùs, & de fragilitate mouere efficaciùs, teneriùs persuadere, & apud Deum clamores pœnitentis, instar tenellæ filiæ habentur: ideo certus ad veniam, citus ad salutem, neque nouit tarda molimina in condonando. Sunt elegantia verba illa Gilberti serm. 33. de Magdalena: *Non est sera*, inquit, *gratia Christi: in ipso conuiuio quo mulier hæc Domini pedes rigauit, tersit, & perunxit, & lota, & extersa, & peruncta est. non est enim parca clementia Christi, nec pigra quidem: plus rependit, & in horam rependit*. & pende antithesim rerum magis, quàm verborum: inuicem operatur Christus & Maria, quasi eisdem affectibus, vtriusque corda induerentur: vt illa ideo daret accipiendo, quod Christus dando accipere videretur.

1699. Et quid aliud fuit vox illa Patris prædictum prodigum excipientis: *citò proferte stolam primam, & induite illum*, num. 22. nisi quòd qui pariter tolerauerat peccata, iam pœnitentis clamorem & nuditatem ferre non poterat: ac si iam in nudo, ipse pietatis affectu, nudus pateretur. Fauet in partem Chrysol. ad rem aliam suprà datus, serm.5. *Sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem*. & benè addit *citò*, quia, vt ibidem Chrysologus, *tardam misericordiam pater nescit*. equidem nescit, qui primo statim clamore, commouetur: ideo paulo antè dicitur: *vidit eum longè, & misericordiâ motus est*: vt non magis miseriâ prodigus, quàm pater misericordiâ commotus intelligatur. Iterum S. Doctor; *Mouetur*, inquit, *misericordiâ, qui loco non potest dimoueri: accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu*. felix clamor, dulcis affectus, qui æternam emolliuit soliditatem.

1700. Sed quid mirum clamores hominum, non cœli solùm, sed diuini etiam fores pectoris perfringant: quandoquidem licèt aliàs adamantinæ, ita pœnitentiæ vocibus redduntur cereæ, vt etiam bestiarum clamore pœnitentiam imitantium moueantur. Pende voces & vota Regis Niniuitæ: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine*, Ionæ 3. num. 7. & quorsum bestiarum clamores? certè vtiles, quia pœnitentiæ saccis operiebantur. Vidistin' hominem deperditè aliquid amantem, qui non solùm rem, sed etiam leues eius vmbras deperit? sic etiam Deus non solùm veram hominum pœnitentiam, sed etiam illam in bestiis vmbratilem adamauit, vt illarum clamore visus etiam moueri: ideo ad Ionam: *Ego*, inquit, *non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa?* cap.4. num. 11. En tibi iam Deo cura est de bobus, solùm quia pœnitentiæ velo conteguntur. Eusebius Gallic. homil. de pœnit. Niniuit. *Inter fideles*, inquit, *quisque non dubitet, hostias precum, holocausta votorum, sacrificia lachrymarum ad diuinum familiariter ascendere posse conspectum; ecce ad aurem Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt quidem, dum fidei hominum militant, cœlum cum supplicatione hominum penetrarunt*. Sic auidæ, sic arrectæ diuinæ aures his clamoribus, vt citum certum auferant auxilium.

1701. Sed quidem si verbum Dei efficax est, & omni gladio ancipiti penetrabilius, isi nunquam ad Dei sedem, vnde remittitur, vacuum redire consueuit, vt concinunt Scripturæ: certum est post illas minas: *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, cap.3. num.4. iam prodire è cœlo pœnas, instare iam supplicia, excidia gentis & vrbis imminere: sed pœnitentiam agunt, & veniam citò consequuntur. Ecquid ergo, inquis, factum de pœnis illis iam volantibus, de delapso penè excidio? retorquentur à pœnitentia, quæ instar rupis non solùm nouit fluctus iræ tumidos verberantesque, reddere in spumas: sed eisdem met percutiens mare, quodammodo repercutere. Pulchrè idem Gallicanus homil. initio Quadrages. *Ira Dei*, inquit, *superimminentis suspenderunt ruinam, & paruuli ac pecora pariter abstinentes, egressam à Domino plagam, atque sententiam iam cadentem, vt sic dixerim, retorserunt*. non vacuum ergo verbum, quia pœnas expediuit: sed potens pœnitentia, quæ retorsit immissas.

1702. Et acutè planè ait sanctus Doctor, *retorserunt*, id est, percutientem iam Deum quodammodo repercusserunt: quoniam non tam acris Dei vindicta in peccatores, quàm, (eo iam pœnitente) acris amor, affectus vulnerans, quo ipse Deus ad veniam sollicitatur, & si fas est dicere, habitæ iræ, (sicut peccator culpæ præteritæ) mordetur pœnitentiâ. mentiar ni hoc voluerit ipse Ionas cùm dixit: *Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia*, cap.4. num.2. pro vltimis verbis legit D. Hieron. *& agens pœnitentiam super malitijs*. quasi iam doleat mansuetus, quòd pœnas iratus intendisset. Enarrabat Propheta pœnas quibus populus afflictus, & sub-

dit,

dit, & vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum, & memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ, Pſalm. 105. num. 44. vbi bene Lyranus: *Ad modum*, inquit, *pœnitentis ſe habuit, quando quos captiuauerat, de captiuitate reduxit.* Proh ſuauiſſimam rationem pœnitendo!

1703. Peccat Dauid, & vix audit increpantem Prophetam, cùm exactè pœnitens reſpondet: *peccaui Domino*, 2. Reg. 12. num. 15. cui ſtatim Nathan. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, ibidem. & cur, quæſo, non auferri dicitur peccatum, ſed transferri? putarem ſignificari, quòd licèt culpa omnino à pœnitente Rege tolleretur, pœnam tamen ad Deum magis fuiſſe tranſlatam: neque enim tam miſeri peccatoris contritione cor compunctum, quàm miſerantis Dei cor, ad indulgendum amore pungebatur. Sic ad illud Deuter. 32. num. 5. *peccauerunt ei, & non filij eius.* ſcribit Cantuarienſis apud Godefr. *Peccat quis Deo, per curam: quia qui peccat, curæ Deo ſe ſubdit, quia ab eo ſalutem ſperat.* bene ergo Dauid: qui *peccauit Domino*, in Dominum videtur peccatum tranſtuliſſe, qui Domino peccati ſui curam remiſit, quaſi de irâ priſtina pœnitenti. vnde hac re locutus Eccleſiaſticus: *Dominus*, inquit, *purgauit peccatum ipſius.* ac ſi amor ille pungens, & ſollicitans cura cor diuinum, medicina foret acria, & mordax quoddam rheubarbarum, ex quo & per quod humani cordis morbi purgarentur.

§. VII.

Deus pœnitentiam noſtràm ambit gemens, rogans, ſperans: hanc vt obtineat, furti, delicti, infelicitatis piam ſubit notam: iam voti compos, rubore pœnitentis tamquam purpurâ comitur: & vnde affectus tantus.

1704. SEd nota mihi qua anxietate, non ſemel, neque iterum, ſed quater ad pœnitentiam anima reuocetur: non poterant clariùs amantis Domini deſideria declarari, qui pœnitentiæ noſtræ ob nimiam charitatem cupidiſſimus: hanc ambit ſollicitus, gemit ſuſpirans, anxius rogat, ſedulus ſperat: hanc vt à nobis impetret, furti modeſti, religioſi delicti, glorioſæ infelicitatis notam piam non reſpuit ſubire. iam voti compos, verecundum confuſionis, & confeſſionis noſtræ ruborem, aſſumit incomptum, quo indutus tamquam amœniori purpurâ ſplendeſcit. Quæris affectus tanti cauſam? vno verbo: inſitum amoris pondus, quo in creaturam fertur creator ſuam. Adhuc plura de prodigo dicenda. attende.

1705. Veniebat miſer adoleſcens ad Patrem: *cùm autem*, inquit textus, *adhuc longè eſſet, vidit illum pater ſuus, & accurrens cecidit ſuper collum eius*, Luc. 15. num. 20. & cur primus videt? cur viſum è longè venientem agnoſcit illico? deſiderium abſentis filij reſtabatur mater Tobiæ, dum in ſupercilio montis ſedet verſùs viam vnde venturum ſibi ſolatium ſperabat, *Tob* 11. *n.* 5. ſic inſtar huius amiſſum filium Deus ſuſpirabat, & viæ qua veniret totus intendebat: ideo accurrens adſtringit, id eſt, currens celeri gradu, amplexatur, quia ambitioſior ille dandæ, quàm filius accipiendæ veniæ perſiſtebat. Maius eſt, quod pulchrè hîc habet VVerricus *Pintus in Cantica*, apud Godefr. *Quantum*, inquit, *hæc verba ſonare videntur, tardius videbatur patri veniam dediſſe filio, quàm illi accepiſſe: ſic feſtinabat abſoluere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciaret miſeri cordem compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum paſſio ſui. neque hoc dicimus quod in naturâ incommutabili humanos ponamus affectus: ſed vt in amorem illius ſummæ bonitatis noſter dulceſcat affectus, dum ipſam plus nos amare, quàm nos ipſi amemus, ex ſimilitudine diſcimus humana.* quæ poterat affectuoſior ambitio excogitari.

1706. Sed quidni faciat iuſtificans, qui tam fuerat vocans, ambitioſus. gratiæ auxilia, vocauit Salomon odores pretioſos: *trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, Cant. 1. num. 3. tu nunc mihi pende iuuenem in hara ſedentem, & inter lutoſas fœditates porcis conuiuentem, *Luc.* 15. *n.* 15. ibique vocatum: non vnguenta gratiæ inter porcos effuſa, admiraberis? en Deus qui thymiama ſuum & vnguenta ſacra, iam ſedulò ab humano vſu interdicebat: iam iuuenem cum porcis cœno volutatum, odoribus vnguentorum ſuorum reſpergit ſuauiſſimè, Gilber. ſerm. 33. *Filius*, inquit, *ille iunior in ſe reuerſus, vnguenti huius vberem copiam odoratus eſt in parte de regione longinqua, & inter greges porcorum patris eius cœpit fragrare clementia: ideo attractus eſt, & currere cœpit ad patrem in odorem vnguentorum eius.* quàm ambitioſa profuſio inter porcos vnguenta fundere, odores inſtillare!

1707. Peccatorum conuerſionem graphicè deſcripturus Eſaias, ſic habet, *& erit, in illa die ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti*, cap. 7. num. 19. ſibilat quidem vocans per vnguentorum gratiæ refuſionem, & vbi illud Salomonis: *muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*, Eccleſ. 10. n. 1. quorſum vnguenti ſacri perditio tanta? neſcit ſe continere, imò nec præ amore poteſt, cupiditas diuina. & licèt vnguenta ſua, id eſt, vocationes, & ſufficientia auxilia inter peccatorum muſcas videat perire: vocat tamen, ſibilat, inuitat. Bellè Drogo lib. de ſacr. Dom. Paſſ. *Sic*, inquit, *Maria Magdalena ſibilaſti, de qua non vnum, ſed ſeptem Ægypti flumina eieciſti.* reſpondet Magdalena tunc, & ita reſpondet muſca olim perdens vnguentum, vt & ipſa reddatur vnguentaria, & offerat alabaſtrum vnguenti, *Ioan.* 12. *num.* 4. quo Chriſtus ideo mirificè recreatur. quia iam illa pura conſiſtebat. Idem Drogo poſt multa: *Videres*, inquit, *effuſa vnctionis ſuauitate totam domum repleri: quid igitur, niſi in torrentibus vallis requieſcebat*, Iſai. ibidem n. 20. *de qua tot & tanta gratiæ torrentes effluebant.*

1708. Patet huius ambitionis apex, quòd bonum opus in illum operatam Mariam teſtatur Chriſtus *Matth.* 26. *num.* 10. cùm tamen omnia bona ex hoc opere, mulier ipſa ſibi compararet, quia ambitio pœnitentiæ noſtræ Deum vrget, vt ſibimet neceſſaria putet, quæ nobis proſunt. Querulo fratri ſeniori de conuiuio prodigum excipiente, reſpondet Pater: *epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Ecquem feſta peragere oportebat, patrem, an natum? non exprimitur. certè, quia vtrumque, aut vtrumuis velis, perinde erat: non magis gauiſus filius acceptâ veniâ, quàm datâ pater: huius intererat etiam parare conuiuium, qui in comparato pœnitente, anxiam ſuam expleuerat cupiditatem: oportebat illum filio indulgere, ne iterum abiret, quia ſine illo gemens angebatur. Gilbert. citatus: *Vide*, inquit, *facilem, vide profluuiam Domini Ieſu gratiam, cum pœnitente filio oportet eum gaudere,*

& epulari, hæc de ambitione, de qua suprà plures paginas dedi: nunc pressiùs eius gemitus, preces, & spem anxiam videamus.

1709. Huc facit vox illa Christi Domini, Psalm. 101. num. 6. *a voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.* alij legunt in plurali, sed eodem sensu: *adhæserunt ossa mea carni meæ.* Nemo nescit ex doctrina Patrum, maximè Augustini, in corpore Christi mystico ossa vocari robustiores animas, carnis verò nomine robustiores alias venire: adhærent ergo iusti & sancti fragilibus, vt eos saluent, & ad pœnitentiam inducant. Ast vnde ad immensi laboris opus commouentur? an ab eorumdem pœnitentium gemitu & suspiriis? certè non ita: ab ipso Christi gemitu attrahuntur, & ab huius votis ambitiosè suspirantibus, fragilium pœnitentiæ anhelant procurandæ: ita perpetuus Augustini discipulus D. Prosper Aquitan. ad hunc locum, quem sic ex ore Christi dilatat: *à voce gemitus mei, non à voce gemitus eorum, de quibus gemo, quòd non rectè gemunt. quòd carnalia cupiunt, quòd temporalia concupiscunt. Sed quia non desunt validiora membra, quæ curam habeant infirmorum, nec affectu capitis discrepent: voce gemitus mei erudiuntur ossa, id est, fortiora corporis, vt adhæreant carni meæ, id est, infirmioribus meis: secundum quod scriptum est*, Rom. 5. *Debemus nos firmi, infirmitatem infirmorum portare.* Ecquis non sudet pro animarum salute, dum ambitiosa Christi suspiriis incitatur?

1710. Parum erat gemere, ni etiam in preces fusus, pœnitentiam nos rogaret ambitiosior. Quid enim aliud est est illud Ecclesiastici 30. num. 24. *miserere animæ tuæ placens Deo, & contine.* quid, inquam, hoc est, nisi quòd Deus profunditur in preces, nos ipsos pro nobis rogans? Saluianus lib. 3. ad Ecclas. Cathol. *Vide*, inquit, *pietatem erga nos Domini nostri: vide quàm misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat: miserere, inquit, animæ tuæ. hoc est dicere: miserere etiam illius, cuius vides miseratione me frangi: miserere illius tandem, cuius misereor ego semper.* Heu qualem duritiem nostram! Deus pro nobis frangitur cupidus, & nos stupidi non disrumpimur. Sed de diuinis fusis ad nos precibus, vbi de amotis ambitione, & item vbi de incantato piè Domino scripsi plura. Vide iam quàm auidè nos reuertentes speret Dominus.

1711. Dormiebat Iacob corpore, cuius interim mens altissima contemplatione vigilabat: aperitur illi cœlum: *viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Genes. 28. num. 12. & quorsum, inquis, cui orbis totus innititur, innixus nunc cernitur scalæ? cur is, cui angusta domus cœlum, ad scalam reducitur constiturus? nimirum erat scala illa porta cœli, *num.* 17. & erat ibi Dominus, quia sperabat anxius venientes. Sic solet peruigil ianitor nunc ambulans, nunc innitens fores custodire, sed id ex munere. paterfamilias, & domus dominus, si quando ad fores iacet suas, aliquid sperat auidus, cuius ardenti torquetur desiderio, cuique statim vt accesserit, occurrat primus. D. Anton. de Padua serm. de transfiguratione: *Ascendite ergo*, inquit, *ne timeatis: quia Dominus innixus est scalæ, paratus suscipere ascendentes.* quidni paratus suscipere, qui ideo ad scalam, siue ad portam perstat vt suscipiat.

1712. Quid? pœnitentiam nostram vt consequatur Deus, modesti furti notam non recusat. rapitur in spiritu Ieremias, & audit à Deo: *Quid tu vides Ieremia? & dixi: Virgam vigilantem ego video. & dixit Dominus ad me: Bene vidisti: quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud*, Ierem. 1. num. 11. Ægyptij symbolica hieroglyphicorum suorum significatione, per virgam in summitate vigilanti oculo insignitam, vigiles Principis curas denotabant. putarem simile quid vidisse Ieremiam, abstrusiora meditor. Mercurio Deorum solertissimo, qui mercator mercatoribus præest, & fur furibus assistit, (nescio an perinde sit) vigilantem quamdam virgam, id est, hastam vigilibus draconibus redimitam (*caduceum* dicimus) vetustas tribuebat; quid si Deus vigili virgæ assimiletur, vt intelligatur non maiori sollicitudine mercatorem opibus, aut furem alienis opibus inhiare, quam ipse saluti nostræ inhiet, vt per pœnitentiam ad illum conuertamur? quid si piè nos furetur, vt nos nobis lucrifaciat? fauet idem D. Antonius serm. Dom. 5. in pass. *Christus*, inquit, *dicitur virga vigilans, pro eo quòd sicut fur de nocte vigilans, virgà, in qua est uncinus, res de domo dormientium extrahendo furatur: sic Christus virga sua humilitatis, vel humanitatis, & uncino sua crucis, animas diabolo furatus est: vnde hîc dixit, cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum: vncino scilicet crucis.* En tibi Deus in scala exaltatus vt speret, cruci affixus vt furetur, & siuo furans, siue sperans, summa cupidæ ambitionis exhibens monumenta. Quid enim maius, quàm vniuersorum Dominum, furem appellari, vt pœnitentem te sibi trahat? aut quid aliud est congrui auxilij opportunitatem obseruare, quàm pœnitentiæ tuæ instar benifici furis vigiles excubias exercere?

1713. Vidisti supremum dominum honorificâ quadam furis labe, ob hominum pœnitentiam respersum: audi supremam innocentiam, si non peccati maculas incompatibiles, at religiosi peccati titulum, pati ambitione amplexantem. & vt interim taceam illud Pauli, vbi ait Christum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fieri: audi illud Michææ, apud quem Deus: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi?* cap. 6. num. 3. id est, *quid peccaui tibi.* ac si vt peccatores traheret ad pœnitentiam, infamem peccati titulum non refugeret: paratus quodammodo facere pœnitentiam, si peccator aliquid, in quo Dei charitas deliquisset, posset obiicere. quasi dicat: impeccabilis ipse natura, subibo peccati titulum, si quid meritò reprehendatis, pœnitebit me in vos commissi, vt vos tandem in me pœniteat commissorum. Miratur stupens Chrysost. verba ista homil. 4. de pœnitentia. *Magnum, inquit, vt verum fatear, & mirabile dictum; quod enim dicis tale est: Quid, inquit, peccaui? quod neque serui dominis dici concedunt.* atqui Deus cupiditati suæ, & vtilitati nostræ seruiens id concedit.

1714. Genealogiam Christi descripturus Matthæus, sic incepit: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, cap. 1. num. 1. At cur vetustiori Abrahamo Dauid præponitur? Credo, quia semper postea Christus, vt passim ex Euangelio constat, Dauidis filius erat appellandus. Sed cur tam auidè affectandus hic titulus? Certè, quia Dauid & peccator insignis, & insignior pœnitens: vt Christus toties ab aliis cogeretur ad veniam, quoties & paterni peccati, & impertionis veniæ reuocaretur memoria, exemplum adduceretur: hoc stratagemate expugnandæ diuinæ pietati vsa Chananæa: *Miserere*, inquit, *mei Domine, fili Dauid*, Matth. 15. num. 22. ac si dicat: Quid abhorrebis peccatricem,

quid

quid reſpues peccata, cuius domi naſcuntur? peccata Domine tibi innocentiſſimo, de origine paterna, non aliena. Meliùs D. Anton. de Padua ſerm. in Dom. 2. Quadrag. *Ac ſi dicat*, inquit, *O domine, ideo de familia ac tribu David accepiſti carnem, vt peccatoribus conuerſis, qui exemplo David de miſericordia tua ſperant, & pœnitentiam agunt, remiſſionis gratiam infunderes, & manum tuæ miſericordiæ porrigeres: miſerere ergo mei Domine fili David.* ſcilicet Alexander Macedo filius Iouis haberi & dici, ambitioſus gloriæ cupiebat, vt diuinitati crederetur domeſticus, & vt quoties tantum titulum audiret, toties ad maiora peragenda cogeretur: an non magis ambitioſus ſalutis noſtræ Chriſtus, qui & dici & haberi vult filius peccatoris, vt peccatis quodammodo domeſticus, cogatur piè, peccatoribus indulgere?

1715. Non grandius, ſed tamen ratius eſt quod addo. non ſolùm diuinam innocentiam peccato quodammodo inficit, ſed & felicitatem diuinam quodammodo etiam afficit infelicitate hæc ambitio. Calicem æternæ beatitudinis ſymbolum, beatæque lætitiæ prælibationem, deſiderat, Paſchatis tempore, tradidit diſcipulis Chriſtus, & ſubinnuit: *Non bibam à modò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum, in regno Patris mei*, Matth. 26. num. 29. id eſt, non percipiam aliquid voluptatis, vſque, &c. Sed vbinam feſtiuus triumphus aſcenſionis? vbi hilares illæ comitantium Angelorum diſſertationes? vbi paternæ dexteræ aſſeſſio? vbi gloriæ dominatus? vbi plena felicitas, qua Saluator noſter, torrente voluptatis debitæ ſatiatur? deſipit illi quodammodo voluptas, dum decipitur vita noſtra: viſa diſtrahere illum à beatitudine ambitio noſtro loquendi modo, dum omnes ad pœnitentiam non trahimur. D. Cyrillus Alexand. *lib. 7. in Leuit.* non longè à principio: *Si intellexerimus*, inquit, *quæ ſit Sanctorum ebrietas, & quomodo hæc pro lætitia Sanctis in promiſſionibus datur, videamus nunc, quomodo Saluator noſter non bibit vinum, vſquequo bibat illud cum Sanctis nouum in regno Dei: Saluator meus luget etiam nunc peccata mea: Saluator meus lætari non poteſt, donec ego in iniquitate permaneo.* & quæ alibi eiuſdem dedi ad hunc locum, atque aptis exemplis confirmaui. Scio quidem quàm in hunc locum deſæuiat D. Bernardus *in ſerm. de verbis Origenis*. Sed pace ſancti Doctoris, ſiue illa Origenis ſint, ſiue, vt alij putant, Cyrilli: ſi debito ſale condiantur, ſapient dulciſſimè, & quidem ex omnibus Patribus, imò ex eodem Bernardo, ſimilia pia hyperboli dicta, paſſim legimus: aut quid indecentius eſt in his lachrymis, & mœſtitia, quàm in clamoribus, gemitibus, & ſimilibus affectibus, de quibus à num. 1705. hucuſque, audiuimus Patres plenißimè, & piiſſimè diſſerentes? ſed pergo.

1716. Blandiſſimè ergo, de affectuoſæ charitatis blandimento, dicitur lugere etiam nunc Chriſtus peccata noſtra: quid eſt enim hoc aliud, quàm quodammodo porrectum ſibi a Patre beatitudinis poculum fletu temperare, & oculorum caldâ, merum felicitatis permiſcere? ac ſi reuera exprimat illum Ouidianum affectus, *Triſt. 5. eleg. 4.* ad amicos,

Atque aliquis veſtrûm Naſonis carmine dicto
Deponat lachrymis pocula mixta ſuis.

Imo quid eſt hoc aliud, quàm pura pœnitentiæ noſtræ & ſuauis ambitionis expreſſio? Ambitioſus veniæ dicebat David: *Cinerem tamquam panem manducaui, & potum meum cum fletu miſcebam*, Pſal. 101. num. 10. nouerat enim, quot lachrimas fundebat, tot ambitionis ſuæ ſuffragia comparare. & Chriſtus auidiſſimè ambitioſus etiam nunc noſtro loquendi modo dicitur potum cum fletu miſcere, parat lachrymas, vt ſuffragia comparet. Grauiſſimè Saluianus alludens ad lachrymas Dauidis 2. *Reg.* 12. *num.* 16. ſic habet *lib. 4. de prouident.* non longè à fine: *cum depoſito diademate, proiectis gemmis, exutus purpuris, remota omni ſplendoris regij dignitate: cùm probis omnibus ſolitarius, gemens, clauſus, ſacco ſqualidus, fletu madidus, cinere ſordidatus, vitam paruuli ſui tot lamentationum ſuffragijs peteret, & pijſſimum Deum tanta precum ambitione pulſaret.* Audis planctus ſuffragia, ambitionem precum? quantum res patitur, talem ſe cupit Chriſtus exhibere.

1717. Ex dictis oritur, vt quando pœnitentiæ noſtræ compos tandem euadit Chriſtus, tamquam ſuauiori gloriæ cumulo illâ recreetur. mille poſſem conceptæ lætitiæ percurrere effectus, vnum ſed illum eximium commemoro. Exierat hæc ipſa ſponſa, de qua loquimur, noctu Chriſtum quæſitura, cui rebellis apertum cordis oſtium denegarat, quæ dum nocte prodit obſcurâ, clarè tenebras culpæ propalabat, cum iuſtis ordinatione Dei vbiuis temporis dies perſeueret: ſed quod peius erat, velamen denſum vultui tegendo deferebat, nocturnis tenebris velantes vmbras additura. Occurrit tandem ſelia Chriſti miniſtrit, Eccleſiæ Sacerdotibus, de quibus ſubdis: *percuſſerunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*, Cant. 5. num. 7. quia nimirum dulcibus pœnitentiæ vulneribus illam ad ſalutem reſtituerunt, & dulciori amoris languoris, vt ibi ſtatim memorat, affecerunt. Sed adeſte Sacerdotes ſancti, magis enim ſub hac nocte latrones animæ, quàm miniſtros Chriſti exprimere videmini: adeſte licus, tuliſtis animæ pallium, velamen rapuiſtis: hoccine eſt expiatores criminum eſſe, an veſtium ſpoliatores? iure, inquiunt, deferimus: ſi enim, vt fatetur, amore iam ſanata languet anima, amoris pignus dilecto ſuo tradere non recuſabit, nam velum iſtud confuſionis quo nocens prius fœdè tegebatur, ſic poſt pœnitentiæ pulchreſcit confeſſionem, vt nullo ornatu comptior procedat Chriſtus, gloriæ ſuæ daturus oſtentamentum. Bellè Gilibert. ibi ſerm. 45. *Operuit confuſio faciem conſcientiæ tuæ: aufer velamen confuſionis, confeſſionis induere. nam & Dominus confeſſionem induit: non ſuam, ſed tuam, hoc ſibi natum pallio reputat, hoc a te mutuatur, hoc illi pallium trade, quod affectuosè tollit quaſi pignus amoris, & reconciliationis ſignum: tunc incipies amore languere, cum priùs fueris pœnitentiæ affectibus languida.* quaſi quot verba ederet confitendo, tot quaſi fila pararet, quibus pulcherrima veſtis texeretur dilecto Domino induendo: quaſi rubor ille ex pœnitenti verecundia contractus, in amœnum purpuræ ſplendorem amati Chriſti veſti mutaretur. Sic ſolent amantes incedere concolores, & inuicem alterius faſciâ, & vittâ tamquam amoris pignore inſigniri.

1718. Collustrans mente polos David, exclamat illico: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, Pſalm 103. num. 1. Pende illud *vehementer*. quaſi tunc ea induſtria pulchriori aliqua præ ſolito magnificentiâ comptus exhiberetur, & cultus inſigniores oſtentaret. quid ergo? an ſolem texuit in veſtem, ſtellas fudit in coronam, & gloriæ ſolium compoſuit ex Cherubinis? hoc ordinarium eſt: præcellentiorem, vtpote teneriorem comptum affectauit. Vide quid ſubdat: *confeſſionem & decorem induiſti*, num. 1. quaſi puta pura deco[illegible] ria ad ornamentum veſtis comptius, ſic conf[illegible]. D. Proſper Aquitan. *Induit ſe Dominus Deus noſter*

Pintus in Cantica.

confessionem, & decorem, id est, induit se Ecclesiam qua per confessionem deposuit fœditatem, & accepit decorem: ipsa enim confessio peccatorum, decor est rectè factorum. sic posses explicare illud Psalm.95. num.6. *confessio & pulchritudo in conspectu eius.* quasi nesciat à confessionis tela, pulchritudinis dignitas separari.

1719. Quæres tandem, vnde tantus Dei affectus in pœnitentes ne perdantur? respondeo ex innata benignitate, qua creaturas suas prosequitur creator: sic loco suprà adducto, hoc vsus argumento contra Ionam, qui dolebat super arescentem hederam, in qua non laborarat, quam non produxerat, & nolebat doluisse Deum super creaturas suas quarum auctor. Eleganter Saluianus lib.4. de Prouid. *Deus*, inquit, *qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprij amoris inseruit, se tantummodo solum creaturarum suarum amore priuauit? præsertim cùm omnis in nos rerum bonarum amor, ex illius bono amore descenderet: ipse est enim fons, & origo cunctorum, & quia in ipso, vt scriptum est, viuimus, & mouemur, & sumus: ab ipso vtique affectum omnem quo pignora nostra amamus, accepimus: totus namque mundus, & totum humanum genus, pignus est creatoris sui, & idcirco ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua.* vno loco & paragraphum, & caput totum pariter concludo.

1720. Vocationis suæ felicitatem describturus Matthæus sic habet, *& cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*, cap.9. num. item 9. & quanto faciliùs erat dicere, *vidit me*, vel *vidit Matthæum?* quorsum hîc expressa hominis commemoratio? quia necessaria erat hæc hominis expressio, cùm statim vocationis gratia, & veniæ indulgentia esset exprimenda, erat nimirum in Matthæo & esse hominem, & esse peccatorem: esse opus diuinarum manuum, & operum peruersorum esse perpatratorem. vidit igitur Deus hominem, vt dissimularet peccatorem: opus manuum suarum inspexit, vt peruersarum illius manuum operibus ignosceret. Acutiùs & breuiùs Chrysol. serm.30. *Vidit*, inquit, *hominem, vt peccata hominis non videret: vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum.* Sic vocatur ad pœnitentiam, & accipitur statim, quia stare durus nescit amor creatoris tuentes creatura, nec potest tenerrimum illud cor non commoueri. vnde idem S. Doctor *serm.*143. arguens eos, qui dedecere Deum per Incarnationem homines reparare, effutiebant. *Quomodo*, inquit, *ad opificis honorem, operis restauratio non redundat? quando honor non deputatur ad gloriam, si factor facturam suam reparet? ne amittat quod opus suum, nonne cùm veterascit reuocat, & cùm cadit, erigit, & cùm destruitur, in melius non reformat? ergo quod in partu Virginis agitur, non est creatoris iniuria, sed salus est creaturæ: si Deus fecit hominem, quis arguit cur fecit?* Sed iam ad caput septimum accingamur.

CAPVT SEPTIMVM.

VERS. 1. Filia principis, &c.

§. I.

Quàm sit siue in Deo, siue in homine, paterni tituli tenera conditio, humanitas suauis.

1721. IN hoc versiculo sponsa Principis, hoc est, diuini sponsi sui filia appellatur: vt noscant homines tenerrimè se à Deo adamatos, qui tanto Domino filiorum loco veniunt: paterni ergo tituli teneritudinē, affectus paterni humanitatem priùs in Deo, deinde etiam in hominibus ostendemus, vt filiorum Dei felicitas intelligatur. Sunt apta ad hanc rem verba Saluiani suprà data n.1719. quibus adde illa Iobij apud Phot. cod. sæpe citato. *Quod autem*, inquit, *Deus vocetur pater, ex ijs quæ nobis pro hominum more chara esse solent, discimus: nihil enim apud nos rerum omnium paternâ appellatione aut iucundius, aut honorificentius, aut magis venerandum: sed neque familiarius quidquam, vel ad beneficentiam propinquius. nam patris est producere non existentes, eosdem alere, & de filiorum victu satagere: quæ quidem commodius pro prima causa cōditione Deo attribuuntur, ac inde per participationem, ad generantem quoque Patrem pertinent.* ac si ita paternus erga nos affectus, patri Deo intimetur, vt inde omnis paternitas non solùm quo ad esse, sed etiam quo ad affici deriuetur, sicque piè adstrictus Dominus consulendæ vtilitati nostræ intelligatur, de quo Apostolus *Ephes.*3. *num.*15.

1722. Ea abrupto incipit sacra pagina: *In principio creauit Deus cælum & terram*, Genes.1.n.1. & vbi rectè, scribendi historias tenoris, leges obseruatæ? cur priùs, quisnam Deus sit, pro capitu nostro paululum non explicatur? cur creatoris notitia, à solâ creaturarum, per plures paginas incipitur genealogiâ: cur non antè dicitur quid sit, vt deinde quid faceret diceretur? Existimo ita scriptum, vt dum statim à Deo nos productos credimus tamquam à Patre, curandos nos prouidentissimè confidamus. quasi ● paterno titulo & affectu erga creaturas, in quo summa eius bonitas resplendet, caopiet cognosci maximè creator. Philo Iudæus lib. de opif. mund. *Qui mundum*, inquit, *factum negant, non animaduertunt se tollere quod est in vitâ vtilissimum, & ad pietatem summè necessarium, nempe prouidentiam: nam opificium ab opifice suo, parentéque non negligi, decet ratio: etenim Pater hoc agit, vt permaneat sua progenies. conditor item, diuturnitati à se conditorum consulit, arcens quidquid noxam, damnumve allaturum videtur: contra quidquid vtile commodumque, modis omnibus prospiciens.* Tanto ergo ardentiùs ad curam paterna Dei viscera sollicitantur, quanto largiùs patribus omnibus ad sobolis generationem se profudere: bene ergo inde cognosci voluit, vnde sic bene velle deprehenditur.

1723. Ad iubilos, ad lætitiam inuitat Vates purpuratus: *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitiâ, introite in conspectu eius in exultatione*, Psalm.99. num.1. Faustissima absque dubio Euangelia tantæ postulator ftenæ afferebat: si autem tot gestientis animi significationum caussam inquiras, illa subiungitur: *quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* & meritò tanta id exultatione canitur excipiendum: quia eo ipso diuina nobis conferenda vrgemus beneficia, quo illum auctorem, & parentem profitemur, longè feliciùs ab illo ob vigilem prouidentiam editi, quàm si à nobis (demus id esse potuisse) ederemur. Reuocat hæc Chrysol. *serm.*6. ad Deum iam incarnatum, & aptè ad rem nostram, sic concludit, *& quomodo non exultes, qui genitorem reperis, quem timueras cognitorem.* vt inde nobis dulcior iustitia accrescat, quòd dulciores adhuc paternitatis riuulos in incarnato Deo deprehendimus: inde nobis profusior exultatio, quòd diuinæ paternitatis communicatio profundior.

1724. Dilapidatis omnibus quæ detulerat, adhæsit miser prodigus infaustæ regionis ciui extraneo:

qui

qui ſtatim, *miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos*, Luc. 15. num. 15. Sed heus homo tetertime, quid iuuenem ipſo aſpectu ingenuum, vili porcorum mancipas miniſterio? heus iuuenis miſerrime, quid non reclamas, & mitius ſeruitij genus non exagitas? Reſpondet Chryſol. ſerm. 1. *Sic iuuenit qui ſe negat patri, qui ſe committit extraneo.* apud patrem Deum delitiis affluebat, qui ſine illo, tabe miſerâ diffluebat: Dei erat, ſi quis erat, in acquirendis bonis filio labor, & cura: filij tantùm iocunditas, & voluptas. Fortè id innuunt illa verba: *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*, num. 12. Cur enim ſi dandam fatetur, gratuitum donum recognoſcens: ſibi quaſi hæreditario iure contingere audet dicere: niſi quia ipſa, quæ dona Dei ſunt, iam eiuſdem, qua pater eſt, debita appellantur: Deus enim qua pater, otiantibus filiis debet quodammodo laborare: ideo paulo antè *ibidem* idem Chryſol. *Eſt penes patrem*, inquit, *dulcis conditio, libera ſeruitus, abſoluta cuſtodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, ſecura poſſeſſio. atque ad patrem labor reſpicit, fructus redundat in filios.* ſic eò feliciorem filius ſortitur effectum, quo affectum diuinus Pater induit teneriorem, qui nobis ſi opus eſſet, laboraret.

1725. Sed in re diuitiatum ſunt exquiſitæ doctrinæ, verba Chriſti ad diſcipulos, vbi poſtquam timorem abigit illis, quòd cœleſti complacuiſſet Patri dare eiſdem regnum, concludit: *facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis*, Luc. 12. num. 33. & cur Pater qui cœlo apparat diuitias, terreſtrium diuitiatum ſacculos, ad cœlum vult portandos? quid Sancto, cum ſacco? quid cœleſti Patri, cum terrenis bonis? imò, quia cœleſtis eſt Pater, viliotibus his terrenis noſtris immiſcetur, ne inde nobis venenum miſceatur. Vidiſtin' ægrotantem puerulum, febri æſtuantem, noxiam aquam iterum atque iterum inclamantem: cui tunc ſedulus pater, eôdemmet vrceolo, quo aliàs aquam, tunc propinat antidotum: vt ſub ſpecie noxiâ, filiolo inſcio ſalutarem ſic afferat medicinam? id & Pater noſter agit cœleſtis: id ſedula illa cura machinatur: ſacculos tractat terrenos, theſaurum inculcat humanum, vt homines auaritiâ ægrotantes, ſpecie ſacculorum in cœlo reponendorum, cœlo nouerint anhelare. Chryſol. ſerm. 25. *Verè*, inquit, *pater es, qui cum tuis quibuſcunque paruulis ſic agis: namque & nos interdum noſtris paruulis petentibus noxia, ingerimus ſalutaria ſub ſpecie noxiorum: fallentes inſipientiam, non decipientes affectum.* ſic illis vtilem pilulam, noxij pomuli velo ſolemus diſſimulare.

1726. Simile eſt illud: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlis*, Matth. 6. num. 20. quemadmodum enim pater, filiorum curator diligentiſſimus, vt nec minimum illis pereat curat ſatagens: ſic Dominus verè Pater caduca noſtra æternat, humana vult in cœlis bona diuinizata: ne etiam viliuſcula iſta aut mortui demittamus, aut amittamus in patria. Chryſol. iterum ſerm. 7. *Quid*, inquit, *tam paternum? quid ſic veniens de amore? quid tam promdum de charitate conſilium? nihil tibi perire vult, qui tua in theſauris cœleſtibus vult reponi. quàm ſecurus dormis, qui Deum ſuorum meruit habere cuſtodem: quàm neſcit curas, quàm deponit angores, quàm non eſt anxius, quam ſeruorum caret faſtu, qui ſua patri ſeruanda committit, quomodo paterna ſeruat affectio, timor non poteſt ſic ſeruare ſeruilis: pater enim dat ſua filijs, non minuit commendata filiorum: quid ſit pater neſcit, neſcit ſe filium, qui non credit patri.* En minuſcula noſtra curat ſollicitus Patris affectus, quæ abſque dubio, incuria noſtra ignauiter præteriret. cur enim non tam ſperni terrena iubentur, quàm theſaurizari in cœlis: niſi quia cœlorum Dominus, pannoſa iſta non ſinit dilabi, vt vndique vtiliora filiis corradat, nec horum ſinat minima deperire.

Pintus in Cantica.

1727. Sunt emphatica in hanc rem illa verba eiuſdem Chriſti ad diſcipulos: *cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, Matth. 6. num. 16. neque enim monentur, vt hypocriſim Phariſæorum auertuncent, id enim iam de diſcipulis præſumebatur: ſed inſtituuntur, vt hypocritarum triſtitiam euitent, vt etiam pars illa præmij, quæ de hilaritate accedit ieiunantibus, nullatenus de incuriâ ſuis deperiret: ſic diligens cuiuſuis vtilitatis noſtræ indagator, vt nec etiam minima perdi prætermittat. Miraris tantam diligentiam? certè paterna eſt. Pulchrè idem Chryſol. citatus proximè: *Vbi Deus*, inquit, *dominum mutauit in patrem, voluit charitate magis, quam poteſtate regnare, & amari maluit, quam timeri: paterno enenuit affectu, ne quid nobis de labore iuſtiſſimo deperiret.* impatienti ſcilicet amoris teneritudine ſudoris noſtri guttas vult numerari, ne quauis debiti præmij particula defraudemur: minutis noſtris conſuluit, ne vllatenus illis ſpoliemur. Diſcant Reges populi ſui, (cui inſtat filij, charitate magis, quàm poteſtate debent imperare) conſulere vtilitatibus; ſi enim non tam curant, quàm excoriant, non iam patrem, quàm tyrannum exercebunt.

1728. Huc iterum eidem inſinuando affectui collineabant dulciſſima reſurgentis Domini verba: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*, Ioan. 20. num. 17. prius dicitur Pater, quàm Deus, vt amoris delirium, maieſtatis dominio præponatur: vt per Patrem ad Deum aſcendamus, qui fortè ad Patrem ire per Deum timeremus. tu tamen mihi pende non dixiſſe, *aſcendo ad Patrem noſtrum*, ſed expreſsè, & *meum*, & *veſtrum* addidiſſe: tam enim ingentis beneficij, & humanitatis teneræ erat Deum nobis Patrem audire, vt niſi id clariſſimè exprimeretur, tanto muneri, tamquam immenſo oneri puſillanimis noſtra credulitas ſuccumberet. Galfrid. ibi apud Tilman. *Quamuis*, inquit, *ad diſtinctionem referatur, quod dicitur, Patrem meum, & Patrem veſtrum, aliter enim & aliter eſt, Pater eius, & noſter: in eiſdem tamen verbis intelligi poteſt forſitan, non ea ſola diſcretio, ſed certius exprimens, & altius cordi imprimens iaculatio: alioqui ſi Patrem meum dixiſſet* (lege *noſtrum*, aliàs nulla gnome) *minus adhuc propter ſe dictum puſillanimitas humana præſumeret.* vt iam credamus beneficium quod nulla tergiuerſatione celari poteſt.

1729. Nec propterea ſine myſterio ſummi ſanctæ adoptionis noſtræ beneficij intimatio, diei reſurrectionis reſeruatur expreſſio: vt vel ſic viderent non poſſe non eſſe fratres illius, & communem patrem ſortiri Deum, quos Chriſtus paulo ante perfidos, & tempore anguſtiæ deſertores; in gloriæ tempore benignus reuocabat. Grauiter & acutè idem Galfridus citatus: *Ac ſi dicat*, inquit, *vel nunc cognoſcant eum, qui licèt repudiatus ac relictus tempore paſſionis: non diffitetur, aut abijcit eos, in die gloriæ & honoris: neque vlla iam claudicat ex parte fraternitas, qui enim pro eis ex matre ſum genitus, etiam eos in adoptione Patris admiſi.* Verè fraterna viſcera Ieſu noſtri, veri Ioſeph, quæ indulgent læſa, offenſa fauent, reuocant ſpreta. & bene in vltimis verbis partialis alia cauſſa Dominicæ Incarnationis inſinuatur:

sinuatur: ac si ideo Deus ex hominum genere nasceretur, vt homines propterea ex Deo renascamur, & paternus iste à creatione titulus, nouis semper, ac noui iuris oexibus stringatur. Chrysol. serm. 70. *Quid mirum*, inquit, *si homines Deus sacrauit in filios: quando se homini dedit & sacrauit in filium? carnis tunc naturam transtulit in diuinam: quando Deitatem, humanam transtulit in naturam: tunc hominem sibi in cœlestibus praestitit heredem, quando se participem reddidit terrenorum: aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, qui totum quod erat hominis etiam peccatum suscepit, & mortem? aut quomodo hominem in suis prosperum non habebit, qui in aduersis hominis se fecit esse consortem?* nihil negare potest indulgentia, quâ vt nos consectaret in filios, se ipsum dedit, vt qui vnigenitus erat, deinde primogenitus diceretur.

1730. Hæc fuit illa vox Euangelistæ de virgine Deipara, *& peperit filium suum primogenitum*, Luc. 2. num. 8. re enim verâ Maria mater est, quia Dei filium, & illum vnigenitum effudit Patris: si enim Pater, aut Spiritus sanctus incarnatetur, non ita propriè Maria mater appellaretur: si ergo filium habet Maria, quia ille filius erat in diuinis; ipse verò necessariò à Patre funditur vnigenitus: cur iam dicatur primogenitus, nisi quia dum ille nascitur à matre, nos ab eiusdem Patre pariter renascimur? ita est, ac proinde qui vnigenitus erat, manet primogenitus. Galfridus ad illud, *Pater noster*, Matth. 6. num. 9 sic scribit: *Ne vereamur argui præsumptionis, si Deum Patrem vocamus: quoniam ipse nobis hunc Patrem dedit, cuius ab æterno proprius Pater existerat: ipso, inquam, fideles suos in communionem huius filiationis asciuit, qui ex vnigenito, primogenitus fieri non despexit.* Id autem quorsum? vt teneram paterni apud Deum affectus conditionem, noua protestatione, nouis titulis agnoscamus. Idem Galfrid. *Inde ergo*, inquit, *audacia postulandi, & impetrandi fiducia est, quia etsi nos vocati filij Dei non sumus, ille tamen se ipsum negare non potest: omnino pater est qui rogatur.* intus habet vnde sollicitetur: affectio pungit viscera, teneritudo euiscerat pietatem. Sed ad Deum, eius excellentior paternitas, ab humanâ argumentum sumamus.

§. II.

De secundâ parte tituli: vnde robustum ad diuini Patris teneritudinem fit argumentum.

1731. Paterni quidem sui affectus teneritudinem probaturus Deus, in humanis: homines, hominum patres esse voluit, qui omnes, sicut Adamum eadem facilitate poterat creare: nimirum, vt dum in te suauissimum experiris affectum erga sobolem tuam, qualem erga te diuinus Pater habeat, recognoscas. bonusque datus Chrysologus elegans, sed elegantissimus serm. 55. vbi ita. *Ideo te Deus patrem fecit, ideo à te voluit hominem procreari, qui vtique quod de terra fecerat, poterat fecisse quamplurimos: sed egit, vt generando scires, quanta esset generantis affectio, & in te amorem tui tantum probares auctoris, quantum ipse auctor pignoris, tuo pignori conaris impendere.* lege omnino Lucam *cap.* 11. *num.* item 11. minus est istud, & in brutis patres formauit, vt aut brutis stolidior, Deum brutis existimes duriorem: aut si sapis, illius mollissimum affectum fateatis. pergat aureus Doctor. *Certè non solum in te,* *quid esset generantis affectus, sentire te Deus voluit: sed in feris, & pecudibus, & auibus hoc Deus voluit te videre; qua cùm de terra produxerit sola iussione, postea laborem sentire compulit generandi, mutare patriam, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximus laboribus enutrire, ac se morti, si natos capi viderit, non negare. Vnde si non hominis, vel ferarum similitudine, pecudum comparatione, exemplis auium, disce quanta sit in paterna charitate syncoritas.* Sed iam humanam erga natos affectionem nonnullis sacris exemplis videamus.

1732. Reuixerat auditis nuntiis faustis Iosephi sui dilectissimi, Iacob: ad quem dum se accingit videndum, audit à Deo: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos*, Genes. 46. num. 4. id est, vt nemo desit ex prisco ritu, Ioseph tibi defuncto oculos claudet: sed quid sibi vult in summæ lætitiæ die, mortis importuna, vt videtur, commemoratio? cur seni tunc Iosephi sui amoribus fruituro, Nestoreosque annos optaturo propterea, fungendi fati obtruditur recordatio? nonne, cùm satis de se auolet felicitas, visa adhuc à voce ista inuolati celeriùs? respondet optimè Lyranus ibi. *Mos*, inquit, *erat antiquorum, quod persona, prædilecta clauderet oculos defuncti: per hoc autem certificatus fuit Iacob, quòd Ioseph non moreretur ante ipsum. quod summè desiderabat.* Dulcis patri mortis suæ intimatio, dum inde longior nato vita confirmatur, & inter festiuos iubilos, mors festiuior, vnde superstes filius recognoscitur.

1733. Hinc fit vt filiorum damna, non tam hos, quàm parentes afficere videantur, & occults quadam affectuum sympathia in patribus sodiantur ad remedium, quæ in filiis ad dolorem sentiuntur. Expulsa Agar (tritus aliàs locus altiùs examinatur) cum puero, videns illum iam præ siti expirantem, suspirans, *Leuauit*, inquit textus, *vocem suam, & fleuit*, Genes. 21. num. 16. & additur statim: *exaudiuit autem Dominus vocem pueri.* Flet Agar, & solus tacens dicitur exaudiri Ismaël, quia, quod tremo ignorat, illa non tam suam, quàm filij dilecti mortem expauebat. adde meritò in Agare audita, puerum exaudiri, prædicari, quia dolor in pueroad sensum, actius matrem pungens, in ipsa exaudiebatur ad remedium, & quod intima sympathia puer læsos in corde matris delitebat, ipse in plorante matre, opem implorabat. Nunc capies Alcuinum ibi quæst. 198. *Quid*, inquit, *est quod dicitur matrem fleuisse, & Deum vocem pueri exaudisse? mater non suam mortem, sed filij deplorabat: pepercitque Deus puero, pro quo fletus matris erat.* pende illud, *pro quo*. quod optimè explicatur, *loco cuius*: ergo loco Ismaëlis, Agar plorabat: quia in illa puer dolens, quo ad dolorem, & remedij vota, longè quàm in se ipso erat intimior.

1734. Quid? hac ipsa sympathiâ, sic quodammodo à filio dolor retrahitur, vt totus in patrem compassiuum transire videatur: qui vnità diuisione dum læso pignori, læsi grauius spiritus affectibus adhæret: corpore quætendo illi remedio segregatur: imò quætendo sibi auxilio: qui in læso, sic læditur longè grauiùs. Ægrotabat Iairi filia, & ecce consolat ille auxilium à Domino, petituros: *Procidens*, inquit textus, *ad pedes eius, deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est*, Marc. 5. num. 23. Sic non erat in prædiuite familiâ alius qui veniret? Sed dicis, id factum ob Christi Domini vocandi reuerentiam, decorius ab ipso

Principe

Principe rogati. amori tamen infirmantis puellæ cur non dabitur ſine inurbanitatis notâ, paterna aſſiſtentia, & à lecto immobilis adhæſio, ne minus reuerenter Dominus Ieſus, quamuis pater non veniret, videretur inuitatus? Certè piiſſimus Dominus, qui ſic filiis præcipit indulgendum, id temporis venientem ad ſe patrem non deſideraret. Quid ergo? credo, quia non tam filiæ, quàm patri Medicus erat diuinus neceſſarius: ideo dum ægroto ſpiritu filiæ coniaceret, potuit ſine amoris iacturâ, valenti corpore vtique quæſiturus remedium adire. fauet ibi Chryſol. ſerm. 33. *Circunſtante*, inquit, *familiâ, inter tenera & blãda obſequia propinquorum, molli filia decumbit in lectulo, pater pronus ſiccâ iacet, & verſatur in terrâ: illa deficit corpore, hic mente & animo contabeſcit: illa ſecretas languoris ſui ſuſtinet paſſiones, hic fœdus & lugubris totus, toto fertur & iactatur in populo: illa moritur ad quietem, hic viuit ad pœnam.* iactato ergo in populo corpore venit ad Chriſtum, qui deficiens animo filiæ coniacebat.

1735. Maius eſt quod addo. Notâ iam Abrahæ conſtantiâ, & vegeto immolandi filij animo penetrato exclamat Deus: *per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*, Geneſ. 22. num. 16. Sed hem, mi Domine? nonne Iſaac vir erat patre robuſtior, viribus integrior: qui facile victimæ vitias ſeruandæ vitæ poſſet euitare? nonne lubens patitur, ſponte mortem ſubit, ictum expectat intrepidus? quid ergo illi promiſſio non intimatur, corona non decernitur, benedictio non datur: vt ex illo patrem decoret, non ex patre ad illum condeſcendat? Certè, quia penè ignaua victima erat filius, ſi cum patris feruore compararetur: leniſſimus eius dolor, ſi cum immolantis patris dolore committatur: ideo Chryſol. ſerm. 10. *Patris*, inquit, *patris erat paſſio ibi tota, vbi filius immolabatur: ignaius filius ſiſtebatur, neſcius filius aptabatur vinctus, vt tolleret de paſſione martyrium, præmium de pœna patris, de conflictu patris raperet coronam.* Sic pater ſe magis in illo, quàm filium immolabat, ſed etiam filium: ideo tamquam bis victimæ victoria decantatur.

1736. Iam hinc intelligis quò tendant illa verba Nathan ad Dauidem: *quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur*, 2. Reg. 12. n. 14. aliter ex Saluiano legitur: *qui natus eſt ex te*, vt non ſolùm mors filij, ſufficiens adulterij, homicidij, & ſcandali pœna videretur: ſed id maximè doleret, ſe ipſum illius mortis cauſam, quam propriâ vitâ vellet compenſatam. Audi Saluiani verba lib. 2. de Prouid. *Præter pœnam*, inquit, *acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piiſſimo patri intellectum ſummi ſupplicij Deus voluit, vt dilectiſſimo filio cauſa mortis pater ipſe exiſteret: qui doleret, cùm vtique natum ex crimine puerum crimen ipſum occideret, quod creaſſet.* hoc eſt ſummum ſupplicium, hac pœna ſæuiſſima, quòd pater non tam ſibi, quàm filio damni cauſa videatur: hic certè ſummus dolor, cùm vix pater dolorem alium, quàm filij recognoſcat. ideo aptè pro eo quod nos legimus: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei*, Geneſ. 49. n. 3. legitur apud Sixt. ex Græco, *principium filiorum meorum.* neſcit enim in quouis euentu pater ſibi, ſed ſuis filiis condolere.

§. III.

Vt Deus paterno afficiat, homo filiali munere non deficiat.

1737. Aduerte tamen, ſponſam priuſquam Dei filia appelletur, de pulchritudine greſſuum in virtutis viâ commendari, & quidem ſemper id voluit Deus, vt eatenus cœleſti Patre frueremur, quatenus cœleſtis moris filios nos exhiberemus: vt inde Pater Deus afficiat beneficio, vnde homo filius non deficit officio. ideo Chryſol. ſerm. 67. ad illud orationis Dominicæ, *ſanctificetur nomen tuum*, ſic ſcribit: *Cuius*, inquit, *genus ſumus, eius cenſemur & nomine: rogamus ergo, vt nomen eius, quod in ſe & per ſe ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis: nomen enim Dei aut honoratur ex noſtro actu, aut ex noſtro actu blaſphematur.* non ergo filios volet pater recognoſcere, è quibus decus ſuum pollutum recognoſcit.

Studuerunt Prophetæ, ſtudet (vbique expedit) ſacra pagina, in diuinâ vbiuis locorum præſentia intimandâ: hac ſemel, vt par eſt, creditâ, formantur mores, firmantur virtutes, vitia refrenantur. quis enim viua fide præditus, niſi dum in illâ quodammodo languet, præſentem Deum audeat prouocare: & tamen ecce tibi Chriſtus Dominus formulam Patris orandi hominibus relicturus: *Sic ergo*, inquit, *vos orabitis: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum*, Matth. 6. n. 9. & cur non etiam in terris, & vbiuis, & vbique Deum eſſe intimatur, ne homini de abſentiâ præſumptâ pudor minuatur? Certè non id negauit Chriſtus: ſed voluit tantùm exprimere cœleſtem Patrem, & in cœlis regnantem, vt nos ad cœleſtem vitam ſectandam adurgeret: ſine qua cœleſtem Patrem dicere, & appellare nefas eſſet. Chryſol. citatus. *Hoc*, inquit, *cum dicis, non ſic habeas, quaſi non ſit in terris: non ſic accipias, quaſi ſit loco clauſus, qui claudit omnia: ſed intellige eſſe tibi genus è cœlo, cuius Pater habetur in cœlis, & age vt viuendo ſanctè, ſancto reſpondeas Patri. Dei filium ſe eſſe probat, qui vitijs non obſcuratur humanis, qui diuinis virtutibus clareſcit.* inaniter de cœleſtis Patris titulo gloriaris, quem ignauiâ terrenâ decoloras.

1738. Et quidem ideo ſignatè, quatenus in cœlis habitator eſt, Deus Pater appellatur: vt quemadmodum de terreno patre Adamo effluximus ad limum, de cœleſti ad diuinitatem refluamus. Eleganter Valer. Max. *lib. 3. cap. 5.* de iis, qui à claris parentibus degenerarunt, hos vocauit: *teterrimæ ignauia, ac nequitia ſordibus imbuta, nobilia portenta*, quia quo ſunt à patre nobiliores, eo nobiliora monſtra portendunt, eo monſtrant portenta inſigniora, ſolum dedecorandis patribus enata. Idem Chryſol. in eadem verba ſerm. 68. *Pater*, inquit, *in cœlis: quia fuit tibi quondam pater, qui te reſoluit in limum: qui te ad clauſtra duxit, & pertraxit inferni. terram neſciat, amorem carnis ignoret, patrem pulueris non requirat, nihil in ſe vitij licere permittat, qui Deum Patrem, cœleſtem repetit ad naturam, & qui ſe Dei filium credit, actu, vita, moribus, honeſtate tanto generi, reſpondeat: ne iterum ad terrena deſcendens, ad ipſam tanti generis tendat iniuriam.* vt quemadmodum per generationem cœleſtem, limoſum patrem exuimus: ſic ſciamus per contagium culpæ, cœleſti ſtirpe abolitâ, ad limoſas faces nos relapſos: interim enim paternus Deus agnoſcitur affectus, dummodo filiorum non noſcitur defectus. bene D. Cyprianus *orat. 8.* ad hæc verba: *Meminiſſe*, inquit, *fratres dilectiſſimi debemus, & ſcire quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi*

quasi filij Dei agere debemus: vt quemodò nos nobis de Deo Patre placemus, sic sibi placeat & ille de nobis. Generatio quippe spiritualis est, cuius relatio spiritum, tamquam subiectum requirit, & fundamentum: hic si deficit, & si eoneris in Patris beato titulo, tibi inaniter placere, te ipsâ de earuis immunditia displicebis.

1740. Hinc iam elaret, cur prodigus reddita sibi mente, & ad patrem iturus ita dixerit: *surgam, & ibo ad patrem meum*, Luc. 15. num. 18. planè quippe notum, si residebat miser inter porcos, surrecturum vt iret: nec corpoream surrectionem volebat indicatam, aliò collimabat: qui enim surgere dicitur, quodammodo crescere, & altiùs attolli intelligitur: cœlestis enim Pater in altis commorans, non nisi per surgentis aditur ascensionem: crescit non tam digitis in corpore, quàm palmis in spiritu: nec altissimus Pater nisi altum iam filium recognoscit. Gilibert. serm. 3. *Prodigus*, inquit, *ille in se reuersus*, &c. *prudenter ait, Surgam, iturus ad eum, qui in cœlis est Pater.* Licèt enim terras impleat, at filius nisi sublimis non assequitur. nisi fortè dicas ideo dixisse, *surgam*: vt hominis in se formam reformaret, Deus enim, vt ait Poëta,

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Miser autem adolescens instar bestiæ, vultu prono, ventri obediens, filiquis inhiabat cum porcis: bene ergo bipas surgit è quadrupede, nisi enim se ad humanam formam, & imaginem cœlestit patris æmulam restitueret, frustrà à patre benignè excipi præsumeret.

1741. Instituebat Christus Dominus suos, dicens: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos*, &c. *vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, Matth. 5. à num. 44. vbi mihi pende, ly *Patris vestri*. iam illis enim verbis, Pater discipulis Deus assignatur, & aliunde patrem esse demonstratur: eur ergo addit illa facturos, vt filij sint quomodo ille, qui iam erat pater, vt denuo sit pater sollicitatur? certè, quia qui per ereationem patris nomen gestabat, filios abhorreret, nec tamquam sibi natos, quos sibi de virtute similes non videret: frustrà enim vocaris filius cœlestis Patris, nisi lineamenta cœlestia, virtutum ductibus exprimas: sic enim vulgò dicimus de filio patrissante, nunc iste verè patris sui filius. fauet D. Cyprianus epist. 12. *Si hominibus*, inquit, *latum est, & gloriosum, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus proles succesiua respondeat: quanta maior in Deo patre lætitia est, cùm quis sic spiritualiter nascitur, vt actibus eius & laudibus diuina generositas prædicetur?* quia sicut in prauo filio, in eiusque turpitudinibus, & ignominiis pater blasphematur: sic in filij generosi virtutibus, cœlestis laudatur patentis generositas.

1742. Nec sine profunditate mysterij Christus Dominus, paternæ benignitatis exemplum *solem* filiis assignauit: putarem, vt nosceretur bona filiorum opera Solis instar collucere, vt ipsi iam lucis filij appareant, & illuminata opera, quasi viui characteres, & pulchra lineamenta Patrem exprimerent, qui totus lux est, vt ait Ioannes, & tenebræ in illo non sunt vllæ: glorificatur enim paterna lux de lucifluis operibus filiorum. Prudenter Plinius *in Paneg.* ad vtrumque & naturalem, & adoptantem Traiani Imperatoris parentem: *Macte*, inquit, *vterque ingenii in rem merito, cui hoc tantum boni contulistis: licèt alteri vestrûm filij virtus triumphalia, cælum alteri dederit; non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi meruissetis.* nimirum alterum triumphantem insignibus affecerat, alterum apotheosi consecrarat: ideo autem laus filij in patres dicitur redundare, quia sic filij virtus patentes exprimebat, vt in ipsâ illi necessariò venerabundi splendescerent, in huiusque laudis luce, paternus potiùs splendor celebraretur. certè triumphat in nobis Pater Deus, & quodammodo apud homines consecratur, dum lucis eius operibus colluceemus.

1743. Propterea Christus eodem cap. num. 16. *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* vnde enim visis filiorum operibus laudatur Pater, vnde Patris splendor in filiis glorificabitur: nisi, quia Patrem cœlestem, lucis patrem, sic ad viuum illustria, imò luciflua filiorum opera repræsentant: vt visa, etiam inuidentes oculos ad Patrem cogant glorificandum? Grauiter, vt solet, D. Leo serm. 5. de Natiuit. *Si ad humanam*, inquit, *pertinet laudem, vt Patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est, ex Deo natos in auctoris sui imaginem refulgere, & illum insequi, qui generauit ostendere, dicente Domino. Sic luceant opera vestra, vt glorificent Patrem vestrum?* hos filios cupit Deus, hos capit: carpit cæteros, & repellit. Sed de hac ad parentes similitudine, multa alibi. propositum titulum adhuc firmo aliunde.

1744. Patet ergo ex dictis, quàm sancta (vtpote à Sancto essentialiter dicta) sint illa verba Christi, licèt specietenus duriora videantur, quibus iuuenem, ignauiæ suæ sepulturam paternam prætendentem incrępuit: *Domine*, inquit, *permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, Matth. 8. num. 21. neque enim negat pietatis officium, magister pietatis: sed increpat proternam illius ignorantiam, qui cùm cœlis adscribi cuperet, cœlesti Patri terrenum præponebat. Chrysolog. serm. 19. *Nunquid*, inquit, *sic Christus negat vltimum pietatis obsequium vetat extremum munus parentibus quod debetur: non pietatis obsequium negat, sed diuinam praponit humanis affectibus seruitutem. audite quid discipulus dixerit: Permitte me primum ire. hoc ei non primum esse debuit, sed secundum: terrenus pater, cœlesti postponendus est Patri.* defecit cœlesti officio, qui cœlesti affici optabat beneficio: si enim aquila implumes pullos cogit aductsos Solis radios intueri, & si quem conniuentem humectantemque animaduertit, præcipitat è nido veluti adulterinum ac degenerem: quanto æquiùs diuinus Pater, Sol purissimus natos expellet, qui ad illius lucem sic conniuent, vt prius terreno patri, quàm cœlesti & diuino putent seruiendum?

1745. Faciunt his verba illa Deuteron. de Deo iustos suos deducente: *sicut aquila prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat*, &c. cap. 32. num. 11. in Sixtianis legitur: *sicut aquila tegat nidum suum, & super pullos desiderauit.* Nihil in pullis, vt dixi, aquila desiderat, nihil expectat ardentiùs, nihil lubentius spectat, quàm vt Solem oculis ferat irretortis: hos tantùm postea prouocat ad volatum, in quibus viuidam aciem comprobauit: illud Sixtianus, hoc Vulgatus noster interpres voluit expressum. Eleganter Claud. *in præfat.*

Paruos non aquilis fas est educere fœtus
Ante fidem Solis, iudiciumque poli:
Nam pater excusso saltj cùm germine proles
Ouaque maternus rupit hiulca tepor:

Protinus

Protinus implumes conuertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Conſulit ardentes radios, & luce magiſtra
Natorum vires, ingenuumque probat:
Degeneres refugo torſit qui lumine viſus,
Vnguibus hunc ſæuis ira paterna ferit:
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Suſtinuitque acie nobiliore diem:
Nutritur volucrumque potens, & fulminis hæres
Geſturus ſummo tela triſulca Ioui.

Non educitur volatui fœtus, qui radiorum examini non inducitur: nec homo ad Patrem Deum venit, quem priùs paternus ſplendor non probarit.

1746. Et meritò hæc nobilitas, quæ, vt dixi, lux eſt, per lucem examinatur: ſicut enim lux obſcœna loca, quæ tenebris velabantur, oſtentui & deriſui manifeſtata exponit: ſic homo, cuius culpæ, ſi filius Dei non fuiſſet, minus apparerent: illo ipſo ſplendore lucent ad infamiam, ad dedecus ſplendent. D. Leo paulo antè citatus: *Magnum*, inquit, *eſt dilectiſſimi huius muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem: per has enim appellationes ſentitur & diſcitur, quis ad tantam altitudinem aſcendat affectus. nam ſi in carnali progenie, & ſtirpe terrena, claris parentibus genitos, vitia malæ conuerſationis obſcurant, & ipſo maiorum ſuorum lumine ſoboles indigna confunditur: in quem exitum venient, qui propter honorem mundi à generatione Chriſti, non metuunt abdicari?* prius ergo, vt dicebat Chryſologus, cœleſti, quàm terreno patri ſeruiatur: non fulgur nobilitatis vertatur in tenebras; aut, quod eſt æquè certum, tenebræ noſtræ eodem ad infamiam fulgore propalentur.

1747. Propalarat Chriſtus Dominus diſcipulis affectum quo terreni patres filiis conſulunt, & inde facta conſequentia ſic infert: *Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Luc. 11. num. 13. Sed hîc iam contra ea, quæ diximus ſuboritur difficultas: ſi enim mali erant, quomodo Patrem cœleſtem ſortiebantur? ſi Pater cœleſtis erat, quomodo prænotum filiorum ſatot dici patiebatur? diuinum planè eſt verbum cuſpidatum vtràque parte; ſed tamen diuerſimodè penetratiuum: hinc vngit, inde pungit: pungit vt erubeſcamus quòd à cœleſti Patre degenerauimus; vngit vt conſolemur, quod Spiritum ſanctum impetrabimus, ſine cuius vigore, & feruidis affectibus cœleſtis Patris vtilem nobis titulum non conſeruabimus. Galfridus hîc apud Tilman. *Quid*, inquit, *ad hoc dicimus? ergo mali ſunt, quibus eſt pater cœleſtis? O confuſionem! ô conſolationem! ô degeneres filios tanti patris, & patrem magnum degeneres filios denuo generantem! quid enim pater noſter prodeſt primæ creationis origine? non modò non prodeſt, ſed obeſt degenerantibus nobis: niſi ſuſceptus Chriſtus à nobis, dederit poteſtatem per bonum ſpiritum, bonos fieri filios boni patris: nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. O terrigenæ filij hominum, ſi vobis eſt pater cœleſtis, quid exultatis in terra?* Vocamur ergo filij dum mali ad confuſionem: donamur operatiui & viuidi ſpiritus ſpe ad conſolationem, vt ſimus boni: quia ni tales cœleſtem patrem habere non poterimus.

1748. Hinc Dauid Pſalm. 28. num. 1. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* id eſt, ſacrificia reddite voſmetipſos, & victimas rationabiles, ſpontaneas, bene placentes: hos enim à fidelibus ſuis Deus exigit arietes. Sed tunc pende ad rem noſtram, quàm aptè tunc filij Dei dicantur, cùm per ſuaue holocauſtum Deo addicuntur, vt quemadmodum ſe pater illis tradidit per imaginem, ſic & ſe illi per bona reddant opera, aliàs caſſo nomine gloriandi. Chryſol. hîc ſerm. 10. *Putáſne*, inquit, *cœleſtes taliter appellat iſto virtutes: aut homines Dei aptat in filios, & terrenam carnem, cœleſtem ſubleuat ad naturam? homines, fratres, homines nuncupat hîc Propheta quos Dei filios alibi ſic decantat: Ego dixi, Dy eſtis vos, & filij Excelſi omnes. Audiamus fratres quò nos tulit diuina dignatio, paternitas extulit nos ſuperna: credamus nos Dei filios, reſpondeamus generi, viuamus cœlo, patrem ſimilitudine referamus, non perdamus vitijs, quod ſumus per gratiam conſecuti.* Vbi deinde multa de ſacrificio.

1749. Tandem concludo verbis Chriſti homines vocantis: *ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, Luc. 9. num. 23. ire poſt Chriſtum nihil aliud eſt, quàm ire conſecutum per gratiam, quod ille habet per naturam, vt in adoptionem filiorum veniamus, ſicut ille filiationem ingenitam ſortitur. cur ergo quando aſperitas crucis proponenda, filiationis tantæ expreſſo titulo non allicimur, ſed ſeruilis quodammodo ſubſecutio inculcatur? quia nunquam dignius Dei filij appellamur, quàm dum illi præcipimur ſeruire. Sic reſpondemus Patri, ſi illa digna obſequia præbeamus. D. Anacletus primus epiſt. 1. ibi: *Præſumptio*, inquit, *eſt ſi dominorum beneficia famuli non ſequantur: obſequium ergo æſtimandum puto, quod pariturus impendo. quid eſt enim quòd plus creditur filij vocabulum valere, quàm obſequium, & non quæritur quid in amoris lance promoueas, ſed quale ad præiudicium æſtimanti nomen apponas? quam apud prudentes fruſtrà ſobolem dicimus, ni exhibeat, quod vocatur.* Sed de hac re plura in alio tomo, & elegantiora congeremus.

§. IV.

Reges ex vitio, plebeia turba ſunt: Plebei, regalis raritas manent ex virtute.

1750. Plebeia & ruſtica puella, per virtutem, filiæ principis, id eſt, Reginæ (vt volunt) titulo decoratur. ita eſt: Rex quamuis potentiſſimus ſubiectus vitiis, plebeius fit: plebeius quamuis viliſſimus, virtutibus ſplendens, Rex conſtituitur, latet autem myſterium in eo, quòd cùm in hac vna plebeiâ ſponsâ, iuſti omnes licèt obſcuriſſimo orti genere intelligantur, vnius tantummodo Reginæ titulo appellentur: cuius rei cauſſam ſuſpicor, quia, vt Regum raritas, per vitium, in vulgus immenſum quodammodo degenerat: ſic plebeia turba per virtutem, in regiam ſingularitatem adunatur. poteſt ergo vnuſquiſque iuſtorum ſine arrogantiæ oſtentatione, totam regalis nominis gloriam ſibi arrogare, & vſurpare iure lyricum illud lib. 1. Oda 1. *Secernor populo.* Nunquam iuſti licèt multi in vulgari turba numerantur, ſemper vt pauci, vnuſque, vel alter proferuntur: quo enim quid pretioſius, eò etiam ſit rarius neceſſe eſt. inter ſtellarum turbam, vnus eſt Sol: inter innumerabilem plebis multitudinem, rari de humana æſtimatione Regis: ſed & hi apud Deum, de vitio iam vulgus.

1751. Principes prouinciarum vocauit Nabuchodonoſor ſtatuæ ſuæ celebrandæ: *Itaque*, inquit textus, *Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos ſatrapas, magiſtratus & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omneſque Principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ*, Dan. 3. num. 2. Diſponuntur

ergo

ergo omnia, erigitur Idololatricus colossus, trophæum superbiæ, tumoris domicilium, & totius perfidiæ monumentum. tunc exclamat præco: *Vobis dicitur populis, tribubus & linguis, in hora qua audieritis sonum tubæ*, &c. *cadentes adorate statuam auream*, n. 4. Principes ad cultum vocantur, & populis solùm cultus intimatur? citantur ad adorationem dynastæ, & solis tribubus ipsa imperatur? planè iidem qui fuerant vocati, fuerunt & venerati statuam: qui tamen ob tanti sceleris consensum, vulgus vile, & infamis plebecula à diuinitus coacto præcone appellantur. Intercedit ergo hoc maximè discrimen inter vitij, & virtutis conditionem, quòd illud, paucos aliàs selectosque principes, multitudini confundit, turbæ commiscet, plebi adnumerat, atque vili farragini adscribit: virtus verò iustos licèt multos & plebeios, Reges constituit, secernit à populo, atque velut vnum, aut alterum reddit venerabiles: ita vt peccator Rex etsi solus, viuat in multitudinis vilitate. Iustus plebeius etsi inter multos iustos, tanquam in ratâ singularitatis, regiæque paucitatis degat æstimatione. Theodorus Prodromus oda 7. in explic. Can. Cm. apud Gretf. *Insanum*, inquit, *illud, & ab omni ratione alienum sceleratissimi tyranni præceptum, quo mandabatur, vt omnes statuam quam erexerat, aut adorarent, aut in caminum ignis mitterentur, hos quidem commouit, nimirum vulgares & effæminatos: solet enim Scriptura imperitam multitudinem & imbecillem, appellare populum: vt cùm dicimus, multitudo populi hoc, aut illud fecit: vice huius, plebei, & inferioris sortis, & ex vulgo homines hoc passi sunt, & operati. populos igitur, vt diximus, tyrannicum illud præceptum concitauit.* vt dum Principes, maximè n. 3. circunstantes statuæ, describuntur, absque dubio venerabundi, ipsique populus appellantur: ipsos iam per culpam, inferioris sortis, & ex vulgo homines, licèt aliàs paucos & selectos intelligamus.

1752. Quàm aliter in sacris pueris Sidrach, Misach, & Abdenago, se res habuit? quid enim obedirent præcepto populis intimato, qui nihil habebant cum populo commune? proiiciuntur flãmis, id est, constantiæ suæ illuminatis monumentis, & subdit textus: *tunc hi tres quasi ex vno ore, laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum*, ibidem num. 51. & cur quasi ex vno ore? cur non discrimina vocum suauiori concentui adsectarunt? quia licèt ex se pauperes & captiui, per virtutem, sic in regiam singularitatem euadebant, sic à populari turba secernebantur, vt in trinitate personarum, vnus quodammodo, diuinam illam naturam rerum dominam, quæ vna & trina est, imitari viderentur. fauet ipse Theodorus citatus: *Nihilominus*, inquit, *tres pueros supremæ Trinitatis præcones, & Theologos non terruit belluinus tyranni, & leonum instar rugientis animus.* veri præcones, qui re ipsa trini, sed spiritu & voce vnus, ipsum quod prædicabant, exhibebant: vt non solùm Theologos, sed etiam theomimos appellares. hinc Hugo Card. ibi ex Gloss. *Tres*, inquit, *vno ore laudabant, quia sine fide Trinitatis nemo auditur.* hi pueri audiendi laudabant, qui Trinitatis non solùm fidem, sed etiam vnitatem exprimebant: vt dum dynastæ, turba vilis fiunt deformati: ipsi vnitiui dominatoris Dei conformentur. attende.

1753. Quærebatur Propheta descripto gentium iam fremitu sæuientium, & populorum inani meditatione, quòd Principes in Christum coniurarent: *quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius*, Psalm. 2. num. 2. Sed quàm vana adstatio! quàm imbellis coniuratio! quàm inaniter vnitas affectata! quis enim contra diuinam vim valeat consistere? id voluit, ni fallor, apertè insinuare Christus *Psalm. 54. num. 19.* vbi de Patre dicit: *redimet in pace animam meam, ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.* qui enim sunt isti hostiliter appropinquantes Domino, nisi qui contra illum adstiterunt, à quorum redimendum se violentiâ sperabat? sed spei, quæso, tantæ basim considera: *quoniam*, inquit, *inter multos erant mecum.* Quid hoc est, nisi Herodis, Pilatique adstantium violentiam prædicare contemptibilem? Principes erant, sed certè *inter multos*: id est, cum populis frementibus, cum gentibus inania meditantibus, cum multitudine vili computandi: nescit enim Rex peccator turbæ non admisceri, vulgus non sepiuari. bene VVerricus apud Godefr. *cap. 7. Eccles.* hunc locum peccatoribus accommodans: *De nobis*, inquit, *dicit ille, qui paucitatem Sanctorum multitudini præfert negligentium, inter multos erant mecum.* vbi saltem hos multos, vides in malam partem accipi. Clariùs ad rem meam D. August. in Psalm. 54. *Qui se*, inquit, *separauerant à me, mecum erant, non in paucis, sed in multis, etenim per totum orbem terrarum, pauca sunt grana, multa sunt paleæ.* Reges ergo illi à Deo separati, illique solùm hostiliter appropinquantes, (de quibus locum accipi non dubito) iam cum multis, vili multitudini, plebeculæ infami, eo ipso quòd peccant, confunduntur: à iustorum gloriosa paucitate (non solùm de numero, sed de excellentia) segregandi.

1754. Venustè verò in contrario sensu venit ponderandum illud Ioannis, vbi numeratis iam ex omnibus duodecim tribubus, totidem millibus feliciter signatis & segregatis à populo perdendo: de aliis etiam similiter signatis & segregatis, sic subiungit. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni; amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, Apocal. 7. n. 9. Erat absque dubio pia ista turba, & innumerabilis iustorum multitudo cœlo selecta, agno redempta, illa quam Dauid orabat, à peccatorum populo segregari: sed mirus modus precandi vt lupi ab his ouibus diuiderentur, ne istæ ab illorum contagiosa rabie læderentur. nam de lupis separandis sic ad Deum: *Domine à paucis de terra diuide eos*, Psalm. 16. n. 14. de quo Hugo Cardin. *A paucis*, inquit; *id est, ab ouibus, quæ paucæ sunt respectu luporum, id est, damnandorum.* Sed quidem in nullo sensu videntur esse pauci, licèt comparentur, quos velut infinitos dinumerare nemo poterat: nisi, quia in ipsa turbâ, in ipsâ multitudine, regiam singuli singularitatem honoris consequebantur, & licèt multi eadem, singuli tamen velut priuatâ, & decorâ imperij dignitate fruebantur: vt dum principes impij, in vulgus vile: plebei iusti, in regiam paucitatem transferantur, lege ibi Hieronymum, qui concludit: *quia hic Ecclesia commixta est cum peccatoribus, rogat pro illis, qui prædestinati sunt, vt veniant & separentur ab illis, qui non sunt prædestinati: vt dicitur, multi vocati, pauci verò electi.* pauci credo dicuntur electi, cùm sint innumerabiles, quia omnibus regia quædam seruatur singularitas.

1755. Hinc sub diuinam potentiam describitur: *qui conterit multos, & innumerabiles*, cap. 34. num. 24. in Græco est, *qui comprehendit non vestigabilia, & gloriosa, & magnifica, quorum non est numerus*, id est, po-

tentes,

tentes, & gloriosi Reges. Expressè Vatabl. ex Hebræo: *conterit que potentes infinitos.* quam bene Regum paucitas, magnificorumque raritas innumerabilis dicitur: idemque est esse *potentes*, & esse *innumerabiles.* quasi semper hi tales, vile volgus de impietate. Sed latet emphasis in τò *qui comprehendit non vestigabilia & gloriosa.* quia solummodo diuini oculi, & qui eiusdem lucis sunt participes, inter purpuratorum raritatem, bardocucullati vulgi comprehendunt multitudinem: tegiamque de paucitate excellentiam, innumerabili notunt plebeculæ adscribendam. Gregorium ad hunc locum statim dabo.

1756. Videtur ad hanc rem aliquid habete Horatius *lib.* 2. *odæ* 2.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi, numero beato—
Rum eximit virtus: populumque falsis
Dedocet vti
Vocibus, regnum & diadema tutum
Deferens vni, propriamque laurum:
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

τò enim *quisquis*, multos capit: τῷ *vni*, singularitatem denotat. quia quisquis, id est, omnes, qui virtute comite temporalia, & pecuniarum aceruos spernunt & conculcant, ij verum optimumque regnum obtinent. & *quisquis* de singularitate dignitatis vnus appellatur. & bene Phraaten hominem vitiosissimum, quamuis throno Persico restitutum à Cæsare Augusto, virtus ocularior à cæteriensisque plebis opinione dissentiens, à veræ beatitudinis sorte, veréque beatorum consortio repellit: quia reuera is, quem plebs delusa suspiciebat, plebeius de vitio erat, & turba vulgatissima, extraque iustorum singulariter regnantium numerum, in ipsa numerositate singularem, ad innumerabiles populi turbas recedebat. Fortè id etiam voluit Iob *loco citato*, cuius gratiâ hæc dicta sunt: necomnino abnuit Gregorius ibi. *Innumerabiles*, inquit, *vel multitudinem exprimere studuit reproborum, qua humana rationis numerum transit: vel certè indicare voluit quod omnes qui pereunt, intra electorum numerum non habentur, vt esse sint innumerabiles, quoniam extra numerum currunt.* Quisquis extra vnitatem regnantium iustorum numerosam, & singularissimum numerum excurrit, is licèt Rex de tiarate conspicuus, gloriosus & magnificus apud plebem, eo ipso vulgatem incurrit farraginem, & innumerabilitatem: idem quippe est esse extra pium numerum, atque in Dei albo non numerari, quàm ad stultorum numerum transire, qui infinitus.

1757. Collimabat huc Moyses, quando testiturus Ruben paternæ benedictioni, dicebat: *Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero*, Deuter. 33. num. 6. Iacob filium iusserat ne cresceret, *Genes.* 49. *num.* 4. ob culpam. Moyses illius incrementa ob pœnitentiam præsagiebat, nec tamen illi numerosam multitudinem, sed exiguam assignat paruitatem; & cur ita post tot merita familiæ, priscam illam patris culpam abolentia? cur potiùs multus in numero esse non iubetur? Respondet ibi Stephanus Cantuar. apud Godefr. *Per Ruben*, inquit, *enormes peccatores, qui per mortale, cubile patris, id est, conscientiam suam pollunnt, in qua Christus debebat requiescere: talis ergo Ruben, id est, peccator, qui prius mortuus erat, viuat in gratia, & non moriatur æternaliter, & sit paruus in numero, quia multi vocati, pauci verò electi.* neque enim potest iustus nisi paruo in numero, extra volgus & turbam vilem commorari. tota tamen oppositione, vt videtur, ex Græco legitur hic locus in Sixtianis, *& sit multus in numero.* nec tamen contradicit: quoniam turba innumerabilis apud Ioannem suprà, diuino regno assignata: in multitudine non vilescit, imò regiam semper cõseruat de selecta paucitate excellentiam.

1758. Do tandem ad hanc rem optimum locum Senecæ, quem olim correxi (correctionis caussam alibi ventilo) & vulgò, vt norunt docti, legitur depravatus. ergo *lib. de vita beata*, obiicienti Gallioni plures esse, qui virtutem non sequantur, sic respondet. *Cùm de vita beata agitur, non est quòd mihi illud discessionum more respondeas: hac pars maior esse videtur: ideo enim peior est. non tam bene cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est: quaramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimum, & quid nos in possessione felicitatis æterna constituat, non quod vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit: vulgum autem tam chlamydatos, quàm coronatos voco: non enim colorem vestium, quibus pratexta corpora sunt, aspicio: oculis de homine non credo: habeo melius certiusque lumen, quo à falsis vera dijudicem: animi bonum, animus inueniat.* Videbat nimirum illustriores Romanorum dynastas, qui cincti chlamydibus purpureis, & festiuis coronis redimiti, excelsam sibi singularitatem arrogabant: vulgum esse, & abiectam multitudinem.

Oculi piscinæ. VERS. 4.

§. I.

Lachrymæ sanctæ oculis collyrium, & speculum purum, Christo sapidissima pocula ministrant.

1759. Explicarunt hunc locum nonnulli Patres de oculis sancta lachrymarum effusione perstillantibus: vnde cogor prærogatiuas sanctarum lachrymarum fusiùs solito recensere, vt iam inde elatè pateat cur tantopere à Christo oculi deplorantes commendentur. in primis sunt lachrymæ oculis penitentium collyrium, quo videndis vtilibus repurgantur: quo cognoscendis & euitandis defectibus disponuntur. Negat Petrus & eiusdem negati magistri piissimo respectu, tamquam sagitta suauissimâ vulneratur ad salutem, *& conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus*, Luc. 22. num. 61. vertit Christus oculos, & Petrus in se reuertitur. Si in his oculis ô Petre vitam inuenis, & incipis sanari, persistè ibi, diutinus ad hos radios immorare: at ille non ita, sed *egressus foras num.* 62. aliò abiit, & cur ita? Drogo Ostiens. lib. de Sacram. Dom. Pass. *Petrus respicientem se Christum non respiciebat, quia velatam faciem habebat.* id est, lippis adhuc & cæcutientibus oculis præ culpa Christum videre non poterat; prodit ergo foras, à foco, & palatio culpæ occasione remouetur, remedium vt videat quæsiturus. Ecquod remedium? certè lachrymas, & quidem ideo dulcissimus aliàs pœnitentiæ ploratus, amari conditionem hîc sortiri visus: *fleuit amarè.* quia cùm collyrium, quo amarius pungit, eo vngit efficaciùs albugini delendæ: sic amaritudo fletus in Petro commendatur, qua tamquam acri collyrio demissis pupillarum nebulis oculos videndo Domino repurgauit. idem Drogo: *amaritudo fletuum, velamen diluit oculorum.* eo venit dulcior visus, quo amarius collyrium præcessit.

Emitte

1760. Emittebat lachrymarum flumina Magdalena vacuum sepulchrum Domini respiciens, quasi pro corpore sublato, lachrymis sepulturam impletura: ad quem tunc Angeli, *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. num. 13. quàm dura primò aspectu interrogatio! quærere à plorante mœstissimè, quid ploret, nil aliud est, quàm reuocatâ viuidiùs damni memoriâ, flentis pectoris aquæductibus claues relaxare, vt tota anima liquefacta per oculos effundatur, etsi id ignorantis etiam efficit incauta interrogatio: quid rem scientes Angeli sibi volunt, nisi patientiam & vitam miseræ ipsis lachrymis obruere summersam? absit: interrogatio fuit & prouida & vtilissima. erat paulo pòst Maria fruitura, vix speratæ consolationis magnitudine, iam iam resurgentis Domini gloriam visura erat: mouerunt ergo interrogatione, vt quidquid habebat, funderet lachrymarum, vt tanto collyrio repurgati oculi, amota aciei hebetudine, tanti luminis splendoribus sufficerent. ad hanc mentem explicandus fortasse idem Drogo: *Equidem*, inquit, *bene noueratis ô pijssimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret: quare illam commemorando, iterum in fletus excitatis? sed propè erat consolationis insperata gaudium, ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat* Ecquod gaudium, nisi aspectus Domini? excurrant ergo lachrymæ oculis confortandis.

1761. Prædicabat Propheta tamquam beatum, eum, qui ad diuinam cognitionem properabat: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit*, Psalm. 83. num. 6., vt nimirum ascendat (quod statim subdit) videndo Deo Deorum in Sion. Ecquæ basis scalæ & ascensionis tam felicis? *in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* vt non solùm sit vallis lachrymis rigata, sed stagni instar lachrymis impleatur. & hæc basis? O quantum ænigma! quàm labile fundamentum! aqua naturâ fluida, inconstans genio, fluctuans perpetuò, æstuans necessariò, tantæ machinæ basis substituitur? respondet optimè Gilibertus serm. 20. *Quæ sunt ista ascensiones, nisi quadam mentis purgationes: ideo in valle lachrymarum, quia delicta qua purgantur, plorantur.* & quid est purgari mens videndo Deo in Sion, nisi depulsis tenebris illuminari? Bene ergo, vt purgetur, vt illuminetur, plorat: quia ploratu acies acuitur.

1762. Neque id solum, sed tamquam in speculo clarissimo videt anima in lachrymis vitia fugienda. laudabat Christus oculos sponsæ suæ, dicens: *Oculi tui columbarum*, Cant. 4. num. 1. & si quæris à D. Antonio de Padua *Dom. 10. post Trinit.* quæ sint istæ columbæ? respondet eas esse, de quibus *cap. 5.* dicitur: *quæ lacte sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima.* columbæ scilicet lacteo candore deargentatæ, & crystallinis fluuiis assuetæ. Sed quorsum tam auidæ fluuiis hærent columbæ? res nota: speculum ab aquis formant, vbi accipitris volitantis conspecta imagine, eius non solùm vngues, sed & vmbram admonitæ effugiant. Ah felicem animam quæ degit ita cautè, vt vel leuem defectuum vmbram possit euitare. Ast vbi tam fausta specula, tam pellucidos riuos inuenerit paratos? Idem D. Anton. ibidem: *Fluenta*, inquit, *plenissima, effusiones lachrymarum: anima ergo tamquam columba residens circa fluenta aquarum plenissima, debet prauidere vigilanti cura, vt sibi caueat fallaciam transitoria dulcedinis, & malitiam diaboli suggerentis.* Ac si nisi adhæc specula nequeant tot fallaciæ clarissimè cognosci, prudentissimè præcaueri.

1763. Maius est quod dixero: lachrymas nostras sitit Christus; hæ, pocula illi ministrant suauissima. Scio quid Bernardus dicat *serm. 72. in Cant.* vbi ponderans cur agnus *pascens inter lilia*, Cant. 2. non *bibens* describatur: grauissimè sic scribit. *Sane in tempore & corpore isto nulla nostra virtus ita ad purum defæcata erit, nulla ita suauis & mera, vt sponso suauis sit ad potandum: sed qui vult omnes homines saluos fieri, dissimulat multa, & quos non potest potandi interim facilitate glutire: curat ex ea vel quidpiam elicere sapidum, quasi arte quadam, & quodam labore mandendi.* Sed, bona venia sancti Doctoris, sit id verissimum de cæteris virtutibus, sine lachrymarum exercitiis effusione: at si lachrymas conuehant, iam potum Christo suggerent suauissimum. paucis rem confirmo.

1764. Satagebat Christus Dominus de Magdalenæ salute, & quam ad vitam restituere decreuerat, illapsu cordis intimo ad Pharisæi conuiuium aduocauit: *vt cognouit, quia accubuisset in domo Pharisæi*, Luc. 7. num. 37. & cur domi pœnitentem non maluit, cui semper inclusa fœminarum modestia placuit? in epulo, inquiunt, erat, sed non ad gustum: pœnitentiam & lachrymas Mariæ cupiebat, meliori esca & potu recreandus. Sed cur, inquam ego, qui absenti adesse poterat in spiritu (neque enim de diuinitatis præsentiâ nunc loquor) ibique grato epulo frui, maluit præsentis lachrymis recreari? quia à tam suaui potu, nescit Christus quamuis sanctæ voluptatis particulam dissimulare: notum illud Poëtæ:

Multum crede mihi refert à fonte bibatur, &c.

& iterum,

Gratius ab ipso fonte bibuntur aqua.

Voluit Christus præsentes sibi fontes, vt quodammodo ab ipsis oculis gratiùs dulces lachrymas haurire. nunc capies Chrysologum, huc usque ad hanc rem frigidè, & sine lepore debito citatum serm. 93. *Ad prandium*, inquit, *& ad Pharisæi prandium venisse Christum sollicitus fortè miretur auditor. Pharisæi domum Christus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos, sed diuinam misericordiam largiturus: neque accubuit pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus: sed pœnitentis lachrymas, ex ipsis oculorum fontibus potaturus.* quasi saperent gratiùs, si in ipsismet fontibus gustarentur, nec vellet id Dominus in sic cupito poculo præterire.

1765. Percussis Philisthæis à Dauide, addit textus: *Dereliqueruntque ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri*, 1. Paral. 14. num. 12. & statim subditur noua Dauidis victoria ab eisdem reportata, & concludit caput: *Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes*, num. 17. Duo quæro: cur Dauid idolum non tam detruncat, quàm ne quid ex illo superesset, comburi curat? & cur ex hoc facto maximè, pauorem suis incuteret inimicis? ex vtriusque solutione vtrumque pendet. nemo nescit sacrificia idolorum apud veteres loco epuli Diis præsentari. legatur Homerus *odyss.* 1. de sacrificio, seu epulo ab Æthiopibus, Diis exhibito: sic etiam apud Danielem sacrificium Belis, epulum illi lautum fingebatur. in his ergo idolis Philisthæi summam spei suæ reponebant, vtpote quibus pretiosissimum, quàm cæteris epulum offerebant: vnde cùm illa destructa cernerent, quasi amissâ sacra anchora, non potuerunt ingenti non concuti pauore: imò propterea Dauid, credo, illa funditus perdidit, & de sancta indignatione exurenda curauit: quia signatè doluit dari numini falso id epulum, quod vero numini saperet dulcissimè. Ecquod epulum? lachrymæ. fouet hanc mentem D. Hieron. ad hunc locum,

cum, lib. de tradit. Hebr. *Tradunt*, inquit, *Philiſthæos idolum habuiſſe, cui in lachrimis hominum ſacrificium parabatur: huic illi more ſuo lachrymis ſacrificabant, & eis ex aduerſo Dauid venit, in quorum capitibus iam furor Domini ſæuiebat, quando ad eos ventum eſt: ideo timuerunt gentes Dauid, propter idolum deſtructum, cui humanis lachrymis ſacrificabant.* Sæuiebat furor Domini zelotypus, vt puto, de tanto ſacrificio, de tanto poculo. ideo bene D. Paulinus de Magdalenæ poculo, tamquam de ſacrificio locutus, ſic ſcribit: *Ipſos*, inquit *ſibi pedes ſacrarium, &, vt ita dixerim, altare inſtituit: in quibus libauit fletu, litauit vnguento, ſacrificauit affectu.* nulla enim fletu libatio pretioſior in ſacrificio: quaſi non ita properè litaret vnguento, nec affectus ſacrificium ſic placeret, niſi priùs lachrymarum veritate commendaretur.

1766. Neque mirum Dauid in lachrymas malè perditas deſæuiret, qui in hanc rem lachrymarum ſic pretium cognoſcebat, ideo dixit Deo: *vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo*, Pſalm. 55. num. 9. vbi ex Hebræo legit Vatabl. *lachrymas meas repone in lagunculam tuam.* eſt autem *laguncula* vas vinarium, & vnicum bibacium inſtrumentum: adduco alibi nonnullos, qui probant ſolitos olim bibaces in ſepulchris ſuis, tamquam ſtemma lagenam effigiare. quî autem lachrymarum auidior potatur Deus oſtenderetur, quàm ſi illi lachrymarum lagena adſcriberetur? & bene *tuam*, dixit. quia ſicut in prædiuite familia licèt multæ lagenæ ſint, vnde domeſtici potant, vna eſt tamen ſecretior & pretioſior, domus Domino reſeruata: ſic viſus Deus, qui in cœlis torrente voluptatis ſuos potat, ſibi vni lachrymarum lagenam reſeruare.

1767. Et fortaſſe voluit id Ioannes, quando de Chriſto agno ducente iuſtos dixit, *& deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apocal. 7. num. 17. cur enim ad ſcaturientes vitæ fontes potius, quàm alibi, abſtergi lachrymæ, & quaſi pretioſo præmio (dum à Deo accipiuntur) affici dicuntur, niſi, quia inuicem aliquando, fontes & pocula Deo miniſtrarunt? niſi tenetiùs dicas, ad fontes aquarum lachrymas abſtergi, quia mutua pocula propinantur: iuſti à Dei fontibus aquas viuas, Deus à iuſtorum oculis, noſtro dicendi modo, in ipſo ingreſſu nondum ſiccatas, lachrymas viuas voluit abſorbere: vt iam de lachrymis meo iure capiam, quod piiſſimè citatus Bernardus de virtutibus dixit in cœlo iam perfectis: ergo dictis num. 1774. ſic ſubiungit: *Erit, cùm erit virtus colabilis, nec premetur dente, nec fatigabitur à mandente, vel potiùs non fatigabit mandentem, quæ bibentem abſque opera delectabit, tamquam vtique potus, non eſca. denique habes ſpondentem in Euangelio. quia non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiſcum in regno Patris mei, & de cibo nulla mentio eſt.* hoc ego, inquam, de his lachrymis, meritò dixerim capiendum.

1768. Manducaturus Chriſtus paſcha illud deſideratiſſimum, & diu ſuſpiratum: præparaturis cœnaculum diſcipulis, id ſigni dedit: *Occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam intrat*, Luc. 22. num. 10. Sic nullum aliud ſignum certius occurreret? certè nullum: nullum magis neceſſarium: epulum ſibi diſponebat Chriſtus, & illud myſticum: quid ergo præcipuam epuli partem & ſibi gratiorem, aquam ſcilicet lachrymarum non curarent? deſipiunt quodammodo fercula quæ in ſerenæ conſcientiæ iucundo

Pintus in Cantica.

conuiuio paras Chriſto, niſi mellea lachrymarum pocula adminiſtres. Stephanus Cantuar. apud Tilman. *ad cap. 5. Zachar.* de hoc loco, ita: *Amphora*, inquit, *aqua eſt pœnitentia lachrymoſa: vnde bene in domo portantis hanc amphoram ſibi iubet Dominus paſcha parari: quia ſecura mens, quaſi iuge conuiuium.* pœnitens enim lachrymarum potum Deo miſcens, ſibi & illi in ſerenitate pacatæ conſcientiæ, iuge & opiparum conuiuium diſponit. Abſolui titulum, venio ad alia.

§. II.

Sanguis Chriſti lotos inaurat, ſic & lachrymæ: hæ rigant animam, imò & cælum rigant: fragrant aromata: emunt cæleſtia: cordis ſunt ſanguis: fœdera pacis.

1769. Dixi nonnullas cauſſas, cur Deus lachrymis tantopere delectetur: ſubdo in eamdem rem alias earumdem prærogatiuas. Ingenitam paupertatem, & vilitatem, qua cæteri ſicut mortales nati ſunt: terreni Reges apparatu & comptu ſibi adſcito profitentur: vnus eſt diuinus Rex, qui ſine alieno fuco, ſine externo apparatu, regiam & ſupremam præ ſe fert dignitatem: quia, vt alicubi ponderat magna Tereſia Carmeli ſacri decus, innato lumine, quin alieno egeat, ſe prodit. Hinc mihi mirus aſſumptus ille comptus, qui in diuina iſtius Salomonis quadriga celebratur, cui Libanus truncatur in cedros, argentum erigitur in columnas, purpura in aſcenſum ſubſternitur, &, quod maius, in reclinatorium, aurum apparatur: *reclinatorium aureum*, Cant. 3. num. 10. itane? ſubrogato ſplendore eget, auro aſſumpto, cœleſtis noſter Princeps vt colluceat? abſit. Acutè Gilibertus ſerm. 18. *Caput tuum aurum optimum: reclinatorium aureum non inuenit, ſed reddit.* nimirum ab auro capitis, reclinatorium, *vbi ſe reclinat*, addit Gilibertus, inaurauit. Sic pulcellus & flauus puer, emiſſis aureis crinibus, ſinum matris cui ſubnititur, ſolet inaurare. ſcilicet non fictus, ſed verè factus Midas diuinus noſter Salomon ad tactum eius omnia inaurantur.

1760. Verumtamen, ſicut Midas fingitur Pactolum fluuium intraſſe, ſicque illi auream conditionem præcipuè communicaſſe, vt inde aureus fluere, & inaurare lotos videatur. Sic longè verius, ſanguinis ſui fluuium deaurauit Chriſtus, quo loti pretioſiſſimè inauremur. Prouocabat Petrus diſcipulos ad virtutem, & ſubdebat cauſſam: *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, &c. ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti*, 1. epiſt. 1. num. 18. pende mihi illud: *non corruptibilibus auro, vel argento.* quaſi dicat? incorruptibile eſt aurum quo redempti eſtis: nec tamen id expreſſit. quaſi ſatis planum relinqueret intelligendum, ſanguinem immaculati agni aurum eſſe, & illud incorruptibile. Sed quorſum nos à ſeruitute Dæmonis redemit tanto auro Chriſtus, niſi vt liberam aliam ſeruitutem apud illum ſortiremur? bene Ioannes de iuſtis locutus: *hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni: ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte*, Apocalypſ. 7. num. 14. reddita melior ſeruitus de prauæ ſeruitutis redemptione. Sed magis ad rem meam conſidera, hos redemptos, ſic lotos dici ſanguine, vt eodem quo empti, ornari & dealbari celebrentur,

breuitur: neque mirum, eodem aureo sanguine quo emimur, & ornamur. huc accommodo pulchra verba Chrysostomi tom.5.hom.61. *Sicut homo,* inquit, *seruos emens, aurum erogat, & rursus eos ornare volens, id auro facit: sic Christus & sanguine nos emit, & ornauit sanguine.* nimirum, vt statim ex eodem dicam, nullum hoc sanguine aurum pretiosius.

1771. Ponderabat Apostolus quàm hilariter pro Christo labores tolerarentur, & statim subdit: *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris,* 2.Cor.4.num.10. Itane dicat aliquis? vita Christi gloriosa, qua modò in cœlo triumphat decorus gloriæ purpura, splendore immortalitatis: tunc solùm corporibus nostris communicatur, quando mors Christi sanguinolenta, illis adhærescit? quid commune corpori crucifixo, sanguine madido, cum eodem in cœlis iam splendido? quid felicius quærat pœnitens, quàm aureum flumen, in quo vbi lotus, maneat & aureus? id nos in Christi sanguine sortimur & mortificatione: quidni ergo auro ornati & gloriosi, gloriam tanti Domini repræsentemus? certè in aureo sanguine, & diues pretium, & lauacrum pretiosum serui comparauimus. Acutè, sed obscurè D. Ambros. in Psalm.35. *Nos aurum,* inquit, *quærimus, quo corpora nostra mundemus, mortificationem Iesu Christi in corporibus nostris circumferentes, vt & vita Iesu Christi in corporibus nostris manifestetur. bonum aurum sanguis Christi: diues ad pretium, & profluus ad lauandum omne peccatum.* pulchrè: sed nec degenerat, quod subiungo.

1772. Ideo Ioannes de Christo: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, & Patri suo,* Apocal.1. num.5. habitat Deus lucem inaccessibilem, & regnum eius perpetuis splendoribus intermicat, vt clamant Scripturæ: deinde eius ciuitas, aurum mundum, vt habes *Apocal.* 21. Si ergo regnum sumus vt Deus habitet in nobis, (quod idem fatetur Ioannes *Apoc.7.num.16.*) vbi luciflui radij? vbi aurum mundum? sed si dum in regnum & habitaculum assumimur, sanguine illo lauari dicimur, iam inde necessariò luciflui, & aurei iudicamur: ipse fons qui lucem radiat, & fluuius auro stagnans. huc facit Chrysost.homil.45.in cap.6. Ioannis de sanguine Eucharistico. *Hic fons,* inquit, *lucis diffundens radios veritatis: huic superna adstiterunt virtutes fluctuum eius pulchritudinem inspicientes. nam manifestius quàm nos illæ, propositorum virtutem, & fulgorem inaccessibilem intuentur. quemadmodum si quis liquefacto auro linguam, vel manum iniiciat, quam primùm deauratur: ita hæc nobis proposita, animam auream reddunt, vt enim homo seruos auro emit, & ornat: ita nos sanguine suo Christus.*

1773. Vides excellentem diuini sanguinis deaurantis prærogatiuam: quidni ergo tanti faciat Christus lachrimas sanctas, (quarum caussâ hæc dicta sunt) quas simili priuilegio insigniuit: donorum aliàs locum, sed non ignobili ponderatione decoratum. Peccant Philisthæi arcam Domini captiuantes, & impiè Dagoni suo impiissimo numini immiscentes: puniuntur acerbè, quibus corpora sæuis vulneribus scatebant, terra scatentibus muribus fœdabatur: resipiscunt tandem puniti, arcam restituunt, eamque donis ornatam, & in similitudinem plagarum & murium quibus torsi, reddunt, *quinque anos aureos, & quinque aureos mures,* 1.Reg.6.num.5. & quomodo offeruntur iam Deo aureæ, imagines priscæ fœditatis? quid arcæ Dei cum plagatis membris? aut vnde aurum in vulnerum fœditate? vnde tantis sordibus, tanta pulchritudo? attende. Degebat Bacchus (fingunt) ea pulchritudine clarus, eo decore venustus, vt pulcherrimo Apollini si minus dolens inuidia, saltem iusta æmulatio haberetur: tantum, nescio cui significationi deformabatur, quod ad caput caprinis cornibus insignitus: dolebat ille hanc maculam; quam vt aboleret, Hermum fluuium, qui pretiosa tempestate, splendenti limo aureus defluebat, ingreditur: inauret aqua cornua, & quibus priùs fœdus, iam deinde impensiùs decorus iactabatur: sic olim explicabam Statium in Syluis, de hoc aureo fluuio locutus.

——quo Lydius intrat
Bacchus, & aurato reficit sua cornua limo.

res facta, fictam fabulam obscurat: repræsentabant hæc dona, membra iam per pœnitentiam sanata: quidni aureo lachrymarum fluuio inaurata, pulchritudini iam, vt olim fœditati deseruirent? hoc ergo voluit ibi D. Gregor. ad hunc locum: *Dum commissa attentiùs lugemus in iustitiæ splendorem membra deauramus.* Sic quæ olim fœda, splendida iam redduntur.

1774. Sed quidni aurum amanti Christo lachrymæ reputentur, quas humanus amor pro auro solet reputare. Ad primum Rachelis suæ adspectum, Iacob, *eleuata voce fleuit,* Genes.29. num.11. ignita suspiria, lachrymarum humore non tam temperans, quàm accendens: mirabêris quorsum fletus, vbi lætitia videbatur exundatura. recordabatur nimirum in eo loco seruum Abrahæ, aurea dona Rebeccæ matri suæ obtulisse: cùm ergo similia quæ offerret Racheli non haberet, aperiens amoris thesaurum, aurum pretiosius in lachrymis offerebat. quis scit an voluerit Lyranus, quem suprà ad hunc locum aliter explicaui, hanc etiam mentem nobis aperire ten verba, iudicet Lector: *Cùm vidit consobrinam suam, & non habuit aurum, & argentum, seu iocalia ad dandum sibi, sicut seruus Abraha dederat Rebeccæ, vt suprà dictum est, memor huius cœpit lachrymari.* id si voluit Lyranus, esto mea gnome.

1775. Si ergo tam diues fluuius, tam auro stagnantes lachrymæ, quos fructus ob harum rigatione non speres: spem ludis, nisi pretiosissimos. Sed attende mysterio. quòd fluuij etiam ignobiles, inumbratas arboribus, herbis vestitas, variegatas floribus, totâ veris pompâ ripas suas exhibeant viridantes: dum Princeps Oceanus dura conchis, arenis sterilia, rupibus aspera littora diuerberat; vnica caussa est, quòd illi dulcia, at iste salsa deuehit fluenta: aquarum salsugo, sterilitatis mater, fructuum nouerca. vnde iam mirum, cur tot pulchra germina lachrymæ producant, cùm tam amaræ de innata salsugine effundantur? sed fraternitatis iure, Amor quidem & lachrimæ copulantur, indidem fluunt, recidunt eòdem. D. Orientio in sacro suo poëmatio:

Atque amor & lachrymæ quas fundi iniuria cogit,
Ex oculis surgit, pectoris ima petit.

Ideo verum illud Poetæ *Buc.*10.

Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Nutritur & fructescit humore fraterno amor, sicut flores riuis, floribus apes, frondibus capellæ. Putarem ergo ipsummet amorem, qui lachrymas instillat, sensibili illarum salsedini dulcedinem occultam communicasse, vt dum amaræ gustui, fructui

fructui ſint fœcundæ. hinc ille alius amator, ſepulcbrum quod charo pignori inſtruxit, loco marmorum, nemore præcinxit, ſubdens,

Sed fragiles buxos, & opacas palmitis vmbras,
Quaque virent lachrimis humida prata meis,

Mart. *lib* 1. *epig* 89. nulla poterat fœcundior irrigatio amoribus ſacrato nemori apparari. O amorem diuinum! quanto efficacius melioribus lachrimis plantas tuas ad immortalitatem conſecrabis.

1776. Ad præconis vocem, ad mœſtiſſimum illud ſpectaculum, cui hæſit obſtupeſcens cœlum, dum Cbriſtus ad patibulum, patibuli geſtator ceroebarurscopoenerunt Solymitanæ fœminæ ſuffuſæ lacrymis, innocentis agni necem ploraturæ iniuſtam: quibus, quaſi minus iuſtus bic fletus, ait ille: *Filia Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*, Luc. 23. num. 28. Ecquis pedem figet in ſic profundis aquis? hæreut planè lacbrymæ. Chriſtus qui corda hominum ſic ambit doloris ſui compaſſiua, pias condolentium fœminarum lacbrymas ſpernit? erant muliebres lachrymæ, nec tam à ſuſdente gratiâ, quàm à natura tenera expreſſæ, & cupiebat Dominus, vt illas meliori ſpiritu conſecratas, de gratiæ fonte mitterent, quibus ſe, producendis virtutum & floribus & fructibus, irrigarent: ne, vt erant ſine bac irrigatione arentia ligna, inferno deſtinarentur, ideo ſubdit: *quia ſi in viridi ligno bac faciunt, in arido quid fiet?* num. 31. id eſt, ſi in me virentis gratiæ germine tot pœnæ de mera culparum fideiuſſione veniunt, quæ vos manebunt, quas culpæ aridum germen reddiderunt? ſpiritualiſſate ergo lachrymas fuodendas ſuper vos, vt vireſcatis. Deuotè Cellenſis lib. de Pan. cap. 12. *Profuſione*, inquit, *lachrymarum tota irrigatur conſcientia: ligna producuntur fructum vita facientia: nunquam virtutes aut veniunt, aut diu viuunt ſine cordis irrigatione. nam ſi in corde viridi quotidie irrepunt tentationes, in arido quid fiet?* ſed prima Cellenſis verba preſſiùs infià examinabo.

1777. Æſtuabat iam diuino igne, amoto priſcæ turpitudinis incendio, Dauid: tunc extollens vocem ait: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, Pſalm. 6. num. 7. noctes ad quietem deſtinatas, abluendæ maculæ, lachrymis inquietat. nec id ſatis: ideo addit, *lachrymis meis ſtratum meum rigabo*. quaſi lachrymarum ſtagnum placidum ad balneum: iam ad irrigationem in aquam defluentem mutaretur. D. Anton. de Padua *ſerm.* 22. *poſt Trinit.* ſic habet: *rigabo ſtratum meum, vt germinet berbam virentem, & facientem fructum.* neque enim placet Deo anima quin ſit hortus delitiarum: nec hortus erit de voluptate iucundus ad aſpectum, de fructu vtilis ad guſtum, niſi lachrymis irrigetur.

1778. Hinc iam patet, cur Magdalena non tam lauare dicatur, quàm rigare pedes dominicos: *lachrymis cœpit rigare pedes eius*, Luc. 7. captabat à ſacris plantis, animæ ſuæ plantas fructuoſas, ideo debitam irrigationem miniſtrabat: quidquid fructuum, quidquid florum geſſit vſquam Maria, rigatui ſacro refert in acceptis. Pulchrè Galfridus ad *cap.* 20. *Ioan.* de huius fletu ad ſepulchrum: *Fleuerat*, inquit, *priùs bac mulier, & fluebat illi irriguum inferius cùm demiſſa ſunt ei peccata multa: flebat autem, vt opinor, vberiùs & ſuauiùs de ſuperiori irriguo, & prima vidit reſurgentis Dei de morte triumphum.* ideo Chriſtus, vt alibi latiùs ponderabo, in habitu reſurgens apparuit hortulani, *exiſtimans quòd bortulanus eſſet*, Ioan. 20. num. 15. quia virtutès illæ quæ lachrimarum ſuperiori irriguo vegetantur: *Pinus in Cantica.* lubens diuinus ipſe tractat hortulanus. Sed rigantibus lacbrymis, alibi multa dabo.

1779. Nunc mihi mirum, cur ad Chriſti pedes proſtrata Magdalena, non tam cordi ſuo, quàm dominicis pedibus lachrymas ſuperfundat. cur vernatura conſcientia non irrigatur? cur non ab oculis madet ipſum pectus, floribus amœnandum? fouebat illa iam cœleſtes virtutes, ideo pedes irrigat ſidera calcantes, vt ſuper cœlos riuos ſuos deducere videretur. Nota verba Chryſol. *ſerm.* 93. ad hunc locum: *En mutatur*, inquit, *ordo rerum: pluuiam terra cœlum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cœlum: imò ſuper cœlos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lachrimarum: vt iuxta Pſalmiſtam de aquis fletuum cantetur illud, Aqua qua ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini.* quid mirum? tam pretioſa rigatio terram ſpernit, cœlos ſcandit, ſcatet inter ſidera, immortalitate fructuum fruitura.

1780. Rapitur Ioannes in cœlum ſcripturus: quidni mira proferat? *& oſtendit mihi fluuium aqua viua, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & agni: in medio platea eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vita afferens fructus*, Apocal. 22. n. 1. Quàm pretioſa aqua, quæ à throno Dei, ab adamante rupice ſortitur ſcaturiginem! quidni viuant plantæ, viuo nutritæ rigatu, & immarceſcibilibus fructibus, humoris generoſitatem proteſtantibus? ſed vnde in cœlo ſolidi inſtar æris fuſili apud Iobum, humidus fluor? quid thronus Dei firmiſſimus inſtabili ſubnititur elemento? lacbrymæ ſunt, inſtabilitatis infamiam abolentes: neque fructus vitæ quos in cœlo, & è cœlo percipit Eccleſia, viliori rigatu norunt perennare: quidni paradiſum rigent, quæ formant paradiſum? Cellenſis ſuprà citatus: *Aqua bac*, inquit, *paradiſum irrigat, Eccleſiam, vt ſit ſine macula, lauat: aut facit, aut inuenit paradiſum: cùm enim profuſione lacbrymarum irrigatur conſcientia ligna producuntur fructum vita facientia.*

1781. Fauſtum nuntium gerebat Dauid viris miſericordibus, qui pietatis ſuæ ſemina felicia agro fertili credebant, qui de pauperum lacbrymis irrigatur: *Qui ſeminant*, inquit, *in lacbrymis, in exultatione metent*, Pſalm. 125. num. 5. Sic enim locum explicat Chryſol. ſtatim citandus. Sed certè nuntium primo aſpectu, non tam felix, quàm triſte deſignatur: an non miſericordes viri cœleſtem ſibi meſſem de pietate ſperant, dona ſibi cœleſtia de irrogatis eleemoſynis ſuſpirant? planè. ſi ergo ibi metitur, vbi ſeminatur: vnde iam fauſta meſſis à loco rigato lachrymis pauperum, quæ ab oculis in terram defluunt, terram irrigant? inferres optimè, niſi falſum ſupponeres, lachrymæ piæ pauperum, non terram, ſed cœlum norunt irrigare. Verè chryſologicè Chryſologus ſerm. 42. *Cœli pluuia infundit terram: lachryma pauperis cœlum rigant: ergo ſuit cœlum, & expectat de ploratu pauperis vicem roris: quia miſericordia arat cœli campos, ſulcos ducit pietas per ſuperna: illic miſericordia ſeminat, quia qua ſuſceperis manus pauperis, ibi metit: ibi ſegetem colligit qui ſemen ſuum pauperi commiſerit hic ſerendum.* Nihil cœlo ſolidius, nihil firmiſſimâ illa ſoliditate impenetrabilibus, & tamen rigatu lachrymarum ſic molleſcit, vt iam aratro piu cedat, iam miſericordiæ ſulcos patiatur. feliciter ergo ſeminat in lacbrymis, qui meſſem ſibi deſiderat cœleſtem.

§. III.

Præpositus titulus expletur.

1782. EX hac siti, qua Chrysologus ait cœlos vicem rorta deploratn pio expectare, intelligo iam tenorem, quo Lucas in describendo gesto procedit Magdalenæ *cap.*7. proponit tamquam quid præcipuè à Maria curatum gestasse vnguentum, *attulit alabastrum vnguenti*, num. 37. & cùm statim sacra vnctio describenda videbatur, prius dicitur, *lachrymis cœpit rigare pedes Domini*, num. 38. deinde tamquam quid obiter factum additur, *& vnguento vngebat*. ex dictis, inquam, iam inter vnguenta causam subodoror. cùm terra ad æstatem in buccas aperitur, quando æstuans sitit aquam: sic missâ pluuià audi exultant agricolæ, vt affirment terram primò immersam redolere suauissimè, quasi non aquâ, quam aromate rigaretur: cùm ergo Maria præuentam piis lachrymis se cerneret, quarum sitientes diuinos illos pedes intellexit, via iam vnguenta curans, lachrymas cœpit dare, quasi suauiora longè aromata parato vnguento, auido sic Domino adhiberet. certè aromata sunt Christo lachrymæ sanctæ: ideo ex hoc gestu didicit Maria, quid postea in re simili opus esset.

1783. Emerat illa aromata *Marc.*16. *num.*1. vnctura Christi Domini sepultum corpus: vbi semel atque iterum quærit, neque inuenit, *stabat ad monumentum foris plorans*, Ioan.10. num 11. Sed heus Maria, recurre ad discipulos; quid sistis? discurre cum illis circum vicina loca, si fortè dilecti nuntium expiscaris: at, inquit illa, expetiat priùs, an suauiori longè aromatum genere apparitutum Dominum cōmoueam. visus ille empta hæc aromata fugere & spernere: en clausa silent, iacent otiosa: quis scit, an aromaticis lachrymis attrahatot. Ah mulier magna est adinuentio tua? trahes quidem ad aroma hoc nouum, dilectum illum, post cuius vnguentorum odorem, cœlestes spiritus currunt lætabundi. nihil mihi gratius dixit ad hunc locum Galfridus: *clausa*, inquit, *ferebat aromata foris quæ comparauerat: fluebant in lachrymis aromata pij pectoris, & pro guttis sanguinis, quas ille in passione sudauerat, lachrymarum imbres ista fundebat*. quasi etiam in lachrymis pium balsamum ministraret, quo laceros de sudore sanguineo poros, quos nondum sciebat gloriosos, confoueret.

1784. Hinc capies auida vota piæ animæ, cupientis ad attrahendum dilectum cordis sui hortum præparare, *surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum*, Cant.4. n.16. *Aquilo*, inquit D. Antonius de Pad. Dom.5. post Pascha, *quasi ligans aquas*, ventus scilicet durus, gelidus Boreas, qui compedes fluminibus, fontibus vincula, murmuribus iniecto glaciei freno silentium imponit: si ergo hic à pio horto auerruncatur, in quem sollicitatur Auster benignus: eò veniet, vt contrario effectu fluuios expediat, fontes dissoluat, murmura insusurret, vt aquæ diu detentæ fluant iterum. at non ita sponsa, sed addit: *veni Auster, & fluent aromata*. nec mirandum: si enim aqua conscientiam irrigans, vt suprà dixi, ea solis lachrymis comparatur: lachrymæ autem, vt vides, aromata sunt Christo, perinde est si dicamt in hoc loco, fluant aquæ, vel fluant aromata. D. Anton. citatus. *fluent*, inquit, *aromata, id est, lachrymæ: quæ in conspectu Domini redolent super omnia aromata*. Trahitur itaque Dominus ad aquas sancta odoris allectus suauitate.

1785. Sed quidni trahatur, si tamquam nobili pretio, eius fauores lachrymis redimuntur. Quando Magdalena, de qua modò dicebam, plorabat ad sepulchrum, aromata distillans ab oculis, manibus pupillarum apparata, sic flens inclinato capite interiora eius prospexit: *dum ergo fleret*, addit Ioannes eodem num. *inclinauit se & prospexit in monumentum*. certe iam satis prospexeras, quæ inde sublatum Dominum nuntiaueras. Quid ergo denuò curas afflicta fœmina? volebat, credo, emollire lapidum duritiem, & donis, inclinati aspectus lachrymis nimirum, piè duram custodiam corrumpere. ac si diceret: auara est mors, auarum est sepulchrum, omnia rapiunt, harpagant vniuersa: forsan ergo, quia priùs dona non obruli, corpus denegarunt. en iam adhibitis lachrymis ministro pretium: fiat implearur hoc auro, hoc aromate sepulchrum, pretioso mihi deposito redimendo. fauet ibi Drogo lib. de sacram. Pas. *si fieri*, inquit, *posset, redimendo corpori sepulchrum lachrymis implesset*. certè redemit: nec vnquam Erythræum ditius despumauit, quàm oculi margaritas grandinarunt.

1786. Via deserunt vrbem perfidam Magi pij, cùm ecce iterum ostenditur stellæ lucis profluuio elegans, fulgoris radiis eloquens nuntiatrix, *& antecedebat eos*, Matth.2. num.9. & vnde tam faustum amissum semel ducem recuperarunt? colligo ex Euangelio, qui de his subdit: *gauisi sunt gaudio magno valde*, extollitur in immensum lætitia tunc percepta, conceptæ de amissione mœstitiæ subnotandæ: ergo atrâ mœroris nube incedebant grauati, quæ de immissis ardentibus suspiriis rarescens, in lachrymarum imbres soluebatur: lachrymæ verò in margaritas congelatæ, quidni dato pretio tanto allicerent stellam? mentior ni id voluit D. Epiphan. *orat. de laud. Virg.* ad hunc locum, de Magis in stellæ occultatione sic locutus: *quorum oculi lachrymis gemmas præ se ferentibus terram irrigabant: quorum afflictio intolerabilis erat*. redimunt gaudium, stellam redimunt gemmis, quæ in stellas poterant commutari.

1787. Nemo tamen putet quæ hucvsque de lachrymis diximus, ad illas lachrymas pertinere, quas aut teneritudo naturæ, aut affectus mollities dissoluit. eæ sunt lachrymæ, quibus tot prærogatiuæ dictæ, dicendæque assignatur, sub quibus cor ipsum liquidum emanat: vt quot ab oculis guttas fundis, tot è penitiore corde sanguinis guttas fundere cognoscatur. ideo D. Ant. de Padua Dom.11. post Trinit. *Cùm*, inquit, *mens peccatoris vulneratur gladio contritionis, effundit lachrymas sanguinis*. nec te fallat color lachrymarum non purpurascens. sic enim sub candore illarum feruor meliùs detegitur. mittis suauerubentes hyacinthos vasculo instillatorio, rosas purpureas: subdis ignem, & guttatim liquor clarissimus emanans. non tam negat purpureos flores vnde ortus, quàm dissimulat: ignis dum substantiam extenuat, colorem emutauit. quidni agat ab incitato corde amor ardentior? vehementior ignis? vulnus cauterissans? ideo Græcus *floril.*7.

Ἕλκος ἔχω τὸν ἔρωτα, ῥέει δ' ἀπὸ ἕλκεος ἰχὼρ
Δάκρυον: ὠτειλὴ οὔποτε τερσομένη.

In cuius gratiam, id claudo numeris Latinis.

Est mihi vulnus amor: sanguis de vulnere, manant
En lachrymæ: nunquam lumina sicca manent.

sed friget amor profanus, diuino comparatus.

1788. Emergit è tormentorum pelago Christi pietas Petrum ad conuersionem respectura. *respexit Petrum*, Luc.22. num.61. prodit statim Petrus, *& fleuit amarè*,

amarè, num. 62. Ecquid eſt in oculis tuis ô Angelorum lætitia, qui Petrum ita commouent ad ploratum? pœnitentes alij terrore iudicij, inferni pœnis vocati, plorent, bene eſt: ſed Petrus ſerena allectus oculorum ſuauitate, dulci lucis reſpectu, cur plorabis? affectum cordis tenerrimum captabat à Petro Chriſtus, imò cor ipſum: quis autem neſciat illud Apocal. 1. num. 14. *oculi eius tamquam flamma ignis?* Incinerauit ergo reſpectu cor: quidni iſtud diſſimulato colore, in lachrymas per oculos deſtillaretur? D. Anton. de Pad. Dom. 2. poſt Paſcha: *Oculi eius*, inquit, *tamquam flamma ignis*, &c. *reſpectus gratia Chriſti tamquam ignis, glaciem, id eſt, cor peccatoris congelatum diſſoluennis: vnde reſpexit Petrum, & fleuit amarè, quia diſſoluta fuit glacies cordis eius in lachrymas compunctionis.* Quàm efficax ignis, qui cor nouit feliciter liquefacere! quàm acutus gladius, quàm fulmineus ictus, qui ſano corpore cor ipſum vulnerat, vt de fulmine, flumina ſanguinis cor emittat! ideo Gilibertus ſerm. 30. *reſpexit Petrum, & cor eius percuſſit, vulnerati cordis lachrymæ dant ſigna.* incerta ſigna, niſi facti vulneris ſanguis noſcerentur.

1789. Officioſa Magdalenæ opera conferens Chriſtus ruſticæ Pharisæi inurbanitati, & grata quadam antitheſi percurrens, dum ab illo negatam ſibi aquam pedibus obiicit, ſic ſubiungit: *hæc autem lachrymis rigauit pedes meos*, loco ſæpe citato: fateor longè à diuerſis fontibus lachrymas dimare, quàm illam elementalem ſibi denegatam: verumtamen lachrymæ aqueæ naturæ ſunt, & oculorum aqua appellantur: vnde ergo venuſta antitheſis, quæ è rebus toto genere diſſitis gratior peti ſolita? Obiectio non ſpernenda, ſi lachrymæ Marianæ, communis eſſent cum aliis naturalibus conditionis. veruntamen ab intenſo dolore emiſſæ cor liquefactum fundebant. iam ergo plena antitheſis, dum ſanguis cordis datus, denegatæ Domino aquæ opponebatur. Bene Ludolphus in vita Chriſti, ad hoc caput: *patet magnitudo contritionis, ex qua lachrymas pœnitentia ſanguinem cordis fundens, tantum fleuit.* ſcilicet vulnerati cordis lachrymæ dabant ſigna, dum ſanguis ſub candore velabatur: imò vulnus erat ab igne cauteriſſans, ideo ſoluto cordis gelu, ipſum deſtillantibus oculis defluebat, ſic hymnus eius explicandus.

Pater ſuperni luminis
Dum Magdalenam aſpicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque ſoluis pectoris.

1790. Et quidem fauſtè penditur cor adactum oculis, per lachrymas deſtillandum, quando inde oculi venerabiles quodammodo ipſi Deo redduntur, cupitæ ex ipſo pacis extorquendæ. Quas pias Dominus technas non quæſiuit, vt Iſraëli, cui fuerat ſubiratus, tandem ignoſceret? Ad quas non anguſtias redegit Eliam, vt ab illius ore cœli claues eriperet, quibus pluuiæ portas penitus concluſerat? donec iam quaſi ſitæ impotens, iubet Prophetam adſtare regi Achab, *vt dem*, inquit, *pluuiam ſuper faciem terræ*, 3. Reg. 18. num. 1. Ecquid ſua Domini intererat hominibus benefacere, vt tam auidè negotij complemento ſtuderet? reſpondet Chryſoſtom. ex ore Dei *tomo* 1. *homil.* de Helia: *Parturio vindictæ ſolutionem: vrgeor vt reconcilientur.* quaſi non tot laboris doloribus parturiens fœmina fœtum edere curet, quàm Deus è pietatis viſceribus vindictæ ſolutionem, id eſt, irrogandam pacem parturiret. Sed vnde tanta vis? vnde tam impensè Deus vrgetur? ipſe fatetur, *ibidem* apud Chryſoſt. *reuereor*
lachrymas eorum, qui pœnitentur. O ſanctam Chryſoſtomi audaciam, vnicè & Dei pietatem, & lachrymarum dignitatem agnoſcentis.

1791. Sed quidni reuereatur Deus lachrymas paci tribuendæ, qui verbum ſuum ne fruſtretur, qui vt ſtet fœdus initum tantopere reueretur? mouent lachrymæ Deo reuerentiam, ne pacem deneget: quia illas pacis fœdera collocarat, veritus ne de violatione fœdifragus habeatur. Pœnitet illum noſtro dicendi modo, imò & ſuo, (ſic enim loquitur Scriptura) aſperi diluuij quo terram inundauerat, icit cum Noë pacis fœdus, & ſubdit: *arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum*, &c. Geneſ. 9. num. 13. Audi nunc Eccleſiaſticum ſub Simone Sacerdote ſanctiſſimo, de quouis iuſto diſſerentem: *quaſi arcus cœleſtis refulgens inter nebulas gloriæ*, cap. 2. num. 8. ergo iuſtus quiſque, iuſtus erat, qui tamquam pacis fœdus in arcu illo ſidereo notabatur. Si enim pauci iuſti ignis diluuium Sodomis auerterent, meritò ab eiſdem, aquæ nouum diluuium retardatur. Sed quæ iuſti ad Iridem analogia? vnde illi tanta dignitas, vt nubes arcuata cœleſtis intelligatur? D. Anton. Dom. 2. poſt Trinit. ad locum Eccleſ. *Arcus*, inquit, *cœleſtis prouenit ex reuerberatione Solis in nube aquoſa: nubes aquoſa eſt vir iuſtus humore lachrymarum aquoſus: hic in ſe veri Solis radios ſuſcipiens*, &c. in lachrymis conſtituitur pacis fœdus: hæc ſola aquarum inſtabilitas pacem firmat, ſtabilit amicitiam.

1792. Mirabar aliquando, cùm ſæpe poſt pœnitentiam, tot maneant adhuc affectus, quibus cum oporteat ſtrenuè bellum gerere, cur Mariæ pœnitenti diceretur, *Vade in pace*, Luc. 7. num. 50. Nunc rem agnoui. quid enim belli non facile conficiendi ſubitura, quàm non habitura pacem, quæ dum de lachrymis tantum excelluit, fœderata pacis Iris conſtituitur? minus dixi: nobis arcus fœderis ponitur, vt ſecuriùs de comparanda pace confidamus. Audi pulcherrima verba Galfridi apud Tilm. ad locum Geneſ. *Arcus*, inquit, *fit ex repercuſſione radiorum Solis, & nube humida. nubes humida fuit Magdalena quando pedes Domino lauit, & capillis terſit: fuit etiam Solis radijs repercuſſa, id eſt, gratia reſperſa, & lachrymis reſtituta. color igneus refertur ad dilectionem, & demiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: ceruleus ad pœnitentiam, vnde lachrymis rigauit pedes Domini, item fuerat priùs in cœno luxuriæ, ſed modò ponitur in nubibus cœli, & ſic eſt fœdus inter nos & Deum, quis deſperare poteſt, vbi tam peccatrix tam glorioſa effecta eſt?* &c. de hoc arcu iacitur ſagitta, vt infigat vulnus amoris in cordibus auditorum: graphicè.

§. IV.

Pacem prædictam comparant lachrymæ, piiſſimo bello Deum expugnantes.

1793. Comparant autem prædictam lachrymæ pacem, quia piiſſimo bello Deum norunt expugnare. voces ſunt, quæ legatione funguntur: tubæ diuinis auribus reboantes: currus quodammodo Deo inſequendo, arma vincendo, victo legem imponunt. & quid ad bellum vltrà deſideratur? ſingula breuiter percurramus. Indicitur mortis ſententia Ezechiæ de iuſtitiæ ſeueritate, quæ tandem de miſericordiæ viſceribus reuocatur: & audit Rex à Propheta:

Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adijcio super dies tuos quindecim annos, Isai. 38. num. 5. Sed cur non tam ipse Rex lachrymans, quàm eiusdem lachrymæ visæ exprimuntur? quia licèt Deus vbique sit, vbique videat: in cœlo tamen peculiari quadam ratione assistens, ibi nostro dicendi modo signatiùs vitæ diuinæ functiones videtur exercere: cùm ergo Rex in terra, lecto decumbens iaceret, ad cœlum verò lachrymæ ascendissent: Ideo non tam ille, quàm istæ visæ describuntur. At quorsum lachrymæ eò conscenderunt? legationem tulerunt, vt fœdere cum misericordia inito, huius ope, à pœnitente Rege diuina iustitia piè expugnaretur. Galfridus *ibi* apud Tilman. *Vides*, inquit, *quàm sit efficax oratio? quàm festinus, & fidelis legatus lachryma supplicantis? à maxillâ ascendit in cœlum, & Altissimus non despiciet eam. quid enim non poterit, quæ propheticum sic mutauit oraculum, diuinam flexit sub omni celeritate sententiam.* Ecquæ est flexa sententia, nisi iustitia benignè superata?

1794. Neque caret emphasi alia verbum illud *vidi*, quo vt plurimum litteris diuina complacentia explicatur. quasi dixerit Deus: non tam in te qui legationem mittis, quàm in legato misso, mihi complacui: eius intuitu diuinam pro te iustitiam cohibeo. Sic solet resp. ad inimicum Regem eos Legatos mittere, quos norunt irato Regi gratiosos: sic Senatus populusque Romanus ad Ducem iam iam vrbem euersurum, eiusdem matrem cum legationis munere expedierunt, vt Legati amor, quod Roma ipsa non poterat, extorqueret. idem Galfridus: *Vtilis res*, inquit, *gratia lachrymarum: quando & lachrymam videt Deus, & se vidisse commemorat.* Equidem illam commemorat, cuius gratiâ itæ memoriam deposuerat. ideo etiam non tam in legatione, auditæ dicuntur lachrymæ, quàm visæ: quia Legati tanti, non tam loquendo veniam postularunt, quàm se exhibendo, veniam meruerunt: vocem gemitus mittit, sed lachrymæ Legati admittuntur. Allusit D. Ioannes Climacus in scala parad. gradu 7. *Mœstitia*, inquit, *& gemitus ad Dominum clamant, timoris autem lachrymæ legatione funguntur.*

1795. Quis crederet post tantum scelus Petrum licèt petra foret, mille in preces, mille in vota non esse effundendum? & tamen nec verbum audis prodidisse: sed tantùm, *egressus foras fleuit amarè*. Matth. 26. num. 75. prudens scilicet, certiores in lachrymis inuenit Legatos. Apud nos, vt plurimum Legati ab Oratoribus non distinguuntur, quia summa felicis legationis vis, in eloquentiâ consistit: vnde illud Poëtæ 7. Æn.

Centum Oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, &c.

vt verbis compararent fucatis, quod armato opere non valerent. At lachrymæ se ipsis ostentatis, apud Deum satis dignæ quin eloquantur, negotio peragendo. D. Eligius Nouiom. *hom.* 16. de hoc Petri facto, ita habet. *In omni igitur culpâ priùs flendum est, & sic deinde precandum. lachrymæ enim tacita quodammodo preces sunt, veniam non loquendo postulant, sed merentur: caussam non dicunt, & misericordiam consequuntur.* qua luce potuit, in falso numine Poëta, ingenium Dei nostri effigiauit. Quas non meditabatur eloquentiæ vires Venus, vt Iouem patrem orans & adorans exoraret? at nihil se facturam sperat, ni lachrymas præmittat, Æn. 1.

Tristior & lachrymis oculos suffusa nitentes
Alloquitur Venus.

tunc verba fundit, cùm suffusa lachrymis rem credit iam confectam.

1796. Sed quorsum aliæ voces, cùm omni tuba clarior diuinis auribus lachryma quæuis reboet, quantumuis tacens? *Nunc capies quid sit illud* 1. Reg. 1. num. 10. *Cùm esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit, dicens: Vbi post descriptam voti nuncupationem dicitur. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur*, num. 13. & vbi clamor ille Hebræis solemnis, qui toties in diuinis litteris exauditus celebratur? licèt enim cordis vota ad Deum scirent accessura, tamen gens illa, vt erat externis tot cæremoniis addicta, vocales & sonoras preces, vt plurimum vsurpabat: cur ergo Anna in tanta afflictione has deponit? quia flens largiter sciebat in lachrymis non tam oris clamorem, quàm tubæ clangorem, cœlo rumpendo, Deo attrahendo expediri. mira res: pupillæ oculorum tenellæ, non buccis sonantibus, sed adamantinis lachrymarum buccinis perstrepebant. Chrysost. *in cap. 8. Matth. hom. 6.* de sanctis lachrymis locutus: *Quales*, inquit, *certè illæ erant Annæ aliquando lachrymæ, de qua dicitur: vox autem eius non audiebatur: solæ lachrymæ emittebant ad Dominum, vocem omni buccinâ clariorem.* Aptè igitur clamores suppleuit, quæ in bello quod propugnante Deo sterilitati publicabat, clangores potiùs adduxit lachrymarum.

1797. Dulcissimum amoris bellum, amori suo castissimo, id est, absenti Christo intendebat Magdalena. propugnat ille latebras: Maria pro præsentiâ decertabat. fugit ille, & ista sequitur: at quomodo sequitur? flet amarè, & mare fundit lachrymarum: si fortè per mare, quod est itineris compendium, ventis suspiriorum nauigans dilectum consequatur. Sed aptiùs ad rem belli in qua sumus, currus metaphoram Drogo sæpe citatus vsurpauit. *Corpus*, inquit, *erat sublatum, sed quis auferat eâ ploratum? indulge domina, indulge totis habenis, & effunde procurrens infatigabiles lacrymas, donec sublatum, imò resurgentem Dominum tuum consequaris.* Et quidem consequitur, quæ Domini latibula expugnauit. nisi dicas, *habenas* in hoc loco, non tam currui, quàm naui deseruire. vsus metaphora *lib. 6.* Virg. *de Ænea.*

Sic fatur lachrymans, classique immittit habenas.

de Maria, quæ non meliore classe, quàm lachrymis Dominum expugnatura procedebat, posses dicere:

Sic perstat lachrymans, lachrymisque effundit habenas.

ita carmen refingebat olim patruus meus, homo ingenij non vulgaris, de Petro locutus. pergo.

1798. Accedit Christus ad viduam Nain, & ait illi, *noli flere*, Luc. 7. num. 13. ast cur, dum non resurgit filius, pium & debitum officium Matri denegatur? quia iam negotium lachrymæ peregerant, iam mortem, & iustitiæ decretum piè expugnarant: iam aderat attractus auctor vitæ: iam trophæum victoriæ misericordia lachrymis victricibus apparabat. quid vltrà decertarent? nimirum, non hæc sicut mater illa poëtica insaniebat.

Cùm complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Sed cordata lachrymas miscens suspiriis, ab imo corde & tacito, sibi in tot angustiis opem implorabat: huiusmodi autem lachrymæ Christum capiunt, & si quæ dura pij cordis decreta, norunt debellare. Chrysol. serm. 103. *Si ad vnius*, inquit, *viduæ lachrymas temporales, sic motus est Christus,*

vt occurreret in via, vt ex oculis stillantia dolorum fluenta restringeret: vt recurreret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres, in festiuitatem natalitiam commutaret, & pheretro datum, matri viuum redderet ex morte: quid modò faciet quando inardescit viribus suis, ad Ecclesiæ suæ lachrymas diuturnas? quasi aliò cogitans, à piis armis expugnatus viduæ occurrere cogeretur.

1799. Vulneratum se fatetur ipse Christus vno sponsæ oculorum ictu dulcissimo: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, Cant. 4. num. 9. Ecquæ maior vehementia in conatu, quæ potentior in ictu violentia, quàm quæ in Deum audet, & audit se victricem? certè nulla. Sed quæres vnde tanta vis in oculis istis? crederem, quòd semper lachrymosi, semper lachrymis feriendo æterno Numini præparati æquè, & obarmati: ideo de eisdem dicitur in hoc loco quem fusiùs explicamus, *oculi tui sicut piscinæ*: vel, vt ex Græco legitur, *sicut stagna*. ac si oculi isti ideo vulnerarent, quia stagnorum instar lachrymis redundabant. Rupertus ibi ad Deiparam: *Sicut piscinæ*, inquit, *nimirum in eo, quòd non deficiunt in eis aquæ, & tu maximè præ cunctis mortalibus semper compuncta corde, dicere poteras: fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* nimirum humanæ lachrymæ solent quandoque pulchritudinem adaugere. vnde Virgil. decoras pueri lachrymas appellauit, & Statius hærens: *accessit lachrymarum gratia formæ.* Quidni ergo diuinæ penè lachrymæ, pulchriorem animam, & vulnerando Deo reddant valentiorem?

1800. Luctatur Iacob cum Deo, aut saltem ἀντιθέῳ, & fit contra illum fortis superator, & quodammodo succumbit piissimè dandis benedictionibus creator creaturæ, *Genes. 32. num.* 28. & tamen victoriam tantam prolaturus Oseas, sic scribit, *& inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum*, cap. 12. num. 4. & vnde fortitudo tanta, in tantam mollitiem declinat? cur qui validus celebratur, describitur plorabundus? non mollitiem taxat Oseas, sed arma commemorat: voluit quidem Propheta scandalum amouere, cùm vice Deus ab homine superatus legeretur, ideo fletum addidit. ac si dicat: lachrymarum sanctarum robori, quid mirum cedat Deus. Rupert. *lib. 6. in Cant.* post dictam fortitudinem: *Confestim*, inquit, *fortitudinis eius exprimens modum, subiunxit: fleuit & rogauit eum.* quasi superari Deum lachrymis, cùm sit moris & amoris, non possit esse pudoris.

1801. Parum est hoc. Victor victo leges ponit, & pro arbitrio suo mores componit: quod quamuis vbique verum, in re tamen amoris quàm verissimum. hinc fabulantur veteres Omphalem pulchram puellam, Herculi leges dedisse, & robustam viri dextram clauæ assuetam, molli deducendæ lanæ, fuso torquendo imperiosam adaptasse. certè maius est amantis Magdalenæ lachrymas, immenso Deo lachrymas extorsisse: solus amoris secretarius Ioannes rem notauit: *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes*, &c. *Lachrymatus est*, cap. 11. num. 33. quid enim aliud hoc erat quàm humanis lachrymis superatum se fateri Deum, & victoris hominis arbitrio se subdere? planè, quia scit homines lachrymarum effusione in expugnandis cœlestibus, infirmitatem innatam protestari, iam diuina firmitas terrenis se contemperans ad lachrymarum demittitur infirmitatem. Radulphus hic apud Godefr. *O vis*, inquit, *ô potentia lachrymarum! quæ cœli ac terræ Dominum, eumque qui Angelorum & hominum lætitia est, ad lachrymandi humilitatem, infirmitatemque deposuerunt.* Sed nondum exhaustæ mihi lachrymæ, alibi altiùs effundendæ.

Manè surgamus, &c. VERS. 12.

§. I.

De suspecto alit domum suam Paterfamilias otiosus.

1802. Viden' quàm sollicitè Pastores nostri, qui iam per nuptias patresfam. instituuntur, rem suam tractent familiarem, quam ad curam, quos ad labores incitentur? moneris ergo Paterfam. vt alendæ familiæ tuæ allabores, prout status tui conditio requirit: aliàs suspectæ erunt impensæ quibus domum alis, si semper otio diffluis, ignauescis inertiâ. Maneat ergo ratum patremfam. qui domum suam alit, nutrit filios deses, (nec enim labor, aut industria, aut census vnde suppeditetur sumptus ibi apparet) necessariò suspectum esse habendum: vnde enim id habet, cui non adhibet curam? vnde diuitiæ, quas sudor non instillat? de labore alat familiam, sumptus impendat necesse est: aliàs de nequam aliquo titulo, de occulta aliqua arte nec illa bonâ veniet infamandus.

1803. Dicebat Propheta Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius*, num. 1. Quis hos tales non putaret, felicitatem suam beatam in requie totius immuni laboris collocaturos? Audi tamen quid subdatur num. 2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*, num. 2. quia patrifam. & fœcundæ vxori, & nouellis filiis *num.* 4. pastum & necessaria præbenti, nihil venit felicius, quàm si norint contribules, labore & industria domui suæ inuigilare. Hugo Cardin. ibi: *Hoc dicitur*, inquit, *contra curiales, qui semper viuunt de alieno.* Certè *de alieno*: an rapto, an accepto, alius dixerit: nisi quòd iam vera rerum vocabula amisimus, & quod industriè rapitur, ingeniosè accipi protestamur. vnde à salario tenui, immensi sumptus? sed ohe; si iam dixi, alius dixit, vtcumque sit, de proprio manducemus labore, ne alieno videamur inhiare: ambulanti enim in viis Domini hæc tamquam maxima benedictio promittitur.

1804. Hoc sibi tamquam rarum, & magnum donum concessum, testatur ipse Propheta de Deo locutus: *elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fætantes accepit eum: pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam*, Psalm. 77. num. 70. Nonne satis erat, si ad pascendos homines, de pastu ouium vocaretur, nisi necessariò, fœtantes oues exprimerentur? explicat caussam in scholiis Vatablus: *Solent enim*, inquit, *pastores in primis curam habere ouium lactentium paruulos suos.* Fœtas oues laboriosiùs ducunt pastores, agniculos pectori attollunt, nulli parcunt labori, vt matribus pinguia, & fœtibus mollia pascua subministrent. hinc ergo vocatur Dauid pascendis hominibus, vt intelligat consimili labore & industriâ rempub. sibi gerendam: ne vicinis Principibus suspecta regni eius affluentia, & latrociniis parta videretur: ne priuato suo fisco non tam curare, quàm excoriare oues diceretur.

1805. Sed quàm in hanc rem grauidum mysterio, quod

quod statim subiungitur, *& pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Quàm noua locutio! cor intellectus sedes creditor, vnde & sapientes dicimus cordatos. Iustus opere apud eumdem Prophetam alibi, *innocens manibus* appellatur: hic autem mutatâ sententia, innocentia cordi,& manibus intellectus attribuitur,& meritò. Audi ibi Augustinum: *Alius*, inquit, *putaret ita congruentius dici potuisse: in innocentia manuum, & in intellectu cordis. hic autem qui magis quàm alius, quid loqueretur, sciebat: cordi maluit adiungere innocentiam, & manibus intelligentiam.* Crederem, quia totus intellectus in manus Principis, sine partis fam. est transfundendus, vt prudenter, sollicitè, & industriè pro subiectâ materia laborantes, census malè comparati fugiant suspicionem. nescias vnde hodie nonnulli otiosis semper manibus, solas mentis technas adhibeant ditescendo, non ita Dauid: de quo ibi Euthymius: *Ipsas*, inquit, *actiones intelligit ratione dispositas.* tales enim sint necesse est, ne rationabiliter, de familiæ pasto arguantur: sed prudentissimè istæ mentes, imò callidissimæ, manus sine actionibus fatuas derelinquunt? solumque rapiendis alienis occupatissimas.

1806. Hæ Dauidicæ manus intelligentes, Iacobi manuum memoriam mihi excitatunt, qui in bonorum suorum partem Iosephi sui filios vocaturus, *Extendens*, inquit textus, *manum dextram, posuit super caput Ephrem minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus,* Genes. 48. num. 14. pro qua manuum commutatione legitur in Hebræo, *intelligere fecit manus suas.* Nemo nescit ex Patrum doctrinâ, sic commutatis manibus Crucem formatam: satis nunc D. Thomas ad hunc locum. *Iacob*, inquis, *hanc translationem hic fecit, sub signo Crucis brachia sua traducens.* quasi tunc manus rectè intelligentes, cùm laborantes, & crucifixæ, bona sua sine otij suspicione diuidebant. Sed hic locus propriè ad hæreditatem pertinet, qui proinde infrà iterum ponderandus.

1807. Hinc illud Ecclesiastis: *Hoc itaque visum mihi bonum*, cap. 5. num. 17. D. Hieron. legit. *Ecce, quod vidi ego bonum. quod est optimum.* Summum aliquid post tantum encomium speres nuntiandum: illud verò subiungit: *vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole numero dierum vita sua, quos dedit ei Deus.* Atqui, vt loquitur ad rem aliam Isaias, captâ prædâ victori lætitia magna comparatur: cur ergo lætitia oblectationis in iis, quæ labore comparantur, in hoc loco tamquam optima celebratur? quia nimirum rapinarum infamiam istæ amouent. D. Gregor. Taumaturgus ibi in sua metaphrasi: *Dei enim*, inquit, *beneficio homini contingit, vt laboribus suis cum animi oblectatione perfruatur, diuinitus acceptas, ac non vi extortas opes possidens.* quasi sit noua diuini beneficij corona, quòd medio industrio labore tuo bona capias, ne in minus dignam veniam suspicionem, familiamque de nequitiæ technis, aut sceleris violentiâ alere videaris.

1808. Nec immeritò: ideo enim, ni fallor, assidua fuit iustorum cura, si quando aut repentè, aut insperatè diuites, familiæque altores apparebant, Deum protestari auctorem, ne aliis malam facerent suspicionem. Cœlestis ille panis, quo Moyses castreosem suam familiam erat alturus, *iacuit*, inquit textus, *per circuitum castrorum*, Exodi 16. num. 13. Sed si Hebræis credimus, primum in ipsius Moysis manus incidit. Ast quales manus? Iosephus ant. 3. cap. 1. *dum Moyses precabundus palmas extollit, ros de cœlo dilabitur, qui in manibus eius inhærens cum concreuisset, suspicatus ille hanc alimoniam à Deo demitti, degustat: ac mox prægustatum alijs offert, vt experti crederent.* vt, si minus laborioso aratro callosas manus exhibebat, orationi saltem ostenderet intentas: ne suspectam faceret alimoniam, quam vel non irrigarat sudor, vel non Deus irrogarat roganti sibi.

1809. Narraturus seruus ille Abrahami domini sui statum, & res eius apud Laban expositurus, sic incepit: *Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusque est*, Genes. 24. num. 35. vt præ narratis, inquiunt, diuitiis, ad nuptiarum fœdus attraheret eius animum: sed quidem id si solùm intendisset, satis foret si diuitias explanaret, quin à Domino Deo datas, quin diuinam Abrahami cum Deo amicitiam insinuaret: altiùs ergo collimabat, ne scilicet si hominis, qui iussus patriam relinquere, & pauper peregrinari, bona referentur, haberentur suspecta, nisi à Deo ipso manantia dicerentur. Fauet ibi Oleaster: *At si diceret*, inquit, *si diuitias quæras, ditissimus est in omni diuitiarum genere, & quod maius est, Deum amicum habet, à quo hæc omnia procedunt.* ne aliunde processisse, aut ex raptu, aut ex technâ ueque temere Labam existimaret.

1810. Inuidentes Palæstini Isaac, omnes illius puteos obstruxerunt: quin & Rex illi discessum imperat, quia se longè potentiorem cognoscebat, Genes. 26. nec tamen in tanta eximiæ opulentiæ inuidentia audis obiectas rapinas, aut prauas artes, credo, quia aliunde audietant, Dominica benedictione tantum creuisse. Audi Scripturam: *Benedixitque ei Dominus, & locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est, habuitque possessiones ouium, & armentorum, & familia plurimum.* ibidem à num. 12. vt nos etiam obiter instituerentur, cui repentinam opulentiam, cui præmissâ industria non legitur, à Deo dimanasse, & quod maius est, satis dignè de diuina benedictione terrenas opes tribuente sermonem fieri, vt nec ex rapiu, nec ex dolo illas nobis sperandas putaremus. D. August. tom. 4. lib. 1. in Genes. quæst. 78. ad hunc locum: *Ideo*, inquit, *præmissum est, benedixit eum Dominus, vt sana fide intelligamus etiam illa temporalia bona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cùm ab infirmioribus appetitur, nisi à solo Deo.*

1811. Iacob olim pauperculus, & in barulo suo Iordanem transiuit: cùm in reditu autem ditissimus munera fratri offerret, subdidit: *Esto mihi propitius, & suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* ne aut de rapinâ, aut de dolo parta viderentur illa, quæ aut fratri ad munus, aut familiæ suæ ad sustentationem afferebat, ideo expresse sibi omnia à Deo attributa ait; nullus enim crederet, pauperculi pastoris operam, tantâ instè comparasse. Sed seruus Abrahami, & Isaac apud Idololatras homines erant. Iacob ad fratrem non beniuolum loquebatur; ideo non mirum tollendæ suspicioni, benedictionem prætendisse: magis mirum, potasse prudentissimum Iosephum, in bonorum suorum commemoratione apud Patrem, & illum tenerrimè diligentem, hâc sibi etiam defensione opus esse. Ter cap. 41. insinuat fratribus Deo disponente Ægyptum deuenisse, vt esset quodammodo pater Pharaonis, dum illius familiam alebat. nec his contentus

textus addit: *Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioſeph: Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ Ægypti, deſcende ad me*, &c. *ibique te paſcam*, à num. 9. quaſi vel etiam ſanctiſſimo patri poſſet irrepere ſuſpicio, ne malis artibus puerulus eò aſcenderet. qui modò repentè ſine ſudore diteſcunt, exhibeant in ſe nobis horum Patriarcharum virtutes, & credemus à diuina benedictione emanare.

§. II.

Infelix vtrinque hæreditas, cui inſtitutoris labor non adhæret.

1812. ADde non ſolùm otioſi Patrisfam. ſuſpectas dum viuit expenſas: ſed infelicem pariter relinquendam filiis hæreditatem bonorum, quibus labor & induſtria non accedit, & quod maius eſt, vtrimque hæc hæreditas infelix manet: quæ enim non de labore proprio, ſed de alieno ſudore comparatur, & parentes perdit, & filios infamat. Inſtituturus hæredem Ioſephum ſuum, & cæteris præpoſiturus fratribus Iacob: *Do tibi*, inquit, *partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo*, Geneſ. 48. num. 22. ne contra animam ſuam gladium vibrare, & contra filij honorem arcum tendere videretur, ſi de raptu, & non de eo quod iuſti belli iure ſibi acquiſierat, illum ditaret. Paraphraſtes Chaldæus, explicans pacifici Patriarchæ gladium & arcum, legit: *in Oratione & deprecatione mea ad Deum*. quaſi ideo emphaticè vocetur gladius & arcus ſuus: quia his armis potiùs vtebatur Iacob, vt ſi iure bellico non partam iſtam partem obiiceretur, aſt meliori iure poſſeſſam declararet. in Hebræo pro ly *partem*, legitur *Sichem*, id eſt, *humerus*: vt grata æquiuocatione, & vrbs quæ ita vocabatur, & labor comparandi illam innueretur: humerus enim vbique pro labore vſurpatur. D. Hieron. lib. de quæſt. Hebr. *Quia*, inquit, *Sichem lingua Hebræa transfertur in humerum, pulchrè alluſit ad nomen, dicens, & ego dabo tibi humerum vnum*. Neque enim poterat Ioſaphi felicitatibus honori eſſe, quod priùs Iacobi humeris oneri non fuiſſet.

1813. Iuſtus erat adoleſcens ille, qui de vitæ viâ Chriſtum conſulens, quòd ab ineunte ætate illam iniret, ab ipſo Domino meruit adamari: *Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum*, Marc. 10. num. 21. & tamen poſtquam ob relinquendas diuitias dandaſque pauperibus, mœſtus abiit, exclamat Chriſtus, quaſi magnum oraculum prolaturus circumſpiciens: *Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*, num. 23. Sed quid ſi diues, vt iſte ſit iuſtus, ſit dilectus? erat tunc dilectus, ſed ex pecuniarum affectu, qui, vt ſolet, in dies creſceret, in ſummo quodam periculo verſabatur diuitias nequiter augendi: inde infelicior quòd & ſe perderet, & hæredes fœdiſſimè infamaret. D. Ambroſ. in Pſalm. 48. *Dominus*, inquit, *auaro dicit: Vade, & vende bona tua, & ſequere me*, &c. *Vende*, inquit, *quæ putas tua eſſe, cùm tua non ſint, quia ad alios fluminis modo tranſeunt, & ſequere me, vt bonum immortale cognoſcas*. non beant hæredes auaritiæ opes, ſed vbique fluminis inſtar tranſeunt; adde, nec tamen indelebilem maculam, quamuis fluuialis ſint conditionis, lauare vnquam poſſunt.

1814. De his loquebatur Dauid: *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt, & relinquent alienis diuitias ſuas*, Pſalm. 48. num. 11. Sed quot auaros, & alieni cernimus raptores, qui non alienis, ſed natis ſuis diuitias reliquerunt? credo, quia licèt ſint filij & legitimi, tamquam ſpurij tamen & alieni, ad alienas quamuis paternas diuitias accedunt infames. neſcit iniuſtus inſtitutor hæredes vnquam legitimos ſortiri. ſemper ſpuriorum labe reputantur aſperſi. hoc abſque dubio licèt non ita explicitè voluit ibi Ambroſ. *Peribunt*, inquit, *ſimul & in vno eodemque loco erunt inſipiens, & ſtultus, & alienis relinquent diuitias ſuas: quia non inuenit nequitia legitimum ſucceſſorem*. Quiſquis ille ſit, etiam legitimus filius, fœdiſſima illegitimi infamiâ deturpatur.

1815. Vendidit quidem, ſed malè, bona ſua Iudas, dum cœleſtem Magiſtrum pretio tradit: at peior adhuc tanti ſceleris deſperans pœnitentia: *pœnitentia ductus*, inquit textus, *retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus*, &c. *& proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit*. Vides curam? notas ſollicitudinem? vt ſe proditor ſuſpendat, inter meditatæ mortis anguſtias, de nummis agit ſedulus, & quos infauſtos ſterquilinio dedere, igni deberet tradere: hos Sacerdotibus, & auguſto loco, templo ſcilicet voluit commendatos; & cur ita? quia non poterat periturus & teſtans hæredes non infamare, qui non de labore proprio, ſed de iniuſto iuſti ſanguinis pretio diſponebat, *Matth. 27. à num. 3.* nec obſtat quòd illos in corbonam Sacerdotes impij non miſerunt, *num. 7.* nam dum illis emendo haceldema vſi ſunt, *num. 8.* iam hæreditatem & proinde infamiam teſtatoris, quaſi in corbonam mitterent, adierunt. iam hinc clarent verba obſcura, & vulgo non ſatis percepta Drogonis lib. ſæpe citato: *Amabat*, inquit, *hæredes ſuos, qui eoſdem denarios exinde colligerent, quos etiam nunc reſeruant in ſuo corbono, proiecit eos in templo, & abiens ſe ſuſpendit*. Pungit autem obiter Drogo, ſi qui hodie ſanguinem Chriſti pretio diſpenſant: hi enim hæredes à Iuda inſtituuntur infames, & hæredes ſuos pariter infamabunt: hucvſque enim in hanc rem miſeri illi denarij in corbono ſacrilegè reconduntur. pergo.

1816. Hinc illa vox Iuſti ad Chriſtum: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, Pſalm. 15. num. 5. vbi hæreditatem à Chriſto accipiendam expreſſit, ſimul etiam Dominicæ paſſionis calicem curauit exprimendum. quaſi ipſa hæreditas à Chriſto data de paſſionis doloribus nobilitaretur; ideo addit: *funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi*. de Patris Chriſti laboribus filiorum hæreditas illuſtratur, eo his præclarior, quo illi conſtitit carior. & nota illam voculam *ceciderunt*, vbi felicis quodammodo iactus filiis hæredibus declaratur, quaſi labor tendendi funes, diuidendi hæreditatis agros Patri reſeruetur. Hinc in Deuteron. mutatis terminis, ſed in rem eamdem dicitur: *quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſraël: pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, cap. 32. num. 8. vt in ipſo quodammodo labore ſeparationis, & terminorum diuidendorum, funiculum hæreditatis ſibi eligeret, vt hæreditas ſpecioſior videretur: clariùs ſtatim num. 11. *Expan-*

ait

dit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. quasi vix Deo hæc hæreditatis coronæ digna putaretur, quæ priùs dulci labore humeros non premeret, & dum illum ab alio capere non potest, à seipso capit, sed laborante.

1817. Concludo verbis Ecclesiastis cap. 2. *Detestatus sum omnem industriam, qua sub Sole studiosissimè laboraui, habiturus heredem post me, quem ignoro vtrùm sapiens, an stultus futurus sit, &c. & est quidquam tam vanum*, num. 18. Certè nihil vanius; licèt illud esset peius, si non de labore proprio, sed de rapinis auaria hæredem institueret: ideo de vanitate queritur in labore proprio, qui in alieno scelus exprimere non sustinuit: quasi non esset res sic fœda nominanda. & meritò: quia rapta auari bona, siue hæredes boni sint, siue mali, (hos vocauit stultos, illos sapientes) & institutorem perdunt, & institutos. apto his verba D. Ambros. lib. de Naboth cap. 1. contra auaros. *Heredes*, inquit, *relinquis qui litigent, cum heredibus relinquis depositum magis hereditarium, quàm commodum voluntarium, qui quod relictum est, minuere ac violare formident; si frugi heredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt. itaque bonos heredes perpetua condemnas sollicitudine, aut malos dimittis qui tua facta condemnent.* quasi malè partæ hæreditati hæredum vexatio adhærescat, & institutor inferno damnatus aut bonos damnet curis, aut per malos (ipsa etiam hæreditatis affluentiâ vitiis immergendos) dum prodigunt, illius auaritia denuo condemnetur.

Vers. 13. In portis nostris, &c.

§. I.

Deus oblata respicit: respuit extorta.

1818. Tota prona & prompta fructus omnes tam veteres, quàm nouos dilecto suo consecrat sponsa: neque id satis, ad ostium sperat venientem statim muneribus exceptura: nimirum nouit dilecti sui ingenium, qui vltrò oblatis gaudet, respuit extorta. Sic explicabam illud eiusdem, *manus meæ distillauerunt myrrham primam*, Cant. 5. num. 5. scilicet iustus vltrò fluat mortificationem, sponte prodat virtutes, instillet operationes opus est, coacta vota, & non hilariter reddita Deus habet. indigna, oblata vltrò habet pretiosissima, sicut myrrha probatissima est, quæ prima fluit, nec incidentem vnguem, nec ferientem falcem prærequirens, sed sponte è sudanti virga destillatur. Sic (quidquid dixerit Plinius) explicandi omnes auctores qui sudantia opobalsama celebrarunt: dicam alibi multa, nunc satis illud Statij *lib. 3. sylu.*

Candida felices sudant opobalsama virgæ.

Quin de myrrha ad rem meam idem testatur ipse Plinius lib. 12. cap. 15. *Inciduntur*, inquit, *hic & ipsa eisdemque temporibus, sed à radice vsque ad ramos qui valent. Sudant autem sponte prius quàm incidantur, stacten dictam: cui nulla præfertur.* hæc ergo prima & sudata, (non expressa) vtpote spontanea Deo placet.

1819. Quas non feraces vineas, quos non amœnos hortos, quæ non odorifera germina, in hoc Cantico sæpe audis repetita? & tamen quære, quæso, torcularia, inquire præla, inuenies nusquam, & cur ita? nimirum oleum sponte effunditur; vinum instillat vltrò: aromata fluunt non inuita. Audi quid dicatur: *Veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, cap. 4. num. 16. de quo pulcherrima multa Gilibert. *serm.* 39. do carptim pauca. *Quidam*, inquit, *fructus nisi pressi coactique, liquorem non fundunt: fructus qui sunt in horto tam delicatè depicto pressionem non expectant: cogi nesciunt, sed Austro perflante fluunt vltrò, &c. plena sunt, & expressa non sunt, nec torcularis violentiam patiuntur eius aromata: torcular in hoc horto non legis extructum. nam vicem torcularis obtinet Auster: afflata quàm calcata melius fluunt: gratuita enim, vt diximus, sunt: non extorta metu, sed spiritu fusa sunt.* neque enim hic hortus esset in delitiis sponso, neque illius aromata pretiosa, nisi fluerent, nisi sponte stillarent, ab Spiritu sancto perflata.

1820. Hinc illa vox iustorum apud Dauidem: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo*, Psalm. 4. num. 7. post tantum beneficium signati luminis, officium videbatur à iustis exigendum: postulanda opera, quibus acceptæ luci responderent: sed tamen prius quàm addatur num. 8. *à fructu frumenti vini, & olei multiplicati sunt.* nouum lætitiæ beneficium interseritur, quia sorderent hi fructus sanctorum operum, nisi præuiâ hilaritate redderentur: hæc lætitia quæ vltroneam & hilarem reddit oblationem, fontis vicem habet, quæ lætas faciat segetes virtutum, ridentia operum sata, proindeque Deo iucundissima. Gilibertus locutus de horto sponsæ, deque eius fonte, *Cant.* 4. sic pulcherrimè serm. 34. *Hæc est*, inquit, *quæ omnium virtutum læta reddit germina, hæc est fortium operum exhilaratio, ac si quædam irrigatio ossium, &c. Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo: lætitiam ad irrigationem deflecto: denique in stillicidijs fontis hortus lætabitur germinans: denique non recolis de Genesi quòd fons ascendebat, & irrigabat totam faciem terræ? adhuc terra dedit fructum suum: non dum nouit spinas & tribulos. quis dabit hortulo meo hanc aquam, & areolis meis hunc fontem signatum! quis dabit vt hortuli mei facies irrigua sit lætitia & lucis riuulis, nihil in eo aut sterile sit, aut quadam in deuotione triste.* quot congessit, tot geminas ingessit: ac si frustrà hortus conclusus celebraretur anima, nisi statim fons hilaritatis irriguus celebraretur, *Cant.* 4. *num.* 12. nec nóscerentur in terra tribuli & spinæ, dum origo fontis faciem terræ irrigantis, *Genes.* 2. *num.* 6. nosceretur. vtrumque lector prudens poterit dilatare.

1821. De Christo locutus Isaias, sic scribit, *& ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente*, cap. 53. num. 2. Et vnde Nazarenus noster floridus virgultum aridum? lege totum caput, & videbis describi penè euangelicè ibi Christum patientem & crucifixum: in Cruce autem innocentissimus agnus, non solùm pro nobis peccatoris figuram induit, sed & peccati, vt loquitur Apostolus; si ergo peccatorem repræsentabat Christus, quid mirum tanquam radix à terra sitiente, sine spirituali lætitiâ, sine prædicto exhilarantis deuotionis fonte, virgultum sterile sine floribus, & fructibus appelletur? Allusit huc idem Gilibertus proximè citatus: *Vicina*, inquit, *sterilitati videtur operatio tristis, & spiritualis gaudij carens irrigatione: denique si quid nascitur, quasi radix ascendit de terra sitienti: quasi radix, non quasi flores, non quasi fructus: quasi radix, hoc est, aut parum, aut nihil plus habens in radice.*

Votum

1822. Votum nuncuparat Anna de offerendo filio, & vix concipit votum, cùm concipit & filium: editum offert, fidem ſatis liberatura ſi ſolum promiſſum puerum Deo redderet, & tamen *adduxit eum ſecum*, inquit textus, *poſtquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini, & adduxit eum in domum Domini in Silô*. 1. Reg. 1. num. 24. Et quorſum, inquis, tanto ſoluto voto, noua munuſcula adduntur? Reſpondet Chryſol. ſerm. 73. *Samuelem*, inquit, *diuino munere ſuſceptum, ablactatum, mox diuinum refundit in munus, & lætitiam ſuam ſacrificiorum victimis, ad plenitudinem liberationis cumulat.* nouerat non placitura Deo vota, niſi hilariter reddita, & hilaritatis teſtimonium de victimis procurat: planè ſponte ſoluit, quæ plus debito ſoluit: ſatis fidem liberat hilariter, quæ liberationem coronat liberalitate.

1823. Ideo D. Paulinus *epiſt.* 2. explicans illud ex Pſalmo 53. num. 8. *voluntariè ſacrificabo tibi*, poſtquam demonſtrat parum eſſe diuitias relinquere, quia ſunt tamquam veſtes, & extrinſecę; ſic addit. *Nunc*, inquit, *opus eſt, vt quæ verè noſtra ſunt, dependamus Deo, hoc eſt, cor, & animam, & corpora noſtra exhibentes in hoſtiam viuam, vt ſcriptum eſt, Domino*, &c. *quæ igitur nobis gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus*, id eſt, de libero voluntatis arbitrio, *ex toto corde noſtro, & ex totis animæ noſtræ viribus diligentes Deum: in quem nos laceſſit affectum Propheta, cùm dicit: Voluntariè ſacrificabo tibi: hoc enim acceptum eſt & placitum Deo, vt bonum noſtrum ſit voluntarium.* ac ſi diceret, vt tota voluntas detur, & illa voluntariè: in omnibus enim quæ offerimus, ſola vltronea oblatio noſtra eſt, & proinde Deo beneplacens: cætera reddimus potius, quàm donamus.

1824. Pulchrè mihi hanc mentem aperit Salomon, licèt obſcuriuſculè. *Honora*, inquit, *Deum de tua ſubſtantiâ, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei*, Prouerb. 3. num. 9. Certè hæc ipſa dona, quæ miniſtris, & pauperibus, quaſi de proprio miſſa honorariè dicuntur offerenda, poſtea reddenda quaſi ex debito proferuntur: *Declina pauperi ſine triſtitia donum tuum, & redde debitum tuum*, Eccleſ. 4. num. 8. Si de propria ſubſtantiâ donum eſt honorarium, vnde iam quaſi de iuſtitia debitum appellatur? ſoluit nodum grauiter & acutè Saluianus *lib.* 1. *ad Eccleſ. Catholic.* vbi ita ſcribit. *Priùs ait: honora Deum de tua ſubſtantia: deinde, redde, inquit, debitum tuum, hoc eſt dicere: ſi deuotus es, da quaſi tuum; ſi indeuotus, redde quaſi non tuum: bene itaque poſuit & dandi voluntatem, & ſoluendi neceſſitatem: hoc eſt vtique dicere omni homini: ad opus ſanctum & hortatione inuitaris, & exactione conſtringeris, da ſi vis, redde ſi non vis.* qui enim cuncta Deo debemus, tunc videmur non tam ſoluere, quàm dare, cùm vltrò offerimus: ſic vnum idemque inuiti reddimus, damus ſpontanei, & quanto nobis illuſtrius vt Deus à nobis accipiat, quàm recipiat? quanto vtilius Deum debitorem ſortiri, quàm creditorem?

1825. Semper elegans Seneca, ſed elegantiſſimus *lib. de Prouid. cap.* 5. referens dogma pulcherrimum Demetrij, quo fortaſſe ad hanc rem nullum vnquam magis ſcitum legiſſe puto. Sic ergo Philoſophus. *Hanc quoque animoſam Demetrij fortiſſimi viri vocem audiſſe me memini. Hoc vnum, inquit, Dij immortales de vobis queri poſſum, quòd non antè mihi voluntatem veſtram notam feciſtis, prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus adſum. Vultis liberos ſumere? illos vobis ſuſtuli. Vultis aliquam partem corporis? ſumite, non magnam rem promitto, citò totam relinquam. Vultis ſpiritum? quidni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dediſtis: à volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo eſt? maluiſſem offerre, quam tradere: quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis. ſed nec nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur, niſi retinenti: nihil cogor, nihil patior inuitus: nec ſeruio Deo, ſed aſſentio.* ſubiicio, tua pace, mi lector, tantis verbis ſi minus pulchram, paraphraſim clariorem: neſcit delitias calamus præproperus, nec captat dulcia, ſed aperta ſtylus commentarij. hoc ergo ſibi vult Demetrius. Hoc vnum eſt immortales Dij quod apud vos quos fateor iuſtiſſimos, querelæ occaſionem videtur excitare: nimirum, quia non priùs de voluntatis veſtræ beneplacito me vel leui inſinuatione certiorem reddidiſtis, amplecterer quidem feſtinus, ſubirem vltrò veniens damna ipſa, quibus nunc de vocatione, adductus quodammodo ſubſiſto. Vultis acerbo fato filios immergere? aſt ego cùm illos recens natos & de more in terra collocatos ſuſtuli, non tam mihi, quàm vobis deſtinaui. Vultis aut morbo lædi, aut truncari ferro, aut igne deuorari corporis huius partem? en illam, & quid magnum offero, ſi breui de inſtante morte, & corpus totum, & quidquid reliquum eſt mihi relinquendum? Vultis inſtantem ex ſe mortem vrgere adhuc, & mihi ſtatim hanc lucem, hanc vitam, hanc animam eripere? quidni afflarim? veſtra eſt, nullas concatenabo moras, vt reddatur, & redeat vobis vnde data venit: denique quidquid petatis, non tam ab inuito extortum, quàm à volente miſſum deferetis. Si ergo ita paratus obedire vocantibus, quid eſt quod queror, quod voluntatis veſtræ præmonitus, quod multo ante beneplaciti veſtri conſcius non fuerim? Ah! iam dicam: mauellem conſcius tantum, offerre vltrò, lubens exiſtimandus, quàm de ſperata vocatione tradere quaſi inuitus. An non piè querar ô numen, quòd violenter auferre quaſi extorquens videaris, quod volenter ab offerente conſcio accipere potueras? Sed en habeo præſumptæ candoris mei labi medicinam: nec etiam nunc ab adducto, coactè putabimini extorſiſſe, nihil enim violenter detrahitur, niſi ab eo, qui retinens reluctatur. ego verò neque tenax reluctor, nec auidus retineo: nemo cogitur niſi renuens, nemo niſi inuitus patitur. ego in quouis malo à vobis immiſſo lubens & volens nec cogi nec pati poſſum: nec enim ſeruili ſpiritu, ſed libero conſenſu Deo ſedulus adminiſtro.

§. II.

Peccatorem furti virtus arguit

1826. NOta deinde meritò omnes fructus, id eſt, omnia opera virtuti ſeruiendæ deſtinata prædicari: quaſi furti ſe arguendam timeret anima ſancta, ſi vnum vel alterum ſibi reſeruaret. ſic vnuſquiſque omnes actus ſuos debet virtuti habere vinculatos, vt ſciat nullum laborem, nullam operam vitiis perditum impendere, quin clarè furti crimine conuincatur. Hæc erat vox illa ſacerdotum ſuorum ad Philiſthæos: *ſi remittitis arcam, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato.* 1. Reg. 6. num. 3. non enim tam dabant, quàm reddebant pœnitentes, quia quod peccato dederant, Deo fuerant ex virtutum patrimonio ſuffurati. Brixianus ibi: *Homo*, inquit,

quit, *pecans quantum in se est, tollit id quod est Dei, & sibi vsurpat: atque adeò tenetur iterum ablatum restituere, si cupiat Deum sibi habere propitium.* vinculata scilicet bona, nesciunt absque furto separari.

1827. Acerbissimè Deus hominum scelera conquestus, sic ait apud Dauid: *si videbas furem, currebas cum eo*, Psalm. 49. num. 18. Sed cur cùm tot alia mala perpetrarent, de vno furti crimine præcipuè denotantur? quia in singulis, & omnibus cuiusuis essent generis peccata, furtum commiserant, sic furtum absolutè pro omnibus supponebat: nimirum dæmoni antonomasticè furi coniuncti peccatores, virtutum patrimonio spoliato, denegatis Deo obsequiis, necessariò iam fures intelliguntur. Incognitus ad hunc locum: *Sensus*, inquit, *est, si videbas furem, id est, diabolum, qui Dei gloriam vsurpare conatus est, tu cum eo currebas, scilicet consimiliter Dei gloriam tibi quærendo.* Sed licèt Incognitus solùm in ambitiosos inuehi videatur, de quouis peccatore id verum est: cùm enim semper Dæmon furis instar aggrediatur, nec possit rem sine consensu nostro exequi, eo ipso furis consortes, &, quod consequens est, fures appellamur. nec sine mysterio expressiùs homini dicitur, *currebas.* quasi, ipse languentem dæmonem stimulet, & corroboret.

1828. Quàm anxiè, & quàm amicè sæpe in Euangelio Christus homines ad Crucem inuitat, quasi non tam sit onus, quàm onerum leuamen, quæ vna animam expedit, vt Paradisi viam aggrediatur: hoc est quod ait: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. num. 24. Eia ergo peccatores malæ conscientiæ timore fragiles, culparum onere graues crucem arripite, felicitatis nostræ vnde leues curratis, Christum sequamini, arripite instrumentum, & tamen mouetur noxius nullus cruci amplectendæ. omnes audito Crucis nomine pallescunt, & conturbantur: econtra iusti & Sancti crucem auidè quærunt, atque amplectuntur, & quo sanctiores, eo inexplebilius cruci inhiant, & mortificationibus. & cur ita si peccatores, plusquam iusti, pœnitentiâ indigent, & cruce? Acutè Drogo lib. de Sacram. Dom. Pass. *Mira res! nihil formidolosius homini, quàm crucem pati: sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt: si latrones non essent, crucem non timerent: ergo qui times, latro est.* Ad crucis, furcæ, restis vocabulum, ne dum conspectum, pallescit timidus latro, quia ibi solet cruciari: nobilis qui nihil debet, nec audiens, nec pertransiens crucem erubescit. fatetur se iustus nobilem dum amplectitur: fatetur se peccator latronem dum crucem perhorrescit.

1829. Ponderat acutè Chrysologus ad Ioan. 11. num. 18. *Iesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad monumentum, erat autem spelunca,* &c. vbi in figura Lazari homo peccatis mortuus designabatur: quidnam mysterij esset in hac voce *spelunca*, vt dixisse *monumentum* non sufficeret: *Dixisse*, inquit, *suffecerat venisse ad monumentum; quid est quod tantopere Euangelista speluncam commemorat?* Sed certè mysterium ibi erat non exiguum: nulla nota latronis sic expressa, vt spelunca: ideo Poëta celeberrimi latronis Caci res scripturus, in describenda eius spelunca totus impenditur *lib.* 8.

Hic spelunca fuit vasto summota recessu
Semihominis Caci.

Quidni ergò peccator actus & operam suam virtuti suffuratus in speluncæ abditis delitesceret? fauet idem Chrysol. iam respondens: *spelunca planè, vbi hominem diaboli latrocinium collocauit: spelunca vbi virum fraus condidit mulieris: spelunca vbi Dei plasma mortis rapacitas includebat.* Fauet quidem, quia licèt expressè latrocinium tribuat diabolo, cùm id sine hominis consensu esse nequiret, redditur iste latro: vnde se, peccaminosum cadauer ad sepulturam, & se latronem recipit ad speluncam.

1830. Nisi fortè dixeris in eamdem furtorum suorum speluncam, occisorum à se cadauera congerere: vnde eadem sibi spelunca, iam aliis infausta reddebatur sepultura. mos certè iste latronum est perditissimorum. Virgil. citatus sic subiungit de eadem Caci spelunca,

—facies quam dira tegebat
Solis inaccessam radijs, semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Bene ergo qui virtutes furatus perdidit, & seipsum per culpam occidit, inque metipso se deinde sepelit & mortui sepulchrum, & latronis speluncam habere dicitur. mysticè id insinuabat Christus quando dixit conquestus: *domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* nam licèt *Matth.* 21. *num.* 13. de templo materiali verba sonarent: at animus, profanatum sibi spirituale humani cordis templum condolebat. Sed cur sic prophanatum templum spelunca latronum appellauit? clarè ad mentem meam Drogo citatus. *Audi*, inquit, *Christum: vos autem fecistis eam, id est, domum meam speluncam latronum. templum Dei sanctum est, quod estis vos: faciunt ergo homines se ipsos speluncam latronum: iugulant homines, & trahunt in speluncam suam: quod enim maius homicidium, quam vt seipsum interficiat homo? vel quod grauius homicidium corpus occidere, an spiritum?* nihil sceleratissimis latronibus vsitatius: miserum ah peccatoris corpus, quod spoliato mortuoque spiritui, & sepulturam præbet & speluncam.

1831. Hinc monitum illud Christi: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur*, Matth. 6. num. 19. vbi non solùm aperta latrocinia, sed occulta furta dæmonis præcauentur. At quibus ad tantum malum ministris vtitur fur teterrimus? eleganter Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 2. *Furem*, inquit, *immundum spiritum esse significas, qui in bonorum operum luce gradientibus non posset obrepere: in tenebris autem secularium cupiditatum, & inter oblectamenta terrestrium si quem ceperit voluptatum, omni virtutis æterna flore dispoliat.* quemadmodum enim si è domo vndique facibus illustrata, aliquo è tuis repentè lucem extinguente, fures pretiosam asportarent supellectilem: haud temerè hunc talem extinctorem, furum esse consortem, & participem furti coarguceres: haud aliter dum tibimet voluptatis illecebris mentem obscuras, tenebris damnas, cum dæmonibus eidem fur obrepis, & virtutum supellectilem dilapidas. lege iterum Ambros. *lib.* 7. *in Lucam*, de homine descendente Hiericô, & incidente in latrones, & Gregor. *in Iob cap.* 19. *num.* 12. prætereo multa huius capitis, ne tomus iusto maior excrescat.

CAPVT OCTAVVM.

VERS. I. Inueniam foris, &c.

§. I.

Misero nostro fastidio tollendo, ad cœlum non tam laboriosè ire prouocamur, quàm vehi delitiosè.

1832. Particulam istam *foris* in dramate explicaui; quasi diceret, extra hunc currum quo vehimur. vide ibi. in curru ergo ad cœlum delitiosè anima conuehitur: cogit ad hæc amoris blandimenta piissimum amantem nostri Deum humana conditio, quæ nescio vnde sic terræ imo exilio totis inhæret affectibus, vt quando ad patriam cœlestem reuocatur, laborem videatur causari,& itationis fastidium opponere: vnde necessarium ducit diuina pietas, aut per se, aut per Angelos, aut in curru homines in cœlum portare, ne vlterius viæ tædium prætendant, & ignauiam suam terrenosque affectus obiectis difficultatibus dissimulent. Scatet hæc materia diuinis testimoniis, seligo grauiora.

1833. Occurrit primus pro hac re Dauid *Psalm.* 90. *n.*11. ad iustum locutus: *quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Vbi quidem attentè, quæso, ponderes *ly ne fortè.* non tam certum, quàm fortuitum, & penè dixerim somniatum periculum caussari videbamur: & tanti facit animam iusti ad cœlum vsque portandam ipse Deus, vt dubia & incerta offensio, non solùm certa defectione, sed etiam delicata portatione temperetur: cogamurque iam sine metu terrena deserere, amotoque fastidio asserere cœlestia, ad quæ curuli angelicarum manuum sella comportamur; non solùm de virtutis via, sed & de cœli consensu locum explicauit Bernardus ibi serm.13. *Possumus,* inquit, *hunc versum,* &c. *non modò de præsenti consolatione, sed etiam de futura dictum accipere, nempe custodiunt nos in viis nostris Angeli sancti, sed via finita, quod est vtique vita finita, in manibus tollunt.* Vbi latè deinde aduersantium spirituum occursus, tamquam lapides offensionis amotos ab Angelis contestatur.

1834. Neque temerè curulem sellam angelicam vocaui portationem: nullibi enim iter fit dulcius, nullibi suauius, quàm in curru blando, in apparata quadriga, ad quas nobis parandas delitias, ne ire fastidiremus cogitur Deus. dicebat sponsa Ecclesia de Christo locuta, *Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Amidabab,* Cant.6.n.11. L X X. vertunt: *posuit me currus Aminadab.* quasi Vulgati nostri turbatio laborem & anxietatem denotaret, quo Ecclesia in quadrigas transformáda disponebatur. Et quorsum, inquis, aut vnde? quia sic patiens & benigna paruulos suos suffert, & fouet Ecclesia, vt etiam fastidiosos alliciat; quasi quadrigarum delitiis ad patriam transuehendos. Philo Carpath. ibi. *Currus,* inquit, *vel quadrigas Ecclesiam ipsam positam dicit, vt se velut piam matrem, & sanctissimum vehiculum, quo plures commeabunt ad patriam, esse intelligat. Vt enim qui quadrigis, vel curribus plaustrisve vehuntur, à terrenis incommodis vt à luto, cœno, saxis, aliisque eiusmodi absunt, sæpéque immunes existunt: ita & Christiana fidei cœlesti curru vecti, & patientissima matris Ecclesiæ sanctissimo sinu foti, ad cœleste regnis feruntur illæsi.* Sic non tam imus, quàm portamur ad cœlū, & quidem in curru, ne prætendentes itineris laborem, tot præbitis blandimentis viam recusemus.

1835. Plena sunt dulcissimo mysterio in hanc rem illa ex eodem Cant.c.3. vbi & lectulus, & ferculum Salomonis diuini enarratur. Lectulus tātum de sexaginta custodibus structissimis, & vigilaotissimis celebratur *n.*7. at quales delitias in ferculo non legis. Cæditur in ligna Libanus odore grata, incorruptibilitate pretiosa, pulchritudine inuitantia: nec inuitum argentum candescit in columnas, flauescit aurum in reclinatoriū, & purpura sternendo ascensui rubescit: media charissimis quibusuis gemmarum splendoribus flammescunt, *n.*9. Si autem quætas, quò tendit tam profusa in apparando ferculo ambitio, statim subditur, id factum *propter filias Ierusalem.* Sed quæ, inquis, ista coniunctio lectuli, atque ferculi? quid sibi quietus voluptatis lectulus, cum ferculo euntium gestatorio? nimirum inuitabat ad lectuli gloriam, ad gloriæ dulcedinem sponsus Christus, & quia nouerat tenellas filias fragiles animas viæ difficultatem fastidiosè obiecturas, statim post lectuli mentionem, de ferculo subiungit, quò gestandæ: sic difficiles numeros concatenat egregiè ibi Gilbert. *Nullam,* inquit, *vobis residere patitur dilectus excusandi materiam. grata quidem sunt promissi lectuli gaudia: sed poterat aliqua in vobis adhuc suspicio de perueniendi difficultate submurmurare: ideo vobis sermo sacri vehiculi quo estis ad lectum portandæ, pulchra varietate describit ornatum, etiam in itinere sponsus vobis procurat ipse delitias.* quasi nollent ad voluptatem cœlestis thalami ascendere, si ituræ, & non potiùs portandæ forent, idque deliciosè.

1836. Maius est id etiam illis euenire, qui in hac terra misera grauissimè premuntur, à qua quouis modo exire videbantur exoptaturi. Quas non miserias, quas non fugas, quæ nō discrimina dum apud nos vixit tolerauit Elias? quis crederet ad primum Dei nutum quo cœli penetrandi insinuaretur, non statim anhelaturum ascensui Prophetam, viam suspiraturum? & tamen demittitur cœlestis quadriga oneri admittendo. At, inquis, hac iam demissa ipse equis plaudit, auidè currū scandit: id non lego. Audi quid textus: *cumque pergerent & incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Helias per turbinem in cœlum,* 4. Reg.2.n.11. quasi ni ipsi currus diuisisset, Elias nec scādere, nec ab Elisæo suo diuidi sustineret. Expressius adhuc ex Græco in Sixtianis: *& assumptus est Helias in concussione.* ac si adhibita violentia per equorum & currus ambitiosam industriam, reueta non tam assumeret ascensum Elias, quàm assumeretur. descripsit hanc industriam currus graphicè Chrysost. hom. de ascens. Eliæ. *Equi,* inquit, *subitò veniunt, Eliam vt viderunt subsistunt, & vt ascensioni currū praberent, terga sponte conuertunt: statim pio onere suscepto, in auras ventosque prosiliūt, & rapidis per inane passibus, aëris spatia corripiunt.* ni terga verterent susceptur(i), non ad terga vsque quærēda mouer(e)tur Elias: & benè statim suscepto onere prosiliunt, cauentes fortè ne iterū, si sisterēt, Propheta desiliret.

1837. Vide ergo quàm non iret pedes, qui etiam ad tam delitiosum portandi genus ambibatur, non tam captans venientem quadrigam, quàm ab illâ captatus. Sed quid, inquam, non iret pedes, puto nec etiam si adhibitis pennis aliger redderetur, (qui forer facilis planè tenor ascendendi) volare vellet Elias, & excusatiunculas mouendi alatum remigia aëri nauigando prætendisset. D. Bernardus serm. de obitu D. Malachiæ hue alludens: *currum,* inquit, *ascendis, non est iam trepidare ne cadas. Suauiter scandis, non laborans volatu proprio,*

sed celeri in vehiculo sedens. Vix de fragilis conditionis humanæ fastidio (non loquor de libero rationis iudicio) iturus, si volitandi labore vel leuissimè fatigandus.

1838. Sed adhuc longè miserior Eliâ, ad feras auari diuitis fores iacebat Lazarus, despectior excubabat. & addit textus: *factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ,* Luc. 16. & non volat statim soluta anima, non ad destinatam requiem volucri, quo potuit cursu commigrat? quid portitores expectat, quæ dum vixit se miseriarum speculum spectarat? nescio quo fragili humanæ naturæ genio videbatur, inaniter eundi laborem pertimere: nec sic factæ etiam terræ deserendæ animam animandam, nisi ab Angelis delitiosè portaretur. Chrysost. ibi in catena: *Portatur,* inquit, *post tantos labores, quia defecerat, ne saltem ambulans laboraret, & portabatur ab Angelis.* Non quòd reuera in anima iam soluta istiusmodi labor dari posset, sed vt inde agnoscamus, quàm se Deus genio nostro accommodarit, qui ab exilio duro ad patriam non tam ire volumus, quàm portari.

1839. Huc tendit illud Moysis *Deuter.* 1. *n.* 31. animabus ab Ægypto & captiuitate durâ per sanctitatis viam, ad patriæ cœlestis promissionem tendentibus diuina beneficia contestatus: *& in solitudine ipse vidisti, portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.* quia ni portarentur ad finem vsque, vbique laboris tædio intersisterent. fit ergo Deus homini pater tenerrimus, & portat in vlnis paruulum, nè ipse laboris parum ferre videatur, rediturus credo Ægyptiis oppressionibus, & tædio promissam libertatem fastiditurus. Interlinearis ibi: *vt solet,* inquit, *homo gestare paruulum filium, quem tenerè diligit, nec laborare permittit.* Demittetur sanè Deus ab ignaua nostra insania, nisi viæ labor vbiuis adimatur.

1840. Veruntamen quo abiectior titulus, eo electior charitas reperitur: ideo ad idem muneris, & ad eumdem finem, non solùm patrem, sed etiam baiulum nutritium se dixit Deus: *& ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis,* Oseæ 11. n. 3. vbi D. Hieronymus sic scribit. *Ego qui pater eram, nutricius factus sum, & paruulum meum in vlnis ipse portabam, ne læderetur in solitudine.* Ac si paternus titulus, & diuina patris viscera non sufficerent homini alliciendo, ni ipse se Deus in hominis gerulum conformaret, ne iste eundo laboraret, sed penè abnuendo portaretur: ac si homo terrenis ipsis miseriis sic addictus, vt etiam delicias Patriæ fastidiret, non illas aditurus nisi delitiosè gestaretur.

§. II.

Peccator Dæmonis baiulus, equus, & quadriga.

1841. COmmendat autem in hoc maximè charitatẽ suam Deus quòd animæ pœnitenti euehendæ ad gloriam quadrigas delitiosas paret: quæ paulòantè per culpam dæmonis baiula, & equus, infaustissimaque fuerat quadriga. Hoc sanè erat quod Ecclesiastes monebat cap. 10. n. 4. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* D. Cyrillus in Sixtianis legit *καρδίαν σου, cor tuum,* nimirum non tam nocet ascensus, id est, inferni principis ingressus, quàm consensus noster, cor illi miserè prodens: & cur ita? quia dæmon vnum cor hominis affectat, illud conscendit, & instar indomiti pulli, illud sibi domare cupiens, tentationum stimulis, phantasmatum calcaribus superequitans vrget: quod si vincat, si trahat ad peccatum, eodem iam postea tamquam equo ad delitias, aut malitias suas abutitur tyrannus. Aponius lib. 2. in Cant. ad finem: *hoc est,* inquit, *si ascenderit per cogitationem, cordi tuo hortando ad crimen, cordis tui stabulum, bona voluntatis locum, crimen perficiendo, ne dimittas, quantumuis enim calcium suorum stimulis, intra stabulum boni propositi, animæ latera in cogitationibus verberet: nequaquam tamen per campos scelerum, habenis eius verberibusque acta crudelissimi exempli sui innocenti portabis interitum.* quasi non solùm perdatur ipsa, sed etiam exemplo suo innocẽtes alios trahit ad ruinam. Sic qui miserè peccato consentit, in amplum nouorum scelerum campum labitur effrenis, &, quod peius est, pugnandis dæmonis pugnis, eodem frena moderante prolabitur.

1842. Equidem prælium fuit illud, & cruentum satis, vbi humana Christi vita ad interitum ducta, opimum, quis crederet? morti præbuit spolium: vbi victoriam dæmon decantauit, licèt reuera indidẽ & dæmon & mors ipsa triũpharentur: ideo Christus ad turbas contra se armatas veniẽtes, *hæc est,* inquit, *hora vestra, & potestas tenebrarum,* Luc. 22. n. 53. hora nimirum Pharisæorum & Sacerdotum. Sed vnde, dicat aliquis, hora Pharisæis, & impiis Sacerdotibus fausta, cùm tenebrarum, id est, dæmonum potestate copulatur? quia quemadmodum equi phalerati de potentis domini superbiunt sessione, & illum quodammodo diem sibi iactans gloriosissimum: vnde Statius *lib.* 1. *Sil.* 1. de Martis equo,

Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere.

Sic illi de domino suo dæmone insidẽte visi gloriabundi: adest autẽ simul potestas tenebrarum, signatéque tunc dæmones dicuntur potestates: quia nunquã dæmon potentior bellis suis conficiendis, quàm dũ humanis his equis vtitur, & quadrigis, quasi ibi totum exercitus sui robur, totam virium iactantiã constituerit. Aponius citatus post multa: *In hoc,* inquit, *prælio tam funesto videtur mihi principes Sacerdotum, equorum & curruum vices egisse, & post se omnium crudelium turbam pro curribus traxerunt, clamantes: Crucifige, crucifige. de quibus currus fabricasse probatur verius Pharao diabolus, super quos sedens domini corpus in mortem egit.* Quasi deficiat dæmonis militia, nisi hominis malitiâ fulciatur: qua hostis fallax tamquam falcato curru omnibus proscindendis vti solet.

1843. Neque carent pro hac re mysterio verba Ioãnis, impij huius belli initia describentis. *Cùm diabolus iam immisisset in cor, vt traderet eum Iudas,* c. 3. n. 12. in Græco est, *ἤδη βεβληκότος,* à verbo nimirũ *βάλλω,* quod non solum significat *mitto,* sed etiam *proruo.* imò & apud Libanium *βάλλειν βρόχῳ,* est, *circũdare laqueo.* quasi dicat Ioannes: *proruente iam, & circundante dæmone cor Iudæ.* quasi proruens dæmon Iudam miserè laqueis circuodatũ, ascenderet, & in quadrigam sibi adaptaret. Fortasse vidit hoc Aponius ibidẽ subdens: *in quo curru cariosum fragilemque temonem Iudam aptauit: primum omnium laqueis confringendum.* quia nimirum è laqueis quibus nefarius temo erat ligatus, ad alios iuit statim laqueos suspendendus, pœna sceleri proportionatâ.

1844. Neque mirum. Quid enim in his miseris talibus videmus: vnde dæmonis quem baiulant, & vincula, & loros pati nõ agnoscamus? Prisci cùm entheas fœminas Deo suo, id est, vero dæmone plenas describebant, vt plurimum equi indomiti metaphoram assumebant: ideo Virg. lib. 6. de afflata Sibyllâ.

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro

Bacchatur

Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum:tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, fingitque premendo.
Et poſt alia,
——*ea frena furenti*
Concutit, & ſtimulos ſub pectore verſat Apollo.
inde *rotare caput, mouere corpus,* paſſim leguntur ab equitante dæmone agitatæ, de quo alibi plura. Audi nunc Matthæum de Chriſti irriſoribus locutum, *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua,* cap. 27. num. 39. Aſt quamuis impij blaſphement, cur ſaltem ad tam dirum ſpectaculum, cui ipſa inſenſibilia condoluerunt, irriſiuos capitis motus non ſuſpendunt? Reſpondet Ambr. lib. de Helia cap. 16. *Perſecutores Domini tranſeuntes mouebant capita ſua: exagitabat enim eos ſpiritus nequam, qui repleta à ſe corpora mouere conſueuit.* Exagitabat quidem eos Dæmon non ſolùm baiulos, ſed etiam, vt dixi, equos, longè tamen peiores erant veneficis entheis: iſtæ enim durum ſeſſorem dæmonem ſubſultantes excutere cupiebant, quem illi exultantes ſuſcipiebant.

1845. Sunt obſcura, ſed optima in hanc rem illa Chriſti ad ſponſam: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea,* Cant. 1. num. 9. cur enim dum equitatus & quadrigæ diuinæ, quibus aſſimilatur ſponſa, commendantur, Pharaoni currus intermiſcentur? ita dictum credo, quia quemadmodum nunquam pulchrior exercitus & equitatus Iſraëliticus, quàm dum victor, currus Pharaonis in mari, *Exod.* 14. ſummerſos vidit & ſuperatos: ſic nunquam ſponſa Eccleſia beatior, quàm dum diuina protectione, obiecta ſibi impiorum ſcandala, qui quadrigæ ſunt dæmonis, ſuperans euitat. bene de his quadrigis ibi Origenes: *Videamus,* inquit, *ne fortè animas quæ ſunt ſub illo ſpirituali Pharaone, & ſub ſpiritualibus nequitiis poſitæ: currus eſſe dicat Pharaonis, & quadrigas eius, quas ipſe agit, & ducit ad perſequendum populum Dei, & ad opprimendum Iſrael: certum enim eſt, quia tentationes, & tribulationes, quas excitãt dæmones Sanctis, per animas aliquas, animas excitant ad hoc ipſum aptas & conuenientes: quibus tanquam curribus aſcenſis exagitant, & impugnant vel Eccleſiam Dei, vel ſingulos quoſque fidelium.* Ecquid miſerius, quàm tale dæmoni præbere obſequium, vt non ſolùm ſis eius baiulus & equus, verùm etiam currus velociſſimus?

1846. Nec immeritò dixi velociſſimum, quaſi lubentiſſimum ſeruitium proteſteris: quid enim curules rotæ, niſi impenſam velocitatem manifeſtant? Si Virgilio credimus, Duratæus, (fatalis illa machina equina, quæ exitio grauida vltimam euerſionem Troiæ afferebat) quaſi inuitus rueret ciuibus obruendis, ſubſiſtebat. ideo *lib.* 2. ingreſſuro volubiles rotas parant,
Accingunt omnes operi, pedibuſque rotarum
Subiiciunt lapſus, & ſtupea vincula collo
Intendunt.
At peccatores Troiano equo exitioſiores perdendis proximis, obruendæ Eccleſiæ, alienis rotis non indigent: ipſi rotatæ, & facile mobiles, imò & volatiles inferno Pharaoni adaptantur quadrigæ: ipſi ſe dæmonis celeres currus proferunt. Aponius ad hunc locum: *Qui,* inquit, *multitudines criminum nimis volubiles ſunt in malitiâ, currus Pharaonis principis mundi effecti ſunt: in quibus princeps mundi, cum ſuis miniſtris in malis operibus equitabat.* Maneat ergo ſummum eſſe beneficium, dum ad patriam in quadrigis ſuauiſſimis conuehimur, qui olim quadrigæ dæmonis fueramus.

Pintus in Cantica.

Sub arbore malo, &c. VERS. 5.

§. I.

Chriſtus vbique bonorum ſuorum, & ſuimetipſius piè prodigus.

1847. Dicitur in hoc loco ſponſa innixa ſuper dilectum, id eſt, pectori & cordi illius acclinata: cùm autem in illo corde vitæ, & gratiarum omnium theſauri recondantur, quid aliud erit acclinatio iſta ad cor, niſi comparatæ poſſeſſionis teſtimonium? nimirum cor, cordiſque omnia piiſſimè prodigus Chriſtus ſponſæ tradidit: & cauſſa, ni fallor, videtur inculcari, dum ſub arbore Malo, id eſt, ſub cruce, vt omnes explicant, dicitur ſuſcitata, è cruce ad tantam fruendam affluentiam euecta eſt: licèt enim vbique Chriſtus Prodigus, at in cruce χειρορραγεὶς, & bonorum ſuorum diſpenſator, vt vulgò dicitur, maniruptus. Dicamus priùs de primo, ſecundum ſeq. §. probaturi. Prædicabat ſe aliquando Chriſtus Dominus fontem aquarum viuentium, & cùm aliunde eſſet diuini amoris caminus ardentiſſimus, viſus iſte de irrorante aqua viuidiùs ſcintillare, ideoque totus in charitatem profuſus exclamat: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat,* Ioan. 5. num. 37. Quæ pretioſa ſunt, paucis communicantur: ſi omnibus, eo ipſo vilia creduntur. aquarum ſuarum pretium commendabat fons Choaſpes quod tantum à Monarcha Perſico, & à principe eius primogenito libaretur: prodigalitatis enim foret tam pretioſa pocula vulgo, & indiſcretè communicare: & quanto pretioſior Perſico illo, fons Saluatoris? quò ergo te rapit amor hominum Ieſu bone? ſi aquas gratiarum tuarum, quas viles non potes dicere, omnibus communicas, prodigum te dicamus neceſſe eſt: ſed quid miramur ſi aquas cuiuis impertit, ſi cuiuis ſeipſum priùs impertiuit: ideo dicit, *veniat ad me,* tamquam in poſſeſſionem ſuam: deinde, *bibat,* tamquam in gratiarum theſaurum acquirendum. VVerricus hic apud Godefr. *O Deum,* inquit, *ſi fas eſt dicere prodigum ſui præ deſiderio hominis! an non prodigus, qui non ſolùm ſua, ſed ſe ipſum impendit, vt hominem recuperaret, non tam ipſi, quàm homini ipſi?* &c. *clamat namque, & dicit, Omnes ſitientes venite ad aquas: ecce perſonas non accipit, conditiones non diſcernit, merita non requirit.*

1846. Mirabar ego ſæpè paterna illa Dei viſcera, quibus prodigum adoleſcentem reciperet, reſtitueret, *Luc.* 15. vix enim maiores alibi de pœnitentis conuerſione excitantur: huic viſa parabolæ omnis teneritudo, mellitiſſima amoris blandimenta reſeruata: & ſemper credidi aliquid in Patre Deo delitere, vnde in iuuenis prodigi fauorem inſtantius, quàm ad alios cogeretur: & delitebat certè: ſic enim res ſolet euenire, vt miſeris lubentiùs faueamus, ſi miſerias experti fuerimus: tritum illud Didonis,
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
tunc autem lubentiſſimè ſuccurrimus, ſi eiuſdemmet generis miſerias toleremus, creſcit enim de ſimilitudine affectus. Pulchrè Ouidius à Cæſare, quem tamquam Iouem palpabat fulminatus, Bacchum rogat *Triſt.* 5. *eleg.* 4.
Vt tamen audiſti percuſſum fulmine vatem
Admonitu matris condoluiſſe potes.
quaſi numen à fulminatâ matre Semele, & inter fulmina editum, non poſſet ad fulminati hominis miſerias non moueri. Deus ergo noſter in dando

nobis filio piè prodigus, & domi filium ipsum Iesum eadem misericordiâ prodigum habeus: quid ni erga prodigi peccatoris remedium suauissimè afficiatur?

1849. Agedum, pondera mihi vtriusque huius prodigi conditionem, humani scilicet insanam, sanctissimam diuini. prodegerat ille patrimonium quod è paterna domo abstulerat, corque pariter & vitam lasciuiis è moribus innolutam meretricibus impenderat: at iste gratias suas prodigere videtur, corque & vitam ipsam peccatoribus impendit, cùm gratissimum filium pro illis tradidit. Ab quàm latum discrimen! benè idem VVerricus; *Multum quidem,* inquit, *effusius fuit prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quàm se ipsum donauit meretricibus: sed multo effusior pater in recuperatione perditi filij, quam ille in perditionem sui: si tamen vlla debet esse comparatio gratia, & pecuniæ spiritus, & carnis, hominis, & Dei.* Bene ergo Deus admonitu piæ suæ prodigalitatis, alterius miseri prodigi non potuit vicem non dolere.

1850. Sed adhuc ipsius filij, Christi nimirum prodigalitatem suauissimam expendamus. Eo prodigalitas maior, quo effusior in donandis bonis suis labor impenditur. non mirandus quodammodo prodigus qui se suaque dabat dissipator absque labore, imò qui data munera perceptis luxus & lasciuiæ voluptatibus compensabat: quid diceres si laborans, vt daret, inter dandum angustiis opprimeretur? dissipauit quidem bona *viuendo luxuriosè*; quid si laboriosè viuendo dissiparet? Audi nunc Guillelmum de Cailloe apud Godefr. ibi. *Quis vnicus,* inquit, *prodigus inuenitur, sicut ille vnigenitus Patris, qui portionem, corporis scilicet, & animæ, & patrimonium, si dici debeat, quod à matre contraxit, dissipauit atque consumpsit cum meretricibus, id est, cum peccatoribus, & publicanis, non luxuriosè, sed laboriosè viuendo.* Non igitur res aliter poterat euenire, nisi vt cœlestis Pater prodigalitatem sanctam funderet in fouendo prodigo, pro quo ipsemet Iesus suus prodigus degebat.

1851. Quid ni? Viderat Deus perditum adolescentem in fame constitutum, & siliquas dominis, saltem conuiuis porcis excurientem, *n.* 14. videbatque aliunde Iesum in siti & fame currentem nouà prodigalitate non iam phagi siliquas, sed Verbi margaritas peccatoribus porcis spargentem: audit tamen hunc dicentem: *verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti*, Ps. 61. n. 5. q.d. Solatium habebat prodigus dum excussas siliquas à porcis non frustratus labore videbat degustatas: ego autem margaritas proiicio incassum, quas doleo repulsas, & suscepti laboris pretium conculcatum. Ecquid hoc est Domine Iesu? curris in siti & è sitibundo ore, in Synagogis, in foris, in plateis, in montibus, in littoribus, spargis conculcantibus porcis margaritas? & vbi est consilium illud tuum: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos*, Matth. 7. n. 6. Sed quid faceret, qui non solùm prodigus, sed & sanctum prodigalitatis prodigium factus est? pretium fundit margaritarum, nec emit: nihil apud porcos agit, & tamen satagit. quasi non tam inter homines degat, quàm prodigat prodigiosè. Idem Guillelmus. *Filius,* inquit, *ille iunior Euangelicus acceptâ famis iniuriâ defecit impatiens laboris, & in miseriis non subsistens: hic in fame cucurrit, & siti euiscerans semetipsum, & omnem pretiosam margaritam porcis spargens, qui pretium eius repellere cogitabant.* cogitans homines pretium repellere, dum Deus repetere cogitur prodigalitatem.

1852. Hinc iam lachrymarum, margaritarum, inquam, illarum pretium capio, quas Deus in suscitando Lazaro effudit: quis enim aliàs concordare posset sententiam sic à facto discrepantem. *Lazarus,* inquit Christus ad discipulos, *mortuus est, & gaudeo propter vos*, Ioan. 11. n. 14. & tamen postea accedens hominem suscitaturus (addit textus) *lachrymatus est Iesus.* vbi Chrysol. ser. 64. *Quare flebat? certè ipse est qui dixerat, Lazarus mortuus est, & gaudeo: de quo gaudet mortuus, ipsum cùm resuscitat, tunc lamentatur? qui cùm amittit, non flet, ipsum cùm recipit, tunc deplorat? tunc fundit mortales lachrymas, vita spiritum cum refundit.* Sed minus erat flere, fremit etiam, *infremuit spiritu, & turbauit seipsum*, n. 33. Dicamus gausum de discipulorum fide miraculo confirmandâ: collachrymatum præ hilaritate (sæpe id euenit) quia dabatur ansa fundendi munera resurrectionis: non tamen potuisse non fremere & turbari, quià arctabatur occasione, vt vnum tantùm reduceret ad vitam, qui cupiebat immensâ pietatis prodigalitate mortuis omnibus vitam restituere. Chrysol. *Christus,* inquit, *non dolore mortis. sed illius sententiæ recordatione lachrymatur, cùm voce sua vna omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam: fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Nescit arctâ manu bona dare Christus, fremit dum ab apertâ pias prodigalitates fundere impeditur. Sic infremit repressus torrens, dum repagulis affluens eius profusio compescitur.

1853. Vnde discis quò tendat illa eiusdem vox in hoc miraculo: *Lazare veni foras*, n. 43. cur enim exprimatur nomen proprium, si ad rationem miraculi perpetrandi satis erat, si diceret, *Mortue veni foras?* imò & id conuenientius videbatur, vt iterato mortis vocabulo, dandæ vitæ insignia clariùs refulgerent. Sed respondet aptè D. Basilius Seleucus Orat. 10. de Helisæo. *Non dixit, heu mortue, adesdum: sed nominatim compellat, Lazare veni foras. hoc autem agit, ne vitæ largitoris vox diffusior, plures mortuos vitæ restitueret.* Sic illa vox de se prodiga fundendæ vitæ, vt nisi expressi nominis repagulo quodammodo arctaretur, ab Orci faucibus, à mortis vnguibus omnes propemodum mortuos eriperet.

1854. Deflebat misera mater, & illa vidua filium vnicum defunctum, id est, noctescentem in auroram diem, florem in calyculo afflatum, spicam truncatam in herba, iuuenem acerbo fato immersum, & vnicum pro marito relictum solatium, ereptum sibi: mouetur eius lachrymis Christus, accedit ad feretrum, dicens: *Adolescens, tibi dico: Surge*, Luc. 7. n. 14. & quorsum illud, *tibi dico?* cui enim nisi adolescenti loquebatur? credo ita factum, quia nisi exprimeret certum illum adolescentem, sed tantummodo diceret, *Adolescens surge.* imperium illud piè ex se prodigum neque restrictum, quotquot fuerant adolescentes mortui, excitaret. Basilius citatus: *cur addit,* tibi, *Simpliciter enim diceret, heus mortue surge? sed Saluatoris vox alios fuisset etiam mortuos virtute propriâ suscitatura: ideo adiecit illud,* tibi, *vt ad eum tantummodo adolescentem mortuum gratiæ suæ vim applicaret.*

1855. Concorda hinc illud de peccatoribus mysticè dictum, quod etiã de Israëlitis ad litterã idem habet pondus: *& conuersi sunt, & tentauerunt Deũ, & sanctũ Israel exacerbauerũt*, Ps. 77. n. 41. Vatab. legit: *vt auersi tentarẽt Deum, Sanctumque Israëlis circumscriberent.* hæc enim summa Dei exacerbatio, ita circumscribi

&

& limitari, vt quasi in angustias redactus non possit peccatoribus beneficia gratiæ & gloriæ de ipsorum repugnantia contemptrice prodigere. Israelitæ enim, qui de misericordi illius potentiâ minus præsumebant, illi quodammodo prodigas manus ligabant:& vnde auertebantur ab accipiendis beneficiis, inde circumscriptus ad prodigendum Deus exacerbabatur. Meritò Tertull. *lib. de Anima, cap.* 50. Menandri hæretici baptisma, quo vitam æternare effutiebat, de eiusdem raritate, ridiculum, & quasi alterius Menandri poëtæ comici fabulam, contemnendum demonstrat. *Quid hoc*, inquit, *Menandri balneum? comicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum quo paucissimi lauant? suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi, atque tutissimi Sacramenti: apud quod nec pro Deo ipso mori lex est, cùm contrà, omnes iam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob, mortem per martyrium etiam flagitantis, quam de Christo etiam suo exegit.* Cape Afrum: non poterat enim esse sacramentum vita illud Menandri, aut à Deo institutum, quod paucos, & non omnes inuitabat, quodque gratiam pissimâ quadam prodigalitate per viscera misericordiæ infinitæ non fundebat. Vnde prudenter homines de Baptismatis nostri parata omnibus communicatione, diuinum esse illud crediderunt:& quamuis per illud, ad martyrium, si res postulet, cogantur: amplectuntur tamen vt à Deo institutum, vtpote in quo diuinorum operum Epigraphem vident, scilicet profusam omnibus gratiarum prodigalitatem.

1856. Sed quid ni in Baptismate gratias dedat omnibus, qui ipsum gratiarum fontem, Spiritum sanctum scilicet, omnibus non fudit solùm, sed profudit. Mirabantur Iudæi Apostolos primò prædicantes:ad quos tunc Petrus, *Non sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia:sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus*, inquit, *Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem*, Act. 2. n. 15. quasi dicat: sobria quidem alia ebrietas est diuinitatis:at vnde Petre sanctissime diuinitatem muneris tanti probas? quia signum euidens diuinitatis tam prodiga profusio, vt omnem carnem inuitet, nullum euitet mortalium. huc faciunt verba VVerrici citati. *O affluens liberalitas Dei! ô indeficiens largitas bonitatis diuinæ! Spiritum cuius primitias dedit Apostolis, offert vniuersis thesaurum suum, fontem aquæ viuæ aperit tam hominibus, quam iumentis, tanquam & ipse omnibus & sapientibus, & insipientibus debitor sit.*

1857. Et benè, cùm spiritus tantus datur, tunc homo titulo carnis insignitur, vt ab Spiritu sancto mutandus è vili carne, in generosum spiritum intelligatur. Ecquid hoc erat aliud quàm homines in filios adoptare:scilicet communicauit se totum Pater verbo, sed dulci necessitate communicauit. non poterat dici piè Prodigus qui vni filio tantùm, idque necessariò fundebatur: quærit ergo piè prodiga conditio, vnde se multis filiis & liberè communicet? & cùm per naturam fœcundam perfectissimè in verbo absorbeatur, per gratiam exuberantem communicato spiritu suo multos adoptat, & quam solum licèt sanctè prodigit filiationem. dulcius est quod addit VVerricus. *Parum erat Patri tradidisse filium, vt redimeret seruum, nisi daret & Spiritum sanctum, quo seruum adoptaret in filium. dedit filium in pretium redemptionis, dedit spiritum in priuilegium adoptionis: se denique totum seruat in præmium adoptatis. O Deum, si fas est dicere, prodigum sui præ desiderio hominis!*

1858. At tam ne benè apud nos habuit filius tuus, ô Pater, quem despuimus, flagellauimus, pupugimus, crucifiximus: vt saltem iam expertus, detur ita loqui, spiritus tuo parcendum non existimes? nónne & hunc spiritum per scelera fugamus, & vilissimis voluptatis sordibus commutamus? O quid agis? imò quid non agat piè prodigus. Optimè tandem VVerricus: *An non prodigum, qui sicut suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: sic nec Spiritui sancto pepercit, vt ita loquar: sed noua & mira largitate super omnem carnem effudit illum:* Singula verba totidem gemmis emuntur vili. lector ponderet.

1859. Tandem nota meritò hoc spiritus donum per effusionem emphaticè explicari, per quam liquor emanans designatur: vt in secunda conuiuij sui parte æquè prodigus Christus atque in prima exhiberetur. prodigalitatem ne magis dixeris, an prodigium quòd Christus passurus conuocatos conuiuas carne sua propriâ satiaret? at ecce ascendens in cœlum denuo instaurat epulum, pocula sacratissima ministrat, fundit Spiritum sanctum, vt diuinæ carnis dapes, Spiritus sancti potu cumularet. Optimè. Guilielmus adductus: *Effudit*, inquit, *de spiritu suo postquam remeauit ad Patrem: nescio an carne, an spiritu magis prodigus: vt quos caro saturauerat, spiritus inebriaret.* Quis iam dicat prodegisse Cleopatram, dum liquefactâ tot stante millionibus margaritâ potauit amicum? En Christus carne sua nos pascit eucharisticâ: spiritu nos inebriat effuso. iste, iste amantissime prodigus appellandus.

1860. Pulsabat Christus sponsæ cor sollicitus, rogans anxiè: *aperi mihi soror mea, amica mea*, Cant. 5. n. 2. nec tamen sibi, sed sponsæ vtilia procurabat. Vnde, inquis, amica illa, nisi à commorante iam Christo? si ergo iam intus cor tenebat, quid quasi deforis adhuc, cor sibi aperiundum suspirabat? quia licèt iam intus esset, cupiebat vlteriùs quoad posset se totum secundùm gradus alios perfectiores animæ transfundere: & prodigus bona sua in eiusdem profundere felicitatem. Gilbertus *serm.* 43. ex ore Christi: *Aperi mihi: intus iam tibi sum nunc: sed aperi mihi vt ampliùs intrem.* Exoptabat laxiores cordis sinus, quibus cœlestia quæ secum portabat bona posset infundere: aperiri saltem sibi vult, vt intromittat, quando illa ex apertis thesauris rapere ignauescebat.

1861. Et sanè thesauros habet Deus malorum, quibus immissis possit punire, sed hos, iræ parcissimus, obsignatus: *fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile: nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Deuteron. 32. numer. 33. è contra verò misericordiæ prodigus, dum bona sua commemorat, non tam in obsignatis, quàm in iam iam aperiundis thesauris illa commendat: *aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo.* ibidem cap. 28. num. 12. intendit peccatoribus minas pœnis signatis, & apertis præmiis bonos inuitat: quia certè nescit prodiga illa pietas diuitiarum aliquid suis clausum habere. Philo Iud. lib. 2. allegor. *Sed hîc quoque*, inquit, *considera, eius qui est, bonitatem: bonorum quidem thesaurum aperit: contrà, malorum claudit, adstringitque: est enim proprium bona offerre, & præuenire nos liberalitate, mala verò non facilè immittere.* Ecquæ domus prodigi perditioris, quàm illa vbi claues bonorum non agnoscuntur, vbi bonorum occlusio ignoratur?

§. II.

Post Crucem verò etiam (vt vulgus loquitur) maniruptus.

1862. HOc est secundum illud, quod initio superioris tituli pro totius loci explicatione proposueram: vbi Christum post Crucem, in donando maniruptum explicabam. Hinc Dauid: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, Psalm. 144. num. 14. ergo etiam dum dabat escam in tempore opportuno, nondum creaturæ benedictione implebantur, quia solùm ab apertis manibus hæc impletio: ecquæ tam felix apertio, à qua tam larga impletio? quia claui illi, qui manus cõfixerunt, claues potiùs fuerunt quæ semel thesaurum misericordiæ aperientes in perpetuum reclusum reliquerunt. D. Anton. de Pad. Dom. 12. post Trin. *Cùm*, inquit, *Christus in Cruce manum extendit, & extensam clauo aperiri voluit, tunc per ipsius foramen misericordiæ thesaurum effunderis omne animal repleuit benedictione.* etsi enim vsque tunc manus prodiga dando, ab inde tamen iam fundendo rupta videbatur.

1863. Hoc erat absque dubio quod sponsa laudabat, cùm inter pulcherrimas alias Christi dotes sic ait: *manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, Cant. 5. n. 14. de quo præ aliis Philo Carpath. *tunc*, inquit, *Christi manus tornatiles factæ sunt, cùm eas pro salute nostrâ crudelissimis clauis in vitæ ligno perforatas extendit.* At quorsum, inquam ego, perforantur, nisi vt aureæ manus aurum prodigant, & aurea opera vtilitati hominum profundant? certè illæ propterea dicuntur aureæ, propter opera. idem Carpathius: *quæ quidem ob diuinissimam puritatem, & innocentiam, admirandaque ipsius opera, iure aurea prædicantur.* Si quoduis illius opus aurum purum putum est, quî putas ex perforatis prodigalitate manibus non ditabimur?

1864. Sedpende, cùm perforatæ dicuntur, tunc etiam hyacinthis plenas celebrari: credo, vt mille ac mille gemmas inde nobis fundendas speremus. Beda ibi, *In manibus*, inquit, *tornatilibus habet Dominus hyacinthos, vt videlicet vasa electionis, quæ præparat in gloriam, huiusmodi gemmis adornet, hoc est, corda electorum suorum supernæ gloriæ desiderio, & expectatione lætificet.* Extremam prodigalitatis lineam putauit Plinius *in proœmio lib.* 33. vasorum aurum gemmis interserere: *Myrrhina*, inquit, *& crystallina ex eâdem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas: hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod possit statim totum perire.* & statim maximum addit: nec hoc satis fuit: *turbâ gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causâ tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est.* Quid diceret, si videret aureos homines è manibus Dei aureis in cruce redditos, & præterea æterno gemmarum splendore circumtextos, vasorum instar in Dei mensâ, nescio an magis ad honorem, an ad piam prodigalitatem apponendos! *O Deum*, exclamaret cum VVerrico, *si fas est dicere, prodigum sui, præ desiderio hominis!*

1865. Pende iterum adhuc in hac re aliquid non inceutiosum: pro eo enim quod vulgò in Plinio legimus, *turbâ gemmarum potamus.* Iij legunt apud Dalecamp. *tubam gemmarum portamus.* quasi non vltrà posset procedere prodigalitas, quàm si tubas gemmis condistingueret. Sed quid? nónne Paulus qui antonomasticè fuit vas electionis hyacinthos mille à perforatis in cruce manibus acciperet? accepit certè: at quî idem nomini portando Domini, Christo prædicando tuba fuit Euangelica gloriosa: en ergo tubam gemmatam prodigus à cruce habet, & portat Christus. Maius tamen adhuc est, quod dicam: omnes euangelicæ tubæ, omnes ministri Christi, non solùm gemmatæ tubæ sunt, sed & gemmeæ: ideò Lucas Abbas *ad hunc locum*, in his manibus Christi hyacinthorum plenis ipsos intelligit. *Manus*, inquit, *quæ circumferendo plena est gemmis, & suo sermone, & vitæ exemplo lucrificatas animas de lapideis nationum montibus præparat Christo offerendas, eo quòd hyacinthus præparans interpretatur.* Vix videtis quo prodigalitatis apex altius ascendat, quàm sic gemmas effundere, vt ipsæ iam in præparantes tubas excauentur.

1866. Videamus tamen aliunde has ruptas in cruce manus, ex ipsa compositione & habitu nouam prodigalitatis rationem protestantes. Deus quidem erat ille, qui pendebat, è cuius tribus digitis vniuersa orbis machina dependet: & tamen amplexando homunculo tota brachia prolatis manibus extendit. nónne ista erat amplexùs prodigalitas? Ludebat Statius *lib.* 1. *Sil.* 1. in gigantea statua Domitiani:

> *——Huc & sub nocte silenti*
> *Cum superis terrena placent, tua turba relicto*
> *Labetur cælo: miscebitque oscula iuxta:*
> *Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,*
> *Et soror: vna locum ceruix dabit omnibus astris.*

Sed quanto verius inquam ego breuis Dei amplexus mille ac mille mundis amplectendis sufficeret? & tamen prodigus, totus in cruce extenditur ad amplexus vni humano generi amplexando: quasi vix infinitus ille sinus illi suscipiendo satis esset. attende.

1867. Vidistin' aliquando, nutricem paruulum sinum ad oscula, ad amplexus inuitantem, illique, cui breuicula vlnæ amplæ forent, totos sinus, & brachia latissimè aperta porrigentem? quid hoc est nisi affectus profusio, nisi amoris prodigalitas? hanc si vidisti & Christum in cruce vidisse puta: ibi apertis brachiis tamquam nutrix nos amplexatur affectûs nepos, prodigus amplexus. id voluit expressum Oseas c. 11. n. 3. *& ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in humeris meis.* Sed ohe! satis est digitulus minimus homini amplexando, & portando: qui facilè tribus Iesu dulcissime portas vniuersum! Sed nutrix nisi prodiga non quiescit: eleganter ibi Stephanus Cantuar. *Brachiis*, inquit, *in cruce distentis, ibi enim extendit Dominus brachia sua ad amplectendum nos, & portandum: & sicut nutrix ad alliciendum paruulum plenè extendit brachia, & quantum potest, cùm tamen paruula extensione possit eũ colligere: sic Christus fecit.* Quàm dulcis profusio! quàm tenera amoris, vt sit cordis nostri tenax, prodigalitas!

1868. Hinc illud Isaiæ de Christo: *expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ*, c. 65. n. 2. vbi D. Hier. *Cùm ille*, inquit, *in cruce extẽderet manus ad populum non credentem, & diceret: Pater ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt. illi è regione dicebant: Vah! qui destruit templum*, &c. Sed non solùm vindictæ parcus, prodigus pietatis in expansis sic manibus Christus exhibetur, sed bonorum omnium dulcissimus profusor. Idem Hieron. *Possumus expansas manus in largitate donantis accipere, quòd nihil eis petentibus denegarit.* vbi profusiorem legisti prodigalitatem, quam illius, qui nihil negare nouerit? Sed quid neget, qui expansas

expanſas prius manus ad donandum in cruce etiam voluit perforatas, vt geſtati ibidem theſauri nobis effluerent? adhuc tamen cùm non ſolum apertæ, ſed etiam expanſæ manus Dominicæ celebrentur, aliquid ampliùs videtur ſignificari: quorſum enim expanduntur manus, niſi vt patefacto pectore, & deinde concludente amplexu homines in ſinum Domini admittantur? Iterum idem ſanctus Doctor. *Significant*, inquit, *expanſæ manus paternis clementiam, ſuos filios in ſinu recipere geſtientis*. quaſi minus paterna viſcera patefierent, niſi affectus prodiga in laxiores amplexus diffunderentur.

VERS. 6. Fortis vt mors, &c.

§. I.

Mors homini certiſſima: cuius vitæ primordium, mortis prodromus: cuius conſtans hæreditas ſepulchrum.

1869. VIde Drama: vbi ſic hunc locum explicui, quaſi ita inſeparabilis ſit verus amor à fide coniugali, vt à morte homo. hoc ergo ſecundum ad comparationis explicationem iam elucido. Maledicebat de myſtico Sacramento diei ſuo natali Iob ſanctiſſimus, & mille diris ortus ſui noctem miſeram pulſabat, & cauſſam ſubinngebat: *quia non concluſit oſtia ventris qui portauit me: nec abſtulit mala ab oculis meis. quare non in vulua mortuus ſum? egreſſus ex vtero non ſtatim perij*, cap. 3. num. 10. Dubitabis tamen, nec immeritò, cur hæc prima, & tamquam iuſtior cauſſa non iniuſtæ maledictionis aſſignetur à viro prudentiſſimo: quid enim mortiferi iuris in ventre videret dies? quid nox in illo vtero aſpiceret, vt iniurij haberentor, quod fœtum ſtatim morti tradere non decernerent? Certè multum: victimam mortis ipſo habitu ſe puer oſtendebat: id ergo queritur, id dolet mortis cupidus, quod ad vſque viralem ortum violaro mortis iure adduceretur. ſouet hanc meam cogitationem, & viſus aperire hoc ius D. Nilus apud Phot. *cod.* 276. de humanis fœtibus locutus: *formatur enim*, inquit, *tamquam in ſepulchro, in vtero nondum exiſtens infans natura faſciis inuolutus, & ſimilis eſt mortuo faſciis ſepulchralibus circumſtricto: nam mortuorum quidem vultus arctius concluditur, ſic os in vtero mutum: manuſque, & pedes in ventre ſicut in tumulo extenduntur: matrix egregium fœtibus ſepulchrum eſt, & ſepulchrum quidem fœtore non carens*. Bene ergo Iob qui vitam tolerabat inuitus, deletos ſibi tam paratos mortis titulos deplorabat. Et quomodo, quæſo, mors magis cognatior homini eſſe poterat, quam ſi illi adhuc in heri, iam quodammodo facta adhæreſceret?

1870. In idem etiam redit, quod addidit: *Quare egreſſus ex vtero non ſtatim perij?* quia cùm nihil durius habeator, quàm infantis lachrymulis aliquid denegare: Iob qui vbi primum prodiit ex vtero, vitæ indignatus miſerias, & eiulachtymans mortem ex uit, cur non doleat hanc ſibi non exoratam. *Audi Salomonem, & ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*, Sap. 7. num. 3. Quid enim aliud elulat natus infans, quid aliud vir edinis vagiens teſtatur, quàm mortis (cuius ſtatim libat miſerias) infallibilitatem? indignatur certè vitam, in qua longam ſibi manere mortem præſentis reformidans: malens periiſſe in vtero, quàm morti diuturnæ periiſſe. Elegantiſſimè de hac re Clemens in cap. 1. Iob in cat. Græc. *Meritò*, inquit, *infans vt matris vtero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſum exorditur: nam flebili voce, vita propemodum indignatur: cuius quæ prima munera ad degnſtandum præbentur, exitioſa ac lethifera ſibi eſſe animaduertit: ſimul atque editus in lucem, & ſuſceptus eſt, manus pedeſque eius faſciis conſtringuntur, atque iis vinculis impeditus potitur vberibus. O vita primordium, mortis prodromum! nuper eſt infans ad vitam ingreſſus, nec interpoſitâ mora mortuorum pannis amicitur: natura enim finis memoriam reuocat iis, qui naſcuntur*. vbi verò poterat mors illuſtriora victoriæ ſuæ trophæa, aut certiores titulos erigere, quàm dum repentia vitæ occupat rudimenta? vnde ſecurius ad totius tyrannidis metas peruenire, quàm dum illas in ipſis vitæ carceribus collocauit?

1871 Et bene carceres iſti, ſiue vitæ primordium, mortis *Prodromus*, ideſt, præcurſor appellatur, nihil enim eſt vitæ, quod morti non præcurrat: ſed tamen illios ingreſſus ideo præcipuè mortis prodromus appellandus, quia priores morti primitias delibat. bene Seneca *in Fur.*

Parce venturis, tibi mors paramur:
Sis licet ſegnis, properamus ipſi:
Prima quæ vitam dedit hora, carpit.

quaſi vix vita appetat, cùm iam oppetat, & vnde viuendo deriuamur, iode etiam moriendo delibemur. quaſi ipſa aurora noctis domicilium, & ſpicæ in herbâ adhuc, falx immineat: iamqne in flore fructum peſtilens aura corrumpat, & acerbus racemus impiæ iam vindemiæ deſtmetur. Quid ni, ſi quamois mors ipſa ſegnis foret, qua eſt velociſſima, ipſi nos ad illam, quaſi certum & debitum tributum afferentes properamus, & ſi plumbea incederet, quæ volat plumea, nos ad illam celerrimè conuolamus?

1872. Eſt hoc illud Chriſti Domini: *tunc ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ*, Matth. 25. num. 1. Certè olim pueri, ſiue virgines in nuptiis perlucentes, & facium geſtatores, vt nemo neſcit, non tam exibant obuiam, quàm ſponſos ipſos luciſluo comitatu præcedebant: cur ergo genus humanum in his virginibus intellectum, non tam comitans, quàm obuians deſcribitur? quia Chriſtus in morte noſtra venit ad nuprias, mortem adducit, vt ipſe ſponſandam animam ducat: morti autem neceſſariò obuiamus, & venturæ occurrere ſatagimus, quaſi debito mortalitatis iure obligati. Egregiè D. Eucher. *homil. de nat. virg.* ſic habet. *quia enim quotidie morti* (vulgo deprauatè legitur *monti*) *appropinquamus, quotidie ſponſo, & ſponſæ, ideſt, Chriſto & Eccleſiæ obuiam pergimus: hæc enim via, ſimul cum vita finitur*. Itaque totus vitæ curſus, morti occurſus deſtinatur: vt inde mors ius ſuum apertiſſimum eſſe confirmet, quòd vita ipſi inſeruiendo iuri apertiſſimè allaboret.

1873. Patet hinc myſterium illorum verborum Abraham ad filios Heth. *Aduena*, inquit, *ſum, & peregrinus apud vos: date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum*, Geneſ. 23. num. 4. At, non ne ſatis ſi ſepulchrum peteret? quid aduenæ & peregrino cum iure patrio, in terrâ quam fatetur alienam? pauper quidem ſpiritu Abraham, omnia humanorum bonorum iura paruipendens, cœleſti tantummodo iure pendens: ſolius nunc ſepulchri ius affectat, quaſi id vnicè mortali conueniret: quàm enim certo iure morti debebatur, tam certo iure reddendum ſibi ſepulchrum expoſcebat.

D. Thomas ad hunc locum: *Nota*, inquit, *quòd non petat sepulchrum, sed ius sepulchri, quia volebat ibi dominium habere, ne a modo de communi iure posset sibi auferri.* Auari instar priuatum ius ambibat, sepulturæ: & qui, nullibi fixo domicilio, commutabat tentoria, tabernacula transuehebat: is perpetuo iure stabile sibi, vxorique sepulchrum deposcit: hæc enim vna certa fixaque mortalibus *mansio* adscribenda.

1874. Quid nobilissimo hospiti, quem summopere reuerebantur, Hethel denegarent? cedunt iuri suo, ius pariter concedunt cum sepulchro: nec aliquid sibi gratiùs profitentur, quàm posse tam paruo obsequio sanctissimum Patriarcham deuincire. Quis crederet non accepturum illum tam liberale munus: quod deinde gratâ animi significatione protestaretur? Audi tamen Abrahamum post varias disceptationes altercantem: *dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo*, ibidem num. 13. Heus sanctissime Patriarcha, nescio quid ingrati animi suboles, nolle à beneuolo amico obligari: quid ergo munus non accipis? nunquid suspicabatur dolum in offerente principe? certè nulla suspicioni dabatur coniectura. nunquid inoleuerat iam vsus emendi agros, comparandi pretio terras, & numeratâ pecuniâ campos acquirendi? imò verò hæc prima terra fuit, quæ in sacrâ paginâ empta narratur: quid tandem? debuit prima terræ emptio certissimo mortis titulo insigniri: cumque nihil magis certum, suumque cuiusque sit, quàm quod emptione paratur: sic nulli operi debuit prius emptio destinari, quàm moriendi officio, quod nobis cunctis certius est, & inseparabilius. Idem Angelicus Doctor, *& est valde notabile quod prima terra, quam de iure sibi acquisiuit, & acquirere voluit, imò & prima quæ in Scriptura empta legitur, fuit sepulchrum: hoc enim de iure homini lapso competit, nec aliud hîc nobis est habendum, aut quærendum.* Quid enim diligentius quæratur, quàm quod ineuitabili euentui est seruiturum? Bene itaque rigorosissimo emptionis titulo acquiritur sepulchrum: quia donationis titulus licèt dominium transferat, apud homines fragilior existimatur: certissimo autem mortis iuri, huius hæreditaris ius certissimum debebat respondere.

§. II.

Mortis timor ipsa morte peior: vnde timenti mors iam pro beneficio computatur.

1875. MVlta sunt quæ plusquam se ipsis, timore sui angunt, & discruciant: vnde celebre illud Senecæ *in Thyeste*,

Peior est bello timor ipse belli.

non poterat hic cruciatus morti deesse: firmat probatque ius suum, vt, quoniam ipsa in momento ferit, & in puncto volat, saltem timore sui longissima spatia distorqueret: iuris sui, vt inuiolabile agnoscatur, vicarium substituit, non quemuis, sed se ipsâ longè crudeliorem: neque enim tam sæua domina, nisi sæuiori ministro partes suas committeret delegatas: vt possis dicere,

Peior est morte, timor ipse mortis.

in quam rem decantatur Ouidianum illud,

Mors, ne minus pœnæ, quam mora mortis habet.

quia nemo ita hebes, qui malit semper pendère, quàm semel cadere. habemus huius rei egregia multa in sacris litteris monumenta: quorum nonnulla hoc loci congerenda, vt inde mortis ius durum in sæuissimo vicario exhibitum cognoscatur.

1876. Destinat patris filiam infaustam, reportatæ victoriæ, & victi hostis victimam Iephtbe triumphator: nec recalcitrat illa, aut immolationis infulas fugit trepidula. hoc vnû orat: *Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: Vade. cùm abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus*, Iud. 11. num. 37. Clauditur destinatus terminus, & puellæ vita: innocens hostia, & virgo pudens, imprudens fortasse seueri patris votum impletura: tunc additur statim num. 39. *Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephtha Galaaditæ diebus quatuor.* Sed quid est illud *exinde*? an mors puellæ irrogata cæteris adolescentulis post tot annos caussam lachrymarum dedit, planctum excitauit? minimè: ex lachrymis, ex planctu Iephtheæ virginis, posteræ planctum lachrymas commotæ didicerunt. Sed hem, dixerit aliquis: acerba mors non plangitur, & mortis antecedens apparatus deploratur? fundit sanguinem, nec defletur, & solas dum fundit lachrymas conlugetur? plane, & quidem summo iure, acerbior enim puellæ mors imminens, instans immolationis metus, quàm mors ipsa: ideo quod sæuius illi fuit, lamentabantur: defunctæ parentabant, sed priscos illos viui pectoris dolore exprimebant: mortuam lugebant, sed apud ipsam, mortis malo peiorem eiusdem mortis metum iudicabant. fauet Abulensis ibi quæst. 52. *Exinde*, inquit, *idest, ex fletu quem fecit filia Iephthe antequam occideretur, plangendo duobus mensibus virginitatem super montes, nata est consuetudo quod quolibet anno plorant eam puellæ: sicut ipsa se cum aliis puellis plorauit.*

1877. Sed minus hoc mirum in virgine, & illâ delicatulâ: in viro robusto pellibus cincto, ciliciis induto, duræ rupis horrentis montis habitatore duriore, id sanè mirabilius. fugit instantem mortem, imminentem gladium, &, quod sæuius est, fugit Elias Iesabelem, potentia Reginam, religione Idololatram, irâ fœminam, & postquam longa per desertum itinera confecit, addit textus: *cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur*, 3. Reg. 19. num. 4. Ecquid hoc est vatum fortissime? quid cupis mortem, quam fugis? certa ista apud Iesabelem te manebat: quid vt amaram euitasti, quam modò velut dulcissimam inuitas? nunquid aliquid morte atrocius incurristi, quod vel etiam in funesto mortis sinu euadere non formides? inuenit certè, scilicet ipsius mortis timorem: vbi iram nouerat Iesabelis, solam obiectam mortem tamquam malum durissimum fugiebat: at verò postquam cum ipsius mortis timore impar congreditur, & fœminæ imperio potentis, furore impotentis, illum ad mortem conquirentis regiam diligentiam reformidat: iam leue, grauissimum quod putauerat malum, arbitratur, & in illo, maioris damni effugium exoptat, timoris nimirum. D. Chrysost. ser. 147. *Elias*, inquit, *ille, vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quam timori.* ac si leue mortis pondus præ pondere timoris iudicaret: succumbere iam isti suaue putat, quia timori succumbere intolerabile experitur, malens cadere semel, quàm pendere semper.

Quàm

1878. Quàm graue mortis pondus ſuſpirabant miſeri illi *Oſeæ* 10. qui furorem iræ diuinæ non conuertendum, iam iam cernebant imminentem, & tamen quaſi id leue eſſet, nouis & montium & collium ruinis rogabant iam lapſurum aggrauaretur: ideo poſtquam confuſus Iſraël, & victrix dicitur Samaria, additur: *& dicent montibus, Operite nos, & collibus, Cadite ſuper nos*, ibidem num. 8. Et quid, quæſo, morte grauius poterant à victoribus pertimere? Certè nihil. Ecquod genus mortis celerius, (ſi fortè longos cruciatus exhorrebant) quàm quod ictu gladij debacchantis in prælio hoſtis dari poterat? equidem nullum: malunt tamen ſtatim durius ruinoſo montium oneri, onerosæ collium ruinæ ſubiacere, ſæuiores mortis anguſtias deguſtare, quàm imminentis mortis timore (dum detinebatur victor) cruciari, occurſanteſque viuas mortis imagines intueri. Hugo Card. ibi: *Mori*, inquit, *magis optantes, quàm cernere qua afferant mortem.* quia dum cernunt, timeant neceſſe eſt, & timor, etiam leuioris mortis, ſic grauis, vt cuiuis morti grauiſſimæ, ſed tamen præſenti queat præponderare.

1879. Occiſo fratre defertur Cain apud Deum parricidij, & infecto innocentis ſanguinis teſtimonio accuſatus conuincitur, extremoque maledictionis iudicio fulminatur: tunc ille querebundus mortem exhorrens eamdem deprecatur, *Geneſ.* 4. *n.* 14. & exorat: audit enim à Deo, *omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, num. 15. Sed quid, dicat aliquis, tam ſæua culpa, indoles tam ſcæua, effrons adhuc indulgentiam iudicis poſtulat: imò, quod maius eſt, exorat facilis? certè deluſus miſer indulgentiam putauit eam, quæ erat pœnarum omnium cumulus acerbiſſimus. vita conceditur, ſed inſtantis mortis, & imminentis vindictæ timori commixta vita: quam proinde omni morte ſæuiorem ſupremus iudex iratus cognoſcebatur. multus in hanc rem Ambroſius *lib.* 2. *de Cain c.* 10. ſic concludens: *Ergo*, inquit, *iſti Cain longæuitas indulta, vindicta eſt, eo quòd vixit in metu.* repetiit, credo, poſtea à Deo mortem: reiecit beneficium, poſtquam infauſti doni acerbiores pœnas fuit expertus.

1880. Longè aliter, ſed etiam ad rem meam, hunc locum interpretantur alij: quaſi illud Cain n. 14. *eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* non tam ſit mortis deprecatio, quàm precatio. quaſi dicat: fac igitur, vt profugum quiuis obuius occidat. Aſt vnde infauſto extremi mali vota? maiori torquebatur. D. Petrus Chryſol. citatus: *Cain*, inquit, *vbi parricidali cœpit timore vexari, mortem petit: requiem credit, ſi periret.* nimirum auditâ iudicis ſententiâ, luiturum ſe fratricidij acerbiores pœnas intellexit: mauult ergo ſtatim perire, quàm timore perpetuo diſtorqueri, feliciorem ſi ruat ſemel, quàm ſi ſemper ruinam minitetur ſe exiſtimans: ideo non impetrat; hanc enim ſummam timoris pœnam pro tanto ſcelere ſeuerus illi Dominus deſtinabat.

1881. Fuit quidem hæc Dei erga Cain iuſtitia ſanctiſſima: cuius tamen pœnæ genus, licèt impiè, & iniuſtè exercitum aſſumebat Tiberius, de quo Sueton. in eius vitâ cap. 61. *Mori*, inquit, *volentibus vis adhibita viuendi: nam mortem adeò leue ſupplicium putabat, vt cùm audiſſet vnum ex reis Carnulium nomine anticipaſſe eam, exclamauerit: Carnulius me euaſit, & in recognoſcendis cuſtodiis precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſpondit: Nondum tecum in gratiam redij.* quia ipſum vltimæ pœnæ timorem, ipsâ capitali pœna nouerat ſæuiorem. bene Horatius licèt de phraſi Græcâ ſubobſcurus.

Qui ſeruat inuitum, idem facit occidenti.

ideſt, eodem crudelitatis genere deſæuis in illum, qui mori cupientem, inuitum vitæ ſeruas, quàm ſi volentem viuere, occideres. pergo.

1882. Ex dictis allucebit conſilium illud Magiſtri diuini, dum ſacros ſuos diſcipulos ad ſummam volebat perfectionem inſtitutos: *qui autem*, inquit, *perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſtâ, fugite ad aliam*, Matth. cap. 10. numer. 22. Sed quomodo perſeuerabit vſque in finem, ideſt, ad extremum vſque mortis ſupplicium, qui mortem fugit? aut quomodo Magiſter qui ſicut agnus manſuetus, & victima non recalcitrans ad mortem properabat, diſcipulis fugam præcipit, iubet euaſionem? volebat ſanè illos fortiſſimos, & deliberato pectore accedere ad mortem, omni non ſolùm ſpiritus, ſed etiam natura metu effugato. ideo diuino quodam ſtratagemate illos fugam docet: vt dum naturali mortis metui aſſiduè aſſueſcunt, ob Deum ſæuiùs illud naturæ malum patienter deuorantes, minori tandem malo, morti nimirùm, quando veniret, facillimo negotio, & penè ſine naturæ ſenſu ſubiacerent. videamus id in aliis locis ſacris, vt explicatio hæc noſtra minus paradoxica videatur.

1883. Cupiebat, vt ipſe fatetur, diſſolui Paulus, & eſſe cum Chriſto, ſatagebat pro Domino vitam fundere, animam dare, imò reddere pium diuinæ acceptæ gratiæ teſtimonium, & quando iam res magis inſtabat, audis illum: *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſi verò nihil eſt eorum, quæ hi accuſant, nemo poteſt me illis donare: Cæſarem appello*, Act. 25. num. 11. Si mori cupit, quid mortem fugit? ſi fugit, quid Cæſarem appellat, Neronem ſcilicet, apud quem, (quæ erat eius immanitas) ſæuius mortis genus poterat, & debebat exiſtimare ſibi ſubeundum? Viſus reſpondere D. Athanaſ. in *Apolog. de fuga ſua*, loquitur de Sanctis: *Quòd ſi aliquando*, inquit, *inter fugiendum conuerſo itinere ſeſe in aduerſarios contulere, non temere hoc ab illis, neque inconſultò factum eſt: admoniti enim ab ſpiritu ſeſe perſecutoribus obuiam ferebant, & iam tunc quoque ſuum obſequium, promptitudinemque declaraturi, qualis erat Helias, &c. qualis item Michæas, &c. qualis & ille Propheta, qui prouocatione vſus eſt aram Samariæ, & pudefecit Roboam: qualis & Paulus, qui Cæſarem appellauit, non enim præ timore operam fugæ præbuit, abſit: quin potiùs fugam habebat pro palæſtra, & meditatione aduersùs mortem.* quaſi diceret: Non fugit Paulus Iudæos, appellans Cæſarem, quòd robuſto illo ſpiritu mortem ipſam timeret: ſed ſæuiori tyranno Neroni præſentandus ambit fugam, & fugiens præſentatur, vt interim ipſe naturalis affectus, inter timores præuiſæ crudelitatis Neronianæ ſic conualeſcat, vt quaſi ab ſchola & palæſtra maioris exercitij, iam ipſi morti inſultet. quaſi non formidaturus minorem, qui cum hoſte maiori decertauerat. clarebit mens grauiſſimi Doctoris ex iis, quæ ſubiungam.

1884. Enarrabat idem Paulus quot, quamque duros ſancti viri labores eſſent perpeſſi, & inter alia, hæc commemorat: *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ*, Hebr. 11. à numer. 37. longè duriora iſta, quàm mors ipſa. quid ergo mortem fugiunt errabundi? Athanaſius citatus ad hunc locum: *Duo*, inquit, *hæc pariter obſeruabant*,

obseruabant, & quidem consultò, ne sese periculis obiicerent, & ne cum crimine ignauiæ, quasi ignaui timidique exilij ærumnas morte grauiores exhorrerent; qui enim moritur, quiescit à miseriis: qui autem in fugam se dat, cùm in horas inimicorum ad ortus expectet, mortem longè leuiorem, quàm fugam existimat. neque mirum: singulis enim horis quibus adorituros hostes, & mortem illaturos timent iusti, sæuiùs moriuntur: meritò ergo fugiunt, vt in hac fugà malum longè grauius morte non exhorrentes, ipsam quando aduenerit vilipendant.

1885. Habes aliquale huius rei (quandoquidem naturæ affectus hîc tractamus) exemplum apud Horatium *lib.* 1. *Oda* 37. vbi postquam fugam Cleopatræ describit, quam Cæsar velut columbam accipiter insequebatur, sic subdit:

Ausa & iacentem visere regiam,
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, vt atrum
Combiberet corpore venenum,
Deliberatâ morte ferocior, &c.

idest, ni ego fallor, quæ per longam fugam, mortem propulsato regni amore deliberarat, hostilis interim occursionis (quæ illam ad triumphum, & mortem exposcebat) timore concepto: facilè asperas serpentes tractauit, atrum ab illis combibit venenum. quasi fugientis timor, fœminæ palæstra foret, vt postea facilè mortem superaret. imò tamquam maioris mali finem pro beneficio amplexaretur.

1886. Et quidem, meo iudicio, est hoc summum, & sæuissimum mortis imperium, vt per acerbissimos suos satellites sic miseros vrgeat mortales, tales infallibilis iuris sui figat titulos, sic opprimat per timorem: vt iam pro beneficio ducant in ipsâmet rerum acerbissimâ conquiescere, maiusque malum huius fraudari aduentu arbitrentur. quod licèt, ex iis quæ dixi, satis pateat, paucis tamen expressiùs illustrandum. Pœnitentes iam protoparentes pelliceis tunicis induit Deus: *fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, Genes. 3. numer. 21. idest, vt nemo nescit, de pellibus mortuorum animalium, mortalitatis insigni affectos dimisit. Sed cur, dicat aliquis, post planam miserorum pœnitentium confessionem, post pœnas inflictas sudore & laboribus luendas, adhuc funereo habitu induuntur? hoccine diuinæ pietatis ingenium? Certè hoc. Audi D. Methodium apud Phot. cod. 234. *Sciens*, inquit, *Adamum ex insidiis diaboli prauum factum, vti & ille erat, qui eum deceperat Diabolus: propterea illi pelliceas vestes concinnauit, quasi illum induens mortalitate: vt per corporis solutionem, omne quod in eo malum erat, moreretur.* nullum enim beneficium maius id temporis accipere poterant, quàm si morti iam addicti, dum hæc tardabat, eius saltem quasi breui futuræ pignus retinerent: ne præuio timore & aliis mortalitatis pœnis ita cruciarentur, dum pignoris solatio recreantur.

1887. Hinc summa pœna habita, huiusce beneficij denegatio. Pro sacrilega schismaticorum peruersitate nouum vindictæ genus parat Deus, ducesque eorum Dathan & Abiron raro quodam supplicio destinat afficiendos: ideo Moyses: *Si nouum*, inquit, *rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum degluti:t eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque in infernum viuentes: scietis quòd blasphemauerunt Dominum*, Numer. 16. num. 30. & pro euentu additur num. 33. *descenderuntque viui in infernum operti humo.* Non quidem probabilius iudico, quod multi putant, viuos adhuc hos miseros in inferno cruciari, qui reuerà in ipso descensu expirantia corpora in ipsis terræ visceribus reliquerunt: quid ergo si paulo pòst morituri, non prius visibiliter occiduntur, quàm absorbeantur? nimirum, quia vulgo mors pœnarum compendium, & afflictis beneficium solet reputari: iussit absorberi viuos, vt in breui illo spatio putantes sibi mortis beneficium semper denegandum, acrius inde, quàm ipso tam nouo supplicio pungerentur. Pulchrè Optatus Mileuit. lib. 1. aduersùs Parmen. *Ne beneficium*, inquit, *de mortis compendio consequi viderentur: dum non essent digni viuere, iis nec mori concessum est: tartareo carcere subitò clausi, ante sunt sepulti, quàm mortui.* vt dum in sepulchro viuos præter mortem se cernerent, & præter morem, de beneficio communi diffideutes, & in morte ipsâ viuendi pœnas, & in vitâ mortis timores paterentur.

1888. Similem vindictam impiis Propheta magis, quàm imprecator, minatur Dauid: longè tamen in eadem hac re emphaticoterus, *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in infernum viuentes*, Psalm. 54. num. 16. vbi D. August. *Quomodo*, inquit, *descenderunt in infernum viuentes, de quibus dixerat, veniat mors super eos? Si iam super eos mors venerat, quomodo viui ad inferos descendebant?* vnde putat de diuersis locum capiendum, vt mors alios, alios voraret infernus. pace tamen supremi Doctoris, vtrumque de eisdem met potest explicari. hoc solum carnificis solet esse beneficium, si breui damnatos miseros strangulet, nihil enim summissius orant strangulandi, quàm celerem exitum, quàm vt opprimente pondere suffocentur: his tamen mors incubuit instar carnificis, nec tamen oppressit: fini destinauit, & tamen dilatauit finem. gaudebant miseri dum incubantem viderent, & suscepto pondere carnificis mortis, compendium pœnarum sperabant: at illa premit, non opprimit: irruit, non obruit: instat ad obitum, quem tamen non præstat: sic penè descendunt in infernum viuentes adhuc, penitus infeliciores, qui visa morte descensuros hinc se mortuos præsumebant. Impulit me in hanc mentem nota huius loci versio apud Lorinum nostrum, quæ habet: *decipiat illos mors.* quæ enim incumbens videbatur obrutura, dum vitam suspendit, dum spiritum detinet, certè spem decipit miserorum, qui illam pro beneficio acceptabant. facit huc illud Alcuini *quæst.* 89. *in Genes.* de Cain locuti. *Cur*, inquit, *ille se morti damnauit? vt compendio mortis cruciatus euaderet præsentes.* heu, quantum in hoc compendio dispendij. quàm certum, & quàm sæuum mortis ius. dum tardas, his tortoribus te tradit, vt ad illam confugere iam lubens compellaris.

Fuge dilecte, &c. VERS. 14.

§. I.

Ad diuinæ sanctitatis conspectum, omnis humana sanctitas nigrescit.

1889. Explico hunc locum (in quo sponsa sub vltimo Canticorum carmine, tamquam in summæ perfectionis apice constituta cognoscitur) de more illo Sanctorum, quo licèt perfectissimi, non tam de voto, quàm de trepidatione Deum à se separatum videntur exoptare, non quòd illum à se alienum velint; sed quoniam in illius conspectu, & ad illius sanctitatis radios, sic nigrescere visi, sic

ſic leues ſuas maculas tamquam in ſpeculo agnoſcunt, vt in eius præſentiâ diu ſubſiſtere non audeant: cumque nequeant fugere, ſaltem vt fugiat, ideſt, abſcondatur Deus, videntur concupiſcere, quaſi apud tantum ſolem, propriam ſuam fuſcedinem impotes ſuſtinere. Eſt in re ſimili comunis Patrum explicatio ad illud Petri obſtupeſcentis Christi poteſtatem: *Exi*, inquit, *à me, quia homo peccator ſum Domine*, Luc. 15. num. 8. de quo bene D. Antonius de Pad. *Petrus*, inquit, *ſe peccatorem tanta maieſtatis præſentia timuit aggrauari.* non certè quòd inde creſcerent peccata in ſe: ſed quia ſicut vel minutiſſimi apices ad Solis radios puriores cerni ſolent, ſic lux diuina præſens vel etiam leuiſſimos aperit defectus: vt quæuis puritas fœdior, ac proinde grauior videatur.

1890. Vitulæ immolatæ cineres quàm ſacri forent, nemo neſcit, cùm illorum conſperſio in typum Chriſti Domini, vt ait Paulus, mundaret in ſanctificationem, ac proinde non niſi à Sacerdote mundiſſimo tractabantur: *colliget*, inquit textus, *vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, vt ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis*, Num. 19. numer. 9. Sed ecce tibi inſurgit ſtatim nodus non facilis, non leuis difficultas. additur enim ſtatim num. 10. *cumque lauerit qui vaccæ portauerat cineres veſtimenta ſua, immundus erit vſque ad veſperam.* de quo ingenioſè addubitat hîc Radulphus apud Godefr. *Quæ ratio*, inquit, *eſt, cùm cineres tantæ dignitatis ſint, vt non niſi à mundo homine permittantur efferri: ille tamen, qui adeò mundus acceſſerit, portando contaminetur? ſi aqua illa cinerum admixtione ſanctificata immundos emundat, dum ſuper ipſos aſpergitur: qua ratione qui tangit eam, immundus efficitur?* deinde ingenioſiùs reſpondet ſic ſubdens ad rem meam: *Sed patet ratio: omnis enim, qui ſancta tractat, non exinde polluitur: ſed hâc de cauſâ immunditiam ſuam ſollicitus recogitare compellitur: alioqui ſi ſe mundum iudicat cùm Deo approximat, inter ſuperbos reputabitur & immundos.* itaque ad approximatione ad radios diuinos totus pudore perfunditur iuſtus, & totam ſuam ſanctitatem colliuentem recogitet neceſſe eſt: ſic ſe immundum reputans, vt etiam ab aliis ſecerni quaſi indignus commercij, de humillima ſui cupiat confuſione.

1891. Ad Deum loquebatur anima oſculum ſuſpitans, attrahi cupida, vnguentorum memor, & tamen nemine interim obſtrepente, accuſante nemine, conuerſo ad ſodales ſermone ſe excuſat, & quaſi omnibus pateret fuſcedo illa, cuius ipſa fortaſſe conſcia tantùm erat, exclamat: *nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol*, Cant. 1. num. 5. cùm enim ibi diuini Solis lucem combiberet, neceſſariò inde humillimâ confuſione ſubortam ſibi nigredinem agnoſcebat. D. Bernardus ſerm. 28. *decolorauit*, inquit, *me ſol, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum approximans illi ex eo me obſcuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam deſpicio: cæterùm aliàs quidem formoſa ſum, quid fuſcam dicitis ſolius Solis pulchritudini ſuccumbentem?* Vertitur itaque radius ille diuinus quo nitidior, in nubem aliis obſcurandis denſiorem: ſic ſol iſte, quem cernimus lucis pallio, dum tenebras irradiat, obumbrat ſtellas. vnde Gregorius magnus ibi: *Quantumlibet*, inquit, *fulgeat anima, in comparatione Chriſti fulgorem amittit: ſunt enim nonnulli, qui in hac nocte mundi velut ſtellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparent: ſed mox, vt iuſtitiæ Chriſti ſe comparant, quaſi ſine luce ſunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant.* vt omnes inſtar Baptiſtæ licèt à diuino ſole vberiores radios percipiant, inſtar ſtellarum ad exuberantis Solis lucem euaneſcentium minui videantur, ſi in comparationem præſumant deuenire.

1892. An fortè dicat aliquis, decolorari timuit Elias, quando ad præſentiam Domini tranſeuntis ſe obnupſit? imò potiùs iam ſe, adhuc in ſpeluncâ deliteſcens, ex ſolâ vicinitate ſenſerat, ni fallor, decoloratum, & ad primos lenioris auræ ſibilos quodammodo fœdatum: *poſt ignem ſibilus auræ tenuis. quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ*, 3. Reg. 19. num. 13. Itaque vix audit, cùm iam non audet vltrà non velari; & quorſum, inquis? ne dum ad lucem erumpebat è tenebris, ſordes quas ſenſerat, ipſis diuinis oculis quodammodo obiectare cogeretur. Ricardus Victor. hîc apud Godefr. *Quid autem*, inquit, *eſt quòd vultum ſuum operuit, quando Dominum tranſeuntem habuit, qui in id ipſum ſic ſuſpenſus ſtetit? an fortè ſub dominicâ præſentiâ imperfectum ſuum imperfectius agnouit, & imperfectionem ſuam videri erubuit?* &c. *O quàm multi ſunt qui ſe iam paratos credunt, & tamen ſub ipſo viſitationis ſuæ articulo ibi trepidant timore, vbi antea non erat timor, & exitum quem priùs anxiè requirebant, iam fieri reformidant.* neſcit enim adeſſe Dominus, & ſuis appropinquare, quin ipſis ſuammet prætendat imperfectionem, ad conſpectum perfectionis immenſæ, imperfectiorem. Quid ni ergo iam trepident apparere, vbi neceſſariò ſe pertiment fœdiores.

1893. *Speculo diuinus mira conditio.* Poſſes etiam dicere velaſſe ſibi faciem, non ſolùm ne videretur, ſed etiam ne videret, quaſi prætimens, ne ſordes quas ex ſola propinquitate ſenſerat, in Dei conſpectu tamquam in ſpeculo cerneret fœdiores. Speculum eſt planè Dominus ſine macula, vnde quaſvis maculas etiam minimas, quoſvis næuos aliàs lynceis oculis occultos clariſſimè repræſentat. Binas alarum ſuarum in velanda ſibi met facie occupabant Seraphini, ideſt, viri ſanctitatis, apud Iſai. vbi enim nos legimus, *duabus velabant faciem eius*, cap. 6. num. 2. ex Græc. & Hebræo legunt alij, *velabant ſuam met faciem.* & cur ita, cùm toti in tam diuinum pulchrumque conſpectum reuelandi & anhelaturi viderentur? cauſſam ſubdit pulcherrimam Galfridus apud Tilm. poſt multa: *Si aliter faciem velare intelliguntur quaſi ne videant, alæ ipſæ quibus faciem ſibi velant, timor & pudor poſſunt non inconuenienter intelligi: metuunt enim, & erubeſcunt ad vultum gloriæ magni Dei.* quaſi nullibi clarius, quàm in diuino vultu defectus poſſent ſuos ſpeculari, vnde iam erubeſcentes, erubeſcere ampliùs cogerentur: non quia de ſuperbiâ id faſtidiant, ſed vt humilitatem in præcognitâ confuſione proteſtentur. Superba facies quando ad ſpeculum ſe deprehendit deformem: illud, ſi poteſt, frangit, aut ſaltem amouet, quaſi à falſo teſte pœnas ſumat: aſt humilis admotis manibus ſe obtegit non incuſans ſpeculum, quia de ſe met ipsâ confuſa erubeſcit. hinc Lais mulier formoſa pariter & famoſa poſtquam conſenuit, ſuperbo faſtidio ſpeculum ſuum Veneri dicauit, de quo eleganter Auſonius.

Lais anus ſpeculum Veneri dico: dignum habeat ſe
Æterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc vſus: quia cernere talem,
Qualis ſum, nolo: qualis eram, nequeo.

ſic

ſic abigit teſtimonium vnde deformitatem ſuam cutis rugis, annorum ſulcis notatam, temporis notis ſcriptam percipere, imò legere cogebatur.

1894. Et pende, quæſo, diſcrimen aliud inter hos: Lais & cæteri ne confundantur, ſpecula relinquunt: Elias verò Seraphinique, & cæteri iuſti ſic confunduntur, vt pariter diuino ſpeculo adeſſe gaudeant, nec vllo pretio inde, ſi poſſent, vellent ſeparari: ſic enim lux diuina occultos propalat defectus, ac reddit fœdiores, vt animam inde in ipsâ fœditate pulchriorem reddere videatur: ſicque iuſti pudori ſe tegunt ne ſe videant, vt non relinquant ſpeculum, ſed quaſi identidem ſe viſuri perſiſtant: itaque vident, & teguntur, ſed ſtatim vt iterum videant reuelantur: identidem de viſione confuſi, & de confuſione ad videndum alacriores. Non ergo dum fugientem, id eſt, diſcedentem Chriſtum cupit ſponſa in hoc loco, & Petrus initio adductus, reuerâ vota exprimunt deliberata: ſed trepidationem his vocibus proteſtantur: inſequerentur, ſi fugeret; tenerent ſi diſcederet: non tam diſcedentem Dominum ſollicitant, quàm aduenientem ſibi humilitatem ab admoto ſpeculo profitentur. hoc cum aliis ſacri ſpeculi conditionibus expendamus ſeorſim.

§. II.

Mira huius ſacri ſpeculi conditio: ambitur, non abigitur: oculos quos producit ad viſum, inducit ad velamen: has minuit formas, nec fallit: illas abſque mendacio adauget, imò multiplicat.

1895. CApe hinc locum illum Baruch: *Quid eſt Iſrael quòd in terrâ inimicorum es, inueteraſti in terrâ alienâ, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum?* cap. 3. num. 11. affixâ enim interrogatione vult nonnullus iſta legenda: horum verò cauſam adſcribit Propheta ſtatim num. 12. *dereliquiſti fontem ſapientiæ.* eſtque prædicta interpunctio ſenſui & Hebræo textui conformis, de quo Vatablus ibi. Sed cur, dicat aliquis, ſapientia, ſeu veritatis æternæ contemplatio, in fonte potius, quàm in quouis alio typo declaratur? cur non vt alibi lux pura, margarita nitens, aut arbor vitæ dicitur vireſcens? ſpeculorum omnium nullum facilius, naturalius nullum, ac proinde nullum magis obuium, quàm fons: ideo Nemeſianus *Ecl.* 2.

Quin etiam fontis ſpeculo me manè notaui:

Id ergo vult Deus, vt ipſam ſapientiam vnde bibere cupis, habeas ſpeculum: quod is, qui perdi cupit, certè perdendus derelinquit. Auctor Cant. ſine titulo ibi apud Godefr. *Quæ tálium*, inquit, *malorum cauſſa? dereliquiſti fontem ſapientiæ: in fonte ſolent inſpicientes ſuos vultus agnoſcere: quod autem exterior homo in fonte, hoc cogit interior in veritatis contemplatione.* in hoc ergo diuini fontis ſpeculo iuſtus ſuos defectus recognoſcit, nec tamen illud abigit: imò ſatagit, vt in illo ſe ſæpiùs intueatur.

1896. Hinc igitur nouum oritur miraculum, vt ad illam præſentiam totus videatur iuſtus in oculos nunc effundi: nunc ipſos oculos de maiori approximatione cupiat, imò cogatur obuelare, quaſi ipſum ſpeculum oculos inducat ad velamen, quos ad viſum producit. Animalia illa myſtica, quæ apud Ezechielem ita diuinæ luci appropinquabant, vt fierent eiuſdem gloriæ geſtatoria, vndique oculata deſcribuntur: *& totum corpus oculis plenum in circuitu*, cap. 1. num. 18. priſca lectio (vt habet D. Gregor. *homil.* 10.) magis emphaticè habebat: *dorſa eorum plena oculis.* itaque diuinos quoſdam Ianos (vt id obiter notem) hic contemplare: quibus melius quadret Perſianum illud *Sat.* 1.

O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit:
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas:
Nec lingua, quantum ſitiat canis Appula, tanta.
Vos ò patritius ſanguis, quos viuere fas eſt
Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.

de his ſannarum modis iam interpretes, vide, ſi vacat. nunc audi Gregorium ibi. *Ea*, inquit, *quæ ſunt ante faciem noſtram videmus: dorſa autem noſtra alius in nobis videt, & nos videre non poſſumus. quia ſancti viri ſolerter ſe aſpiciunt, in quibus ab aliis indicari poſſunt, & diſtrictè ſe vident, ſicut ſæpe diſtrictè ab aliis videntur, quia in ſe nec ea, quæ latere poterant, ignorant, lumen in dorſo portant.* vt in hoc maximè cœleſtis curiæ Aulici de acceſſu ad Regem diuinum, ab humani Regis Aulicis diſtinguantur: quod illi beata luce perfuſi vel etiam defectus occultos, humiles recognoſcant oculatiſſimè: hi verò ab ſplendore amici principis obcæcati, nec etiam publica ſcelera, & illa maxima in ſe intueantur. Vides quot oculos ab hoc diuino ſpeculo percipiant iuſti? attende ergo nunc ad rem meam.

1897. Et pende quid de alis illis quatuor, quæ numero ſexto deſcribuntur, dicatur poſtea num. 23. *ſub firmamento pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum.* id eſt, è quatuor alis duæ erectæ erant, duæ in vêlando corpore detinebantur. Sed quorſum, inquis, corpus oculis plenum, ſi ſemper duabus alis velabatur? quia videbant erubeſcentes, & velabantur non quaſi non viſuri, ſed vt decoram confuſionem proteſtarentur: ambientes abigunt oculi, quod ambiunt abigentes: non rebellant diſcedentes, ſed velant appropinquantes, quia identidem cupiunt & velari humiles, & auidi perſpicere. creſcit in oculis deſiderium, licèt creſcente lumine creſcat confuſio, reuerentia augeatur.

1898. Maius eſt id, quod ſequitur: *cùm fieret*, inquit textus, *vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſummittebant alas ſuas*, n. 25. quaſi nouo ac nouo velamine ſe cuperent tegere, nimirum auditâ Domini voce profundiùs tantam præſentiam agnoſcunt, & quæ ex ſolo aſpectu conceptam humilitatem duabus alis velantibus teſtabantur, nunc è ſermone præſentiora quodammodo, alas binas alias volantes commutant in velantes, quia quo intimiùs ad Deum accedis, altiùs defectus tuos agnoſcis & formidas. Grauiter *ibidem* Gregor. homil. 8. *Ad vocem*, inquit, *deſuper venientem animalia alas deponunt, quia virtutem Dei, ſiue in naturâ ſuâ contemplari requirimus, ſiue in occultis iudiciis inueſtigari cogitemus, pro eo quòd eius alta nobis impenetrabilia ſunt: noſtra nobis, ſi qua ineſſe bona videbantur, vileſcunt.* quæ ergo priùs duas demiſerunt, nunc quia ſe notant viliora, alias duas pariter demittunt, quibus neceſſariò obuelantur, & tamen perſiſtunt: eſt enim hæc obuelatio, non de oſtendente Deo, ſed de oſtenſo defectu, aperta quædam diſplicentiæ ſignificatio.

1899. Hinc illa promittentis Dei vox fidelibus ſuis, iam in terram felicem, id eſt, tranquillam conſcientiam

ſcientiam introductis. *& recordabimini ibi viarum veſtrarum, & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis in eis & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro*, Ezech. 20. num. 43. ibi habitant, vbi ſibi magis complacent, & tamen interim in geſtis ſuis ſibi magis diſplicent: cur non deſerunt, quod ſibi tanti faſtidij anſam præbuit? erat illis ipſum faſtidium ſapidiſſimum, quia quo ſe illis puriùs, appropinquante Deo, per amicitiam lumen infundebat, eo clariùs, ſed dulciùs defectus ſuos cernebant, vt ſibi ſuauiſſimè diſplicerent. Euſebius Gallicanus homil. de exhort. ad Peb. obtrect. *Illuminato, inquit, ſenſu euidentiùs ſe introſpicit, & quanto attentiùs in ſui emendatione cor fueris, tanto velut puriori oculo plus videbis. & ideo propitius hoc Dominus fidelibus repromittit: & faciam, inquit, vt diſpliceatis vobis in oculis veſtris. Vides, quia iam non parua pars meriti eſt ad conſpectum erubuiſſe peccati?* quid ni ſi illuminato ſenſu, id eſt, præſente Domini gratiâ ſe introſpicit?

1900. In Sixtianis tamen hic locus legitur, *& percutietis facies veſtras*. quaſi pugnis, & vnguibus, non tam contra ſpeculum indignari, quòd ſuperborum eſt, quàm in ſeipſis viſam deformitatem vindicarent. & benè notatæ potius facies, quàm quæuis aliæ partes deſcribuntur, quaſi vellent in facie oculos obtundere: vt quantâ ſe diſplicentiâ viderint (cùm tamen pro beneficio accipiant ſe videre) innoteſcat. D. Hieron. ex Symmacho legit: *μικροὶ φανήσεσθε, parui nobis videbimini*. vt lux diuina de illorum eſſe ſpeculorum genere cognoſcatur, quæ obiecta accepta minora efformant, tenuiora reddunt, quàm accipiant, id eſt, ſibi de humilitate abiectiora.

1901. Nec propterea diuinum hoc ſpeculum ſacrilegè putes mendax, quòd obiectam rem, qualis in ſe eſt, non reddat, ſed minoret: ideo enim res verè eſt magna, imò manet maior, quia ſe ibi minorem ſciuit, & potuit recognoſcere: vt ſit verius ſpeculum iſtud, quo magis humiliare, & imminuere nouerit appropinquantes. Huc collimabat Dauid dum ſe de ſtatus felicitate, luſtorum cœtui fore lætitiæ cauſſam augurabatur, concludens ita: *in veritate tua humiliaſti me*, Pſalm. 118. num. 75. talis debebat eſſe, qualis in illo Pſalmo deſcribitur Sanctus, iuſtus, intelligens, obſeruator, qui in veritate diuini ſpeculi erat humiliandus. & cur ita? quia peccator non habet opus ſpeculo huic accedere, vt humilietur minoratus, qui de propriâ vanitate iudicabitur inaneſcens. Giliſbertus ſerm. 15. *Non omnium, inquit, eſt hoc dicere: Infirmiores in vanitate ſua humiliantur, perfectiores in veritate Dei. non poteſt vanitas veritatem diiudicare: ſed veritas vanitatem, & veritas veritatem, ſpiritus enim diiudicat omnia: quod humano ſolidum, & integrum videbatur iudicio, cùm venerit ſpiritus veritatis, euacuat, & comminuit illud*. quaſi inde ſit verax ſacri ſpeculi iudicium, quod id minorat, quod ſibi prius magnum videbatur.

1902. Et ſcitè quidem, atque cautè, non ſcripſit Giliſbertus *erat*, ſed *videbatur*. eſt quippe quantum eſt ex ſe humanum iudicium, etiam in Sanctis, niſi ad diuinum iudicium reguletur, ex illorum ſpeculorum genere, quæ res adaugent, vt infrà dicam: vnde omnia virtutum repræſentat maiora, quæ diuino obiecta ſpeculo decreſcunt. Quàm multa de iuſtitiâ ſuâ ad maiorem Dei gloriam apud amicos diſſeruerat ſanctiſſimus Iob? hanc in ſtateram cupiebat venire cum pœnis, quas tolerabat, quia credebat his præponderaturam.

Pinnus in Cantica.

Quàm digna æternitate putabat verba ſua qui ea in ſilice ſcribenda denotabat, & tamen audit è turbine Deum ſibi loquentem, nec iam mutire audet: *qui leuiter*, inquit, *locutus ſum: reſpondere quid poſſum? manum meam pono ſuper os meum*, cap. 39. num. 34. & cur non audet? quia quæ ſibi olim videbantur iuſta, & ſolidè dicta, in diuino conſpectu minorata, id eſt, ſibi redacta iam viluerant. D. Gregor. homil. 8. ſuprà citatâ: *Qui*, inquit, *quantum ad homines ſapienter locutus fuerat, loquentem ſibi Deum audiens, inſipienter ſe locutum fuiſſe reprehendit: quia in contemplatione veræ ſapientiæ, ſua ei ſapientia viluit*.

1903. In idem recidit quod habet cap. 42. numer. 6. *Auditu*, inquit, *auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te: iccirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ, & cinere*. Vbi audit, iam, vt dixi, non obmutit: at vbi videt, iam ſe ſic putat fœdum, vt ſibi luſtratione cineris indigere videatur, & afflictione, quaſi non niſi vehementi aliqua lotione (nos dicimus *colada*) ad quam cinis aſſumitur, tot maculæ forent repurgandæ, de quo D. Greg. Moral. 35. à cap. 4. *quia*, inquit, *interno oculo veritatis lumen magis conſpexerat, humanitatis ſuæ tenebras diiudicans plus videbat. quanto enim quiſque ſe minus videt, tanto ſibi minus diſplicet, & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit*. Videbatur ergo ſibi prius maior, & purus, qui ad diuini ſpeculi intuitum ſic decreſcit, vt minimus, & fœdus ſibi reputetur.

1904. Eſt tamen adhuc nouum aliud miraculum in hoc ſpeculo: quod enim virtutes alibi viſas grandes nouit extenuare atque minuere: idem defectus, qui aliàs videntur parui, ſic ſine mendacio adauget, vt graues ac penè mortiferi horreantur. deme imperfectionem, & veriſſimum hîc putabis illud Senecæ lib. 1. cauſ. nat. cap. 6. *Eſt*, inquit, *alicuius ſpeculi natura talis, vt maiora multo quam videat oſtendat, & in portentoſam magnitudinem augeat formas*. ideo D. Gregor. moral. 31. cap. 1. *Sancti*, inquit, *viri quo apud Deum altiùs virtutum dignitate proficiunt, eo ſubtiliùs indignos ſe eſſe deprehendunt: quia dum proximi luci ſiunt, quidquid eos in ipſis latebat, inueniunt, & tanto magis foris ſibi deformes apparent, quanto minus pulchrum eſt, quod intus vident*. & paulo pòſt de mente noſtrâ locutus: *cùm neglectam ſe deſerit, & noxio tepore torpeſcit: vel otioſa verba, vel inutiles cogitationes minoris eſſe reatus omnimodo credit: at ſi igne compunctionis incaleſcens, à torpore ſuo tacta ſubito afflatu contemplationis euigilet, illa quæ leuia paulo antè credidit, mox vt grauia & mortifera perhorreſcit*.

1905. Habes inſigne huiuſce rei teſtimonium in Dauide, qui concupitam tot ſuſpirantis deſiderij æſtibus aquam, iam allatam attingere recuſauit: *noluit*, inquit textus, *bibere, ſed libauit eam domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. num. 16. Aſt vnde ſanguis iſte, cùm tamen duces illæſi, & ſoſpites redirent? acceſſerat nimirum per pœnitentiam iam arctiùs ad Deum: vnde in leuiſſimo petitionis ſuæ affectu (cuius intuitu duces fortiſſimi ſe diſcrimini expoſuerant, qua à ſe grauiſſimum commiſſum homicidium perhorrebat: ſic qui Vriæ olim ſanguinem effuderat velut aquam, nunc aliorum aquam periculo quæſitam, velut ſanguinem pertimeſcit. quaſi ad diuinum ſpeculum parua appetitio inſtar grauiſſimi ſceleris repræſentaretur,

& voluntas potum appetens, tamquam ſanguinem fundens videretur. D. Chryſoſtom. homil. 1. in Pſalm. 50. *Allatâ*, inquit, *aqua intellexit Rex quid fecerit, quia in pugna validiſſimâ ſitim ſuam non valuit continere: ideoque vicit deſiderium quod ſciuit cum alieno periculo adimpletum. Allatam accipiens aquam bibere noluit, ſed ſemetipſum reprehendit, & Domino eam libauit, non enim aqua erat, ſed ſanguis: non natura ſanguinis in cauſſa erat, ſed deſiderium & voluntas ſua.* non quòd ille dum appeteret aquam, fundi ſuorum ſanguinem exoptaret: ſed quòd iam iuſtus in allatâ incautum deſiderium tamquam impium votum iudicabat.

1906. Ah quàm alij Iuſtorum oculi ad hoc ſpeculum! *Vides iam*, addit Chryſoſtomus, *quomodo caſtigatus de priori concupiſcentiâ poſtmodum maior eſt factus: & qui corpus adamauerat, & rueras, aquam deſideratam, & neceſſariam ſitiens bibere noluit, & victor ſui factus eſt?* Sed pro vtraque hac concupiſcentiâ ponderandâ ſubdo bona verba Senecæ citati lib. 1. *Sunt*, inquit, *ſpecula quæ videre extimeſcas: tantâ deformitate corruptam faciem viſentium reddunt.* Sic ergo horruit appetitionis ſuæ faciem Dauid, ac ſi in diuino ſpeculo aquam lenem ſitiens, in feruescentis ſanguinis anxietatem deformaretur: vt quemadmodum olim ad carnis ſpeculum alienæ fœminæ grauiſſima concupiſcentia leuis, imò formoſa videbatur: ita leuis aquæ concupiſcentia nec adeò indecora, deformis & grauiſſima videretur. Nota, ſed pulchra gnome illa Gregorij adducti ibi apud Gloſſam: *Qui*, inquit, *concupiſcere alienam coniugem non timuit, poſt etiam quia aquam concupiſceret expauit.* Emphaticè enim ſumitur in hoc loco verbum *expauendi*, quo tamquam viſu horroris aliquo extimeſcens ſtupor declaratur.

1907. Veruntamen adhuc verba huiuſce pœnitentis libet ponderare. Deplorabat ſanè ille id tantummodo quòd in amanda deliquerit Bethſabee, vt ex titulo Pſalmi patet: in quo præter adulterium, homicidium, & ſcandalum, vix aliud reperitur: & tamen exclamabat, *ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam*, Pſ. 50. num. 5. Si vnam tantùm fatetur iniquitatem, (quia licèt tripartita eſſet, aſt in eodem negotio obuenit) cur non tam vnam miſerationem, quàm miſerationum poſtulat multitudinem? Iam priùs magnam appellarat miſericordiam, vt magnam ſuam miſeriam teſtaretur: cur non hîc magna, ſed etiam multiplex miſeratiu ſupplicatur? Viſus reſpondere hîc D. Hieronym. *Confugio*, inquit, *ad miſerationes tuas, vt grauibus vulneribus theriacam remiſſionis infundas. miſerationum dicit: quia multa ſunt peccata mea, & miſerationes tuæ multæ.* quaſi iam iuſtus & ad Deum accedens, non ita multa numero peccata, pro multitudine immenſa reputaret, cui miſerationum reſpondeat multitudo infinita.

1908. Nimirum talis eſt diuini noſtri ſpeculi conditio, vt non ſolùm augere, ſed etiam multiplicare formas videatur. Audi iterum Senecam ſæpè citatum: *Sunt*, inquit, *quædam ſpecula ex multis minimiſque compoſita, quibus ſi vnum oſtenderis hominem, populus apparet, vnaquaque parte faciem ſuam exprimente.* Dempto mendacio, ſimile quid in re noſtrâ viſum euenire, vt quæuis ſanctitas apud Deum de præteritis culpis, licèt paucis, quaſi de multis magis confundatur. benè ad dictum locum Euthymius. *Iuxta immenſam*, inquit, *miſericordiam immenſum eſt enim quod deliqui.* Ac ſi iam peccata ſua ad numerum redigere nequiuiſſet. Sed de hoc ſpeculo diuino alibi mihi plura diſſerenda.

§. III.

Aſcenſio Chriſti, hominum eſt triumphus.

1909. Explicat hunc locum Paraphraſtes Chaldaicus de Deo terram deſerente, & in cœlum properante, qui optimè aſcendenti Chriſto Domino poteſt accommodari. neque mirum ſi Eccleſia (quæ aliunde vtpotè amãs videbatur optatura, vt Chriſtus ſemper ſecum viſibiliter permaneret) tantopere cupiat, vt Dominus terram fugiat, & ad cœleſtes aromatum montes aliger conſcẽdat: nouerat enim ſe pariter cum membris ſuis, in capite illo diuino triumphante triumphaturam. Chriſtum Dominum in cruce alas expandiſſe, & inde inſtar generoſæ aquilæ pullos ſuos ad cœlũ, ad domum hæreditariæ voluptatis duxiſſe, graphicè deſcribit Bernardus *cap. 5. de Paſſ.* & quidem ita eſt: patitur Chriſtus, & aſcendens intrat gloriam ſuam, ſed ſic intrat, vt ſecum, imò in ſemetipſo filios omnes adducere videatur: quomodo enim aliter iuſtos omnes ad cœlum tollere diceretur, niſi quia in ſe quodammodo omnes copulauit, vt iam illius aſcenſio meritò triumphus noſter haberetur.

1910. Aſcendebat Chriſtus, & ecce feſtiuæ comitantis exercitus cœleſtis, ad ſacros murorum cuſtodes, vociferationes: *attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, Pſ. 27. num. 7. Symmachus in Sixt. legit: *transferte portas Principes veſtras.* quaſi non ſolùm attolli, & grandiores alias aperiri: ſed ne quid obſtarent, etiam amoueri excipiendo Chriſto neceſſe eſſet. & vnde tam noua metaphora? nonne eædem portæ, quæ illum deſcendentem ceperunt, aſcendentem etiam poſſent capere? factus ne Chriſtus anguſtior: an portæ anguſtiores? Aſt diuinitatis cumulus neſcit incrementa: & vnde portis obtrudas decrementa, non apparet. At qui hoſpites deferebat, qui ſolus deſcenderat: benè. quid tamen tumultuarium ingreſſum imagineris? conſecutiuus ſanè erat, & debito ordine ſuccedens. Vnde non cateruatim ab oſtio impedirentur. Quid ergo? non creuit in ſe Chriſtus, è nobis tamen maior intelligitur: ſolus deſcenderat, at nunc in illo non ſolùm hoſpites è limbo feliciter beati, ſed totus iuſtorum chorus incorporatus aſcẽdit: non ſucceſſiuè, ſed ſimul; adunatim, non cateruatim ingreſſurus. Acutè D. Ambroſ. ad hunc locum lib. 4. de fide, c. 1. *Quia*, inquit, *non vnus homo ſed totus in omnium redẽptore mundus intrabat.* Aperiãtur, & amplientur ergo portæ, quæ vnum Dominum olim dimiſerũt, nunc in eodem mille ac mille iuſtos excepturæ.

1911. Hinc fuit maximè, quod Chriſtum iam mortis victorem, inferni ſpoliatorem, ab aſcenſu ſuperni Capitolij triumphaturum retardabat, quòd cœlitum ſpes anxias exercebat, dum ille *per quadraginta dies apparens & eloquens*, Act. 1. num. 3. diſcipulis conuerſabatur: ecquæ enim tanta cœlorum tuorum quodammodo incuria, ô Domine? affectuoſa terreſtrium meorum memoria, inquit ille: aſt illinc meminetis, ô Ieſu, nunc iam aſcende: quid moraris? At quid, inquit ille, aliquid aſcenſioni peragendæ deeſt adhuc: ecquid illud? deerat certè contriumphatorum apparatus glorioſus: Dominicæ nimirum paſſionis procella Eccleſiam tunc paruam diſturbarat: degebant victi diſcipuli magis, quam victores, metu perterriti, temerè confuſi: igitur per quadraginta dies à mœſtitiæ grauitate, à pondere timoris erant reuelandi,

vt

vt ſic leues & habiles cum Chriſto, & in Chriſto aſcenderent triumphatores. dedi alibi de hoc loco ad rem aliam pluſcula verba Chryſologi *ſerm. 85.* qui tandem ad rem præſentem ſic concludit: *remoratur*, inquit, *in terris,* &c. *donec ſe totum releuet, & reformet aſcenſionis ſuæ in gloriam.* quaſi eſſent illò ſui pariter aſcenſuri, nec deberent cum reformato capite claritatis, & gloriâ triumphantis, membra metu deformata, & affectibus victa copulari: vt iam illius aſcēſio, condignè triūphus noſter haberetur.

1912. Sed adhuc noua gratia noſtræ huius cum Chriſto incorporationis explicanda: ideo enim portæ illæ, quæ ſemel ſublatæ ſunt, non iterum in locum ſuum dicuntur reſtitutæ, quoniam quotidie idem triumphus, & in eumdem tenorem celebratur, vt ſit ſingulare priuilegium Dominicæ aſcenſionis, quòd iugiter feſtiua illa exultatio celebretur. *Nemo*, inquit Chriſtus, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo*, Ioan. 3. num. 13. Proh fidei noſtræ fidem! proh ſpei Chriſtianæ infallibilitatem! & vbi tot Iuſti, qui purgato ſpiritu in cœlum conuolant, vt fides docet? vbi tot labores de legis obſeruatione exantlati, ſi cœli requies ſolùm Chriſto conceſſa, ſi conſcenſus gloriæ ſoli reſeruatur Saluatori? nimirum cum ipſo Chriſto ſic incorporantur Iuſti, vt vnum idemque eſſe in illo videantur: quaſi nec Chriſtus velit aſcendere abſque illis, nec illi niſi in ipſo Chriſto aſcendere reputentur. D. Auguſtin. *tom. 7. lib. 1. de mer. pec. cap. 31.* ſic ex ore Chriſti. *Sic fiet*, inquit, *generatio ſpiritualis, vt ſint cœleſtes homines ex terrenis, quod adipiſci non poterunt, niſi membra mea efficiantur, vt ipſe aſcendat qui deſcendit, quia nemo aſcendit, niſi qui deſcendit. niſi ergo in vnitatem Chriſti omnes mutandi, lauandique concurrant, vt Chriſtus qui deſcendit, ipſe aſcendat, non aliud deputans corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam, quàm ſe ipſum,* &c. *aſcendere omnino non poterunt.*

1913. Nondum tamen plenè propoſito ſatisfeci: reſtat enim probare ſic omnes fideles incorporatos Chriſto id efficere, vt ſicut ipſe quotidie in illis aſcendit: ſic in ipſo iam olim omnes aſcendiſſe cognoſcantur. Vtrumque ergo viſus dixiſſe ibi Gregor. lib. 27. moral. cap. 8. *Nemo*, inquit, *aſcendit,* &c. *quia dum nos vnum cum illo iam facti ſumus, vnde ſolus venit in ſe, illuc ſolus redit etiam in nobis: & qui in cœlo ſemper eſt, ad cœlum quotidie aſcendit. quia qui diuinitate ſuper omnia permanet, humanitatis ſuæ compage ſe ſe quotidie ad cœlos trahit. ergo ſi deſperat humana fragilitas, vnigeniti ſanguinem conſideret, & in pretio ſuo conſpiciat quàm magna eſt, quæ tanti valet,* &c. *atque in ſuo capite: prælatam ſe Angelis gaudeat.* quaſi minoris haberemur dignitatis, niſi olim in capite noſtro per vnionem intrantes, iam in illo ipſis etiam Angelis præferremur. Totus ergo mundus intrauit in Chriſto, vt vidimus ex Ambroſio, qui tamen ſolus dicitur intrare, ſolus redire: quia in illo omnes adunamur, quia in omnibus quotidie aſcendentibus ille vnus maximè triumphat. Amouet autem obiter oculatiſſimè Gregorius dubium quod aliunde inſurgere poterat in verbis Ioannis: quomodo de Chriſto dicatur, *aſcendit in cœlum.* de quo ſtatim dicitur, *qui eſt in cœlo.* Quia qui per ſe in cœlo iam eſt, per ſuos humanitatis compage quotidie aſcendit, idque mira quadam ratione.

1814. Contemplabatur Dauid aſcenſionis huius gloriam ſummam, feliciſſimam exultationem, & exclamabat: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*, Pſ. 67. n. 19. Sed ecce Paulus, & litteræ ſpiritu, & muſicæ ſuauitate delectatus, dictum à Propheta mutuatus, longè aliter ſenſum refingere videtur: *aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus*, Epheſ. 4. num. 8. Dauid data à Chriſto dona hominibus, Paulus accepta illi ex hominibus dona proteſtatur. Ecquis fallitur? abſit: vterque verum, imò & idem dicit: quæ enim pulchriora dona Chriſtus hominibus poterat communicare, quàm dum aſcendens eos eiuſdem fecit triumphi comparticipes, quàm dum eos in ſe portat ad gloriā? Aliunde verò quomodo non dicatur accipiens qui donauit, ſi dum naturam noſtram portat ad triumphum, ab eadem inuicem portari quodammodo videtur? D. Ambroſ. ſerm. 62. ad hunc locum: *Solebat*, inquit, *ſicut dicunt Regum triumphantium currus captiuorum pompa præcedere: ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, comitatur glorioſa captiuitas; non ante vehiculum ducitur, ſed ipſa euehit Saluatorem: quodam enim myſterio dum filius Dei filium hominis ſuſtulit ad cœlum ipſa captiuitas portatur, & portat.* Cito Ambroſium, quia hunc magis ſapit ſtylus: ab aliis tamen hæc verba tribuuntur D. Maximo *homil. 43.* in re dubia vtrumuis eligas perinde erit.

Pinus in Cantica.

1915. *Triumphus noſter ex aſcenſione Chriſti, vnde maneat glorioſus.* Nunc iam pende, quomodo filius ille hominis, id eſt, libera & ſanctiſſima illa humanitas, captiuitas poſſet appellari: niſi, quia in illa captiua noſtra conditio ob vnitatem naturæ, ad vnitatem naturæ accederet liberanda, aſcenderet liberata. Hinc D. Paulinus *epiſt. 11.* de locis ſacris Solymorum locutus, de quo miraculo illo notiſſimo aſcenſionis, ad rem noſtram ſic ſcribit: *Mirum verò inter hæc quòd in baſilica aſcenſionis, locus ille tantùm, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captiuam in ſua carne ducens captiuitatem noſtram: ita ſacratus diuinis veſtigiis dicitur, vt nunquam tegi marmore, aut pauiri receperit.* quaſi in carne Chriſti liberâ, & puriſſima, liberāda captiuitas noſtra ſuſtolleretur. Sed lubet ſeorſim nonnulla ponderare, quæ hunc triumphum noſtrum reddunt glorioſiorem, vt inde quàm meritò ab Eccleſiâ ſollicitetur clariùs cognoſcatur.

§. IV.

Vnde triumphus iſte noſter maneat glorioſior.

1916. POnderabam aliquando quàm diſtinctè Marcus locum Chriſto aſcendenti attribuerit c. 16. *Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei.* Si enim non fallor, condiſtinguens Deū à Chriſto, clarè innuere noluit, ſe de Chriſto, quâ homo eſt, fuiſſe locutum: vt intelligeremus Chriſto, quâ verbum eſt, alium eſſe locum deſtinatum, imò innatum, ſcilicet ſinum Patris: in hoc enim ſinu, vt loquitur Ioannes, habitat vnigenitus. & quorſum id? vt gloria noſtra in aſcenſione Chriſti, veriſſimi triumphi ratio cognoſcatur. Aduerte ergo, vt clariùs procedam, longum diſcrimen inter humanos Principes, & diuinum dum triumphant: illi poſt victoriam aſcenſo Capitolio coronas ſuas Ioui Deo ſuo offerebant: hic verò non aliam, ſed ſemetipſum vero numini Patri offert vt coronam.

1917. Hinc Dauid ad Deum Patrem locutus: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, Pſ. 64. n. 12. vbi Euthymius ſic ſcribit: *Annus benignitatis optimum prædicationis tempus ſignificat: cuius anni corona Chriſtus eſt.* Aſcendit ergo Chriſtus trāſacto prædicationis ſuæ tēpore, quo benignitas & humanitas apparuit ſalutaris, & ſeipſum qui corona eſt, tanquā triūphalem coronam Patri dicauit. benè ergo ad dexterā ſedet,

quasi in dextrâ, quoniam in numinis manibus coronæ olim vt plurimum collocabantur: vnde Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 1. de Dionysio locutus: *Victorias*, inquit, *aureas*, *pateras & coronas*, *quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat*. consecrabantur nimirum victoriarum icunculæ & coronæ manibus Deorum, vt eorum dono acceptæ noscerentur; sedeat ergo Christus, qui corona est diuina, ad Patris dexteram, quasi tantæ manui se dicans atque consecrans.

1918. Nunc iam pende quid Isaias dixerit de Ecclesia: *Videbunt*, inquit, *gentes Iustum tuum, & cuncti Reges terræ inclytum tuum, & vocabitur sibi nomen, quod os Domini vocabit tibi, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*, cap. 62. à n. 2. Cur enim corona non tam capiti imponitur, quàm manui: nisi quia in Ecclesiâ Christo incorporata felicior triumphi ratio adimpletur: indeque sit corona victoriæ in manu Dei, quia Iustus noster Christus nobis aduènit, & victor nobiscum ad Patrem remeauit, vt dum ad dexteram est Patris, sacræ corona dexteræ splendescat? quantus hic amor Christi, quanta corona nostra? quid ni corona simus, si ipse Amor diuinus hoc gesto videtur coronatus. Do multa, sed pulcherrima verba D. Nili apud Phot. *cod.* 276. de ascensione loquentis. *Diuinæ*, inquit, *bonitatis imber incipiens hominibus effundi, supra modum auctus est: & magna olim exhibita beneficia maioribus in præsens obscurauit. nam erant quidem ante hoc beneficium, illustria & summi amoris signa, Adam è virgineo sanguine nouus factus, corporum morbi fugati, ex animabus dæmonia eiecta: latrones latronum principem vincunt, & de eo triumphant: resurrectio morti succedit. hactenus hæc plena sunt splendoris, & dignitatis: sed donum quod nunc celebramus, non admittit comparationem, & amor creatoris erga nos, vincit se ipsum, & vnà cum victoriâ ornatur, sicut & omnia quæ ad inferorum cladem attulit, nihilominus quam si horum singula victoria coronam reportarent. Terrigena natura terram relinquens, quin potiùs ferens in cœlum, transfertur: & quod dictum est* Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, magis reformationis, quam formationis esse videtur: exemplar immortalitatis est forma hodie assumpta; huius verò adumbratio & typus est creationis nostræ ad diuinam imaginem constitutio.* Non piguit transcribere multa, quia non trita: & si singula ponderas, (mihi non vacat) egregiè dilatabis.

1919. Sed adhuc minus putauit Christus si qua homo nos secum ad dexteram Patris collocaret, nisi etiam qua Deus & Verbum in eumdem Patris sinum nos immitteret: nec id absque triumphi consuetudine. Equidem insignior triumphatoris corona *laurea* erat, in qua apertum victoriæ symbolum viuebat: hæc verò non sicut aliæ minus pretiosa, licèt aureæ, in manu numinis, sed in ipsius sinu collocabatur. testor Plinium panegyristam: *Allata*, inquit, *erat ex Pannonia Laurea*, &c. *hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat.* quasi dignior quæ cordi numinis applicaretur. Ascendit ergo Christus, id est, immortalis corona, laurea sempiterna, & qui iure naturæ, nostro dicendi modo, sinum paternum repetebat sibi, nouo victricis laureæ iure sinum nobis acquirit eumdem, vt ibi cum ipso naturali filio, nos adoptati per gratiam quiescamus.

1920. Age dum Paule, edissere nobis quid sentias de hac re: *& conresuscitauit*, inquit, *& consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu*, Ephes. 2. n. 6. Ast vbi sedemus loci, in his cœlis? non opus fuit exprimere, cùm satis id pareat, dum consedere nos dicat *in Christo Iesu* in cœlestibus, id est, Christo vnitos & incorporatos: si apud cœlos absolutè in Christo dicimur consedere, vbicumque Christus sedeat, illi vniti simul consedeamus necesse est: ipse non solùm ad dexteram, sed & in sinu residet, vtrobique nos cum illo consedebimus. Elegantior adhuc ad hunc locum D. Nilus citatus, sic scribens. *Quis potentias Domini enarrabit? regnat cum diuinitate natura, quæ priùs in Paradiso nec diuinam vocem audire sustinuit, sed præ timore fugit, & se se occultauit. O Dei erga me bonitatem! non meminit transgressionis, non recordatur pacti quod cum serpente pepigimus: ingratitudinem hominum non reputat, lapsum naturæ non erubescit, sed in barathro mortis iacentem, & in ipsis impietatis adytis amplectitur inenarrabilibus amoris diuitiis, & illam ex inferorum penetralibus retrahens, vnà cum diuinitate sua creator creaturam eleuans paterno throno imposuit: ideo Paulus clamat, conresuscitauit*, &c.

1921. Ne quis verò interim peccatis fœdus diffideret, dum in terra arbor virtutum floribus, & fructibus spoliata arescit, bene Christus in sinu, siue in corde Patris dicitur cum Ecclesia residere: quia cùm à corde vita procedat, vt ait Sapiens, quæ vita à diuino corde non speretur? si ergo Christo saltem per fidem vnitus peccator tamquam radici adhærescit, iam cum Christo in diuino illo corde vitali, quantum res patitur, collocatur. Suspiret ergo vitæ & gratiæ succum à radice, à loco suo vberrimo, vt tandem per pœnitentiam frondescat. Optimè tandem Nilus: *Infra quidem*, inquit, *corruptione adhuc premimur: quando verò in cœlos oculos conuertimus, corruptionem naturæ deponis: videt enim supra resurrectionis radicem Christum eorum, qui infra mortui sunt.* vt hinc melius, quàm vnde olim Philosophi, homo arbor inuersa, radices sursum emittens, intelligatur. Multo plura pararam in Canticum moralia: sed ne tomus maior insto, sit fastidio, alibi danda remitto. huius omnia, Ecclesiæ Romanæ matris censuræ libens & obsequens summitto.

FINIS CANTICI TROPOLOGICI.

APPENDIX TROPOLOGICA.

ABSOLVERAM iam opus, quod dum Superiorum iudicio committo approbandum, adhuc plusculis mysticis cumulandum commentarium praeceperunt, vt sicca littera, & illa longa, sed penitùs necessaria, hinc vberiùs pinguescere videretur; ergo nonnulla illorum, non inuidus, sed timidus ne te grauarem, quæ subtraxeram, lubens restituo: & nouis etheologiis me accingo, singula capita breuiter percurrens.

§. I.

Adulta iam virtus puerili adhuc comitur pudore.

1922. NIHIL Christo dulcius, quàm Anima de virtutibus iam perfecta: & tamen adhuc de puerilis synceritate pudoris, simplicissima: vt teneat iam perfectam in thalamo sponsam, quam teneot adhuc quodammodo incunabula vagientem. Sic virtute adolescas opus est, vt semper de synceritate infantias, & repas de pudoris incunabulis, cùm iam raperis ad thalamos amoris. Hinc faustum votorum suorum exordium assumit sponsa, *osculetur me oscula oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*, cap. 1. num. 2. qnas non delitias orat, aut magis exigit vis amoris? ad quem perfectionis gradum non venerat, quæ diuinis iam osculis assuescebat? quem non puritatis spiritum propalabat: quæ ebibendo per os Dei spiritu, eodem deineeps suspirabat respirare? benè Bernard. ibi sermon. 7. *Quis dicit? sponsa quanam ipsa? anima sitiens Deum. Sed pono diuersas affectiones, vt ea, quæ propriè sponsæ congruit, distinctiùs illucescat. Si seruus est, timet à facie Domini: si mercenarius, sperat de manu Domini: si discipulus, aurem parat Magistro: si filius, honorat patrem, quæ verò osculum postulat, amat.* Ergo in tam suspirante perfectione, inque tam perfecto amoris suspitio, os, vnde captantur oscula, laudandum videbatur. Sed sponsa, de ore nihil: oscula perit, sed pectora commendat, vbera laudat: certè, quia erat in thalamo, velut in cuna, & virginea puellarique syneeritate, inter oscula sponsæ debita, vbera tamen, lactentibus infantibus inhiata, non deseruierat. Beda ibi. *Vinum feruorem scientiæ legalis: vbera verò, dicit rudimenta Euangelicæ fidei.* Quàm humilis synceritas? quàm profundus pudor dulcibus osculorum metis, conterminos ingressus, & rudimentorum carceres constituere.

1923. Mille Saulis, & inimicorum insidiis Dauid petitus, dum opem orat, sie subdit exoraturus. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea*, Psalm. 130. numer. 2. perfectus erat, & quando non lactentem, saltem se abláctatum protestatur. Ecquo mysterio? attende. Quid, non patitur puer ablactandus à matre? Summouet hæc illi vbera, hians eludit os, repellit suspiriolum, si quando præbeat: vnde olim lactei fontis dulcedo effluebat, acerbam absynthiorum amaritudinem lambit infantulus: nec tamen indignari nouit: irulas è matre agnoscit, quibus & ignoscit: lachrymas fundit, quibos risu permixtis sollicitat eandem, nec tamen impetrat: adhuc tamen brachiolis amplexantibus, repulsus stringit, admouetur amotus. Quàm humilis synceritas! quantus ignotæ adhuc, iam tamen debitæ reuerentiæ pudor habitus! Exprimitur planè Dauid, Iustus effigiatur, quem eam perfectum duriori tribulationum cibo pascendum curat Deus: ille tamen innocens patitur, & innocentior non queritur: quærit priscâ simplicitate Patrem, repellitur: sollicitat, abiicitur: nec tamen abiectus, puerilem nouit abiicere innocentiam. Non parcam à transcribendis hîc plusculis ex Chrysostomo; quia grauissima. *Talis fuit mea humilitas, qualis infantis, qui pendet ab vbere matris; quemadmodum enim ille adhæret matri, continetur, vt omnis arrogantiæ purus, viuit in innocentia summa, & simplicitate: ita ego etiam in Deum me gerebam, ei perpetuò adhærens. Ablactati autem, non abs re meminit, sed volens ostendere afflictionem, angustiam, dolorem, malorum magnitudinem. Quemadmodum ergo puellus, qui nuper ab vbere auulsus est, nec sic quidem à matre recedit, sed flens, gemens, lugens, ægrè ferens, & se afflictans parenti semper adhæret, nec ab eâ recedit: ita ego quoque, inquit, cùm essem in afflictione, angustiis, & multis calamitatibus Deo semper adhæsi. Si autem ita non fuit, retribuatur, inquit, super animam meam: hoc est, dem vltimum supplicium.* Vltima quidem verba, seuera satis: quasi ita adultæ iam & tribulatæ virtuti, puerilis simplicitas exigatur: vt si desit, vltima illi pœna impendère videatur.

1924. Hominis hospites, quasi immortalis obliti necessitatis, apud Abrahamum Angeli discumbunt: quærunt inde inter epulas, *Vbi est Sara vxor tua?* Genes. 18. num. 9. non aderat certè Sara: sed cur abesset? ministrabat stans hospitibus grauissimus Patriarcha, & maritus: cur fœmina eidem muneri non vacaret? an quia fœmina erat? at longo iam de senio, nedum de sanctitate, & sibi, & hospitibus secura. Quid ergo? respondet Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 5. *Procellior*

ætate iam Sara, iuuenilem custodit verecundiam. Vix sibi fidebat prouecta virtus, & ætatis iam securior munimine, adhuc ad hospitum pauet occursus purpureisque pudoris rosis, seniorem pulchrè amœnat conditionem: ridet itaque verecundiæ ver floridum, inter rigoris hyemis annos aridos.

1925. Suffulserat diuinam domum, fidem populi, & Templi dignitatem roborarat, mores omnium composuerat, Simon Sacerdos magnus, cuius dum egregias virtutes, & apicem attingentes dotes commemorat Ecclesiasticus, subdit statim. *Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens*, cap. 50. n. 11. Oliua ridenti foliorum pace nobilis, nobilior robusto trunco, sed nigricantium baccarum fructu nobilissima: de annositate vtilior, de senio venerabilior habetur. huic ergo videbatur tantus Sacerdos comparandus: & tamen audis nouellam, & pullulantem arbusculam, truncō teneram, cortice delicatam, foliis ieiunam, fructibus inanem. Ecquid ita? aptè D. Antonius de Padua Dominic. 12. post Trinit. *Oliua pullulans, quia iustus semper videtur sibi incipiens.* Nodosa virtus, ponderibus immensis vigens, annositas frondosa multos inumbratura sibi tunc pullulare visa, cùm de maturitate senili, pudorem semper conseruat puerilem. Deo gratior viret, sibi radicatur securior, dum eùm maximè vernat procerior cypressus, adhuc oliua pullulans venit commendanda.

1926. Nullam contra sanctissimum Iobum machinam non mouerat Dæmon, omnia contudit, solam illi mulierem reseruauit, quia, vt benè Chrysostom. in Catenà, *ad insto parandas insidias, haud parum ab ea auxilium expectabat: iccirco eam, tanquam certissimum telum reseruauit.* Et quid tandem dæmoniaca fœmina, imò dæmon fœmineus, & ideo robustior à Iobo sancto conatur extorquere? iacebat beata illa conscientia in sterquilinio, vbi suauioribus amplexibus, quasi in thalamo Deum stringebat. tunc aggressa fœmina: *Adhuc*, inquit, *tu permanes, in simplicitate tuà?* Iob 2. numer. 9. Reseruatur itaque vxor viua, inter mortuos filios, quæ sæuiorem dolorem coniugi, loquendo afferret, quàm moriendo: at robustius, & certius istud telum, vni simplicitati extirpandæ contorquetur: nihil enim Deo gratius, ac proinde nihil ingratius dæmoni, quàm in summa virtute, candorem quendam simplicem, & simplicitatem puerilem conseruari. Hugo Cardinal. ibi sic explicat: *in simplicitate, id est, in stoliditate.* heu! quot sunt in Religionibus, qui, si quos post longum tempus, vident in primà illa modestia, & simplicitate perseuerantes, irrideant, & stolidam esse tyrocinij simplicitatem effutiant. Proh linguas venenatas! Sinite quibus id boni conceditur, in simplicitate sua permanere.

1927. Assumitur à Samuele, Saul in Regem diuina electione, ætate grandis, corpore procerior, altissimus virtute: & tamen subditur, *filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*, 1. Reg. 13. num. 1. vt caussa, cur electus fuerit, innueretur. scilicet dignus erat imperio, qui in altissima virtute, puer idem simplicitatem conseruabat. Tritum illud Gregorij ibi, *vnius anni Rex esse describitur, vt donum pueritiæ, in persona Regis, innocentiæ bonum signet.* At vnde tam necessaria hæc puerilis innocentia Principi? quia retinendis à Deo regnis, vt plurimum ingentes virtutes requiruntur: neque ingentes virtutes, sine hac sacra puerilitate conseruantur. vnde *cap. 15. numer.* 17. eiusdem libri, ita ad illum Samuel ex Dei verbis. *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in Tribus Israel factus es?* de quo iterum magnus Gregor. *quasi dicat, per veritatem humilitatis, regnum promeruisti: sed nunc prætextu humilis, veritate tumidus regnum perdis. Quid enim sunt oculi cordis, nisi aspectus rationis? nam qui integros nisus rationis habet, perfectè illuminatus est. in oculis ergo suis est humilis, qui se perfectè respicit, & humilem perfectà visione cognoscit.* Pende vltima verba, in oculis tantùm suis, sibi paruulus erat, non sic in aliorum oculis, infantem regium, postea imperio successurum, clientes, & Aulici potentiores suspiciunt humiles, prostrati venerantur: ille solus sui inscius, paruitatem suam videtur recognoscere, dum trepidis lachrymulis, meticulosis gemitibus, cristatos duces ad dextera osculum fugit magis, quàm suscipit: aliunde suis applaudit crepundiis, oblatas gemmas & ornatum non curans: arridebit pomo & flori, qui coronam & sceptrum conculcabit. Talis fuerat Saul ad simplicitatem, ideo dignus imperio indicatus.

1928. Apparet id clarè in eadem historiâ, vbi quæsitus Deus de Saule desiderato, respondet: *Ecce absconditus est domi: cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde*, cap. 10. num. 22. sic puer terriculamenta fugiens, abscondi solet, in qua si permaneret ille synceritate prudenti, nunquam Deo postea, de stulta quadam puerilitate tanquam Regno ineptus damnaretur. Sic enim hæc simplicitas viros in pueros prudentissimos transformat, vt eius defectus, stultam quandam conciliet puerilitatem. Hugo Cardinal. ad illud cap. 15. numer. 13. suprà citatum. *Paruulum se Saul prius vidit: sed elatus potentiâ, iam se paruulum non videbat, cæterorum comparatione se præferens, quia plus poterat, magnum se præ omnibus existimabat: cùm apud se magnus, apud Deum paruulus fuit.* desumptus locus à glossa. Et benè, debebat enim crescere cum imperio virtus, & cum hac incipientis cuiusdam pudor pueritiæ. Prudenter Plinius in Paneg. suo ad Traianum. *Solum ergo te commendat temporis spatium: miscuisti enim, & miscuisti res olim diuersissimas: securitatem imperantis, & incipientis pudorem.* quia virtus crescens imperij radices securiores immittebat: & virtutem grandem, pudor quidam pullulantis ætatis amœnabat. Fortasse hoc voluit Christus ad Apostolos: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum*, Lucæ 12. num. 32. iam Reges erant, vt fatentur Patres, & adhuc sub infantilis pusillitatis timore, simplicitatem, & candorem innocentiæ conseruabant: vnde à Christo commendatur pusillitas, timor amandatur.

§. II.

Expono sacri pulueris, seu bellici, seu agonistici, effectus gloriosos.

1929. DEscribitur Anima, tacitis sodalium irridentium calumniis, respondens. mirabantur illæ, Christi deliquia, in delitias has subnigras, & ideo indecoras, collimate. quibus illa subridens: *Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem,*

cap.

cap. 1. num. 4. quasi dicat: quàm patet clarè, molliculas adhuc, & delicatas, animo magis, quàm sexu fœminas, è tutis pacificæ vrbis mœnibus non egressas, & adhuc sponsi Christi bellis pugnandis ineptas, telas magis, quam tela pertractare: illud noscite, me nusquam eius oculis apparere pulchriorem, quam iniecta hac nigredine, quam obiicitis: bella gero, & præliorum puluere nigresco, nullaque medicamina comendæ faciei, hoc ipso mihi puluere aptiora. recurrat lector ad litteram, vbi de puluere bellico denigrante, sed comente pulchritudinem, plurima cumulaui. Nunc capies Ambros. ibi. *Nigra exercitij sui puluere: nigra ergo dum præliatur, decora dum victoria sua insignibus coronatur.* quasi aurum coronæ fulgentius, è subnigricanti puluere rutilaret.

1930. Didicerat, credo, tam nouum comptûs genus strenua virago, à Duce Christo, quem illa mystice celebrans, sic depingit: *Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus*, Cant. 5. num. 11. ex Græco vertunt aliqui: *comæ eius abietes nigræ.* Et quidem mirum est iustos, qui, auctore Paulino, hic significantur, vnde auri radiis fulgidis, indidem ramis arboris nigris comparari: si fulgor aureus scintillat lucem, internitet splendore: quomodo interim obfuscatus nigredine, & atris obuelatus vmbris prædicatur? Sed respondet D. Paulinus pulchrè epist. 4. *Bonus iste coruus, nec ille ad arcam reuertendi immemor, sed ille pascendi Prophetæ memor, cui bene comparantur, illarum abietum æmuli crines, de quibus dicitur, abietes bonæ & nigræ, adducentes naues Tharsis*, &c. *verumtamen illæ abietes nigræ & bonæ, adducentes naues Tharsis secundum eius formam sunt, quæ fusca pariter, & decora est.* Itaque ex mente sancti Doctoris, crines Christi, idest, viri sancti, qui simul eius aurum sunt, (vt ipse latè probat) per ordinem ad abietes illas Tharsis nigras & bonas, dicuntur *nigræ abietes sicut coruus.* nigredo autem & pulchritudo, (sicut & in sponsâ) ad formam coniunguntur: vt sicut illa nigricabat puluere, victoriâ fulgurabat, sic & iusti. ipse se statim aperit Paulinus, post alia: *Abietes*, inquit, *sunt nigræ, & bonæ: nigræ, non iam de peccato, vt puto, magisque adhuc vel de inhabitatione corporea, vel de exercitationis interna quasi bellico, vel pulueruiento sudore nigrantes.* equidem in vulgatis nostris hæ *abietes Tharsis*, quas vocat acutissimus Pater, non leguntur: in Græcis, Hebræisque exemplaribus, non mediocri quæsiui diligentia, nec inueni. standum tamen, & credendum tanto viro, qui absque dubio alludit, non de nihilo. sufficit ad rem nostram, vt in loco Cant. elatæ, Græcè ἐλάται, abietes significent, vt multi volunt. tracto hæc morosiùs, quia nihil mihi antiquius, quàm sanctis auctoribus violentiam non inferre.

1931. Sed tu mihi nota, pulchrius adhuc in vulgatis nostris, hos crines non tam abietes dici, quàm *elatas palmarum.* nec immeritò: qui enim sacro hoc puluere nigricabant, eo ipso in Palmæ formam, læto victoriæ præsagio pullulabant. & certè nescit decorus iste puluis, palmis & victoriis non allucescere. Horat. *lib.* 1. *Od.* 1.

> *Sunt quos curriculo puluerem Olympicum*
> *Collegisse iuuat: metaque feruidis*
> *Euitata rotis, palmaque nobilis*
> *Terrarum dominos euehit ad Deos.*

quasi ipse puluis certaminis Olympici palmarum nobiliorum nobilis esset genitor. imò nescit gloriosa palma, nisi hoc fota puluere viridiscere, nisi ab hac terra pulchrè pullulare. vnde & idem *epist.* 2. neminem ita reputat humani expertem sensus, qui si hac posset palmâ, sine puluere frui, *cui sit conditio dulcis sine puluere palmæ*, non eò cupidissimus conuolaret. Sed certè inglorìa & ignobilis illa gloria, quæ sine sudore viret, nec vincitur cum laude, vbi sine periculo decertatur. ideo Sanctorum aurum quo coronatur Christus, tanquam gratiori emblemate sacri nigredine pulueris venustatur. grauiter D. Ambros. lib. de Hel. cap. 21. *Molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia: nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulentum reddunt certamina: vbi colligitur puluis, ibi palma proponitur: nemo iterum nitidus coronatur: puluerulentum decet victoria.* Quàm aptè autem in idem cum pulueris nigredine, Solis decolorationem iungeret sponsa, ex eodem Ambros. paulo antè elucidatur. *Ingressus stadium, puluere vigorem animæ tuæ excita, excita lacertos: progressus in scamma, necesse est, vt excipias puluerem, subeas æstiui Solis flagrantiam: grauis æstus, sed dulcis victoria.* En tibi vnde sponsæ decor, vnde laus prima: sic amoribus Christi inhiat, vt ad delitias palmæ, per colorantis æstus, per nigricantis pulueris tolerantiam perueniret. ideo Seneca de vita Beat. *cap.* 7. virtutem exprimit: *Puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus*, de quo alibi.

1932. Nec immeritò: ex hoc enim puluere luctator ille Iacob euasit illustris, Esau fratrem dedecoris caligine obruturus. *En morior*, inquit ignauus iste: *quid mihi proderunt primogenita?* Genes. 35. numer. 32. moriebatur quidem, non tam languida fame, quàm ignauo languore: commutat iure lentium, ius primogenituræ: decoquit regni purpuram, dum rufæ nepos inhiat coctioni. & vnde tantus torpor? vnde turpis abiectio? nouerat primogenita Dei, labore acquirenda, & cœlestem palmam exercitatorio puluere viridescere: id abhorret, & gloriam ignauus fugat, vt fugiat palæstram. Ambros. lib. 1. de Cain cap. 4. *Non ne tibi videtur Esau tanquam in agone victus, & propriæ mentis infirmitati imparem se existimans, cessisse victori coronam, quem videbat nullis passionis illebris inflecti, quarum ipse puluerem sustinere non poterat?* oppugnant nimirum passiones expugnaturæ: nisi repugnans, pulueri certaminis perstes, tolerando.

1933. Sed aliunde hunc puluerem excutiamus. Posses dicere, non tam esse hunc puluerem humani certaminis, quàm diuini conflictus: idest, ipsum Deum castra mouere in sponsam: Dei verò bellicum puluerem perbellum esse isti medicamen faciei: dum ortus sui limosam terram, tenuem fragilitatis suæ puluerem recognoscit: imò nihil velle aliud puluerem illum Dei piissimè præliantis, quàm propriæ vilitatis notitiâ, superbiam ab sponsâ penitus auertere. Cape hinc, ni cæcutio, obscurum locum Nahum cap. 1. num. 3. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans, non faciet innocentem.* Ecquod intricatius ænigma? ecquis huc OEdipus? manus Dei totæ ad abluendum occupatæ: capacissima gratiæ balnea parata ad abstergendum. nec tamen ibi lotus, innocens reputabitur? allucet his tenebris acutè Stephanus Cantuar. *Quamuis mundat, tamen illum quem mundat, nocentem ostendit esse sibi, vt peccatorum suorum iugiter recordetur.* relinquit certè Deus mundans, animam niue candidiorem, astris puriorem: verumtamen ita humilem, & confusam, ita anteactæ vitæ scelerum memoriâ subpudentem, vt ad-

huc non sibi innocens videatur. Iam ad rem. & vnde, inquis, tam noua mundantis ablutionis ratio, tam noua conditio? certè, ex iis quæ statim subdnntur: *Dominus in tempestate, & turbine via eius, & nebula puluis pedum eius*, eodem cap. & numer. vbi nota Vatabli elegans. *quasi dicat: cum venerit, excitat puluerem magnum, qualem nubem puluetis, excitare solet exercitus, cum properat*. iam locus planus. puluis è cœlo animæ respersus, necessariò fragilitatis excitat memoriam, pudorem conciliat, & dum confusionis nigredine videtur offuscare, eo ipso decorem amœnat, decorat venustatem. sic in iucundo hoc bello, bellè anima dum superatur, superat, expugnat cœlum, dum expugnatur inde.

1934. Contendebat cum ipso Deo Esther, de populi salute, de miseræ gentis suæ redemptione. immittit haud tenere digitos (pectinem diceres eburneum, si curretent pacifici) caput oppugnaturos, & ex comarum aurifodinis eruta fila aurea in annulos contorquer, singulis, vt par credere, ex oculorum conchis gratiores interserens margaritas. Deinde ipsis illis laqueis, qui vincula voluntatis, & voluptatis fuerant Assueri, lutulentis prætereuntium pedibus apparat stramenta: *omnia loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium lacerationes complenit*, cap. 14. numer. 2. caussam subdit D. Anton. de Pad. Dom. 16. post Trinit. *Debet omnia loca, in quibus fuit delectata, crinium laceratione replere: vt quot in se habuit delectamenta, tot de se inueniat holocausta.* Sed hem, dicat aliquis, quid nam laceris his inesse eomis putabat Esther: vt solæ in hoc prælio, repertaturæ victoriam reputarentur? cur his tantùm armis Regina, & iræ diuinæ vim retardatura, & sacros cœlestis misericordiæ thesauros spoliatura sibi credebatur? Audi quid paulo antè dicitur: *pro vnguentis variis, cinere & stercore compleuit caput.* igitur crines erant, sed cinere, sed puluere respersi: vnde tam pulchri diuinis oculis, vt ipse, qui illos aurâ spiritus flante, hoc puluere, tanquam armis præmuniuit, eisdem iam cessurus molliatur. Idem D. Antonius: *Anima pauens periculum mortis æternæ quod imminet peccatoribus, debet ad Domini misericordiam confugere, & vestes temporalis gloriæ exuere, & fletum, & luctum suscipere, & pro vnguentis variis, & delectationibus carnis, cinere, idest, memoria fragilitatis suæ, & stercore propria iniquitatis, debet caput mentis aspergere.* Insfauit igitur cœlestis aura, Reginæ, mentem istam, vt iniecto pulueri, fragilitatem suam recognosceret: vnde & ista robustior cœlo expugnando, furori vincendo, Deo vinciendo.

1935. Quid mirum? si puluis iste vilitatis nostræ, in amatorio hoc prælio diuinitus iniectus, pulnis est pigmentarius: quasi afflet turbo, non arenarum mole, sed aromatum mollitie. Vidistin' aliquando ingrediente viro Principe domum vnguentarij, vbi commolita efformandis pastillis coacetuantur: vt illi, blanditiarum ergò, assurgat ex aduerso aliquis operarum, & leui flatu puluerem excutiat odoratum, beatâ hospitem excipiens tempestate? sic Deus, dum præliaturus, vilitatis ruæ te puluere respergit, pretioso aromatum aspergir nimbo. Facit huc non vulgaris locus Iobi, qui postquam prostrato dæmone, charismata æmulaturus meliora, patientiæ robore Deum ipsum ad amores luctam prouocabat, sic subdit: *in turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causâ*, cap. 9. numer. 17. Sed heus tu, Iob fortissime: vide sis, ne fortè doloris vehementia verbum aliquod extorqueat, haud ita constans? pœnas à Deo inflictas, adacta vulnera, (licet quandoque tentando, tantum pectori, non puniendo sceleti adigantur) fidelis quisque & humilis, semper ob commissas culpas, reputat immissa: quomodo ergo *sine causâ*, turbine isto vulneratum, te audes prædicare: certe sine caussâ: inquit Iob, vulnera quippe ista salutis sunt, & beneficiorum cumuli: his autem præter diuinam pietatem, nullam à se caussam, humillimus Iob voluit assignatam. Gilibertus serm. 15. *In turbine conteret me, in turbine spiritus sui, spiritus vehementis, in turbine spiritum meum arripientis, in hoc turbine conteret me, & multiplicabit, inquit, vulnera mea. Integra mihi videbatur, antequam veniret spiritus vehemens, iustitia mea: sed ipse diiudicat, ipse conterit, ipse vulnerat, & multipliciter confringit bonorum præsumptionem meritorum: saucium & languidam humanam docet esse virtutem.* Scilicet turbo est, & turbo cœlestis, quid ni ergo puluerem afferat cœlestem, puluerem pigmentarium, quo decore infuscata anima, dum nigriorem se putat, pulchtior appareat? Idem Gilibertus clarè. *Vtinam mihi hoc modo conteri obueniat, redigi in puluerem omnium bonorum affectuum piorum meditationum: vtinam Iesu bone turbo spiritus tui, talem anima mea puluerem afflet de plateis cœlestis Ierusalem: vt in hoc puluere calefiam, in puluere sedeam, in puluere dormiam, sed pu. ere pigmentario.* Flat itaque diuinus spiritus, sacer turbo, & dum vilitatis nostræ puluere nos obuelat, indidem quasi aromate nos beat: vt dum ad aridam pulueris reducti videmur sterilitatem, vberiores gratiarum manipulos demetamus.

1936. Cupis id in eadem, de qua dissetimus, sponsâ contemplari? Locus est ad manum. vide quid de illa: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Cant. 3. numer. 6. vniuersitas virtutum designatur, & tamen hæc vniuersitas vni pulueri assignatur. Quid ita? turbo nimirum cœlestis, nescit puluerem istum non adducere, nescit omnia huic pulueri non subdere. Siste tamen, ne fugias: pigmentarius est, & aromaticus: denigrabit te oculis tuis, sed & propterea pulchrior diuinis oculis apparebis. Gilibertus citatus. *Beatus qui in hoc puluere moratur, cui suaues & spiritualiter pulnerea cogitationes vndique labuntur. Expergiscimini, inquit Isaias, & laudate, qui habitatis in puluere. Denique & sponsa de felici expergefacta somno, quasi virgula fumi exurgit, ex aromatibus vniuersi pulueris pigmentarij: vniuersi, inquit, & veritas ipsa, bonorum vniuersitatem operum, ad quendam te decet puluerem, & velut sterilitatem deducere.* nihil tamen hac sterilitate fœcondius reperitur. Et dubitabis adhuc, an ex hoc puluerulento prælio, anima licèt nigrior, nihilominus formosior exsurgat? Nec minus gratior Guillelmus ibi. *Suffitus illi erant, thus & myrrha: præter horum halitum, etiam puluis quidam comminutis aromatis colligebatur, & sursum vna ferebatur: ita vt subtilis hac aromatum diffusio loco cineris cum aere mixtis, esset, adeoque puluis ipse in sublimi erectus existeret.* quia qui cinis erat ad memoriam, erat ad gloriam puluis pigmentarius: vt dum nigra, decora magis in diuino conspectu cerneretur.

§. 3.

§. III.

Ab eodem puluere agonistico, vitales de mortis memoriâ, fulgurant scintillæ.

1937. Hic puluis, quo Ecclesia nigricat, decorior, vnde victoriæ palmas, vnde propriæ fragilitatis aromaticam percipis notitiam: excitauit memoriam illius pulueris, quo die cinerum Ecclesia ipsa alumnos suos spargit dealbandos, quasi se illis nigram puluere, sed formosam exhibeat in exemplar. Ergo, vt res aptior concionatorum vsui venire possit, illius diei Euangelium cum sacro isto puluere coniungemus: vnde & quæ huc vsque diximus, & præsens Cant. locus, aptiùs explicabitur. Suppono ergo duplicem consuetudinem illius æui: prima Ethnicis Hebræisque communis, quibus in splendidis conuiuiis nihil erat prius, quàm post balnea pretiosa, pretiosioribus imbui vnguentis, vt sic parati discumberent ad epulas. Quia verò & lauari, & vngi, vtrobique, etiam apparatus erat mortuorum: dixit lepidè Mart. *lib.* 3. dum apud hospitem, multum vnguenti, & balnei eerneret: sed nihil epuli.

Res salsa est, bene olere, & esurire:
Qui non cœnat, & vngitur Fabulle,
Hic mihi verè mortuus videtur.

Secunda solius ethnicismi erat cæremonia: eùm enim putarent, animas insepultis corporibus non quiescere: habebant varias formas supplendi breuiter sepulturas illis, quibus infausto fato denegatæ: illa frequentior, qua puluisculo eaput cadaueris inspergebant. vide multa apud interpretes Horat. *lib.* 1. *odar.* vbi miset quidam è mari proiectus orat sibi, *arenæ, ossibus, & capiti inhumato particulam dare.* his positis,

1938. Quòd Christus ieiunium præcipiat, & senesam irroget abstinentiam, interim verò & balneum, & vnguentum adducat, dicens: *tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua,* Matth. 6. numer. 16. id certè nil aliud videtur, quàm nobis viuam mortem intimari. Lauare, vngi, nec edere, id mori est. Sic se res habet: mortuos, idest, plenè mortificatos nos cupit Christus, si vestram perfectionis viam ingredi conamur. id autem vt perfectè executioni mandetur, en aliam cærimoniam ab Ethnicismo suo, Christianizat Ecclesia, irrogat sepulturam: dum singulis quibusque annis, intecto capitibus puluere, nos sepelit: vt discamus vix pœnitentes habendos, nisi penitus mundo moriamur: neque ita satis mortuos, nisi sepulti quodammodo iaceamus; sub nigro hoc puluere, ad eiusdem exemplum formosiores.

1939. Quærebant sub hilari resurrectionis manè, fœminæ tristes Domini sepulchrum, & cùm esset orto iam sole, tempus tamen ab Euangelista nocturno vesperi deputatur, non tam instantis horæ, quàm mœsti cordis noctem considerans fortasse: hoc enim inter doloris nubes, liquefactum, ab oculis emanabat. ergo sepulchrum deueniunt, nec tam horroribus mortis, quàm vitæ splendoribus cinctum, locum intuentur: translatum eò cœlum Angelos assidentes, & gloriosam Domini resurrectionem prædicantes: tunc valere iusso timore, subdit quidam. *venite, & videte locum vbi positus erat,* Matth. 28. numer. 6. sed siste, Angele boate, & quandoquidem felix nuntium affers, confereiusdem cumulum: doce potiùs has, quæso, vbi nam Christus fuerit inueniendus: quorsum detines & cogis, vt priùs in sepulchrum ingrediantur? quorsum in loco mortis suspirauerint, quæ sub vitalis spei halitu iam respirant? respondet Chrysol. serm. 77. *Ingrediuntur sepulchrum, vt consepultæ Domino, totam fidei resurgerent in salutem. Si complantati fuimus in similitudinem mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* nigricet ergo sepulchri puluere sponsa, vt inde resurrectionis formositate amœnetur.

1940. Et nota emphasim pulchram verborum Pauli, (quibus alludit Chrysologus:) *Si complantati fuerimus,* &c. Rom. 6. numer. 5. truncum subductum, vt fructificet, non tam interest, vt de stirpe generosa oriatur, quàm vt radiei mortuus, accommodatæ terræ sepeliatur: inde enim rediuiuus surgit pulcher foliis, floribus comptus, fructibus diues, futurus gloriosæ maternæ arboris æmulatio. parum interest fideles, quòd immortalis animæ generositatem à Deo sortiantur, quòd ad illius imaginem efformentur: semel de culpâ mortui, non reuirescent, nisi sub hoc felici puluere recondantur: sic sepeliri, complantari est: quò altius foueæ conderis, eo altiores in æternitatem iacis radices. ideo Chrysostom. ibi hom. 11. *Planta quidem nomine, & fructum ex eâ nascentem, nobis clam significans.* Sic iam plantatio manet sepultura, & puluis ipse adauget pulchritudinem.

1941. Mira sunt verba Ieremiæ de iuuene illo, vbiuidissimo virtutum exemplari, qui Christi iugum tulit ab adolescentia, cuius epulum festiuius, opprobrium: de quo ita. *ponet in puluere os suum, si fortè sit spes,* Thren. 3. numer. 29. quàm noua spei nutriendæ singularitas! Si neque iustis se rationibus defendit, si neque verbis saltem humilibus opem postulat: quid spem foueat, aut vnde? parum id: minus enim videtur, media quærendæ saluti non adhibere: at summum est, ipsamet salutis instrumenta reddere impossibilia: quid enim os imploratiuum opem pulueri adhibeatur, nisi dum tota spei turris, pulueri iam summersa declaratur? at falleris: hic enim puluis, vbi os reconditur, sepultura erat. clarè in Græco: *dabit in sepulturam os suum.* non aliunde verò, aptius spem fouemus, quàm dum instrumenta illa sepelimus, quæ perfectæ mortificationi poterant obstrepere. Grauiter Ambros. *in Psalm.* 118. *serm.* 10. ad hunc locum. *Tanquam sepeliat os proprium ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat: tantum pondus afferens patientiæ, quàm spes foueat, vt vocem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla exterquere, nulla excitare posset iniuria.* sic pulcher spe vernat, dum sepultus sub puluere nigrescit.

1942. Sed pende in eandem rem, quæ subdat Christus: præcipit balneum & vnguentum: *ne videaris hominibus ieiunans.* huic autem adimplendæ doctrinæ, puluerem sibi assumit Ecclesia, & alumnis inspergit, & meritò: vt enim dixi, iusto non tantummodo mori sufficit, nisi etiam omnino sepeliatur. Mortuus, dum non sepelitur saltem cernitur, & noscitur à viuentibus, qui iam sepultum nec vident, nec agnoscunt. non satis ergo est, inquit Ecclesia, vt iusti mei viriis morian

moriaotur, nisi pariter etiam sepeliantur, sic renouati, vt & aspectus, & memoria præteritæ vitæ omoino aboleatur, & nouis virtutum fructus sub illo puluere penitus abscondatur, nec videndos hominibus exponatur. vtrumque breuiter expendo.

1943. Redeat in prædictæ suæ sententiæ columen, Apostolus: *consepulti enim sumus cum illo per baptismum, in mortem: vt quomodo Christus surrexit à morte, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, Rom. 5. numer. 4. Mira loquendi forma. *consepulti in mortem*: non ita in naturæ rebus, vnde comparatio sumitur, solet euenire. morimur quidem, in sepulturam, non è contra in mortem sepelimur: mortuo dicimus deberi sepulchrum, non verò sepulto mortem: cur igitur *in mortem*, idest, ad moriendum, à Paulo dicimur sepeliri? quia qui mystice vitiis morluntur, nunquam apud Deum perfectè mortui appellantur, nisi priùs omnino iaceant sepulti. & cur ita? D. Anton. de Pad. *Dom. 6. post Trinit.* ad hunc locum: *Sicut enim Christus dolores crucis sustinens, membra distenta, & confixa habuit, in sepulchro quietus humanis aspectibus subtractus: sic & nos cruorem pœnitentia sustinentes, membra confixa per continentiam habeamus, ne ad priora redeamus, à quibus ita perfectè quiescamus, vt nec eorum visio, nec memoria habeatur.* Sic vere morimur, cùm quodammodo sepulti, & aspectus & memoria vitiorum nobis adimitur, cùm non iam quales olim, noscitamur.

1944. Nondum mens plena, ideo enim sic ablatâ vitiorum memoriâ sepelimur, vt paritèr sub hoc puluere virtutes abscondantur, ne (quod Christus præceperat) ieiunantes, & pœnitentes videamur. apertè id in hoc loco nostro, quem sic fusè explicamus, propalatur. pende sponsæ verba. *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem*, &c. *nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* excusat fuscedinem suam, imò & indidem, pulchritudinem suam manifestat: rationis tamen acumen, in mediis huius ipsios Solis, videtur caligare. Sol diuinus, pulcherrimi illi Christi oculi, vnde cuncta fulgura perlustrantur, qoi gratiis conspecta beant, & sibi obiecta amœnant pulchritudine: solummodo hanc sponsam, & illam dilectissimam, denigrant, & obscurant? nil mirum, fuit enim hæc nona gratia, & illa excellentissima. D. Bernardus in serm. *Ecce nos*, &c. ita ad hunc locum. *Decolorauit me Sol: lux interior, exterioris impatiens. nimirum ignis est, & inania folia non admittit: alioqui aut exuri folia, aut certè si praualuerint, ignem extingui necesse est.* fuscedo itaque illa, ideo pulchra, ideo benefica, quia ab exustis foliis, idest, ab externis gloriæ viroribus incineratis. nec enim igois, ab incendio nisi cineres relinquit: neque virtutum fructus, nisi ab hoc puluere & cinere saginatur, vt alibi ex Chrysologo declaratur, sed iam pressiùs ad puluerem agooisticum.

1945. Pergit Christus *loco citato*, & virtutes thesaurosque nostros, in tuto præcipit collocandos: ibi solummodo securos memorans, *vbi fures non effodiunt, nec furantur.* At cur ita? non ne fures & latrones virtutibus insidiantes? certè nihil frequentios apud Scripturam & Patres, quàm cauta in hos custodia commendatur. non ergo negat Christus fures: sed hos de facto non furaturos faustus annuntiat. Sed cur non furentur? quia supponit Christus iam à iustis executioni mandatum, prius illud monitum de vnctione, & proinde contra tatrarum, robustissimos. Non me capies, ni andis Hieronymom ad illud: *vnge caput tuum*, de quo ita, *vt exercentes virtutes, spirituali oleo principale cordis nostri vngere debeamus.* Si qoid sapis, exercitium hoc Agones denotat, quos vnctos oleo passim legisti. clariùs ibi Guillelmus Durand. lib. 6. diuin. offic. *Omnis pœnitens debet vngi, tanquam Athleta, & pugil Domini.* dum ergo Christus iustos suos, fortissimos athletas iam supponit, eosdem à furum, idest, Angonistarum timore, liberos esse iubet. At vide iam spiritum quo sponsa Ecclesia, puluere illo suo, quo ad venustatem nigricat, pugiles hos spargit: cùm nihil tritius, quàm pulueris, & arenæ vsus ad luctatores, vt nosti. Do vnum Lucianum in Gymna. *Sudorem longiter semet diffundentem, arena quoque videtur comprimere, dum aspergitur: vtque vis corporis par sit laboribus efficere: estque ventis obstaculo, quo minus lædantur corpora.* & certè ita est, hoc puluere, & mortis memoriâ, Christi agonistæ iam vncti roborantur: è quo contra aduersarios frondentes palmæ pullulant, vt dixi, & immarcescibiles coronæ renirescunt.

1946. Vix Adam peccat, cùm ecce diuinus Iudex properat fulminans vindictam: confiscantur delinquenti omnia bona gratiæ, natura moltæ: perpetuâque infamiâ miser, cum posteris suis denotatur. Quis interim non miretur, Dominum ita exactè diligentem, in animâ à cunctis gratiæ bonis denodanda: interim de induendo corpore sic sollicitum? *fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, Genes. 3. num. 21. Ecquò tendis diuinissime vindex? quid infelix terrigena, denudatâ animâ, induto corpore tandem meditabitur? quanto satius videretur, si quam intus, foris etiam pateretur nuditatem? si in cortice carnis delineatum gereret, quod spiritui adamantinis typis exprimebator? Sed latet mysterium haud leue, quod feliciter aperit D. Nilus in cat. *Quandiu cum aduersariis, ad diuinam legem perfringendam, illum adhortantibus, conflixit, nudus quasi in ludorum caueâ consistebat: vbi autem victus est, atque a certamine repulsus, meritò indutus est, cum certandi virtute, nuditate quoque reiecta.* bene: tantum enim vestis assumitur, quantum dedecoris, & fracti roboris proditur in palæstra. Quæris vnde tam generosus Athleta collapsus? ego crederem inde factum, quia cum gratiarum oleo, pulneris sacri spreuerat ministerium. oblitus scilicet est illius vocis, *morte morieris*, Genes. 2. numer. 17. quid ni rueret? & fortasse ideo subdidit Deus: *puluis es, & in puluerem reuerteris.* vt de cætero, ad alia certamioa paratiorem pulucrem sortiretur: vnde contra Antagonistam, robustior deinde athleta perduraret. Imò & proprerea, cùm aliunde posset facilius, tantum de mortuis animalibus, pelliculas illi in vestem apparauit, quia, vt oemo nescit ex Patribus, hinc sibi mortis memoriam induebat. Satis vnus Lyranus de his pellibus: *in signum suæ mortalitatis.* & inde deinceps non cecidit, quia valenti hoc puluere obarmatus: quod Origenes statim citandus, fortè voluit.

1947. De Iobo extrema calamitatum percipiente, erepta scilicet bona, & infausta ruinâ filios consepultos, subdit textus: *tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, cap. 1. numer. 21. nec id impatienter gestum, sed animosè: cùm enim suorum omnium, nihil sibi iam reliquum superesse: iam deinceps in se vnum, dæmonis intentandum

certamen

certamen recognouit: meritò ergo vestem nudat, vt generosius Athleta prodeat in Agonem. Origenes ibi apud Glossam. *Scidit vestimenta sua, vt Syrorum more, expeditior esset, qui nudo pectore, & scapulari pugnant.* Bene est sanctissime Patriarcha. Sed quid tantum viribus tuis arrogas contra Dæmonem, fortissimum & callidissimum inferni antagonistam? vbi spem collocas, futurum ne corruas: quando longè fortior Adam, tartarei athletæ robori succubuit? at Adam, inquit Iob, palæstricum gerere puluerem non curauit: ego verò hoc puluere munitus securior incedo. vide quid agat: vbi vestem deposuit, *corruens in terram adorauit.* corruit in terram, vt puluere se conspergat, nimirum vt mortis refricatâ memoriâ, immortalem sic hostem superaret. Idem Origenes: *Caput terra aspersit, secutus Patriarcham Adamum, ad quem dictum, Terra es, & in terram ibis, & tritauum Abrahamum dicentem, Ego sum terra, & cinis: professus se verum hominem de terra, terrenos instruens, vt fient aduersus dæmonem, futuri victores.* certa quippe victoria ab illo speratur, qui hoc pulueris in palæstram deportauerit. pende exactiùs verba Origenis, & quod paulo antè de Adamo cogitabam, obiter videbis confirmatum.

1948. Sed neque mirum sic secura ab hoc puluere, palma pulluler, germinet corona: cùm inde iam quasi parta, iam quasi in tuto posita colligatur. Expende, quæso, non tam simpliciter diei corruisse in terram, vt puluere respergeretur, sed etiam vt adoraret: *corruens in terram adorauit.* idem enim est, ac si diceret: æterne iudex, terrâ oblitus, puluere conspersus, vel hoc solo apparatu, de superando hoste certior dego: eia igitur præbe coronam, exhibe brauium: ideo adorans, vt coronandorum mos tulit, huc accedo. ita ne? absque certamine gloria? absque peractâ victoriâ, parta corona veniet? planè: quia ab hoc puluere certissima: iam spem felicem, in possessionem feliciorem visa commutare. claudat mentem suam Origenes. *Surrexit ad victoriæ perfectionem, prostrauit ad coronæ acceptionem. nam ante Imperatores, qui victores extiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt. formamque illius ostendit, qui vt granum frumenti cadens in terram, diabolum deuicit, vt optimus Athleta luctâ dimicaturus, vestem detrahit, caputque, & corpus cinere aspergit.* & quando comptior Iob, quàm dum denigratus puluere, vernat coronatus. nigricet ergo hoc puluere sponsa, certè inde formosior apparebit: eodem nos infuscet ad comptum, comat incineratos, inde longè pulchriores persistemus. quid ni si puluis est palæstricus, arena agonistica, quæ olim sudore & oleo conspurcatis Athletis, restituendo candori & formositati etiam parabatur. ideo iterum citatus Lucianus: *Sordes quoque corporis arena eluit, ac hominem longè candentiorem reddit.* Sed de hoc puluere ad litteram, fortasse non vulgaria cumulabo alibi.

§. IV.

Falsa hominum iudicia, nisi ad castigati examinis trutinam, ponderentur.

1949. Non possum hinc abesse, quin prauos humani iudicij mores trutinemus. A nigredine suâ, à fusco inficientis Solis colore, & calore, quot bona compararet sponsa, huc vsque vidimus: planè sub minùs compto aspectu, venustas quædam pulcherrima delitebat, & tamen, vt ex multorum constat explicatione, à sodalibus suggillabatur, & totum conceptæ fœditatis patiebatur iudicium, indictâ caussâ temere damnabatur. Peruersum est hoc hominum ingenium, non adhibita trutinâ, nec castigato examine prorumpere in sententiam, neque morosè, iudicij alias falsi & formidabilis, caussam discutere, rationem ponderare, in quo plusquam perperam diuini iudicis normam violandam irrident. Audi quid Dominus apud Prophetam: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, Psalm. 74. numer. 3. quid enim est tempus accipere, nisi omnibus aliis depositis, vni tantummodo negotio, & illi morosissimè tractando, quæsitum diu opportunius tempus aucupari? accipit ergo Deus tempus, quasi sic morosè, & expeditè veniat ad iudicium, vt nequid minus attentè, & circunspectè fieri videatur, omnia alia negotia quodammodo deponat. tu verò temere procedes, & nulli rei minus, accipiendum tempus, quàm edendo iudicio arbitreris? id fortè voluit Gilibertus serm. 14. *vbinam pro minimo mihi sit, ab humano die iudicari, dum æterni diei expecto iudicium. ipse iustus iudex, tempus expectare se dicit, vt iustitias iudicet, & tu tibi ante tempus assumis iudicium?* nec solum ante tempus, sed etiam vbique temporis, homo iudicat: quasi nihil magis obiter, & leui brachio venerit peragendum.

1950. Callebat id Dæmon, idque pariter Iobo sanctissimo notum intelligebat: ideo postquam primis tentationibus, illati damni, Sabæos ministros Indicauit: mutato iam stilo, superiores damni caussas comminiscitur: *ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerosque combussit*, cap. 1. numer. 16. curabat saltem, internam conscientiæ serenitatem Iobo perturbare: nullaque re efficacius id posse fieri putabat, quàm si Iob perciperet ex pœnâ suâ homines scandalizari temere: iustus enim horum culpâ, magis quàm propriâ pœnâ commoueretur. At vnde, inquis, scandalizarentur impij? quia dum iustum virum, spectatâ diu virtute nobilem, è cœlo, & ab ipso Deo, puniri intuebantur: vt solent iudicare temere, non id ad maiorem virtutis probationem factum, sed ad eiusdem vilipendium deferrent, cuius iudicij vanitatem, Iobo grauissimam non posse non esse, coniectabat. quasi sic innata homini iudicandi temeritas, vt necessariò euentura, tanquam telum certissimum, expugnandæ serenitati armaretur. Acumen est Didymi in cat. Græc. *Etenim quòd prædantes aduersarij pecus egissent, quòd pueros interfecissent: id non à Deo, sed ab hostibus hostiliter inuadentibus, & per odium illa perturbare molientibus, factum esse: illi qui minus intelligerent credere possent. Ast vbi ignem, nuntiatum est, à Deo dilapsum esse, sanè periculum imbecillis mentibus creabatur: ne fortè crederent, nihil esse in ipsa virtute admirabile: quando is, qui virtutem erat adeptus, vsque eò à Deo cruciabatur. Sed tamen neque hoc euentum, sancti animum, qui in Dei contemplatione totus hæreret, potuit permouere.* & quidem ideo magis hæc iudicia castigatè ponderanda: quandoquidem sic vehementer inuadunt, vt per spernentis illa, Iobi victoriam, eximiæ illius virtutes declarentur.

1951. Clarebunt inde obscura aliàs verba Dei ad Ezechielem. Animabatur à Domino Propheta, vt prædicationis, & cœlestis spargendæ doctrinæ onera subiret. tunc subditur. *Tu ergo fili hominis ne*

timeas

timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, cap. 2. num. 6. vidisti vsquam caussam, iusti timoris iustiorem, quàm quæ hoc loco, expellendæ formidini assignatur? imò, dixerit aliquis, quia subuersores sunt, quia scorpiones, ideo maximopere formidandi, ideo illorum sermones pertimendi. Respondet tamen grauiter D. Greg. ibi homil 9. *Timendi enim essent hi, quibus loqui mittebatur, si in fide & opere Deo omnipotenti placuissent: quia autem increduli, & subuersores sunt, & in suis sermonibus derogantes, timendi non sunt. quia stultum valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Domino scimus, debent enim haberi in metu, & reuerentia, iudicia iustorum, quia membra omnipotentis Dei sunt, & hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit è cælo.* Equidem non sunt timenda hæc iudicia, equidem stultum est de illis perturbari: verum tamen hoc exigui ita difficile, vt diuino in visione robore, diuinis verbis egeat Propheta, quo id assequatur. ideo hinc virtus Iobi, vt dixi, commendatur: ideo sponsa io virtutum apponitur exemplar, quod hæc falsa iudicia intrepido spiritu superabat, & non ad bilances tefetas hæc talia, sed temere effutieoda existimabis?

1952. Toti ab homano iudicio, quantumuis falso, tamen absque cœlesti ope, formidabili, pendebant illi, ad quos Deus, per Isaiam: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant: stat ad iudicandum Dominus*, cap. 3. num. 12. quorsum enim hîc, diuini iudicij ratio introducitur, admittitur memoria: nisi quia humana iudicia, licèt falsa, sic tamen erant populo formidabilia, vt ab illis attendendis trepiduli non desisterent, nisi maiori aliquâ formidine Dei iudicis terrerentur? Bene idem D. Gregor. citatus. *Ne verba suæ laudis attenderet, & in culpa altius periret: statim ei dicitur, quem aspiciat, cuius iudicium pertimescat, cùm subditur: stat ad iudicandum Dominus. ac si apertè diceretur: iudicia humana cur sequeris, qui stare super te, cælestem iudicem scis?* & non pondetabis hæc iudicia, quæ contra miseros proximos armata, sic illos detinent, sic absorbent, vt cœlestis iudicij tubâ indigeant suscirandi? terreretur certè sponsa his iudiciis, nisi à Deo sollicitè, quod ex toto Cantico constat, custoditetur.

1953. Parum id ipsemet Apostolus naturæ fragilitatem visus contestari, dum vt humana iudicia derideret, totis gratiæ viribus ad diuini iudicij memoriam tecurrere satagebat: *mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico: qui autem iudicat me, Dominus est*, 1. Cor. 4. num. 2. Itaque paruipendit humana iudicia, imò nec ipsum audet iudicare. robur autem vnde? certè à diuino iudicio assumit: essent enim quantumuis delusi homines iudicantes: tamen sic vana illorum statera formidanda, vt sine recordatione diuinæ, haud posse paruipendi videretur. Gilebert. citatus, hæc & similia verba *Ps. 61.* sibi accommodans. *Vani filij hominum, mendaces in stateris, mendaces in iudiciis, & vtinam pro minimo mihi sit, ad humano die iudicari, dum æterni diei expecto iudicium.* Scitum votum: sit enim quantumuis viua diuini iudicij memoria, adhuc tamen multum virtutis requiritur, ad formidinem humani iudicij expellendam: quod quia iam obtinuerat sponsa, intrepida persistebat. pulchriora subdo.

1954. Immisso Daniele in lacum leonum, addit textus: *allatus est lapis vnus, & positus super os laci, quem obsignauit Rex anulo suo, & anulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem*, cap. 6. num. 17. & quorsum, inquis, ista cura, aut quid de leonibus sperabat Darius, vt claudendo ori laci inuigilaret, ne quid non tam à feris quibus obiectus, quam ab hominibus per quos obiectus, Daniel pateretur? credidit, credo, vana suorum iudicia, timuit contumacia: curauit, igitur, vt de leonum tribunali conuincerentur, si fortè inde iustâ staterâ, iam Danielem condiscerent pondetate calumniatores. Sic claudit ostium, ne homines feris sæuiores, Prophetæ vitam dissoluerent, priusquam de ferarum iudicio absolueretur. ideo non solùm suo, sed ipsorum inimicorum anulo lapidem obsignat, ne interim putarent, secretò à Rege Danielem liberatum, quin potiùs patefacto miraculo iudicij sui temeritatem, leonibus in iudicando postpositi recognoscerent. D. Nilus in Ascet. *Danielem, cùm homines, vt ipsi putabant, perdidissent, leones seruarunt: quem homines ex inuidiâ iniustè damnauerant, custodierunt, & iustitiam a quâ recesserant homines, rectum ipsi de iniustè damnato iudicium ferentes, declararunt.* quasi humana iudicia, ni sint castigato examine trutinata, belluinis sint iudiciis postponenda: quibus sunt etiam longè formidabiliora.

1955. Inter epulas illas infaustas, quibus iam morti suæ videbatur Baltazar parentare, dum subitò eiulatus audis, horrores sentis, compages venum dissolutas, collidentia inuicem genua tecognoscis, quid non monstrosi, & horribilis aspectus, exhibitum autumares? & tamen audi: *in eadem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis, aula regia, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis*, Dan. 5. n. item 5. & hiccine ne erant ferrati leonum vngues, luporum hiatoes fauces, totæ taurorum frontes, tigridum maculosa celeritas? humani digiti, non iam ad pœnas gladio armati, sed scriptoriam pennam exhibentes, tantum horroris incutiunt? certè tantum: quia, vt iam bene alij notarunt, à nullâ manu formidabilius iudicium, quàm ab humanâ, poterat pertimeri. Mihi tamen in hoc euentu semper mirabile, post seueræ sententiæ explicationem, (vbi nihil faustum, nihil lætum, sed perdendum regnum, eripienda vita nuntiabatur:) formidabilem interpretem, ad summum purpuræ, & aurei torquis honorem, iubente ipso Rege, *n.* 29. fuisse euectum. tam ne prospera fuere, quæ nuntiarat, vt etiam præmio prosequendus videretur? certè si non felicia, saltem longè minus infelicia, quam quæ prætimuerat Baltazar: quippe in explicatione cuiusdam verbi, scilicet *Thecel*, dixerat Daniel: *Appensus es in staterâ, & inuentus es minus habens*, n. 27. qui ergo, vt viderat manum hominis iudicantis, pro solito temeritatis vsu, bilances non sperabat: qui se, de nihilo habito, præcipiti iudicio puniendum præsagiebat: vbi audit stateram, vbi solùm de minus habito, cordata Dei mente, se videt puniri, non potest non pro summo id habere beneficio, dum extra morem, manum humanam ponderosè & benignè noscit iudicantem. ideo Glossa Interl. ibi, *staterâ, idest, iudicio Dei: vel statera iustitia.* gaudet ergo, & meritò, non ab humanâ temeritatâ, vt putabat, sed à mente diuinâ se trutinari.

1956. Viderunt & doluerunt boni & prudentissimi serui, segetem dominicam super seminatis zizaniis siluescentem: tunc properant ad Dominum, operam polliciti: *vis imus, & colligimus ea?* Matth. 13. num. 28. scilicet vt perderent, & emundata segeta, igni traderent: ad quos tunc Dominus: *non, ne fortè colligentes zizania eradicetis pariter &*

& triticum, num. 19. de quo solitâ elegantiâ dubitat Chrysolog. sermon. 97. *Sic imperiti erant cultores sic operis nescij, sic discretionis scientiam non habentes. vt euellentes zizania, eradicarent & triticum? vbi sunt Prophetæ, per Dei spiritum prophetantes? vbi Petrus, cui Pater reuelat? vbi Paulus, in quo operatur, & loquitur Christus? vbi omnes Sancti?* Equidem, quantumuis Sancti forent, tamen quia adhuc humanitatis limite clandebantur, timuit Dominus ne præcipiti zelo ferrentur, ne minus castigato examine desæuirent: nesciunt enim humana iudicia falsitatis, & temeritatis periculo non subesse. Idem Chrysolog. *Planè Sancti, sed serui: tantum scientes, quantum singulis scientiarum largitor indulsit*, &c. *& quid plura, si zizaniis non Dei patientia subueniret, nec Matthæum de publicano, Euangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret.* malè ergo minus morosè accedis iudicaturus, qui in ipsis Apostolicis viris temeritatem vides præcaueri.

1957. Rectum iudicium hominibus institiam diligentibus, præcipiebat Dauid *Psalm.* 57. imò & ipse Christus *Ioan.* 7. acceptione personarum expulsâ, rectum suis iudicium intimabat: vnde iam mirum quòd omni penitus iudicio, suos interdicere videatur: *nolite iudicare ne iudi. emi ni,* Matth. 7. num. 1. conciliat tamen aptè hæc loca D. Augustin. tom. 3. lib. de Agone Christi, cap. 27. *non tollit nobis intelligentiam iudicandi*, &c. *sed illo loco, vbi vetat iudicare, illud admonet, ne damnemus aliquem, cuius vel cogitatio nobis non est aperta: vel nescimus, qualis postea sit futurus.* quia nihil magis curabat Dominus, quàm propriam hominibus cæcitatem intimare, vt quo ad potetant, se suspenderent, donec suspensâ trutinâ omnia pensitarent: quia semper ab innata falsitate, cognatam præcipitationem, & illam formidabilem agnoscebat. Benè Chrysolog. supra citatus, verbis quæ interserueram. *Hinc est quod Auctor vtraque referebat ad messem, id est, vsque ad iudicium diuina patientia sua, & nostra pænitentia tempus. vt qui se de malo commutaret ad bonum, dominicum deputetur in triticum, cœlestibus horreis aggregandus: qui se de fideli fecerit infidelem, gehennæ deputetur incendio.* O qualem inter zizania sponsam, referebant nonnulli, quæ non solùm in posterum, sed de præsenti, triticum optimum ad sponsi Regis delitias germinabat.

1958. Habes huiusce doctrinæ bellum testimonium apud Leuit. vbi de purificanda fœmina locutus Dominus ita ait: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ*, &c. cap. 12. numer. 2. vbi ponderosè addubitat Radulphus In Syluâ. *Primum quidem in his legalibus institutis, nostræ miseræ conditionis, & originis admonemur: qui in peccatis concipimur, in doloribus parturimur: tanta culpâ ipsum commutante, & quasi operante conceptum, qua enixa matri, & templi precludat aditum, & cuiuslibet rei sacræ interdicat attactum: statim enim mulier est in culpâ, dum concipit: & quæ se nondum intelligit Matrem, sola iam conceptio essi it peccatricem nam in partu, iam non est culpa, sed pœna. quid est ergo, quòd non statim vt concipit, sed postquam peperit, prohibetur à templo, quæ non pro partu, sed pro conceptu, obnoxia fuit peccato.* Aptè autem ex dictis respondetur: hinc indicij formidabilem temeritatem abolendam, canisse Deum: vt, (quemadmodum sæpè innocens Virginis vterus, de morbo paulùlum tumidior, perperam turpitudini denotatur:) quantumuis aliquem de culpâ grauem, & pene ad oculos grauidum de concepto scelere intuearis, te suspendas: multa discutias, omnia trutines, nulla non ponderes, dum res vtcumque latet, donec aperta culpa iudicium videatur extorquere. Sed respondeat aptiùs ipse sibi Radulphus. *ni fallor hinc docemur, quòd non prius sit iudicandum de culpa, quàm pateat: nec statim repellendum eum à nobis, qui concepit dolorem, prius quàm pepererit iniquitatem.* Si enim demptâ temeritate cuncta pondetes, videbis apertissimè te non videre, qualis ille ante apertam culpam, sit futurus.

Pinius in Cantica.

1959. Hinc enim erat, vt cùm multi alij morbi æquè contagiosi affligerent populum Israël: specialiter tamen lepra miseros ægrotos extra castra se ponebat, *Leuitic.* 13. *numer.* 46. cur enim nullus morbus, sit illa manifestior, nullus qui primo sui aspectu euidentiùs deprehendatur: certum de ipsâ iudicium, euidentius ferri poterat ab epigraphi: in cæteris occultioribus, vix poterat sine temeritate, castrorum communicatio denegari. vnde mysticè ibi Galfridus, ad lib. 1. Reg. cap. 1. *Videntur per lepram, manifesta iam, & quasi foras erumpentia peccata signari: vnde erat quòd leprosi specialiter extra castra fiebant. nam de occultis temerè est iudicare.* quasi nullum sufficiat signum iudicio verificando, nisi priùs res ipsa iudicanda manifestetur: nulla coniectura, nisi optimè commensurata, tale à temeritate iudicium excusauerit.

1960. Capies tandem hinc iustas Dauidis querelas, contra sic praua iudicia exercentes: *Quanta malignatus est inimicus in Sancto*, Psalm. 73. numer. 3. & statim expendens summam istam inimicorum malignitatem subdit: *Posuerunt signa sua, signa: & non cognouerunt.* obscura gnome, sed diuina. nam quæ maior temeritas, quàm non de inuentis signis in iudicato, quàm de appositis per iudicantem, ferri iudicium? quid formidolosius, quàm quod temerè ponat iudicans, quod ipse postea ad libitum exponat? quid dirius, quàm ibi ob coniecturas non factas, sed afflictas, non ignoscere, vbi se scit veritatem non agnoscere? non signa è natura rei, sed signa è libidinis ardore, iudicio designat: non signa, sed signa sua, constituit sibi normam iudicandi. ideo citatus Gilibertus. *Quanta malignatur in Sancto? denique quæ non videt, suspicatur: posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt: ponunt, quæ prauè postea exponunt*, &c. *signa, inquit, quasi dicat, tantùm signa, & non veritatem, signa non certitudinis, sed suspicionis: & non cognouerunt, non enim cognitione, sed coniecturâ vtuntur.* Hoc est quod patiebatur sponsa à sodalibus, apud quas exterior denigratio & fuscedo, interioris fœditatis signa habebantur, sed signa sua: non quæ rei natura daret, sed quæ inuidentis proteruiæ prutitus ministrabat. neque mirum: aut enim non admouerunt trutinam, aut absque castigato examine attulerunt: quid ergo nisi temeraria exercerent. tenendum est monitum Persij *Sat.* 1. & illud prudentissimum.

—Non si quid turbida Roma
Eleuet, accedas: examenve improbum in illâ
Castiges trutinâ.

§. V.

Quàm pulchrè exhibitis Deo obsequiis diuina præmia venerint proportionata.

1961. OBsequitur sponsa Christo, dum se pudicam virtutem custodit, ad quam tunc Christus, *murenulas*, vel, vt alij legunt, *turturellas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, eodem cap. num. 11. vt virtus nouo præmio, sed illo ad amussim proportionato, splendescat: & benè, non simpliciter turturellæ, sed & hæ aureo, adamantinoque, vt explicul, emblemate vermiculatæ huc afferuntur; vt egregius & planè aureus sponsæ pudor intelligeretur; nec enim tantummodo formam, sed & præmij pretium., obsequij magnitudini Deus commensurat. hoc secundum, quia planius, vno verbo ostendo, fusiùs deinde primum ostensurus. Commendaturus Christus Dominus exercitam erga discipulos suos benignitatem, subdit: *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine Discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam*, Matth. 10. num. 42. Ecquam mercedem? mercedem quidem aliquam, quæ tantillo munusculo, liberaliter planè, sed non prodigè, vt aiunt, & absque debitâ mẽsurâ correspondeat. Saluianus *ad Eccles. Cathol. lib. 3.* post alia dé misericordibus largè remunerandis. *Sed tamen ne in hoc, sibi quidem forsitan blandirentur, si multa habentes, exiguis se putarent magna mercari: subtiliter posuit pro calice aquæ frigidæ, non periturum esse mercedem: hoc vtique euidenter ostendens, non pro paruo aliquid magnum esse reddendum: sed tamen qualecumque fidei opus, non esse periturum.* non peribit quidem merces exigui officij, verumtamen officiosiori aliorum obsequio non præibit. Aureus ergo certè erat turturis sacræ pudor, cui pro mercede, turturellæ, sed aureæ tribuuntur. satis hoc. nunc proportioni quoad formam incumbamus.

1962. Non calicem aquæ frigidæ, sed splendidum conuiuium, hospitibus suis Abrahamus solitus apparare, *Genes.* 18. *num.* 6. & in eo non solùm opes, si fas sit, totas, sed de facto totum animum immolauit. Audi correspondens præmium. *dico autem vobis, quòd multi ab Occidente, & Oriente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum*, Matth. 8. n. 11. & non cum Apostolis, non cum Martyribus, non cum tot legis gratiæ Virginibus, & Confessoribus? etiam cum hisce: quia tamen Abraham omnium Princeps, & fortè primus, in hac hospitalitatis conuiuantis virtute legitur fuisse: ideo, quando beatitudo sub torrentium vbertate, sub sobriâ suauitatis ebrietate, & sub opipari conuiuij describitur significatione, ipse vnus rex conuiuij, vt dicitur, designatur. Chrysol. serm. 41. *Abrahamum cælestis conuiuij principem, humanitas ardens, Deo impensa, perficit. nam qui duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis & Occidentis populum, mensam suscipit ad cælestem.* Sic summa præmij liberalitas, in summo hospitalitatis obsequio reperitur. Vocabatur olim, Princeps, seu rex conuiuij, is qui talorum so[r]te, bibendi arbiter, & epulatum dominus creabatur. vnde graphice Patriarcha, largus bonorum [illegible]rum d[is]pensator, iam in cœlo diuinas videtur di[illegible]are.

1963. Dubitaru[n]t nonnulli quid e[sset] illud de Lazaro apud Lucam cap. 16. num. 22. [Factum] *est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, in sinum Abrahæ.* ego, vt alibi fusè probabo, *sinum* capio pro loco delitiarum, & pectore, cui dilectiores inter conuiuandum recumbebant. res nota ex Ioanne. Ad conuiuium ergo, & epulas defertur Lazarus, sed in vnius Abrahami gremio recubiturus: vt Patriarchæ obsequio, proportionatum præmium clarius cognoscatur. Idem Chrysolog. *serm.* 121. ibi. *Non immeritò fratres, sua tunc omnes Sanctos suscipit in requie, & in ipsa cælesti beatitudine fungitur dispensationis officio: quia dum semper hic suscepit peregrinos [&] pauperes, ipsum cum Angelis suscipere Deum, ipsum sub tentorio suo videre hospitem meruit, quem semper haberet largitorem.* Nihil hic habuit, quod non dispensaret: nihil ibi habet Deus, quod ipsi quodammodo non dispenset: vt qui terrena sua fecerat aliena, aliena iam Dei, sua faceret: sicque præmium obsequio, de forma conueniret.

1964. Et certè tale erat, quod Abrahamus obsequio suo præmium captabat, non aliud. vnde capies, quid sit illud Dei ad eundem, postquam quatuor Reges fortissimos expugnarat. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, Genes. 15. num. 1. Quid enim timeret post tantam victoriam, quid prostratis iam hostibus formidaret, nisi (quod alibi ad rem aliam notaui) ne fortè obsequia sua in Deum, his terrenis victoriis soluta compensarentur? hunc ergo timorem, meritò auertit Deus: quasi dicat, obsequia tua erga me, non his terrenis, sed proportionatâ mensurâ, cœlestibus quidem præmiis compensabo. Nec obstat, quod statim ibidem, etiam terrena promitti videantur: quia in his, diuina etiam latentia, ex oriundo Christo intelliguntur. totum est ex Lyrano, qui tandem subiungit iis, quæ iam dedi: *Bona quæcumque temporalia, sunt minora, quàm iustitiæ opera: & ideo hic & in aliis locis sacra Scriptura, vbi pro operibus iustitiæ verè & propriè dictis, promittuntur aliqua bona temporalia, non intelliguntur principaliter promissa: sed quasi manuductiua, ad bona spiritualia, & æterna, quæ principaliter intelliguntur promissa.* nescit enim diuina statera, munera mittenda, æquilibrio non præmittere. & quemadmodum bona naturali moralitate opera, naturalibus donis afficit: sic quæ è meliori gratiæ fonte fluunt, sacratiore flumine compensat.

1965. Sed adhuc breuiter in eodem Patriarcha ponderandum, quàm hæc humana dona, quæ pro parte, licèt minus præcipuâ, operibus iustitiæ assignantur: etiam proportionem aliquam seruent, cum obsequiis præstitis comparata. ergo de illo, ita sacer scriptor. *Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol, princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis: iura ergo mihi per Deum, ne noceas mihi*, Genes. 21. num. 22. eodem tempore. ecquo illo? nimirum illo, quo, vt ex toto cap. citato vsque ad hæc verba, obedituit Abraham Deo totus promptus, in eiicienda ancilla, atque nato: qui intestino quodam bello sanctam Saræ quietem, puros pueri Isaach mores interturbabant. tunc igitur pax illi publica offertur: imò rogatur: vt qui affectibus conculcatis in Dei obsequium, pacem domesticam procurarat, glorioso effectu pacem publicam inueniret, & qui carnis fœdera ruperat, regalia tunc fœdera connecteret. Fauet Lyranus ibi. *Hic consequenter ponitur Abrahæ stabilitio: quia enim obedierat Domino, in eiectione [fi]lij, & Matris: conueniens erat, quòd Dominus ostenderet ei aliquod speciale beneficium: quod factum est, cum rex terræ venit ad eum, quærens eius amicitiam [&] fœdus.* Sed de Abrahamo, [s]tatim plura.

Quod

1966. Quod non obſequium Deus à ſuis poſtulauit, quando apud *Lucam 12. num. 33.* eiſdem præcipit: *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* dum totum illis ſeruorum accinctorum indicit conditionem? Aſt, pende præmium. *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis,* num. 37. Vidiſti præmium, vltra omnem proportionem, mage proportionatum? diuina ſeruitus, humanæ iam reſpondet ſeruituti: ſed breuiculæ illius accinctio, æternâ illius accinctione [illegible]tur. Noſti verba trita Chryſolog. *ſerm.* [illegible]4. neſcio an ponderaſti. *quia parumper ſeruus adſtitit in Domini ſui expectatione, & ſuſtinendi fidem breui fatigatione portauit, cui vt talionem redderet, diſſimulat ſe in ipsâ diuinitate, diuinitas.* quis enim in his vltimis verbis non offendat? quomodo talio poteſt eſſe, vbi talis diuerſitas intercedit? aut quomodo in ipſis diuinitatis ſplendoribus, ipſa diuinitatis maieſtas poteſt delitefcere? quia nunquam Deus magis Deus, quàm cùm ſe ſeruum facit charitatis: ſola diuina maieſtas, & ſuprêmi Imperatoris facilitas, hanc habet fiduciam, quin de nomine, aut habitu ſeruituris, admiſſam ſibi labem exiſtimaret: (quod latiùs ad hæc verba in Conceptione Mariæ ponderaui.) ergo in ipſo innato, & magis proprio actu diuinitatis, quodammodo ipſa diuinitas ſplendet occultata, & occultatur ſplendens. Inde iam pulchrè talionis proportionalis ratio deprehenditur, quia cùm ſeruire Deo, regnare ſit: ipſis ſeruis accinctis, in ſeruitute imperium diſſimulantibus, diuinitas, in diuinitatis libertate, reſpondet diſſimulata, vt præmium, quantum res patitur obſequio correſpondeat.

1967. Clarebit acumen Chryſologi ab eodem, dum, de prædictis ſeruorum lucernis, ſic philoſophatur. *In manibus Sanctorum, ipſa bona opera ſunt lucernæ, dicente Domino: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. & verè portant lucernas ſuas, verè fomentis operum, verè miſericordia vnguento inflammant lampades ſuas. quæ cum loco, propoſito, ſtudio lateant: opere, virtute, meritis coruſcant, ac ſplendent toto orbe terrarum.* Attendat lector. Sic iubet Chriſtus opera noſtra abſcondi, vt neſciat ſiniſtra, quæ dextra fecerit: & aliunde ſic lucere in propatulo, vt ad proximi ædificationem, & ad Dei gloriam conſpiciantur. Et quæ iſta in obſequio lux occulta, lucida occultatio. cur abſconduntur radij ſi apparent? vnde appareant lucernæ, ſi abſconduntur? diſſimulat ſe lux in ipſa luce: vt ſicut ad præmium, diſſimulat ſe in ipſa diuinitate diuinitas; ſic ſit in ipſa occultatione ſplendor: dumque occultationis ſtudio, ignorat quid dextra fecerit, ſiniſtra: ſiniſtra pariter & dextra colluſtrantur, vt affectatæ virtutum tenebræ, ſole ipſo efficiantur clariores: ſicut noſtro loquendi modo ad præmium, in ipsâ diuinitate diſſimulatâ, diuinior apparet, amoris ſplendoribus radiatus.

1968. Redit huc neceſſariò conuiuium Abrahami, vbi Angelos excipit, & in tribus vnum Deum veneratur. ſubiunxit: *afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore,* Geneſ. 18. numer. 4. At ſi nouerat in Angelis eſſe Deum, cuius pedibus ſtellæ purificantur: quorſum lauat? & quidem ſi ad plenum hoſpitij miniſterium, prout illius æui conditio ferebat, pedum ablutio neceſſaria erat: cur tamen ipſe afferat aquam ablururus? cur non delegatis, alicui ſeruulatum, his partibus, ipſe diuino hoſpiti, ad colloquium & vrbanitatis officium, ad loquelæ conſortium, pro ſolito aſſiſtit? Nouerat Patriarcha cæleſtis Domini genium, & ingenium: nouerat liberaliſſimam Dei naturam, qui ſi id obſequij dignaretur excipere, proportionando præmio, redditurus erat talionem. Sanctum fœnus pias vſuras voluit exercere, vt in filiis reciperet, quod ipſe expendebat. prodigus foret, ſi delegato negotio ſeruis, ſe in ſuis tanto præmio defraudaret. Tertullianus (imò Pſeudotertull.) lib. de Trinitat. cap. 26. *Quod enim erat futurus meditabatur: in ſacramento Abrahæ factus hoſpes, apud filios, futurus. cuius filiorum pedes, ad probationem quod ipſe eſſet abluit: reddens in his ius hoſpitalitatis: quod aliquando illi, fœnerauerat Pater.* & nota ad gnomen Chryſologi prædictam, illa verba, *ad probationem quod ipſe eſſet.* quaſi non aliunde clarius probaſſet quòd ipſe Deus eſſet, cuius ab Abrahamo pedes loti fuerant: quam dum per fœnus & talionem, filiorum Abrahami, id eſt, diſcipulorum pedes lauat. nimirum horum pedes lauans, confidenter ſe Deum manifeſtauit, & in ipſa diuinitate, id eſt, in apertiſſimo illius actu, diſſimulata diuinitas, reddendo proportionatè præmio ſplendeſcit.

1969. Addo tandem non ſolùm diuinæ hoc eſſe ſtemma liberalitatis, vt gratuito ſic proportionato præmio, obſequiis reſpondeat: ſed id etiam agere, vt obſequia ſollicitet, quo ad ſimilia prædicta præmia obligetur, redditor quodammodo magis, quam munerator. Expendit id Rupertus *lib. 6. in Geneſ. cap. 30.* ad illud Dei: *Tolle filium tuum vnigenitum,* &c. cap. 22. num. 2. vbi ita. *Quæſiuit miſericors Deus capitulum in homine, per quod poſſet iuſtè debitor ipſe teneri: quæſiuit, inquam, ab homine, vnigenitum ſibi filium immolari, vt ſuum ipſe filium iuſta viciſſitudine deberet homini. igitur cum dixit idem filius in Euangelio; ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, &c. non eſt dilectio remiſſa, nec miſericordia carens iuſtitia: nam & homo ſic timuit Deum, vt offerre illi non dubitauerit vnigenitum ſuum.* Sic alij Doctores in hanc rem, alibi fortè latiùs trutinandi. id in præſenti Cantic. loco apparet etiam manifeſtè. vide litteram. Laudauit Chriſtus ſponſam, vt illa humili pudore concepto rubens, pudibundum turturis exprimeret ingenium. quæſiuit nimirum capitulum, (vt loquitur Rupertus) vt turturi ſuæ aureas turturellas adhiberet: quaſi non remiſſi amoris donum, ſed iuſtitiæ debitum irrogaret.

§. VI.

Lautum virtuti conuiuium, tribulatio.

1970. PErgo breuior ad ſecundum caput, vbi num. 3. ſic ſponſa. *Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* hanc arborem, felicem hanc vmbram, de cruce explicant nonnulli. noto tantùm crucis fructus, & illos humano palato acerbiſsimos, ſponſæ guſtui & gutturi dulces prouenire. nimirum quod ſapit, nutrit: quid ni ſapidiſſima ſponſæ tribulatio, vnde præcipuè virtutes nutriebat, & inſtar adoleſcentis prophetici *Thren. 3.* ſatura opprobriis, ſpem fouebat, ſponſa inde ſimilior effecta. ita eſt: lautum & opiparū, virtuti venit conuiuium tribulatio:

hoc cibo creſcit, alitur, roboratur: quo ſine miſerè fluida marceſcit, & macreſcit languida. ideo D. Nilus *orat.6.* de Acedia: *quod corpori ſano, valentique, cibus eſt: idem eſt tentatio animo forti, ac generoſo.* corpus enim reficitur cibo, tribulationis ferculo ſaginatur.

1971. Fugiebat Dauid impias parricidæ manus, omnes belli calamitates, per pacifici montis oliuetum, expertus miſerè. id vnum afflicto deerat, vt poſt hoſtiles gladios, etiam linguas maleuolas pateretur. Sed en adeſt Semei, qui duriores longè ab ore ſagittas, quàm lapides è manu rotans, penitiſſimè Regem lancinabat. Mouetur in auxilium, & vindictam iuſtam Abiſai, qui iam iam amputatâ linguâ caput impij afferendum ſpondebat. ad quem tunc Rex: *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ?* 2. Reg.16.n.10. verba videntur ſubirati, & ægrè ferentis opem Abiſai. Sed cur ſubiraſcatur in ſeruum pium, qui indignas Dnmini contumelias molestè ferens, iuſtas pœnas ab inimico repetere ſatagebat? ego crederem hîc, non tam iram in clientem piiſſimum, quàm affectum vehementiorem ad contumelias declarari. quemadmodum enim auidiſſimus cibi alicuius helluo fert ægerrimè, ſi ferculum vix libatum ſibi è manibus, & hianti ore eripiatur: ſic Dauid, qui his laboribus ſaginabatur, & quàm ſolidè hi nutriri agnoſcebat: ægrè tulit ſcitiſſimum ſibi hoc epulum interdici. ideo ſubdit n.12. *Dimitte eum, vt maledicat, iuxta præceptum Domini ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro afflictione hac hodierna.* Exclamat ergo meritò D. Ambroſ. in Apol. Dauid cap.5. *O altitudo prudentiæ! ô altitudo patientiæ! ô deuoranda contumelia grande inuentum.* Grandeſcit quidem virtus, non tam delibatis, quàm deuoratis contumeliis: & ſic fortior, diuinam miſericordiam oppugnat, & expugnat.

1972. Eductus hâc experientia Dauid, ſic Iuſtos inſtituit Pſalm.127. num.2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* alij vertunt: *labores fructuum tuorum, quia manducabis.* puto, quia fructus, non niſi de operâ, & operibus manuum enaſcuntur: vnde meritò ad inuicem ſupponunt. vtrobique tamen par dubitatio: quam grauiter mouet his verbis D. Zeno Veron. ibi. *Eſt contuendum propheticum hunc ſermonem, ab vſu communis opinionis diſcrepare: in hac enim vita conuerſatione, qui manducant, laborum ſuorum fructus manducant, ex prouentibus elaborati operis ſumentes: at verò Propheta ait, labores fructuum manducandos.* at quidem eos fructus hîc intelligit Propheta, qui in cœleſti area demetuntur, & solummodo per labores comparantur. nunquam tamen ſic pretioſi fructus pullularunt, niſi ab iis laboribus, quibus ſic auidè iuſtus aſſueſcit, vt tanquam ſapidiſſimis dapibus vtatur. Eisè de hoc idem D. Zeno, qui aptè ad rem præſentem ſic concludit, de virtutis oneribus, & tribulationibus. *Hi ſunt labores fructuum manducandi, eorum ſcilicet fructuum, qui in cœlis metentur. nunc dum in terrâ ſumus, opera ſumenda ſunt: hæc enim nunc animam ſaturant, hæc in cœlum ſuis fructibus proſequuntur.* & benè *ſaturant:* quaſi his non ſolùm ad neceſſitatem reficiatur voluntas, ſed & voluptas ad recreationem ſaturetur. quid ni ergo crucis tribulationes gutturi dulciſſimas habeat ſponſa, qui inde cœleſtibus, & vberrimis fructibus inhiabat.

1973. In hoc ergo diſtinguitur ab humano labore, diuinus labor, quòd ille cum ſudore vultus panem è terrâ extorqueat comedendum: iſte verò ipſiſſimus comedatur, vt ab animâ terrenâ adhuc, panem humana expellat conſolationis. ideo ille defatigat, at iſte reficit: pungitur ille ſpinis pullulantibus, iſte verò ab animâ vitiorum tribulos expungit. pergat D. Zeno citatus. *Habemus hunc cibum, animam noſtram alentem: bona ſcilicet opera, bonitatis, caſtitatis, miſericordia, patientia, tranquillitatis: in quibus nobis contra corporum noſtrorum [illegible] laborandum eſt. horum laborum fructus in æternitate [illegible]: ſed labor hic æternorum fructuum, antè comedendus eſt.* ſic fit, vt iuſti, quodammodo, pluſquam ad innocentiæ ſtatum, per Chriſtum reducantur: quibus id, quod protoparentibus potuit eſſe pœna, paſtus modò conditur voluptatis.

1974. Ideo ſummo conſilio dixit in eodem loco Propheta: *Beatus es, & bene tibi erit.* quaſi etiam in præſentiarum, laborum ferculo enutriri, iam ſuo modo inchoatâ ſaltem beatitudine perfruantur. Meritò itaque ſponſa, non tam circuit, quàm ſedet ſub crucis vmbra: quaſi iam portum & requiem adepta: ibidem manà, licèt humanis oculis abſcondita, ſatianda. grauiter ad hunc locum Drogo Oſtienſ. lib. de Dominic. Paſſion. *Colligite filij Iſrael, colligite manâ, & frangite molâ: & replebitur ſicut adipe & pinguedine anima veſtra. moleſtus eſt labor, ſed fructuoſus: labores manuum tuarum manducabis, & iam beatus es, & bene tibi erit in futuro. frangite, inquam, corpus, & animam, & inuenietis medullam. corpus ieiuniis, laboribus, vigiliis: animam diuinæ legis ſtudiis.* Itaque præuerſiores Iſraelitæ *Num.11. num.* 8. quòd ſaporem manna non perciperent, molebant, & condiebant illud: nec tamen illis ſapidius reddebatur, erat quippe inſulſitas, non in cibo, ſed in palato. Nunc verò iuſti, è contra, docti à Chriſto, ſemetipſos molunt per labores, & inſipidum aliunde cibum, ſibi reddunt ſapidiſſimum. in amaritudine guſtant dulcedinem, quâ ſibi iam beati iudicantur. ideo credo, ſponſam in hoc loco, non tam abſolutè fructus crucis dixiſſe dulces, quàm gutturi ſuo dulces: quia dum Synagoga de palati vitio, dulcedinem tribuit amaritudini: Eccleſia, de purgati palati ſapore, amaritudinem dulcedine conſaporat.

1975. Eccleſiæ iuſtos in Zabulone, benedicens Moyſes, poſt alia ſic ſubiungit. *Inundationem maris, tanquam lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum*, Deuteronom. 33. num.19. Ecqui iſti abſconditi theſauri arenarum? ni fallor, frequens hic ille Hebraiſmus intercedit, quo priùs dicta, deinde per aliam phraſim explicantur. res nota: inundatio ergo illa maris, quæ ſugitur, theſaurus eſt abſconditus, & verè manna abſconditum miniſtrat. quid enim abſconditum magis humanis oculis, quàm in maris amaritudine, lactis cuiuſdam dulcedinem reperiri? ita eſt: purga palatum, & è marinâ ſalſugine, lacteam iſtam dulcedinem deguſtabis: ſcitiſſima tibi proueniet tribulatio. maius aliquid hîc ſubnotat Cantuarienſis: *Inundatio maris, eſt abundantia tribulationis: quæ tunc ſugitur cùm dulcis à iuſtis reputatur.* At cur dulcedo iſta, non tam mellea dicitur, quàm lactea? id, inquam, viſus ſubnotare Cantuarienſ. ſubdens: *Denique ſicut lac nutrimentum eſt puerorum: ſic tribulatio pabulum fit electorum.* quia iuſti licèt iam virtute grandes, licet ſponſæ iure, iam oſculo perfruantur: hoc tamen vtuntur lacte auidiſſimè, cùm enim norint, magnitudini ſuæ ad patriam

vſque

vſque terminum non aſſignati: ſemper ſe paruulos reputant, ſemper ſpe creſcendi puerili hâc laborum eſcâ nutriuntur.

1976. Nec ſine pondere, ſugendi, ſine bibendi dicuntur etiam labores, nec ſolùm manducandi: tanto enim hoc glorioſius, quanto facilius aqua bibitur, quàm cibus manducatur: quanto ſuauius hauritur poculum, quàm ferculum maſticatur. Vt acriùs deinde Iobum pungeret, quæ veteratoris callidi maleuola conditio, Iobum alicunde commendare, comminiſcitur Eliu. vnde ait: *quis eſt vir, vt eſt Iob?* cap. 34. num. 7. putares adducendam huc Iobi patientiam, & conſtantiam, quibus æternitati, trophæa conſecrauit: aut ſaltem humanitatem illius & in omnes hoſpitalitatem euchendam. Sed homo verſipellis, hoſtiliter amicus, quo acriùs deinde lancinare conabatur, eo virtutem aliquam ſingulariorem, & eximiam præmittere curauit, vt vitia ſubſequentia, ad prioris virtutis fulgorem fœdiora cernerentur: vide quid addat: *qui eſt vir ſicut Iob, qui bibit ſubſannationem, ſicut aquam.* nihil enim maius de illo, quod re vera erat, licèt ſubdolè dicere potuit: vt inde detecto ictu ſæuiùs vulneraret. Nicetas, imò, meo iudicio, Auctor catenæ Græcæ Olympiodorus ibi. *Et mihi, inquit Eliu, eſt Iobi ſpectata virtus: quia ſua ſponte, atque iudicio iniurias ſuſcipit, vt qui aquam hauriunt.* quia illa reuera eſt ſpectata virtus, quæ ſufficit iniuriis & laboribus, inſtar aquæ, ſitibundo ſuauiſſimæ, ebibendis. Hi ſunt fructus crucis, quos ſibi ſapidiſſimos prædicat hîc ſponſa.

§. VII.

Qui ſibi de alieno ſupplicio non præcauet, punitur grauiùs.

1977. SVbeunt in hoc cap. ponderanda verba illa Christi, vbi de Eccleſia, tempore gratiæ vernatura, præmiſſis aliis ſic ſubiungit. *Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ: tempus putationis aduenit,* num. 12. vel, vt aliis, *tempus ſectionis.* Si autem huius ſectionis tempus ſcruteris, inuenies apud Patres, Origenem ſcilicet, Gregorius Phil. & Apon. ſubindicari tempus iudicij futuri, quando hædi ab ouibus ſegregandi, & amputandi, in ignemque mittendi. vnde & potes Synagogam ſpretam, & truncatam intelligere. Vtcumque ſit, dum flores Eccleſiæ germinantes commendantur, dum virtutes Sanctorum celebrantur, aliorum pœna ſæua, & aſperum ſupplicium ob oculos conſtituitur, vt in alieno Synagogæ malo ſaperet Eccleſia, ſibique peius præcaueret, ſi rueret: quandoquidem qui alieno capite non diſcit, meritò ad ſeueriores pœnas poſtulatur. Hinc Iſaias poſtquam miſerum Luciferi caſum, & occaſum ad infernas vſque tenebras deſcribit, ſtatim: *qui te viderint, ad te inclinabuntur, atque proſpicient.* Ecqui tunc Luciferum ſpectare potuerunt? aut quorſum ſpectaturi inclinantur? huc viſus alludens, reſpondere Gregor. in Reg. lib. 4. cap. 1. *Qui ante omnia conditus eſt, per ſuperbiam cecidit, & in eius ruinâ ſancti Angeli didicerunt, qua virtute ſtare potuiſſent.* Inclinantur itaque quaſi profundius Luciferi ſupplicium ſcrutaturi, & ex hac pœna clariùs didicere, non ſuis, ſed viribus diuinis ſtetiſſe. Eccleſia ex pœna Synagogæ clarè diſcet, vnde deinceps ſit perfectius ſtatuta, ne ſecundùm aliqua eiuſdem membra, grauius, quod non præcaueat, puniatur.

1978. Peccat Adam grauiſſimè, & ad eiuſdem ſupplicium terra maledicitur, Geneſ. 3. num. 17. *maledicta terra in opere tuo.* vt detorta in terram directè maledictio, quaſi ex reflexo, leuiùs hominem vulneraret. Peccat deinde Cain, & audit: *maledictus erit ſuper terram,* Geneſ. 4. num. 11. vt ipſemet ictu maledictionis ſcinderetur. & quanto funeſtius Adæ peccatum, in quo tota ſimul poſteritas condemnatur? quanto grauior in patre, de maiori notitiâ, & ſcientiæ plenitudine, circunſtantia? cur ergo ſæuiùs filius maledicatur? reſpondet Alcuinus aſſignato vtriuſque diſcrimine quæſt. 87. *Vnde Cain maledicitur in peccato ſuo, cum prius terra in opere Adæ, ſit maledicta? quia Cain ſciebat damnationem præuaricationis primæ, & non timuit originali peccato, homicidij fratris ſuperaddere ſcelus: ideo maiori maledictione dignus habebatur.* non potuit ſibi in alieno capite præcauere Adam: at Cain qui in paternâ calamitate, & exilio, diuinæ iræ impetum agnoſcebat, debuit quidem ſibi, & potuit vigilantior conſulere: quod quia non fecit, ſtrictiùs pro culpâ ſatisfecit.

1979. Adducent inde verba Dei, miſero, miſerioris vitæ ſecuritatem pollicentis. *Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur,* citato cap. *num.* 15. quis enim non miretur, ſemel tantùm fratricidam puniri, cùm homicida ſeptuplum puniatur? Innocentis Abel occiſio luitur ſemel, & nex Cain nocentiſſimi ſeptuplum luetur? ... hæccine vindicatiuæ iuſtitiæ recta norma, æqua diſpoſitio? ita planè, non viderat vſquam Cain defunctum corpus, fractos occiſi oculos, fœdatos pallore vultus, & terram infuſo ſanguine ſuppudentem: ideo pœnam licèt grauiſſimam, minorem dedit. At qui ipſum occideret, in illâ ipſius pœna negligens edoceri, eo ipſo ſæuiùs, & pluries erat flagellandus, dum ferream fundendi ſanguinis duritiem, & duram illi pœnam irrogatam, (quam fortè, in alieno ſi foret exemplo, euitaret Cain,) noluit euitatam. Idem Alcuinus quæſt. 90. *Quomodo ſeptuplum punietur, qui occidet Cain? ſolet ſeptenarius numerus in Scripturis ſanctis ſæpiſſimè pro plenitudine cuiuſlibet rei poni, quaſi dixiſſet: grauiſſimâ vltione puniendum eſſe, qui tanta damnationis acerbitate admonitus, à ſanguine effundendo, nollet manus cohibere.* vt inde creſcat pœnæ ſeueritas, vnde increbuit cauendi negligentia.

1980. Terrorem, vt volunt aliqui, incutiebat vxoribus ſuis Lamech, à quibus vexabatur, dicens: *Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò, ſeptuagies ſepties.* Quaſi dicat. Occidi ego ipſiſſimum Cain, etiam à Deo ſignatum, ne occideretur: ideo in ſeptuplum punior, ſignatus pariter ne occidar, quo mihi vita veniat moleſtior. Cauete ergo ne ſenem me perdatis: ſi enim ſepties punior, quia hominem lamentabili vitæ damnatum, morti tradidi: cùm tamen multifariæ & multiplicis huius pœnæ, caruerim exemplo. certè illo præuiſo, ſeptuagies ſepties punietur, quiſque ſpernens præcauere, me ſimilis damnationis reum trucidarit. vide interpretes. Subdo in hanc mentem Hugonem Cardinal. *Septuplum, id eſt, grauis vltio ſumetur de illo, qui occidit Cain, id eſt, de me. Sed ſeptuagies ſepties, id eſt, multo grauior, ſumetur de illo, qui occiderit Lamech. hoc dicebat timens vxores, ne occiderent eum.* ob eandem ſcilicet cauſſam, quod præbitum exemplar conculcarent.

1981. Aliter tamen hoc ſeptuplum ab aliis explicatur: quaſi

quaſi ſeptemplici pœna ipſe Cain, de occiſo fratre Abele puniretur: ſeptuagies verò ſepties veniret puniendus, qui Lamechum occideret. ideo Gregor. Nazianz. orat. 2. in Pent. *Vindicatur ſcelus Lamech ſeptuagies ſepties. nempe quia lege iam, & condemnatione promulgata, eadem perpetrauit.* quam gnomem eleganti paraphraſi ibi dilatat ſcholiaſtes eiuſdem Nicetas, ex ore ipſius Lamech iſta proferens, ad rem noſtram. *Si de Cain ſepties vindicatum eſt, de me Lamech ſeptuagies ſepties vindicabitur. hoc eſt, ſi iuſta aduerſus Cain Dei ſententia extitit, vt ſeptem ſupplicijs afficeretur: ipſe equidem dignus ſum, qui trecentis nonaginta pœnis excrucier. quoniam ille, quemadmodum ab alio, quid (quanquam graue crimen eſſet cædem committere, minime didicerat, ſic nec homicidam vllum viderat, debitas pœnas exſoluentem: ego autem trementem ac gementem cernens, itaque diuina magnitudinem ob oculos habens, huiuſmodi exemplo nec melior factus ſum, nec à facinore deterritus ſum. Proinde iure optimo, multo maiora mihi tormenta inferentur.* quas autem ſeptem pœnas ob mortem Abelis Cain dediſſet, ex eodem Niceta dabo alibi. pergo.

1982. Adducit in iudicium Deus ingratum Iſraëlem, & conuocatis cœli, terræque teſtibus, exclamat: *filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me,* Iſai. 1. num. 2. tunc additur ſtatim numer. 4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam filiis ſceleratis! dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël: abalienati ſunt retrorſum. ſuper quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem?* quod ita capi poteſt; quaſi dicat, nouas pœnarum rationes ſibi excogitandas, quia in prioribus ſupplicijs parentum ſuorum, non cauentes, nouas addere præuaricationes perſtiterunt. vbi deinde euerſio regni, vrbium depopulatio, igne ferroque vaſtanda prouincia latè deſcribitur. Sed tu mihi pende, quàm pro publico tribunali, audiente cœlo, terra auribus percipiente, irrogetur hæc ſententia: ac ſi quodammodo vellet Deus adimere ſibi anſam ignoſcendi, & omnes reuocandi ſupplicij irrogati tollere rationes, ne fortè leuis putaretur, ſi quos ſic publica obiurgatione confutabat, priuato deinde affectu cuſtodiret. tam dura ſcilicet, tam certa, irreuocabiliſque pœna imponi ſolet, illis qui in alieno capite ſcire ſpreuerunt, vt nos deinde ſæuiorem aliam timeamus, ſi quibus hæc ſcribuntur, in alienis plagis non cauemus. Sed audiendus iam D. Zeno Veron. in hæc verba. *Sicut Iſaiæ beatiſſimi indicat carmen, Iudaico populo iraſcitur Deus: eumque (ne fortè pœniteat) publicâ obiurgatione confutat,* &c. *denique filios vocat, vt abdicatio timeatur: exaltatos vt ruina terrori ſit: ſpretores vt pœnam ſupplicij ſibimet impendere cognoſcant. quod exemplum fratres fortiter fugite: ſimulque gaudete, quòd alienis plagis, Dei diſcitis diſciplinam.* Gaudendum enim ſi diſcimus alieno capite: quia alias ſæuius aliquod ſupplicium deplorabimus. Sic apud Iſaiam à Iudæorum pœna inſtituuntur fideles, vt in loco noſtro à Synagogâ marcidâ & ſectâ, Eccleſia vigens & florens admonetur.

1983. Nihil Chriſtus Dominus arctius nobis voluit commendatum, quam odium vindictæ, vt patet ex Euangelio: hanc optare, malum: procurare, peius: peſſimum eſt de aſſumptâ exultare. & tamen in re ſic clarâ, audi quid contrà Propheta aſſerere videatur. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*, Pſalm. 57. num. 11. Licèt enim hæc vindicta à Deo veniret, ac proinde non tam in peccatoris ruinâ, quàm in Dei æquiſſimâ iuſtitia, qui iuſtos non deſpexit, exultare eoſdem, dici poſſet: tamen etiam ſub hac ratione, cautior æſtimatur metus: ſolet enim, etiam cùm diuinâ manu ſumimus vindictam, aliquid minus purum, carnalis noſter affectus immiſcere: vnde vt plurimum omnis exultatio tunc periculum habet: ſcrupuloſa ſemper, quandoque ſcopuloſa. Quid ergo in tam abruptâ lætitiâ voluit Propheta? reſpondet Euthymius ibi. *Lætabitur, non quod gaudeat eum pœnis affici: ſed quia illius exemplo, ipſe fit prudentior, & ſecurior.* hæc de punito hoſte, & iniuſto aduerſario, iuſta lætitia: qua non tam illius pœnæ, quàm tuæ applaudere deprehenderis medicinæ.

1984. Hinc explicantur poſteriora verba prædicti verſiculi, quæ humanis auribus horrorem quendam afferre videbantur, ſcilicet: *manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* quid enim magis tyrannicum, quid ſæuius, & ſcæuius poterat in hâc ſumenda vindicta excogitari, quàm manus in alieno ſanguine lauare? ab illo, qui ſanguinem humanum peteret manibus abluendis, quid aliud ſperares, quàm ad ferales totius corporis epulas, pluſquam ferino rictu inhiandum? At quàm aliter de ſe alibi ipſe Dauid: *lauabo inter innocentes, manus meas, & circumdabo altare tuum Domine,* Pſalm. 25. num. 6. hic inter innocentes ſe lauat, quia iuſtus: & iuſtus ille alius, non ſolùm inter nocentes, ſed & in illorum ſanguine lauabitur: Propheta ſancte, quæ hæc tam diſparata oſtendendæ iuſtitiæ, commendandæque ſanctitatis teſtimonia? ſi attendis, vtrobique idem dicitur; ideo enim inter innocentes lauatur iuſtus: quia in ſanguine nocentium, ſumma cum pietate lauari ſolet. Ænigma videtur, quod tamen aptiſſimè ſoluit ibi Euthymius citatus, ita: *Dum peccatoris ſanguis effundetur, iuſtus lauabit manus ſuas; hoc eſt, mundabit actiones ſuas: factus nimirum cautior, excruciatibus peccatori illatis.* quaſi quot ſtillæ ſanguinis fluunt à peccatore punito, tot flumina gratiæ, mundandis actionibus ſuis, iuſti comparent cautiores.

1985. Ideo ſignatè, non tam dicitur *intinget*, aut *fœdabit*, quàm, *lauabit manus ſuas*, id eſt, dealbabit: vt virtus ſumpto vindictæ alienæ exemplo cautior, indeque lautior & ſplendidior; eo tunc magis candicet, quo tunc peccator punitus reuelatis per ſupplicium ſceleribus fœdior denigreſcit. Sed præſtat audire D. Bernardum in Pſalm. *Qui habitat*, &c. ſermon. 8. *Sibi inuicem collata contraria, ſua quidem vtrumque videtur ſuſcepiſſe augmentum aliquod qualitatis, vt album nigro ſi conferas, & hoc candidius, & illud tetrius apparebit. Sed audi certius ſuper hoc teſtimonium, propheticum ſermonem: lætabitur ait iuſtus, cùm viderit vindictam; vt quid ita? manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris planè, non inquinabit in ſanguine, ſed lauabit: vt vnde ille cruentus magis, inde iſte nitidior videatur: vnde ille plus ſordet, vnde iſte pulchrius eluceſcat.* neque enim ſatis, vt puto, ad ſanctam Iuſti huius lætitiam, quòd præſentibus peccatoris ſordibus purior eniteſcat: id enim, etiam circa peccatorem impunitum, verè habet: ſed quia in vindictâ, & ſanguine huius, factus ille cautior per exemplum, nouis ſanctitatis cumulis comparatis, appareat ſplendidior. O ſanguinem peccatoris nocentem, iuſtos non inquinantem, ſed lauantem! & ex hac parte, immaculati Agni ſanguinis, per ſummæ diſſimilitudinis ſimilitudinem & diſparatiſſimam quandam analogiam, æmulum

pretio

pretiosum : in sanguine enim Agni lauant, & dealbant stolas suas iusti, *Apocal.* 7. *numer.* 14. in sanguine peccatoris, actiones illustrant, & componunt, timentes absque dubio, ne, si spernant exemplum, sæuiùs puniantur; meritò itaque florens Ecclesia, interim detruncatâ synagogâ instituitur.

§. VIII.

Extremi iudicij memoriam, beneficiis suis, tanquam eorundem apicem, Deus cur expresserit.

1986. NVnc altiùs in eodem versiculo examinanda prædicta Patrum explicatio, qui, vt vidisti, sectionem hanc, seu putationem, ad extremum iudicium detulerunt, quasi florenti Ecclesiæ, cuius gratiæ & accepta beneficia recensentur, nihil tunc felicius veneris, quàm postremi iudicij, memoria excitata: hanc illi Christus, tanquam apicem, & cumulum enarratorum beneficiorum, subitò refricauit. id ergo quàm scitè dicatur, latiùs iam expono. Diuersissima erant illorum animalium ingenia, quæ thronum diuinæ gloriæ gestabant, apud Ezechiel. licèt enim singulis quatuor essent facies, tamen, vt colligitur ex *Apocal.* 4. vna in singulis præcipuè enitebat. Hinc ergo rapiebatur Aquila volatu præpeti, inde testudineo gradu bos protenditur: hinc leo sæuienti animo ferociebat, inde homo ingenita mitescit comitate, nec tamen dissentiunt, nec indoles diuersæ, diuersa petunt: imò, (quod alibi in re mortis, ad locum Apocal. ponderauerim) eidem temoni alligata, eòdem destinantur, vt bos iam volare posset, aquila repete, homo leoninas vires sumere, & mitem leo induere humanitatem. miraris? ast ego caussam subodoror, tantæ in tam diuersis ingeniis conformitatis: *& super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum: quasi aspectus lapidis sapphiri: similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper,* cap. 1. num. 26. erat nimirum iste filius hominis, Christus Iesus, iam in habitu iudicis, iam in throno collocatus, qualis iudicaturus est viuos, & mortuos: (quod paulo pòst ex Gregorio confirmabo:) qui sic visus cumulare beneficia illis, quos ad currum gloriæ suæ gestandum vocat: si se eisdem, refricandæ memoriæ, sub habitu exhibeat iudiciali: vnde conformes in officio continenantur. apta huc comparatio Claud. in comitatu Phœnicis.

Innumeræ comitantur aues stipatque volantem
Alituum suspensa cohors, exercitus ingens
Obnubit vario latè convexa meatu:
Nec quisquam tantis è millibus obuius audet
Ire duci: sed regis iter flagrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis
Bella mouent: commune facit reuerentia fœdus.

quasi iam sub tanto præside, spiritus generosiores sumeret columba, & Aquila, officiosâ sedulò mitesceret. Sicut & animalia nostra se temperabant, & sub tanto iudice sibi mutuo obtemperabant. nimirum, commune fecerat reuerentia fœdus. Sed illustris locus exactiùs euoluendus.

1987. Et pondera, quæso, verba, quibus viri iusti, in his animalibus designati, per summum beneficium, all[...]ti tanto muneri describuntur. *& similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper,* ibidem num. 22. Quid enim aut visui iucundius, aut tenebris fugandis accommodatius, quàm crystallum? crystallinus candor oculos allicit, pupillas recreat, lucem perfundit, voluptatem propinat, abigit terrores. quid ergo horroris poterat in hoc crystallo immisceri, vnde metus, vnde pauor tantæ pulchritudini apponeretur? Grauiter iam totum locum explicat D. Gregor. ibi homil. 7. *Sed notandum quòd hoc crystallum, horribile, idest, pauendum dicitur. quis autem nesciat, cuius pulchritudinis sit crystallum? & mirum quomodo in hoc crystallo conueniat pulchritudo cum crystallo? sed omnibus vera scientibus constat, quia redemptor humani generis, cùm iudex apparuerit, & speciosus iustis, & terribilis erit iniustis. quem enim mansuetum aspiciunt electi hunc, eundem pauendum atque terribilem conspiciunt reprobi.* Atqui, inquis, crystallum in hoc loco, non tam impiis, quàm ipsis iustis portantibus fit horribile. Sed quidem inde maximè præsens titulus noster illustratur. concludit ergo Gregorius. *Sed hunc electi, terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non cessant: studiosè enim considerant, quàm terribilis ad iudicium veniat: culpas ante actas deflent, imminentes declinant, pauorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & quando tremendus appareat, sine cessatione suspecti sunt: atque quotidie timendo, agunt, ne quando venerit, pertimescant.* Sic nihil in hac crystallina pulchritudine vtilius, quàm ipse horror: nullâ re magis iuuat pulchritudo, quàm dum pauetur.

1988. Vnde iam capies cur hoc firmamentum crystallinum, non iniectum, quasi violenter, non adactum, quasi impetuosè: *sed extentum super capita.* quasi lubenter susceptum, & comiter suscipiens describatur: nam ideo licèt horribile non deseritur, & quantumuis sit aspectum non fugitur: quia ipso met horrore protegit, & protegens suauiter, hortetur: illumque immissum pauorem, in auxilium cooperiens extendebat. Pergat adhuc elegantior Gregorius. *& quia ipse pauor eius, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subiungitur: extenti super capita eorum desuper. Firmamentum hoc quod in similitudinem crystalli, super capita eorum animalium apparet, & horribile & extentum est: quia bonorum mentes vnde terret, inde protegit.* immiscet ergo Deus beneficiis suis terrorem hunc iudicij, sed protegentem: protectionem hanc suis adhibet, sed horribilem. quia nimitum apud illum, beneficiorum cumulus habetur, hanc memoriam vitiorum præseruatiuam, eisdem met connexam implicare. Sic itaque quos beneficè in gloriæ suæ gestatores euexit, cumulat iudicij memorati beneficio: vt in hoc loco sponsam floribus comptam, eodem cumulauit.

1989. Mira est mystica illa Iosephi, idest, Iesu nostri benedictio: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, & cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes, vsque ad terminum terræ,* Deut. 33. numer. 7. Quis enim vsquam taurum cornupetam, de pulchritudine potius, quàm de frontis toruitate, deque fumo narium, de terrore mugitus, deque arenâ sparsâ pedibus commendauit? aut si è contra, arans taurus describitur: non magis de veneris obesitate, de pectoris latitudine, de tergoris cancellatione, de laboris assiduitate, quæ est eius pulchritudo, quam de ventilantibus cornibus, illustrauit? quid ergo hic, & pulcer, & ventilator, sub typo Tauri, Christus celebratur? visus respondere Tertul.

 ad

ad hunc locum lib. adu. Iud. cap. 10. *Benedicitur in hæc verba. Tauri decor eius: cornua vnicornis, cornua eius: in eis nationes ventilabit pariter, ad summum vsque terræ. non vtique Rhinoceros destinabitur vnicornis, vel minotaurus bicornis: sed Christus in illo significabatur, Taurus ob vtramque dispositionem: aliis ferus vt iudex, aliis mansuetus, vt saluator, cuius cornua essent crucis extima, &c. vnicornis autem media, stipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus, vniuersas gentes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terrà in cælum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cælo in terram.* vt nunquam Christus, quasi taurus cicur & arans, beneuolâ mansuetudine laborans cogitetur: nunquam beneficam segetem triturans & expediens cognoscatur, quin pariter quasi cornupeta, iudiciaria potestate puniens, pœnarum exhibens instrumenta denotetur: quo sic horribilis pulchritudo, & pulcer ille horror nos præseruet. idem in sponsâ præsenti videamus.

1990. Quo vltrà erumperet felicitas huius beata, felix beatitudo, quam dum diuini thalami fruitur consortio, & castissimis affluit voluptatibus? quid enim vsquam dulcius, quid suauius, quàm sic ornatam habere conscientiam, vt Deum hospitem ad requiem inuitet? aut quòd ab ipso Deo in hac vita augustius aliquod beneficium concedi, quàm serena hæc tranquillitas reputabitur? audi tamen eandem de se loquentem: *in lectulo meo, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea*, 3. Cant. numer. 1. lectulus ne erit, & non magis peramplus lectus, qui tantum capit hospitem, qui iam profusam ministrat tranquillitatem? & vnde ad has angustias, augusta hæc conditio coarctatur? respondet ibi Gilibert. serm. 2. *Gloria nostra est, inquit Paulus, testimonium conscientiæ nostræ: suaui certè se collocarat in lectulo, nihil, ait, mihi conscius sum. Sed quantum illum dilatat, & extendit, magis istum arctat, & contrahit: sed in hoc, inquit, iustificatus non sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Vides quomodo Paulus audet, & dicit cor nostrum dilatatum est? vides quomodo gloriam & testimonium conscientiæ, diuinæ coarctat respectus sententiæ? bene ergo lectulus, mens secura, sed minimè superba: quieta, non elata: bona de se sentiens, sed alta non sapiens: magis autem suspectam semper habens, incerti noctem iudicij.* quasi nesciat serenitas hæc per summum beneficium concessa, nisi sub istâ trepidatione conseruari: vt inde donum crescat: vnde eius custodia pariter adhibetur.

1991. Nulla vnquam beneficentior legatio, nullum largius Creaturæ factum beneficium, quàm quæ allatæ Mariæ, quàm quod virgini collatum: *Aue*, inquit Angelus, *gratiâ plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1. numer. 28. Quid tunc illa? *cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio*, ibidem numer. 29. virguncula & pudentissima, & prudentissima, ad iuueniles Angeli non pauet conspectus, & de salutatione blandâ totâ & beneficâ perturbatur? ne mireris: puto nunquam Maria gratiam accepit, quam pariter supremi iudicis memori reuerentiâ non fulciret. In præsenti ergo cùm plenitudinem gratiæ sensisset, non poterat, totum quodammodo iudicem non sentire: inde ergo reuerenter timet, inde perturbatur serenè, vt in salutationis donis semper foret secura: quæ de quouis aspectu erat securissima. fauere videtur Chrysol. hîc; serm. 140. *Quid est quòd personam videt, & de sermone turbatur? quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, diuina repromittens: vnde & virginem quam leniter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus, & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto pondere mittentis authoritas; & quid plura? mox sensit in se supernum suscipi iudicem, vbi ante iam cælestem vidit & contemplata est metatorem.* quasi tantus metator Angelus, qui mansionem verbo præparabat: dum summum virgini nuntiat beneficium, necessario illi tam Deum iudicem, quàm Deo filium intus insinuaret: vt illius memoriâ, huius amorem arctiùs retineret.

1992. Vix itaque Christus Dominus redemptionis apparat beneficium, quando simul quasi eiusdem apicem, memoriam iudicij immiscet. nihil igitur mirum, si deinde penè in omnibus & mysteriis suis, & beneficiis nostris, eandem sæpiùs curet iterandam. Præmittit ille sibi diuinum Præcursorem, & addit Matthæus de isto, *& venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, cap. 3. numer. 3. non poterat celebrior Prophetarum locus huc adduci, quàm is, vbi Præcursor, non tam cursu, quàm præconio, & hoc quidem clamoribus vehementiori, munere suo functus celebratur. Præcedebat nimirum quod nemo nescit, olim semper iudicem præco, qui pro iudiciorum seueritate attollebat clamores. fit igitur Præcursor, præco: quia non poterat efficacius & suauiùs extorquere pœnitentiam, & dandæ veniæ stabilire beneficium, quàm iudicij memoriâ excitatâ. Eusebius Gallic. homil. 1. de Bapt. *Ego vox clamantis: idest, vt vox tangat aurem, clamor penetret mentem: ego vox clamantis: vox præconis iudicem loquitur: clamor iudicium comminatur.* Sic securius, publicati suscipiendique Dei hominibus, beneficium: si vtili timendi iudicis memoriæ admiscetur. idem ferè habet Ambrosius serm. 60. ibi. *vt ad fidem consequendam, vox aures penetret, clamor corde concutiat: vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur.*

1993. Memoriale fecit beneficiorum mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: cecinerat David, nimirum, quia escam Eucharisticam dederat se timentibus: sed in hoc amplissimo beneficiorum epilogo, quàm largus catalogus iudicij permiscetur. nunc satis celebris & notissimus Pauli locus. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*, 1. Cor. 11. numer. 28. Si sapis, triplex hîc iudicium condistingues: vnum, quo se quisque probat: aliud, quo reprobatur indignus: tertium, quo Dominica, in tantâ dignatione, dignitas comprobanda, & quorsum id? tria enim hæc eò recurrunt, vt extremi iudicij memoriam refricantia, rectè exerceantur. ideo additur statim numer. 31. *Quod si nos metipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* ad quem locum D. August. lib. de Pœnit. adductus à D. Thomâ. *Versetur ante oculos nostros, imago futuri iudicij, & ascendat homo aduersum se, ante faciem suam: atque constituto, in corde, iudicio: adsit accusans cogitatio, & testis conscientia, & carnifex timor. inde quidem sanguis animi confitentis, per lachrimas profluat*

profluat: postremò ab ipsa mente, talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet, participem corporis, & sanguinis Domini. Itaque tunc dignus accedis, cùm de humilitate reputas te indignum: nunquam tamen te talem reputabis decenter, nisi iudicij memoriâ suffragante: quam ideo Eucharistico beneficio Deus coniunctam voluit, vt illud conseruetur acceptum, neque in condemnationis iudicium accipiatur.

1994. Institutâ iam Eucharistiâ ascendit Christus in Crucem, & ibi beneficæ misericordiæ thesauros adaperiens, piæ prodigalitatis prodigio, interiori luce irradiat latronem. Imaginare, quæso, miserum cruce distentum, corpore rigescente, decidentibus brachiis, licet suffixis: tumentibus cruribus, pectore anhelante, languescente ceruice, vultu pallido, ore liuido: linguâ inter constrictos dentes, & concretas spumas acrescente: fronte exsudante, crinibus hinc arrectis, inde cruoris pædore conspurcatis: oculis obstupescentibus, naso denique extenuato. crederes atrocibus his pœnis, à Domino, quem iam agnoscebat, opem postulaturum: sed pende preces, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 42. sed prætereo, quòd opem non postulet: illud miror, quòd non tam euntis in cœlum Christi, quàm venturi sic faciat mentionem. scilicet, maius aliquid timet futurum, quàm quod patitur præsens: vnde illius apprehensione, huius curam deponit obliuiscens. ita est: prima noui accepti beneficij lux, memoriam secum venturi iudicis attulit: vt illâ vehementiùs stimularetur ad quærendam veniam, & deinde promisso paradiso, acceptam gratiam vigilantiùs custodiret. Grauiter Eusebius Gallicanus hom. de B. latr. *Non dixit, si Deus es, de præsenti supplicio eripe me: sed magis, quia Deus es, de futuro iudicio eripe me. quàm citò eum repleuit S. Spiritus eruditio, per quam futuri examinis diem cogitauit, intolerabile probat esse, quod metuit. prædicat sæculis iudicem, regemque sæculorum.* vt iam nos à tanto prædicatore discamus, pro apice beneficiorum omnium, iudicij memoriam amplecti: quâ & culpas fugimus, gratiam seruamus, & temporales pœnas parui pendimus. dum de summo terrore solliciti, culparum irritamenta non curamus: pœnarum cruciamenta vix sentimus.

1995. Resurgit idem Dominus triumphator, & nuntium tantæ gloriæ expediturus, eundem sic componit: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix*, Matth. 28. num. 3. At quorsum horror fulguris in lætitiâ tantâ? vt iam tunc festiuus nuntius, etiam supremi diei horrorem præ se ferret: quo & iusti de candore recreati, si minus terrerentur, saltem recolentes memoriam supremi iudicis, filiali timore, nuntium sui tremerent, (verba sunt Chrysol. *serm. 75.*) & reuererentur, auctoris. Quid ni enim iudicem formidabilem præsentirent, ad cuius typicum nuntium, impij velut mortui facti iacuerunt? Sed audiendus ibi Gregor. homil. 21. *In fulgore terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris. quia verò omnipotens Deus, terribilis peccatoribus, & blandus est iustis: rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur: vt de ipsa sua specie, & terreret impios, & mulceret pios.* & post aliud ad eiusdem rei exemplum, sic concludit. *Omnipotens Deus & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis: istos in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudinem demulcet: illos verò per iustitiæ adstrictionem terret.* sic nec etiam inter resurrectionis festiua gaudia, gladius iudicaturus obscuratur.

1996. Maius est quod dixerim: nec etiam triumphalis ascensio, inter Angelorum festiuas choreas, organa resonantia dulces cœlorum plausus, & supremi Patris amplexus dulciores cessat ab hac memoria. Desiderante vultu, hianti ore, oculis inconniuentibus intuebantur Apostoli cœlum, quo dulcis eorum thesaurus rapiebatur. ad quos tunc Angeli: *viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Act. 1. num. 11. O miram, in tantâ affectuum teneritudine, seueritatem! & quid intuentes reprehenditis, beati Angeli? rapitis vobis vnicas hominum delitias, cœlo absconditis amorem suauissimum, & vel etiam immobilem intuitum denegatis? an non meritò detinentur oculis insequentes, quem è mediis ereptum condolent visceribus? Vide quid statim subdant. *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum, euntem in cœlum.* quasi dicerent: qui iudicem expectant, non stant otiosi, sed seduli recurrunt ad laborem, & nec breuissimum momentum impendunt, nisi in rationibus suis, quibus caussæ satisfaciant, componendis, cætera omnia abiiciunt: hoc vnum curant. Quid ergo statis? quid non satagitis, qui Iesum venturum iudicem agnoscitis? De aduentu in iudicium locum explicauit D. Cyprianus *homil. de Asc.* post multa. *Ad hæc quæ prædicta sunt restat iudicium, & examinationi vltimæ, adhuc reseruant antiqua oracula locum*, &c. *hoc & duo Angeli, Christo ascendente testati sunt, quia qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus, & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conspuerat, & prolatâ in medium inflexibili sententiâ, occurrentibus Saluatori electis, remanerent impij infinitis deputati suppliciis.* Certè inter tot beneficia, nouum beneficium erat, desiderantibus oculis, affectibus anhelantibus, leuamen promisso reditu afferre: sed & huius apex, reditus ad iudicium apponitur, cuius memoria de cætero componantur.

1997. Hinc sanctus Iob postquam ad maiorem Dei gloriam, longum virtutum suarum catalogum recenset, quas pro summo à Deo acceperat beneficio, illarum & caussam, & custodiam apponit statim: *semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui*, cap. 31. num. 23. vbi D. Anton. de Padua *Dom.* 13. *post Trinit.* ex doctrina, imò & verbis Gregorij. *Cùm fluctus desuper eminent, nulla tunc cura rerum temporalium nauigantibus, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia sumpserunt.* ac si hæc sola memoria, Dei scilicet, iudicis venturi, virtutes in officio contineret: neque virtutum suarum beneficia concedat Deus, quin pariter hanc earum custodiam adiuisceat. At, si futurum, inquis, erat iudicium, si iudex non tam ingruens, quàm venturus timebatur: cur iam quasi de præsenti, eius pondus intolerabile iudicatur? Respondet grauiter B. Gregor. Moral. 21. cap. 17. *quoniam qui extremi iudicij aduentum intentâ mente considerat, profectò videt, quia tantus pauor imminet, quantum non solum tunc videre, sed se etiam nunc præuidere pertimescat: consideratione namque tanti terroris, metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, intueri quod præuidet, recusat. Bene ergo dicitur, & pondus eius ferre non potui: quia cùm supernæ maiestatis vim, ad iudicium venientis, terroremque tanti examinis, considerando animus conatur exquirere;*

mox

mox ad semetipsum recurrens, sese expauescit inuenire. Si ergo semetipsum expauescit animus: quid ni illa omnia proiiciat, quæ imprudens pararat, vnde sic sibi deformior apparet? felix pauor, qui futurum reprimet pauorem: fausta sui fuga, qua postea se inueniet beatissimum.

1998. Claudo tandem hanc rem. Inundat orbis aquis diluuij, priùs scelerum vortice demersus, & è tantâ confusione, pauci solummodo in arcâ liberantur. redit tandem solitis suæ teneritudinis visceribus, diuinus Amor: pœnitet illum quodammodo indictæ pœnæ, & nouum beneficiorum diluuium, quasi ad delendam prioris illius memoriam obducit, & tandem addit, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*, Genes. 11. num. 13. Si ab splendoribus cœli signum petitur, cur non è sole, & luna? aut quid in iride gratius, vt in tanti testimonium fœderis assumatur? nimirum, quia variegato colore, nunc cærulus, maris vndas stillare, nunc rubens, flammas ignis videtur scintillare, & quid tunc mysterij? D. Gregor. homil. 8. in Ezech. *In arcu eodem, color aquæ, & ignis simul ostenditur, quia ex parte est caruleus, & ex parte rubicundus: vt vtriusque iudicij testis sit, vnius videlicet facti, & alterius faciendi.* quasi iam foret beneficiorum cumulus, si extremi iudicij memoriale perpetuum stabiliretur: vt futuri timore sequens generatio eas culpas præcaueret, quibus præcedens meruerat præteritum. Hæc satis, vt intelligas quàm aptè Patris Ecclesiæ floribus conseruandis, extremum iudicium inculcatum coniunxerunt.

§. IX.

Iustorum patientia, voluptuosa: ad nouos dolores identidem inescans.

1999. BReuiter caput tertium recurrendum. lamentatur in primo versiculo sponsa dilecti sui absentiam, quam, degusto sibi eiusdem splendore, noctem vocat: *in lectulo meo, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* noctem fatetur, absentem se deplorat, quærit fugacem, nec inuentum quæritur sponsum, & tamen *in lectulo* quærit, idest, in requie, & voluptatis loco commoratur: nimirum laborem patiebatur, sed dulcem: laborem tolerabat, sed nullâ voluptate compensandum. Gilib. serm. 2. *Delectabilis lectulus est, de quo legis in Prouerb. secura mens quasi iuge conuiuium: foris nox, foris tribulatio: sed tranquillitas intus, quasi quietus lectulus quidam. Non est hîc illud lamentabile dicere: foris interficit gladius, & domi mors similis est. imò foris gladius est, intus gaudium. Spe, inquit, gaudentes in tribulatione patientes ad noctem tribulatio refertur: ad lectulum, spes & gaudium.* Quid ergo mirum, si ab hoc lectulo, mœstitia exularet: si ibidem festiuior exultaret sponsa? patiendi scilicet materia, sapit illi, dum dolet: vngit gaudio patientem, dum pungit gladio.

2000. Erectum patientiæ trophæum iacebat Iob, in sterquilinio: sed summa in tantis doloribus voluptate. pende illud. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus*, cap. 17. num. 14. at vnde ad putredinem, & vermes, tam arcta consanguinitatis analogia? puto, quia non suauius inter paterna oscula, in gremio materno, & inter fraternos amplexus, alij conquiescunt, quam Iob patiens, in tormento durissimo delectabatur. fortasse huc respexit Tertul. *de Pat. cap. 4.* vbi ita de Iobo. *Quid? ridebat Deus. quid? dissecabatur Malus. cùm Iob immundam vlceris sui redundantiam, in magnâ æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* pende verba. Vlcera mundat, pus distringit: vt plus carnis viuæ, bestiolis indulgeat, & gratiorem præparet habitationem iis, quas parentum, & fratrum loco adamabat. sic corridens ridenti Deo arridet: sic hilariter sectus, Dæmonem dissecabat. quid ni ludum putet dolorem, qui voluptuosè doloribus inludebat.

2001. Restituuntur tandem Iobo, bona duplicia: solummodo in filiorum restitutione defuit duplicatio. vnde dicitur: *& fuerunt ei septem filij, & tres filiæ*, cap. 42. numer. 13. quid ita? quia ex priscâ voluptatis impatiendo, experientia inescatus, cùm facillimè posset exorare, non orauit, vt cum his septem denuo sibi datis, defuncti illi priores resuscitarentur: quia sic dulci escâ olim punctus, sine voluptuoso aliquo dolore viuere nolebat. Tertul. citatus. *Et si filios quoque restitui voluisset, Pater iterum vocaretur: sed maluit in illo die reddi sibi: tantum gaudij, securus sic de Domino, distulit: sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliquâ patientia viueret.* neque enim obstat, quòd alios recepisset: quia orbitas, & desiderium illorum quos nouerat, quibus olim fruitus, necessariò paterna viscera puncta sollicitarent. Decimus quartus est annus, quo sic locum, inuito Pamelio, (qui immeritò Tertulliano ἁμάρτημα μνημονικὸν affingit) putabam explicandum. quem deinde gaudeo Cerdæ iudicio assertum, & confirmatum. lege. noluit ergo Iob, sine aliqua patientiâ viuere: nam voluptatum felicitatumque præsentium, hinc sibi aucupandum sperabat salsamentum. Sed pende obiter illud: *maluit in illo die reddi sibi.* die scilicet iudicij, vt notant interpretes. Alludit ergo absque dubio, ni fallor, Tertullianus ad verba Pauli 1. Timoth. 4. numer. 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* quasi quos filios dilatabat tunc Iob, litans patientiæ, postea eumdem essent coronaturi: dulcem doloris voluptatem, cum aspectus sui voluptate in gloria commutantes, & propterea iustissimâ corona.

2002. Pergit Abraham filium immolaturus: neque, fracturus voluptatis suæ speculum, à diro naturæ spectaculo deterretur. nulla exhibet naturalis doloris signa, quæ non spiritus perturbationem, sed saltem naturæ innuerent fragilitatem. Quis non miratur, vel etiam primos motus, sic repressos? is qui nouerit, nec primos doloris motus in illo resultare, qui virtuti assuetus, fidei constans, in spe contra spem fixus, totus à gaudio patiendi pro Deo absorbebatur. Chrysol. serm. 10. *Aries Abraham, maturus ad innocentiam, grandæuus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum, afferebat filium suum, filium arietis*, Psalm. 27. *imò se immolabat filio. Sanctificabat in mentem suam, lætificabat fidem suam, vt esset idem victima, & Pontifex.* Non aureus, sed gemmeus, hîc Chrysologus. Auaritia, occasione lucri: spe veracitatis, gula: honoris ansâ, ambitio lætificatur. At virtus & fides Abrahami, vnâ patiendi, & probandi sese materiâ exhilarescit.

exhilarescit. Sic interior lætitia, & virtutum chori, triumphalis tripudiatio, in exteriora etiam redundans: si quæ surgerent tristitiæ nubila, discutiebat.

2003. Hæc summa in patiendo voluptas, etiam foras erumpens, ita vt sine illâ cæteræ voluptates, tanquam absque salsamento desipere videantur: aperte ostendit verbis eiusdem sponsæ, *cap.* 1. *num.* 13 vbi ita. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Amantium munuscula siue flores sint, siue amatoria poma, imò & myrrhæ: vberibus, amoris & voluptatis sedibus applicantur, absconduntur. vide multa *lib.* 1. ibi. Sponsa ergo amaram Christi myrrham, & patiendi materiam non refugit, imò amplexatur, & in delitiarum loco, tanquam delitias collocat iucundiores. Sed tu mihi nota emphasin Græcam in hoc loco. ἀνὰ μέσον τῶν μασῶν μου, αὐλισθήσεται. verto *in medio vberum meorum castrametabitur.* etenim αὐλίζομαι, licèt simpliciter vsurpetur pro *commorari*: tamen propriè significat, *castrametor*, in statione sum, & similia ferè militaria. quasi sola voluptas patiendi sit firma, armata, & contra hostiles secura congressus. Potest etiam non per verbum depones, sed per medium, ab αὐλίζω locus capi. quasi dicat: *inter vbera mea, tubâ canet.* voluptas enim patientium pro Christo omni tubâ elatior diuinas aures ferit: horribilior dæmonem prouocat, signantius instituit mortales: quandoque enim tanta est, vt foras erumpat, & veluti immisso sono manifestetur.

2004. Laborum oppressus pondere, furorem regnantis fœminæ fugians Elias, vrbes deserit, quærit solitudines, & additur statim: *cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur*, 3. Reg. 19. num. 4. ita ne? defatigato nimis corpori, quando non aptius stratum, non lectus blandior, quam campus præparatur: at saltem non molles cespites, non herbidum prati gramen sterneretur? quid senticosæ iuniperi pungentes ramos, & grauem (vt nemo nescit) vmbram captas o Propheta? respondet ibi Odo de Morin in Silua. *qui quiescit, quiescat in vmbra iuniperi vt sub lege disciplinæ, in exercitio virtutis gaudeat, non respiciens vanitates, & insanias falsas, qui omne gaudium existimat, cùm in tentationes varias inciderit, oriatur in tentationibus, pro effectu earum: in secrete dormit, in vmbra iuniperi, in locis pungentibus.* Patitur itaque sæuissima Elias: sed dum in omnibus requiem quærit, solùm in eisdem afflictionibus, tanquam in Domini sui hæreditate requiescit: in his solùm hilaris moratur: inescatus enim præteritis, nouas aucupatur.

2005. Redeat iterum beatus ille latro, de quo superiori titulo dicebamus. affixus erat, pœnâ distortus, cruciatus sæuissimè, & solùm, vt dixi, in futuri iudicij terribilitatem, capiat remedium, dicens: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum* Lucæ 22. num. 42. At vnde tam sæuæ pœnæ, quando mentem non adimant, saltem non hebetant? vnde tam viuidi sensus, in tam aspero supplicio si necessariis attendendis relinquebantur? sed pœnæ quidem, iam tunc leuiores, omnino temperatæ, & vnde id? Grauiter Eusebius Gallicanus supra citatus. *Gloriosâ voce præsentes temperat cruciatus temperat, diximus: quia & si pœna cœperat in latrone, nouo genere consummatur in martyre. hic cruci ligno clamat, sed iam tempora retributionis abs[t]ratat.* pulchra gnome. scilicet iam dulcius illi pati ad temporis, quàm si statim fidei præmia reportaret. vnde sonora voce *abstentat*, idest, dilatat retributionis tempora, in regnum futurum, in venturum imperium, vt diu præsentis fiat particeps passionis: quasi sic breui illo spatio inescatus, vt vsque ad extremum iudicium in cruce permanere, sibi fore dulcissimum profiteatur.

2006. Neque mirum, iam enim tunc beatus latro, vt notat Gallicanus, patiebatur vt Martyr, Commartyr Christi. prudenter Tertul. *Apol. cap.* 1. postquam latè, mali alicuius explicat naturam, nimirum id esse, quod omnes fugiunt, & à se cupiunt depellere: inde ergo, religionis Christianæ gloriam ita infert. *Christianus verò, quid simile? neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè, retro non fuisse: si denotatur, gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus, vel vltrò confitetur: damnatus, gratias agit. quid hoc mali est, quod mali naturalia non habet, timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem? quid hoc mali est, cuius reus gaudet, cuius accusatio votum est, & pœna felicitas? non potes dementiam dicere, qui reuinceris ignorare.* acutè. cùm enim in fide nihil mali appareret, solum poterant Ethnici, fidelium in laboribus, & tormentis horribilibus hilaritatem, ad genus quoddam dementiæ, detorquere: quod tamen probare non poterant, cùm amentiæ illius naturam, vbi tot mira videbant, ignorantes obstupescerent: atque quid illud esset mali, in quo nulla mali conditio inuenitur, penitus ignorare reuincerentur. Sed certè cordata erat amentia charitatis, quæ laborum pondus releuat, commutat hilaritati pœnas, & condemnanti iniustè inimico, tanquam amico benefico gratias agit.

2007. Cape hinc quid sit illud Prouerb. 18. num. 17. *Iustus prior est accusator sicut. venit amicus eius, & inuestigabit eum.* L X X. vertunt. *Iustus sui est accusator à principio sermonis: cùm verò adiecerit aduersarius, arguitur.* habes felicem vtriusque explicationem apud doctissimum nostrum Salazar. Sed quæro adhoc, cur is, qui apud vulgatum interpretem, *amicus* dicitur, in Græco appelletur, *aduersarius*? putaremque ita dici, quoniam iustus, eà voluptate in laboribus, in simulationibus, & tormentis, pro Christo perferendis perfundatur, vt eundem, qui se illi præbet aduersarium, amicum iucundissimum arbitretur. Nil igitur mirum si sponsa in hoc loco in ipsis mediis tribulationum noctibus, tanquam in suauissimo lectulo conquiescat, si externum gladium, interiori gaudio compenset. grata itaque & voluptuosa, nox tribulationis, fidelibus & quidem huiusce rei typum, crediderim, id quod egredienti populo Israelitarum, euenit olim. *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam: per diem in columnâ nubis, per noctem in columna ignis*, Exod. 13. num. 21. cur enim, non per stellam, aut quid simile interdiu ducebantur? cur si fortè dies hyemali tempore (quod passim euenit) caligaret, non pulchrior, & clarior dux itineris præbebatur? cur hybernis nubibus, adiecta nubes, & suppar terris vmbris, vmbraculum obuoluatur? certè hæc omnia, illis, vt ait Apostolus, in figurâ contingebant: nouam autem huius figuræ veritatem, aperit hîc ad rem nostram Stephanus Cantuariens. in Sylua allegor. *Ignis lucet, nubes verò obscura est: per diem prosperitas, per noctem aduersitas designatur. Nubes ergo est in die, & ignis in nocte quia prosperitas obscura est iustis, & aduersitas clara.* Nox tribulationis, illuminatio iusto, in delitiis suis: humanæ felicitati diem, quidquid clarissimus

clariſſimus videatur, reputat nebuloſum. totus mœſtitiæ nubibus obuoluitur, dum humanâ proſperitate detinetur: cui ſola dulcis aduerſitas, & lectulus ad quietem iudicatur.

§. X.

Dæmon callidus magis, quàm fortis: fraudes ſubſtituit, viribus deſtitutus.

2008. CVſtodes diuini lectuli, ideſt, Eccleſiæ ſanctiores, qui ad bella ſpiritualia doctiſſimi, ſic in hoc *cap.* 3. *num.* 8. deſcribuntur: *vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* mortificandis, inquiunt interpretes, carnis affectibus, qui vtplurimum in ſacrâ paginâ, in femore ſignificantur. Sed tunc non tam *ſuper femur,* quàm, *propter femur,* geſtatio gladiorum erat explicanda. cautior ergo Gilibertus ibi ſerm. 16. *Super femur, non propter femur, ſed propter timores nocturnos. fortè, quia non eſt illis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, qui ſignantur in femore: ſed aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.* vt intelligamus magnopere nobis arma, contra inſidiantes, & noctu venturos Dæmones, id eſt, occulta ſagacitate pugnaturos, eſſe præparanda. neque enim interdiu, ideſt, palàm, audent decertare, quia timent, à iuſto facile ſuperentur.

2009. Seminauerat quidem Deus in corde humano ſemen ſalutaris doctrinæ ſpecioſiſſimum, & donis gratiæ irrogatum, in ſegetem vberrimum prouenturum. Quid tunc Dæmon inuidus? *cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superſeminauit zizania in medio tritici, & abiit,* Matth. 13. num. 25. Nota hebraiſmum apud interpretes, *cùm dormirent homines,* ideſt, nocte concubiâ, cùm orbis totus ſomno immergeretur. hæccine apta hora zizaniis ſpargendis, quæ appoſitè magis interdiu ab interpolatore ſuperſeminanda videbantur? apta nimirum hora, ſed Dæmoni timidiſſimo: non vigilantes, imò nec oſcitantes, ſed profundo ſomno immerſos audet aggredi: deinde abit illos fugiens, à quibus excitatis, ſcit profectò ſe facile ſuperandum, & cùm ſpecioſa victoria ſit, quæ manifeſtè reportatur: quia fragilis, & ignauus Dæmon, non vt vult, ſed vt poteſt, hoſtem lædit. Chryſol. ſerm. 97. *Inſidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes. fortis conflictum petit, prouocat palam: ſpectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam, maximum infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe,* vbi plura de hoc loco. Neſcit ergo vigiles inuadere, è quorum ſcit ſe manibus non poſſe euadere. inſidiatur in abſcondito, prædam facturus, ne præda fiat.

2010. Ita eſt ab ipſis mundi incunabulis, Dæmon ſagacitatem induit, vt fragilitatem inſitam obuelaret: ſumma in eo fraus, quia ſumma fragilitas reperitur. Ideo contra Euam non tam leo fortis, quam *callidior ſerpens*, Geneſ. 3. num. 1. decertauit. Dubitarunt iam multi cum Alcuino *quæſt.* 15. quomodo nam potuerit Eua, Dæmonis verbis ſerpentino deliteſcentis habitu fidem habere. Ego autem vlteriùs addubito: vnde nam proſtrato iam Dæmoni, & è cœlis præcipitato, tantum audaciæ, & ſuperbiæ tantum, vt dilectiſſimas Dei, & interim robuſtiſſimas gratiâ creaturas inuadere præſumeret? & ex Alcuini reſponſione, mihi etiam ſolutio accommodatur. *Forte,* inquit, *antè inerat menti illius, amor quidam propriæ poteſtatis, & quadam, de ſuperbia, præſumptio: quæ per illam tentationem, fuerat vincenda, & humilianda.* & quidem ſi ita eſt, iam Eua hâc ſuperbia fragilior, & quodammodo ſui oblita, neque præcauens. id abſque dubio ex aliquibus indiciis præuidit Dæmon: alias non auſurus, nec animos tentandæ fœminæ habiturus. ideo & porrexit pomum, & vmbratilem promiſit quandam diuinitatem: quaſi per ſe non ſatis ad ſcandalum, niſi inſtrumenta alia, & irritamenta admouiſſet. Chryſol. *ſerm.* 27. poſt ſcandalum Dæmonis deſcriptum, erga Protoparentes. *Tertium genus eſt ſcandali, quod nobis noſtris generatur in ſenſibus: cum fallimur oculis, cùm decipimur, auditu, capimur odore, & ſapore vitiamur. vnde Eua vetiti & lethalis cibi, ſic guſtu eſt ſauciata, ſic viſu.* quaſi Dæmonis vis, & ſcandalum, de ſe fragile: niſi ſenſualitatis ſcandalo roboretur.

2011. Huc collimabat Dauid Pſalm. 128. num. 2. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi: ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* ideſt, ictus, ſuperictus, dorſo intulerunt: vt noſti. At qui, exclamet aliquis meritò, ſanctiſſime Vates, Rex fortiſſime! glorioſa aduerſo pectore excipiuntur: quæ auerſo infliguntur probroſa denotantur: tergo accepta vulnera, onerant, non honorant. ideo Marius ad Romanos ita. *Non poſſum fidei cauſâ imagines, neque triumphos, aut conſulatus maiorum meorum oſtentare: at ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia militariâ dona, præterea cicatrices aduerſo corpore. hæ ſunt meæ imagines, mea nobilitas.* & reliqua, quæ ſequuntur apud Salluſt. Quid ergo iuſtus, non tam aduerſi corporis, quàm vulnerati dorſi exhibet cicatrices? an non iſtæ dedecoroſæ? planè verum id, ſi terga vulnerata, propter pugnantis fugam meticuloſam, non propter inuadentis ignauiam inſidiantem. Dederat ſæpius vir iuſtus, aduerſum pectus hoſtibus, à prima iuuentute: oppugnarant, non expugnarant: nam in Vulgato noſtro, verbum expugnandi, pro oppugnatione poni, ex Græco in Sixt. conſtat: quid inde? cùm apertè non poſſent hoſtes, ex inſidiis, terga iuſti inuadunt: retro feriunt, premunt, non opprimunt. vnde non minus hæ tentationes hoſtium fragilium, iuſto glorioſæ, quàm decora repulſo apertarum. D. Zeno Veron. *ſerm. in hunc Pſ.* licèt non tam Dæmones, quàm dæmoniacos intelligat miniſtros. *Mos eſt eorum, qui nequaquam longis, atque aſſiduis prœliis præualent: vt victorem exercitum, & firmis agminibus incedentem, à tergo adeant, & dorſo, ſicubi iam prætereant machinentur inſidias. illic dolos fabricant, illic omnia inſidiarum artificia exercent. ita & peccatores, tentatos incaſſum fideles viros, euntes in veritatis viâ dorſo adeunt, inſidiantur dorſo, dolos concinnant, & idcirco ait: ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Sic Dæmon peccatorum dux his vtitur miniſtris, quos non fortiùs poteſt roborare; quia nec ipſe aliter poteſt ſuperare, niſi ex inſidiis, & dorſo inſiliendo.

2012. Occurrerunt aliquando Chriſto Domino duo homines plura dæmonia habentes, vtpote quæ totum gregem numeroſiſſimum porcorum poſtea occuparût, *Matt.* 8. *n.* 28. tunc Dæmonem alterius locutus Chriſtus, ait: *Quod tibi nomen eſt?* Marc. 5. n. 9. Sed quorſum Dæmonis nomen interrogatur? aut quæ nobis ex eorum reſponſione vtilitas ſpectetur? Certè non ignorabat nomen Chriſtus: ex illius tamen manifeſtatione, haud paruus nobis prouentus captabatur. Vide, quid reſpondeat: *legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.* nullâ enim re magis ignauia formidoloſa Dæmonis declaratur, quàm

dum

[illegible] non ausus vnus, congredi cum [illegible] ad pr[illegible] o duellum, inu[illegible] [illegible] dic[illegible]eres legionem, quæ [illegible] [illegible] insidias collocaret. D. [illegible] *Quando ad duos homines, dæmonia* [illegible] *gnificat conueni[illegible] hoc* [illegible] *dæmones, non timen*[illegible] insidiarum sagacitate, non [illegible] ndi. Insimulabat Iuno [illegible] aut [illegible] que dolis Didonem de[illegible] ud Maron.

[illegible] *memorabile nomen,*
[illegible] *vicla duorum.*

[illegible] dæmonia: sicut & [illegible] hæ magis, in legio[illegible] que non iam probandis [illegible] locandis: quia tantum[illegible] ialen[illegible] iantia.

2013. [illegible] pietatis [illegible] lis agitatus, malè [illegible] citatus, Christum [illegible] *miserere filio meo, quia lunaticus* [illegible] numer. 14. acci[illegible] me icus; & [illegible] *dæmonium, & curatus est* [illegible] falso lunaticus paren[illegible] moniacus putabatur. [illegible] fluxibus dissimu[illegible] Origenes in Car. [illegible] *& sic operatur. & ab* [illegible] *mentiatur: & per hoc* [illegible] *aly Dæmones, secun*[illegible] &c. Addo ad rem [illegible] bi velo se dissimulare; [illegible] buebatur, contra la[illegible] stis infis[illegible] exorcismis & piis pre[illegible] [illegible] decertaretur. habe[illegible] mum luiulce mentis testimonium

2014. [illegible] at totus [illegible] miseram fœmellam, [illegible] est, quod dicitur [illegible] num. [illegible] *ce mulier quæ habebat spiritum* [illegible] *& erat inclinata, nec* [illegible] *icere,* &c. putares beni[illegible] em mitiorem, qui solâ in[illegible] ne mulierem vexabat: nec [illegible]m, de more sanguinolentis spu[illegible] rudeliora innatæ sæuitiæ exhibens [illegible]ia. Sed certè, non tam mitis conditio, [illegible] me us erat: erat ipsius Dæmonis iners igna[illegible] apert[illegible] fœminam delicatam torquere non [illegible] ne ab ipsa orante, aut à Sacerdotibus ad[illegible] us fac[illegible]e superaretur nouit callidum, sed [illegible]m stratagema. Chrysolog. sermon. 105. *In medio* [illegible] *usum portabat mulier hostem suum: sed hostem tune[illegible], vt propellerent, non videbant. Ars nequissimi spiri*[illegible]*, orporis necessitas credebatur: vt prædo callidus te*[illegible]*aptiuam dolo, quam tenere viribus non valebat.* [illegible]*us nihil esset, si essent sollicitiores homines, & cau*[illegible]*tiore, aut quid in homine vnquam præualuit ille virtute, nisi* [illegible]*, mendacio, insidiis, fraude, dolo, nequitiâ, vitio*[illegible]*rum* [illegible] *errore, furore criminum?* omni quidem infir[illegible] [illegible]t morbo, omni ægritudine languidior; qui sub ægritudinis pallio delitescens, non tam superabat fœminam, quàm ne superaretur ipse, abscondeba[illegible] [illegible]s caussam, cur contra *timores nocturnos*, id [illegible]rum p[illegible] armentur duces nostri, [illegible] e quos nou[illegible]idos: nec nisi ea insidi[illegible] [illegible] noctu deuentu[illegible]

[illegible] *inus in Cantic.*

§. XI.

Patrati delicti confessio; impetrandæ iam veniæ sit Professio.

2015. Venio ad cap. 4. vbi expendo encomium illud Christi ad sponsam: *sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum dulce*, numer. 3. vbi Gilibertus *sermon. 24.* post multa de accenso, & accendente igne horum labiorum: sic concludit, ex ore Christi. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & sponsus tuus diligit illud: osculare me osculo oris tui, quia pulchra sunt labia tua, sicut vitta coccinea: osculandi siquidem desiderium, labiorum innuit commendatio.* Putarem, licèt aliò tendat Gilibertus, etupisse intestinam, ad os, febrim, & ignem culpârum latentem, in labiis reuelari: quæ proinde non iam de fœdo tumore rubra, & pustulenta, quàm de pulchritudine, coccinea, pacificâ iam osculorum dulcedine, Deum trahunt: quid ni enim ab his labiis, eloquium confessionis dulce hauriatur? ideo Hugo Cardinal. ibi. *sine eloquium sponsæ dicatur prædicatio, vel doctrina, vel oratio, vel laudatio, vel peccatorum confessio, dulce est: quia de fonte dulci, id est, de corde deuoto procedit.* Purificatur enim cor, emissâ ad os febri: & eiusdem labia flammantia confessione, rubescere dulci cocco, & ad oscula suauissima Christum inuitare existimantur. Notum, sed elegans huc illud Ambros. *in Psalm. 26.* vbi expendens illud Dauidis, *dolor meus in conspectu meo semper*, Psalm. 37. numer. 18. ita habet. *Non vult latere sua delicta: nam vt febres in alto sitæ nequeunt mitigari, cùm foras eruperint, spem afferunt desinendi; ita peccatorum morbus dum tegitur, inardescit: si confessione proditur, euaporatur.* Ægrotat ardenti febri puerulus, & intestino incendio inardescens, vix damnum agnoscit, vix dolorem sentit. Mitigatur febris interim, diffuso vtplurimum humore, ad labella: & ecce tibi de concrescentibus pustulis, de pungentibus vibicibus plorat tenellus, eiulans lachrymatur. at tunc rident parentes, tunc lætantur, quos occulta febris paruuli imprudentis exurebat. idem de Deo erga pœnitentem, ad labia confitentia, internas febres deducentem, piissimè ex hoc loco asseueres. hilarescit nimirum de salute tuâ: quoniam quia vix patratam culpam confiteris, cùm impetrandam veniam profiteris.

2016. Labitur Adamus, vixque fallaci per vxorem serpentis voci consentit, eùm sentit vocem Iudicis venientis. *Vocauitque Dominus Adam, & dixit ei, Vbi es?* Genes. 3. numer. 9. veniebat quidem Iudex, sed misericors, non inquirebat dubius vbi loci esset, qui perspicacissimo lumine cuncta penetrat: sed dolens, vbi miseriarum esset, propalabat. quid ita? vt te[illegible] miseriæ conuictus, scelere se conuictum [illegible] fateatur, iam se profiteatur veniæ candidatum. Acutior Tertullian. lib. contra Marc. [illegible] *cap. 25. Interrogabat Deus quasi incertus, & hinc liberi arbitry probans hominem, in caussâ aut negationis, aut confessionis, vt daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi.* Ecquod certius misericordiæ indicium, quam incertæ quodammodo diuinæ sapientiæ protestatio? sic ergo spes veniæ certissima porrigitur confitenti: dum per confessionem, quasi faciendus certior: diuinus Iudex [illegible] scientiam sub charitatis velo, sic d[illegible]ulat. viderint obiter Hæretici, quo in[illegible] [illegible]oue Auctoris pri[illegible] suffragio, Adamo

lapso, & posteris liberum arbitrium denegarint. tedeo.

2017. Fatentur tandem culpam suam Protoparentes, licèt imperfecti quærant excusationes in peccatis: vnde etsi totius culpæ veniam, at non ita perfectam sunt sortiti: nimirum, vt imperfectæ confessioni, imperfecta quodammodu venia responderet. Latet hoc mysterij in illis verbis Dei. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vita, & comedat, & viuat in æternum: & immisit eum Dominus.* est enim satis emphatica hic *num.* 12. ista particula, *nunc.* quasi dicat: nunc per imperfectam istam confessionem, satis fuerit, si veniæ reportet concessionem: non tamen nunc releuatio pœnæ, & per immortalis vitæ commonicationem, ad paradisum restitutio concedatur. Nunc igitur, ad tempus saltem exulet, restitutionis in integrum, candidatus: postea aliquando, meliori per Christum fato, plenè ad immortalitatem restituendus. Sic explicandus ibidem, non satis explicatus Tertul. *Interponens enim, & nunc, præsentis temporis verbum: temporalem, & ad præsens, dilationem vitæ, fecisse ostendit: ideoque, nec maledixit ipsum Adam, nec Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione releuatos.* quæ confessio si foret perfectissima, fortasse non tam restitutionis futuræ candidam, quàm præsentis consecutionis palmatam attulisset.

2018. Sed quid, inquis, felicius illud Christi tempore, vnde Adam erat quodammodo in integrum restituendus? certè illud, quando Christi meritis, opercula omnia, quæ confessionem redierant imperfectam, erat depositurus. Meministi, credo, celebris illius gesti, quod instante iam Dominica Passione, narrat Matthæus: *videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum. & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur, in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea*, c. 21. num. 19. Crescit magis admiratio, si Marco attendis, qui subdit: *nihil inuenit præter folia, non enim erat tempus ficorum*, cap. 11. num. 13. Ecquam culpam contraxerat misera ficus, si extra tempus negabat, quod non debebat? certè non erat fructuum tempus: sed tamen tempus erat, quo pœnas daret operculi, quod olim obuelando peccato, præbuerat Adamo, & vxori. (notum illud Genes. 3. num. 7. *cumque cognouissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata:*) tempus erat, quo candidati cupitam diu restitutionem, per Christum, sortirentur: neque ista perfecta esse poterat, nisi omnia opercula perirent. D. Athanas. *quæst.* 58. post alia, ad hunc locum. *Est etiam hæc huius reiteratio, quia post transgressionem, Adam accepit folia ficus, quibus obtexit sua turpitudinis peccatum. Cùm destrueret transgressionis peccatum, & configeret, deleretque in cruce, arefecit opercula peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.* vt iam perfectè homo ad vitam restitueretur, quando aperta & sacramentalis confessio, omni amoto operculo, meritis Christi erat denuo vsitanda.

2019. Totidem iam in misero Protoparentum filio, veniunt ponderanda. Ad Cain ergo occiso Abele, clamat Iudex: *vbi est Abel frater tuus*, Genes. 4. num. 9. vt, dum fraternitatis ius, in ipsâ interrogatione insinuatur, moueret cor in ludio dolorem, quo in apertam prodiret confessionem. *vbi est*, inquit: vt hoc *vbi*, illius primi testificaret memoriam, quo parentes ad veniam fuerant inuitati: quod ab eisdem parentibus filius iam audierat. & tamen tacet miser, quando terra culpæ testis, vindictam acclamabat, vnde iterum Deus: *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra*, num. 10. ac si diceret: impudenter negas, quod ego non imprudenter, sed piè, quasi dubius tamen interrogabam: vt spontanea tua confessio, os accusantis terræ obturaret. Idem Tertullian. lib. & cap. iam citato. *De Cain sciscitatur, vbi nam frater eius, quasi non iam vociferatum à terrâ sanguinem Abelis audisset: sed vt ille haberet potestatem, ex eadem arbitrij potestate, sponte negandi delicti, & hoc nomine aggrauandi. atque ita nobis conderentur exempla, confitendorum potius delictorum, quam negandorum. vt iam tunc initiaretur euangelica doctrina*, Matth. 12. *ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* & quidem ita condemnatur Cain, vt non tam culpa, quàm negatiu culpæ, in caussam pœnæ afferri videatur. Hoc, ni fallor, sibi volunt verba, quæ statim addit Dominus subiratus: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua*, numer. 11. Expeode, quàm signatè exprimatur illud, *nunc.* quasi negationis præsentis pertinacia, & non præteriti fratricidij peruicacia, maledictionis fulmen, à piissimo iudice extorqueret. nunc punitur, quia vociferante etiam terrâ, tacet, cùm maledictionem, posset confessione extorquere. D. Athanasius quæst. 108. *Quare Cain quidem execratus est Deus, dicens: Maledictus tu super terram: super Adam verò execrationem posuit terræ, dicens: In operibus tuis, maledicta sit terra. eo quòd Cain negauit, & à Deo peccatum suum abscondit: quapropter maiorem in se pœnam deriuauit. Adam verò, quia confessus est, magnum illud à se supplicium depulit. nam qui sua peccata confitetur, remissionem consequitur.* & fortasse, non absque mysterio additur, *super terram.* quasi dicat: terra simpliciter paternæ culpæ pœnas luit: tu super illam, siue sæuius, quàm illa, punieris, qui commisso sceleri, sceleris negationem addidisti.

2020. Vnde iam magis mysticè, miseri huius hominis responsio venit explicanda: sic enim ad Deum. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abscondar: & ero vagus & profugus in terrâ. omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*, num. 14. Quis enim illum vagæ fugæ condemnauit, nisi ipsemet, semetipsum? planè in diuinâ maledictione, vagatio ista, & fuga non exprimitur. Vagabatur igitur, & fugiebat, semper timens inueniri: sic sollicitus in occultandâ culpâ, vt etiam ipsorum insensibilium oculos testes formidare præsumatur. Ideo Gilibertus *sermon.* 6. ad illa verba sponsæ: *inuenerunt me custodes*, Cantic. 3. sic scribit. *Qui ficti & fallaces, nihil tam refugiunt, quàm ad hos inueniri custodibus: & si comprehenduntur, non facile conuincuntur. Cain factus est vagus, & profugus super terram, inueniri formidans. Omnis, inquit, qui inuenerit me, occidet me. non vult peccatum occidi: non vult per salutarem in confessione verecundiam, medicinalem castigationem magistri: non vult inueniri, quia non vult mori.* Quàm felix in hac morte, diem obiret peccator: qui miser in illa vitâ mortem init. magis tamen ad litteram nobis locus fauet: sic enim eius verba possunt explicari. quandoquidem me eiicis à te, à terra: fac saltem à quouis inueniar, ab ipso morti tradar, præstat enim mors duræ, vitæ duriori. nec tamen à summo illo & piissimo Pontifice, hanc bullam, à quocumque initiaodi oreo, valuit impetrare. cogit deinde seruet tempora, nec viole. interstitia: quasi omni se fecisset indignum indulgentiâ, qui sedulus

scelus

scelus impium occultare contendebat. sic locum explicat sæpè citatus Tertullian. expendens illud respondentis Dei. *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur,* numer. 15. vbi ita. *Cain & maledictis, & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit: vt præter admissum, etiam negationis exemplo oneratum.* Sic breuis mors habita in voto, denegatur: vita omni morte misetior custoditur, & appositis minis contra violatores defensatur: vt qui confitendo, veniam totius caussæ facilè inuenisset, negando acerbioris iudicij gladium experiretur.

2021. Quibus non angustiis oppressus Lamech, describitur consilium cum vxoribus initurus? pende iterum obscura verba quæ suprà num. 1918. dedi. *Dixitque Lamech vxoribus suis Ada, & Sella. Audite vocem meam vxores Lamech: auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum, in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies,* Genes. 4. numer. 23. Si tamen vera est explicatio Tertulliani, (quam ex alius Patribus alibi confirmo) de morte negata Cain ob pœnam: iam hæc sententis Lamech, haud inuitâ sic paraphrasi explicabitur denuo. Scelus meum, maximum fuit, & inexpiabile: sæuissima ergo pœna mihi diu subeunda: durio rem longè, quàm ipse Cain, vitam tolerabo. Si ergò, qui illi vitam (quæ misero graue est supplicium) eripuerit, septuplum punietur: is qui mihi miserrimo, grauissimum viuendi supplicium patienti, vitam hanc puniendam eripuerit: quid ni septuagies septies castigabitur? crescet planè occisoris mei pœna: dum pœnam grauiorem, mihi ob scelus grauius à Deo infligendam, rescindit adductâ morte temerarius. his tantis Lamech timoribus, quas non horribiles pœnas superuenturas sperares? nec tamen vllæ leguntur. credo, quia non celauit culpam, sed vt potuit confessus illam familiæ manifestauit: & dum humilis, diuinæ sibi sententiæ fulmina irrogat, irrorat diuinæ flumina pietatis. D. Athanas. quæst. 97. *Quid est, quod dicis Lamech, occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum? non dixit hic duo, sicut existimant quidam, neque Cain intelligit, vt quidam fabulantur; sed dicit quendam, & hunc adolescentem, hoc est, virum iuuenem, habentem ætatem virilem. Declinauit verò pœnam, propter confessionem: & ipse suâ latâ sententiâ, sententiam Dei remoratus est.* Capax tantæ misericordiæ, qui simplex homicidium, quâ suum, grauius Cain fratricidio reputabat: tam longè à celando interrogatus, vt ipse rem vltroneus fateretur.

2022. Tritus in hanc rem locus Ecclesiastis, sed fortè nouo comendus splendore. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit,* cap. 10. numer. 11. Græca in Sixt. habent: *si momorderit serpens in non susurro, & non est amplius incantanti.* paulo sliter Cassianus ibi in Syluâ. *Si momorderit serpens in non sibilo, non est abundantia incantatori,* idque ibidem sic explicat. *Si per confessionem suggestio, siue cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spirituali scilicet viro: (qui carminibus Scripturarum, mederi protinus vulneri, & extrahere de corde consuerit noxia venena serpentis) patefacta non fuerit, succurrere periclitanti peritura non poterit.* Ducet enim absque dubio ad mortem culpa, quæ silenter serpit, nec sibilo & susurro, se nouit manifestare. Sed tu mihi pende quàm aptè incantatio dicatur, consilium magistri: aut magis absolutio Confessarij. quid ni enim tam repentinam salutem, quàm nec etiam ferro secante, vrente, terebrante, comparandam ambire deberes: hanc facili tua confessione, & suaui illius absolutione comparatam: diuinum interim incantamentum, non appelles? quomodo non incantatio, quæ sæuum, & sæuum culpæ serpentem sic mutare nouit, vt iam susurrator eius sibilus, in balatum formetur: quo abominabilis aliàs draco in ouem, & gratissimam bestiam transformetur?

2023. Apertus pro hac re Dauid: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius, hostiam vociferationis,* Ps. 26. numet. 6. & benè circuitus iste cum hostiâ coniungitur: vt quemadmodum lustralis victima, totam vrbem circumibat, & inde pro eiusdem incolumitate immolabatur, sic faciendam confessionem nouerimus: hæc enim scrutans in circuitu totam animam, denique ad aras Pœnitentiæ gratissima labiorum victima iugulatur. & quidem, si mysterium in hâc voculâ *hostia,* velis argutari: (erat enim hostia, quæ hostibus deuictis reddebatur) haud aberràbis: simile enim aliquid voluit D. Antonius de Padua *sermon.* 2. *in Quinquag.* ad hunc locum. *Circuiui totam ciuitatem, id est, totam vitam meam: ad modum boni militis, qui circuit suum castrum, ne aliquod sit ibi foramen, per quod hostes ingrediantur, & immolaui in tabernaculo eius, id est, in Ecclesiâ coram Sacerdote, hostiam vociferationis, id est, confessionis. quæ benè dicitur vociferatio, quia peccator non debet semiplenè, & mediocriter, quasi balbutiens: sed aperto ore, quasi vociferans peccata sua confiteri.* Vtcumque sit: en tibi iam, qui sibilabat anguis, onis balat. Hinc est illud Psal. 36. num. 5. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.* ex Hebræo legit Vatabl. *deuolue super Dominum viam tuam, & in eo itinere, vt ipse faciat.* quasi via & conscientiæ tuæ ratio, eo ipso quod reuelatur, iam tibi non constet, sed Deo. ipse incarnatus luit pœnas, onera subiuit scelerum, quæ tu sola reuelatione, & humili confessione in illum deuoluisti. quàm felix homini mutatio! dum se prouoluit humilis, deuoluit onus in Deum: dum se damnat, se liberat: vnde se accusat, inde demexcusandus. Tertullian. lib. de Pœnitent. cap. 9. *Cum igitur prouoluit hominem, magis releuat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absoluit: in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Esto ergo tibi inimicus, vt Deum in hac lite amicum habeas. laudantur ergo meritò labia, affectantur sponsæ oscula confitentis.

2024. Affectabat puto hæc oscula cœlestis Rex noster, quando visurus discumbentes triennium ingressus est: ibi enim cuidam absque nuptialibus vestibus intruso, ait: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem,* Matth. 22. numer. 12. cur enim caussas velut inscius quærit, qui caussas nouit? cur amicum vocat, quem epula charistia ingressu polluisse præsciebat? puto, quis de propriâ, & humili confessione, illum sibi amicum reddere studebat, vt dum secretum morbum ad labia deduceret, vociferationis hostiam immolans: aptus iam eucharistiæ hostiæ, labia pulchro respergens cocco, oscula porrigeret, quibus Eucharistico osculo dignus haberetur. inde est quod sequitur: *at ille obmutuit. tūc ait rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores,* n. 13. Nota illud *tunc*: tunc itaque tenebris condemnatur, non quando in tenebricosâ veste, visus fuit: sed quando has

vestis tenebras: nouo taciturnitatis velo voluit inuolutas. Sed præstat audire ibi Galfridum. *Consideranda est diligentiùs, & maiestas etiam incomprehensibilis, & dignatio amabilis, & indignatio valdè terribilis. Maiestas, quæ penetrat omnia, vniuersa discernit. Dignatio, quæ ante iudicium ad pænitentiam prouocat, dum misericorditer conuenit, quem reum inuenit. Indignatio, quæ eundem tacentem, tenebris addicit, & suppliciis. Et nunc, charissimi, multos hodie conuenit rex ingrediens, aut per hominum linguas, aut per sacras Scripturas, aut per suggestiones internas. quoties enim homini peccata sua indicat, qui ipsius promissa sperat: idem est, ac si dicat: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? sanè propter sacramenta, amicum vocat, cuius propter peccata, habitum culpat. tunc ait rex, &c. tunc videlicet, non vbi ille sine nuptiali veste introiit: sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* iusta tantæ contumaciæ pœna, maximè dum ibidem facilè posset, per confessionem hostes suos spoliare, de quorum prædâ, vestem pretiosissimam, & nuptialem sibi adaptaret. Quid enim, (si frontem obduraret, os obturaturus) illi gratius poterat obuenire, quàm ex ipsis Ægyptiis, & tenebricosis centonibus, rallas & pellucidas vestes sibi contexere?

2025. Non possum hic non transcribere, licèt pluscula, pulchra verba Adami de Persenia apud Tilman. ad illud Exodi 3. num. 22. *Cùm egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicinâ suâ, & ab hospitâ suâ vasa argentea, & aurea, & vestes: ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* de quo ille dulcis iuxtà & grauis sic scribit. *Qui te ipso Ægyptum inuestieras, qui Ægyptios mores, & tenebrosos actus tuos, aut excusationis arte, aut accusationis palliatione tegebas, quasi spolias Ægyptum, cùm denudas & detegis, in verâ confessione te ipsum, cùm dilectione tuâ sæculum priuas, cùm aurum sapientiæ tuæ curis sæcularibus subtrahis, cùm argentum eloquentiæ tuæ studio consecras sanctæ taciturnitatis, cùm membra tua, impudentiæ & inhonestati subducis: cùm exemplo conuersationis tuæ, cæteros quosque, quantum in te est, corrigis, quasi Ægyptum spolians, pretiosa quæque quasi in vasis, & vestibus tecum tollis. Benè ergo Ægyptum spoliat, qui peccatorum suorum nigredinem in confessione denudat: benè Ægyptum spoliat, qui pellem Æthiopis mutans, se aspergit Christi hyssopo, & dealbat. benè Ægyptum spoliat, qui non modò iugum peccati à se excutit, verùm etiam quaslibet peccandi occasiones præcidit, & à se nodos perfidæ iurisdictionis absoluit. O felix violentia quâ sic deprædamur Ægyptum, & diabolicæ tyrannidi auferimus ius antiquum! felix, inquam, violentia, quâ dum enitimur, ne simus præda peccati, felici deprædatione diripimus regnum Dei.* hæc ille. Quàm ergo meritò tenebris condemnatur exterioribus, qui se vnà potuit facili confessione ab interioribus tenebris spoliare, vt indè nuptiali iam veste pelluceret.

2026. Redegit ad felicissimas (sequor interim Chrysologi citandi explicationem) quasdam angustias villicum suum, gentilicum nimirum populum bona tradita dissipantem, supremus Dominus. pœniter illum & agnitâ villicationis reddendæ ratione, redit prius ad dominum, nimirum credulitas dederat villico consilium salutare. fit ergo iam cœlestis magister doctrinæ, & Dei prædicator apud Iudæum populum, vt hic conuictus per Gentilem, pœnitentiæ soluat vsuras, qui debitum conuerterat in crimen. ferè omnia verba sunt S. Doctoris. nunc ad mores, vide quid agat nouus iste prædicator: *conuocatis singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? at ille dixit: centum cados olei. dixitque illi, accipe cautionem tuam, & sede, citò scribe quinquaginta*, cap. 16. num. 5. Sed si ipse villicus cautionem ferebat, si ipse debiti portexerat chirographum, quomodo summam debiti ignorabat? quid quærit à debitore, quod ipsemet creditoris vicarius, exactiùs numerarat? non ignorabat sanè, sed hac arte, debitoris confessionem, pro veniâ eliciebat. Ergo Chrysol. serm. 126. *Quid, quantumque interrogat, quasi nesciat modum debiti, portitor cautionis nouerat iam per Euangelium; sed interrogando, confessionem taliter perquirebat.* nouerat nimirum ex Euangelio Iudaicum crimen, Christi necem: sed nouerat condemnaturi domini sui ingenium: & hos quibus pœnitentiam & veniam sollicitabat, vna propriæ confessionis præparatione disponebat.

2027. Nescio quid tale apud Ethnicos lumen ipsum naturæ edocebat. vnde OEdipus ille fabulosus apud Senecam *Act.* 1. qui à semetipso diras pœnas repetendas existimabat, sic subdit: (nosti mythistoriam)

——Proloqui hymenæum pudet,
Fœdasque nostras. has quoque inuitum pati
Te cogo pœnas: facinus ignotum efferum,
Inusitatum fare: quod populi horreant.

Sed heu quàm misera sors! apud fideles multi sunt, qui impudentem hanc verecundiam nesciunt perrumpere. Ethnici quandoque (taceo quæ Dæmon Romanæ veritatis simia, nunc de publicis confessionibus imperat apud Iapones) piandæ, vt putabant, culpæ: etiam illis, quibus confessio futura. erat horrori, culpam propalabant: tu verò apud Sacerdotem, cui dolori & compassioni, est futura illam retices miser & occultas. dolebat id iam olim pulchrâ ironiâ Tertullianus *lib. de Pœnit. cap.* 10. siue enim de publicâ, siue de auriculari, loquatur confessione, pungenter tangit hæreticos denegantes, & fideles sacrilegos instituit. *Ne tu, verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem; ad deprecandum verò subducens. Ego ruberi locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur: ne me respexeris, dicens: pro te, mihi melius est perire. Certè periculum eius, tunc, si fortè, onerosum est, cùm penes insultaturos in risiloquio consistit: vbi de alterius ruinâ, alter attollitur: vbi prostrato superscenditur. cæterùm inter fratres atque conseruos, vbi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio: (quia communis spiritus, de communi Domino & Patre:) quid tuos, alios quàm te opinaris? quid consortes casuum tuorum, vt plausores fugis? non potest corpus de vnius membri vexatione, lætum agere: condoleat vniuersum, & ad remedium conlaborare necesse est.* quàm plorandi, quibus tam facilis medicina abhorretur, aut sacrilega verecundia, & reticente pudore violatur? videris Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Beza, Henricus ille Bolenus, (ab vxore adultera, imò & filia coniuge sic appellandus) qua fronte auricularem negent pœnitentiam, ruboremque vt illimem eripiant: quem apud antiquissimas Patres etiam in publico vident commendatum. huc nos confitentium labiorum sponsæ deduxit pulchritudo.

Insignis

§. XII.

Infirmis adhuc subditis, aspera si condenda, condienda.

2028. ADhuc in suauissimis Ecclesiæ nostræ labiis immorandum: adhuc à purissimo ore nectar sugendum. addit ergo Christus eodem cap. 11. *fauus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.* norunt scilicet Ecclesiæ labia, Ecclesiastici ministri, de Christi more præcepta attemperare, & prædicatæ crucis asperitatem, infusâ dulcedine, & profusa suauitate delinire. multa hic Gilibertus *serm.* 34. sic concludens. *Accipite iam ex parte, qualia mella, sacri fauus destillat eloquij: & vnicuique sicut Deus diuisit vasi, vt instilletur, mensuram. remittit, permittit, promittit, præmittit. delicta remittit, infirma permittit: æterna promittit, & ipsarum delitias quasdam præmittit.* Si inculcanda aspera præcepta, quæ nolueris conculcanda: sic crux delibuta odoribus prædicanda: sic incipientibus asperitas mitiganda, & durities infirmis adhuc subditis condenda, condienda. hac arte diuinus noster Philosophus, hac arte ab eodem instituti Doctores, scholam sacram publicant, proponunt doctrinam. Aliter prisci, scientiæ potius, quàm virtutis amatores: qui ideo in principio operum suorum ex industriâ obscuriora scripserunt, & absque condimento acerba propinarunt, vt hebetes, & tardiores: in ipso statim limine deterrerentur. scilicet ingenia diligebant, non discipulos. Magister noster tenerrime nos diligit: sic nos captat, nos quærit: remittens, ne grauemur, permittens, vt assuescamus, vt accendamur, promittens: præmittens denique dulcia, vt infirmi adhuc paruuli inescemur.

2029. Iam hoc spiritu, quodammodo ante Euangelium Christianus, legislatorem nostrum Christum, priscus legislator Moyses exprimebat. hinc illa eiusdem vox ad Hobab Madianitam: *Noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris dux noster,* Numer. 10. num. 31. indigebat, credo, & homine, & Ethnico duce, qui Deum ducem exercitus fuerat sortitus, cui erat noctu ignea columna, luna indeficiens, & interdiu nubes clara, sol opacus, cui castra cœlestis metator, agmina præuius Angelus designabat. quid ergo? timebat, ne homo Ethnicus ad idola reuerteretur: cupiebat proselytum retinere, vero numini sub Synagogæ præceptis connectendum. ideo superbæ adhuc menti, laudibus adblanditur, & quæ condebat imperia, condiebat: quasi illum & nubi præponeret, & columnæ cœlesti: vt his allectamentis ad legis austeritatem, & asperiora præcepta traheretur. D. Bruno *in Silu. alleg.* ad hunc locum. *Quid est quòd Moyses gentilem hominem ductorem exercitus ponere vult: cuius ipse Dominus ductor erat? sciendum autem quòd homo vanus, & superbus, nisi quibusdam laudibus, & blanditiis, suæ salutis consiliis non acquiesceret. Vnde & nobis regula datur potentes homines & superbos, etiam adulationibus, ad iustitiam & veritatem conuertere, non esse peccatum.* Adulationes pias intelligit, non mendaces: quæ sancto iustæ calliditatis stratagemate, commendant aliqua bona, quæ fortè reperiuntur in peccatore: vt sub illis dissimulata Crux, iam labor Christianæ militiæ subse[qu]end[us], facilior & e[ffic]acior corda penetret.

2030. [illegible] facilè co[...]it illa Prouerb. 1. num. 3. *Parabolæ Salomonis, &c. ad suscipiendam eruditionem doctrinæ.* in Sixt. legitur ex Græco: *ad suscipiendum versutias sermonum.* ita est, bona pars cœlestis eruditionis, salutaris doctrinæ, in versutiis, & obliquandis piâ calliditate sermonibus occupatur. qui enim prædicat, qui docet, qui instituit, piissimis his vtatur technis necesse est: quibus quæ ex se dura condat, condiat suauiùs. Innumera apud populum suum ingratissimum, posuerat Dominus beneficia, quæ in compendium redacturus, sic habet apud Oseam cap. 11. num. 3. *& ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curarem eos.* quorum sub figurâ docet, qualem erga nos se gerat Dominus clementissimus: alij teneriùs, & dulciùs legunt: *ego quasi nutrix Ephraim.* Sed itane? omnia cœlestis Patris & Domini beneficia, vno nutricis ministerio satis explicantur? satis: quia hinc nobis cætera beneficia prosecere. Ecquod illud præcipuum nutricis munus? Stephanus Cantuariens. ibi. *Sicut nutrix frangit linguam suam, vt contemperet se puero balbutienti: sic Christus condescendit nostræ infirmitati, vt contemperet se nobis.* Crucem scilicet suam, quam subiuit asperrimam, nobis emollit: miscet suauibus verbis, promissis suauioribus, & additâ propinat delitiarum suauitate. non percipietur nutrix infanti, præcipiet ista frustrà, nisi attemperanter balbutiens verba fregerit; sic nouit Christus aspera præcepta infirmis vix percipienda, nisi verborum frangantur lenitate: fugiendaque paruulis austera doctrinæ vbera, nisi superfusâ dulcedine.

2031. Celebrabat Moyses sub nomine Zabulon, & Issachar, Apostolicos viros, qui in congregandis Deo thesauris viuis, & in expiscandis è turbido mundi pelago hominibus, occupantur. deinde subdit: *qui inundationem maris tanquam lac sugent, & thesauros absconditos arenarum,* Deuteronom. 33. num. 19. id est, sibi concorporabunt peccatores, iam lacteos, & pretiosos: licèt olim essent amari, & despicabiles. Nunc ad rem. & cur dicat aliquis, lac merum, siue lactei, peccatores appellantur? notum, ex iis quæ suprà dixi, in Conceptione Deiparæ plura dicturus: cum lacte nutricis suæ, infantes morum pariter sugere conditionem: cùm ergo Apostolici viri, conuertendos peccatores, lacteâ suauis eiusdam spiritus dulcedine, tanquam escâ expiscentur, & enutriant: isti postea magistrorum, & spiritualium nutricum mores imitati, etiam lactei fluunt, magistris concorporandi: vt qui priùs discipuli, iam in magistros formati, aliis expiscandis lactescere videantur, vt vbique amara ex se præcepti durioris institutio, condimento adhibito dulcescat. hac arte lacteâ magnus Ignatius, vt scimus, fragilem adhuc Xauerium acquisiuit discipulum: lacteum postea magistrum & Apostolum orbi dandum. Sed audiendus Gilibertus *sermon.* 31. de vberibus Ecclesiæ suauissimis. *Verbum dulce mitigat inimicos, & amicos multiplicat: dulce Euangelij verbum, durum legis. & vide quomodo verbum dulce, effera gentium corda conuertit: & quasi marinos & salsos fluctus, in lactis saporem. Inundationem maris, quasi lac sugent. de Apostolis [...] est, sub typo Zabulon & Issachar. [...] amarus, & turbidus fluit, non desperes: [...] ra, instilla lac: fortè & ipse cras lacteus [...]* vocaturi magistri, sic discipul[i] [...] [...] præcepta

præcepta dura, dulcibus nouerint condite blandimentis: nec tam duras lanceas, quàm lacteas dulcedines emittant.

2032. Comparatat Christus Dominus regnum cœlorum, siue Ecclesiam suam, semini iacto, tritico congregato, crescenti sinapi, abscondito thesauro, mucotæ margaritæ, sagenæ expiscanti; & concludit tandem: *ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamil. qui profert de thesauro suo noua, & vetera*, Matth. 13. numer. 52. volens hac vnâ parabolâ doctos Ecclesiæ suæ Prælatos instituere, quales se in hac Ecclesiâ toties suprà comparatâ, essent habituri: quales vtriusque Testamenti thesauris, & doctrinâ, instituendis fidelibus essent vsuri. Sed cur priùs noui Testamenti thesauros, cùm hoc sit veteri posterius, iubet aperire? cur dictanda discipulis, vt temporis, sic etiam doctrinæ ordinem non seruabunt? iam mitis Dominus, palpatos voluit infirmos, ne fugarentur: noluit seruire tempori, vt seruiret amori grauissimè Hugo Victor, ibi apud Tilman. *Noua, sunt consolationes: vetera, increpationes. Vetus enim lex pænam proposuit, qua terreret: noua, misericordiam, qua foueret. quare ergo prius noua, post vetera? quia pietas loquitur, ideo prius palpat, postea percutit. pusillanimes enim priùs consolatione resouendi sunt, ne fugiant, postea terrore confirmandi ne cadant.* neque enim infirmis asperitas subibitur mutaræ vitæ, nisi hæc blanda dulcedine tempetetur: abhorrebit mandata, nisi oblita melle proponantur.

2033. Hinc iam obscurus Prophetæ locus enodabitur: *omnis consummationis vidi finem*, Psalm. 118. numer. 96. quia nimirum, explicatore ibi Ambrosio *sermon.* 12. peccata mundi, quæ iam ad consummationem venetant, finem per Christi crucem inuenerunt. planum id: sed salebrosum visu, quod statim inferre conatur Dauid: *latum mandatum tuum nimis*, eodem versu. meritò enim addubiter Ambros. citatus. *Legimus quòd angusta sit porta, per quam ingrediantur, qui æternæ vitæ fructum adipiscantur: rara enim virtus, difficilis est passionum tolerantia. plures sunt, qui sæculi huius spatiosa sectentur: qui dicant, angusta & arcta nobis est via, qua ad Dominum ducit: conterimur in illa, relinquamus eam. quomodo ergo dicit Propheta; latum mandatum Dei, & valde latum?* ex dictis, inquam, facilè nodus soluitur. ideo quidem, quia via arcta est: mandatum proponatur latum, necesse fit. nimirum hæc via crucis ubi sanamur, arctissima venit; & aliunde nobis insipientibus adhuc, & insipientibus adeunda, mitioribus præceptis indiget, vt ambulent: deferenda absque dubio, ni conditas suauitate condant leges, vnde acerbitas nectare temperetur. Sed audiendus Ambrosius dubio satisfaciens. *Ideo, quia angusta via, latum mandatum necessarium est*, &c. *& qua ratione latum mandatum? ne nos arctaremur angustiis mandatorum. vnde ait: non coangustiamini in nobis. si hoc Paulus; quanto magis Christus, qui clausa reserauit? ergo dicit: nolo coarctetur in me populus meus, in angusto virtutum tramite: debet latitudo præcepti mei, viantio, ne quis deficere possit, aut contine*...rum angustæ viæ, lati præcepti dul... amabile didicerint Superiores, stri...e satis religionis obedientiam, ver... à suauitate laxare: hic enim non tam disciplinæ incuriosa relaxatio, quàm prudens infirmorum laxamentum reperitur. qui autem iam perfectis, asperiori verborum tenore præcepta sint ponenda, dicam alibi.

§. XIII.

Virtutis decor perit, si apparet: de latibulo securius splendidior.

2034. Pulsat initio statim capitis quinti, Christus Dominus, deuotæ animæ cordis penetralia, dicens: *aperi mihi soror mea*, num. 2. dumque tardat, secretissimum eiusdem cordis ostiolum, manu, id est, dono gratiæ ingreditur: *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, num. 4. quasi vix quiescat, & tardante ostio, ostiolum perquirat, vt in occulto lateat, vt in penitioribus abscondatur. Ecquid ita? vt is, qui hostes fugit, quærit latibula, & vt insequentes enitet, quiescit nunquam, donec securas latebras consequatur: sic se habet in nobis Christus, quasi inuideatur, si in exteriori videatur. quasi licet sibi permanens, nobis pereat, si appateat: nec eius dona sustententur, si ostententur. Benè Drogo Hostiens. *lib. de Sacrament. Dom. Pass.* ad hunc locum: *Absconditur in interiori homine, vbi & securus viuat, & iniquos lateat.* tunc enim ab insidiis secura virtus, cùm alieno conspectui impenetrabilis, in animæ medullis, in meditullio pectoris requiescit. Fortasse ideo ad illum locum Psalm. 90. numet. 13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.* Vatablus vertendum putat ex Hebræo. *Pardum calcabis, & aspidem.* quid enim inter venenatos basilisci oculos, & dilaniantes leonis, aut Tygris (vterque in sacris litteris, *Pardus* appellatur) vngues, similitudinis reperitur, vt pro vno, eodemque supponere videantur, nisi quia malignantium oculi venenati, etiam vngues sunt: vt dum virtutem illorum aspectui opponis, eaudem lacetandam obiicere cognoscas.

2035. Suspirarat optimus senex Simeon puerum Iesum: hæc spes hominis vitam prolongarat, hâc ille suauiorem duxerat spiritum: adducitur tandem puer in templum: *& ipse accepit eum in vlnas suas*, Luc. 2. num. 28. putares anxia diu vota iam impleta, senem illum in affectus quosdam raros prouocatura, scilicet vt coronæ instar puerum capiti imponeret, vt laminam sacerdotij, fronti gemmam illam cœlestem collocaret: vt Agnum, velut anulum dextræ, millibus ac millibus ostentaret conuocatis. at nihil horum, senex, vt vides, in vlnas accipit, recipit in amplexum, pectori admouet, cordi affigit: penitissimum si posset apertutus, vbi thesaurum abscondetet: ne ostentatus fascinaturis & discerpturis oculis exhiberetur. Galfridus ibi post multa de modis variis gestandi Iesum: *est qui videtur illum, supra caput positum circumferre: nec fraterna seruiens adificationi, sed sua ostentationi. parum est ille timoratus, & parum armatus: quia enim minus diligit, minus & metuit, ne amittat.* Senex ergo prudens pectori applicat, vtrâque vlnâ stringit, & inuento sanctitatis fonti latibula perquirit, vbi secura, & tuta ab insidiantium oculis conquiescat.

2036. Et meritò non ad caput, ostentationis ergò ponendus Christus: quod ille ostentationi detestandæ, non tam virtutis velo, quàm voluptatis pallio voluit obuelandum. vnde ait: tu vero cùm ieiunas vnge caput tuum, *Matth. 6. num.* 17. de

de quo D. Petrus Chrysol. serm. 7. *thesaurum qui non abscondit., prodit : virtutes prodita non manebunt. virtutes sicut proditores suos produnt, sic suos instant custodire custodes. ergo ieiunium quod contra vitia, prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quærere in exterioribus non vadebunt.* argutè autem virtutes proditæ, prodentes describuntur. Sicut enim vxor Lydij cuiusdam Regis, (legenda historiola apud Iustinum) maritum prodidit adultero : quia imprudens maritus, tacitâ voluptati conscientiâ non contentus, illam nudam amico ostenderat, imò prodiderat : à quo post & vxore, & regno fuit spoliatus. Sic honestiores longè virtutes, vtpote virgines, si nudæ externis oculis prodantur, dolent, & proditæ suum dolent proditorem; produntur ergo virtutes, dum prodeunt : atque produnt, quem deserunt ostentatæ.

2037. Mystica munera, in affectuum suorum significationem Magi deferebant : nihil auidius cupientes, quàm corda, cum muneribus puero dedicare. Videbatur igitur ad primum, monstrante stellâ, præsepij accessum, dona eruenda, quæ statim inuento Puero sacrarentur : at illi ingrediuntur, procidunt, adorant. tunc tandem subditur : *& apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera*, Matth. 2. numer. 11. non solùm in viâ, sed etiam in ingressu clausi tenebantur symbolici thesauri, quasi tantummodo Christo iam familiariter præsentissimo, tutè aperiendi : ideo Galfridus ibi. *Sed quid necesse erat, vt scriberetur, quòd thesauros aperiunt, fortè nobis eodem sermone hoc videbitur commendatum, ut quis thesaurum suum publice ferat, tanquam velit, vt aiunt, prædicari. Sed intra conscientiæ contegeris claustra, illi soli aperias, soli placere contendas, quem latere non vales, nec si velis.* quid enim esset aliud viam virtutis thesauris ostentatis aggredi, quàm prouocare latrones ? certe horum oculis, temerarius erit, qui blandiatur.

2038. Hinc pulchrè *Abacuc 3. num. 3.* de Christo Domino, idest, solidâ sanctitate Oriente iustis, ita : *Splendor eius, vt lux erit : cornua in manibus eius ibi absconditaest fortitudo eius.* ex Hebræo apud Agellium habetur ibi : *ibi stabilita est virtus gloriæ eius.* quia in cœlo illo animæ, tunc sol diuinus firmior conditur, cùm absconditur: tunc lætior, quando latentior : tunc clarior, cùm magis humanis oculis obscuratur. ideo bene Stephanus Cantuar. ad illud Genes. 1. *& vocauit Deus firmamentum cœlum.* in rem nostram sic scribit : *Mens iusti, per bona opera firmamentum est · rectè cœlum dicitur, quia sculpta est virtutum floribus, & conscientiæ gloriam celat.* scilicet, tunc maximè cœlum hoc mysticum, firmamentum est cum cœlarum virtutibus, virtutes ideo celat, vt firmentur. rem graui comparatione illustrat D. Epiphan. ad Physiol. cap. 1. *Cùm leo in monte oberrat, & venatorem odoratur, sua ipsius vestigia caudâ obtegit, ne illis insistentes venatores lustrum inueniant, atque ipsum capiant, &c. Nec aliter tu spiritualis homo, cùm feceris eleemosynam sinistra tua dextera opus ignoret : ne te diabolus ex bonis operibus inuestiget, & ad peccandum alliciat.* Hoc ergo erat, quod Christus sic pulsat sollicitè, vt absconditus, tutior & firmior animæ perseueret.

2039. Imo & hoc erat quod toties Anima, siue sponsa in hoc Cantico, sub cauto humilitatis velo, occultandas virtutes satagebat. Do particula. *Cant. 1. num. 4.* ita habet. *Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* & quorsum huc pellium, quorsum tabernaculorum comparatio ? quia interna tabernaculi sacri pulchritudo, pellibus & sagis cilicinis tecta, vnicè illæsa perennabat. D. Bernard. *serm. Ecce nos*, ita ad hunc locum. *Ac si manifestè spiritualis quispiam dicat, teneras & informas mentes exhortans. Quid laboriosa quæque, & humilia conuersationis nostræ, tam sedulè muneratis ? saga cilicina sunt, & pelles arietum rubricata : quibus interior ille splendor, & interior tegitur gloria : vt illæsa à pulueris & imbris iniuriâ conseruetur.* quasi non posset cœlestis pulchritudinis splendor conseruari : nisi velo nigredinis, & humilitatis clypeo muniretur. Inde est quod subiungit: *nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol*, numer. 5. diuinus enim ille Sol, qui, vt suprà dicebam, obiecta beat, amœnat pulchritudines : non quasi inuidus, piam animam diceretur decolorare : nisi quia indulgentissimus foris fuscedinem apponit, vt intus luculentiores radios componat. Bernardus citatus. *Nolite me considerare quòd fusca sim, nolite pauere, nolite mirari : neque enim tristitia, aut necessitatis est, exterior iste neglectus, aut nigredo : sed occulti splendoris, & exultationis internæ.* neglectus itaque externus, necessarius est, nec tamen necessitatis: ad custodiam scilicet assumitur, non præsumitur de inopia.

2040. Et certè hnc respiciebat idem Christus, dum ita ad illam : *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet*, Cant. 4. numer. 3. quia exterior genarum nigredo Christo satis pulchra videbatur, vt fuscedo, roseos & puniceos decores fundere celebretur : sed inde pulchrior, quòd instar veli, germina virtutum pulcherrima, intus vernantia, & intrinsecus latentia muniebat. quid enim non fuscedo illa rosea, florida nigredo, sub quâ pretiosissimi fructus conseruantur ? Elegantius aliquid addit ibi Gilibertus serm. 25. *Bona genæ, quæ sicut nihil habent simulatum, ita multum habent occultatum : quæ sicut nihil fingunt, sic nec totum effundunt : quæ minus prætendunt in specie, quam tenent in virtute.* bonæ planè genæ, quæ dum fragmen dicuntur, quia de humilitate confractæ ostenduntur foris, integrum virtutis decorem intus defendunt.

2041. Non possum ab hac animâ dimoueri, quin adhuc illud ponderem eiusdem, *Cant. 6. num. 1.* vbi ità de Christo. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum : vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* in hortum, siue in cor sponsæ, virtutibus floridum, fructibus amœnum, Christus inuitatur, & totus hortus non tam area inducitur, quàm reducitur ad areolam, & cur tanto hospiti in hoc horto, non potius augusta area, quàm angusta areola præparatur ? tu mihi pende in toto hoc capite quinto in quo sumus, absentem dilectum ab sponsa suspirari : discesserat ille, quia pulsans, paratum intus latibulum citiùs non inuenerat. quid ergo illa faceret prudentius, eundem inuitatura, aucupatura amores, quàm omnes virtutes suas abscondere, & extenuare, ad quas iam Christus securus conuolaret ? certè quia paruula sponsæ videbatur, ideo iam Christo amplissima, & tutissima requies iudicatur. ibi enim capacia & secura toti excipiendo Deo

adſpirant aromata, vbi magis ſuſpirant humilitati: ibi virtutes creſcunt indelebiles, vbi anima ſub humilitate minuitur, & abſconditur vileſcens. D. Antonius de Padua Dom. 3. in Quadr. *Hortus dilecti, eſt mens pœnitentis: dicta diminutiuè areola, ab area, propter humilitatem. quia humilitas, & procreatrix virtutum, & aromatum.* rectè igitur additur ſtatim, *vt paſcatur in hortis*. quaſi eo ipſo quòd humilitate defendatur hic hortus, ſic diffundatur germinans, vt pro multis iam ſupponere cognoſcatur. Facit huc veritas & varietas illius benedictionis, Deuter. 33. num. 6. *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.* in Sixtian. legitur, *& ſit multus in numero.* quia iuſtus, vnde ſe reputat paruum, iam pro multis & illis viuidis, nec vnquam moriturus, à Deo computatur: dum ſic ſub firmo clypeo cuſtoditur.

2042. Viuida illa, & multiplex vnius Gedeonis virtus, pani caſtra hoſtium euerſuro, comparatur: ſed viliori pani: *videbatur mihi quaſi ſubcinericeus panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit*, Iud. 7. numer. 13. quia non poterat ignitus ille ſpiritus victoriam canere, ducere triumphos, niſi ſplendores ſuos, ſub humili cinerum velo cuſtodiret: non poterat à Deo fortis dux haberi, & ſecurus populi propugnator, niſi ſub formâ panis hordeacei, ſe ipſe deſpicabilem exhiberet. Eâdem mente fortiſſimus Simon Oniæ filius, dicitur Eccleſ. 50. numer. 8. *quaſi arcus refulgens, inter nebulas gloriæ.* ac ſi non poſſet hoſtilia pectora contundere, niſi de humilitate arcus curuaretur: nec poſſet inde fulgor emitti, niſi circunfuſæ nebulæ admitterentur. Audiendus Stephanus Cantuar. ad illud, *non vocetis me Noëmi, id eſt, pulchram; ſed vocate me Marâ, id eſt, amaram*, Ruth. 1. numer. 20. vbi ita. *Hæc eſt vox iuſtorum in præſenti, qui licèt aliis pulchri ſint, ſibi tamen videntur deformes: modò enim latent ſub ſagis, & ligna ſethin, albæ ſpinæ ſunt ſimilia, & Gedeon tanquam panis ſubcinericeus viſus eſt.* & in Eccleſ. *de viro iuſto dicitur, tanquam arcus refulgens, inter nebulas gloriæ.* neſcit enim aliàs virtus tuta eſſe, prædonibus non cedere, niſi penitus abſcondita deliteſcat.

2043. Ad extremam vitæ periodum deductus Iacob, tanquam poſtremum, & ideo altiùs imprimendum mandatum, hoc dedit ad Ioſeph: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac*, Geneſ. 47. numer. 29. Quis non putaret in tantâ voti anxietate, aliquid ingentis voluptatis, ſub vltimæ voluntatis titulo à Patriarcha ſuſpirari? & tamen audi D. Ambroſium Orat. de fide Reſurrect. *transferri oſſa ſua, ne vel mortuus quieſceret, obſecrauit.* & tamen tam excellens mortificationis actus, tam generoſus ex mente Ambroſij patiendi affectus: ſub cinere humani cuiuſdam deſiderij occultatur, à ſanctiſſimo ſene: quia illum volebat coram Deo, æternitati conſecratum: quod tunc conſequitur, dum humillimus, & homo & ſepulchri ſollicitus vult haberi, hæc ſatis de curâ, qua Chriſtus penitiùs ſponſæ cor, tanquam tutum latibulum affectabat.

§. XIV.

Deus virtutem, & amorem noſtrum emit: quem inuicem amore noſtro emimus, & virtute.

2044. Nonnulla iam pro cap. 6. recudenda. Dixi ſæpe in litterâ, poma olim apud paſtores, amantium pretium, & commercium fuiſſe: vnde & illud Propert.

Felix qui viles pomis mercatur amores.

hinc ergo puto in hoc Cantico, pomorum nomine, virtutes & amori affectus explicari: vt dum ab ſponſa offeruntur, mercata dilectum ſuum Chriſtum intelligatur. ideo cap. 7. omnia poma noua & vetera dilecto ſeruat: ideo hîc *numer.* 1. trahitur Chriſtus in hortum *vt paſcatur.* & ſubditur ſtatim: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, numer. 2. quaſi dicat: vt ego dilecto meo, ſic inuicem ille mihi venit in poſſeſſionem, emerat me ille ingentibus donis caro: ego illum vili, pomis & affectibus meis iam nunc emo. facit huc illud Luciani *in Toxari*, de Iuuene, ad amaſiam: *Munera verò longè alia reddidit, non pro qualitate pomorum, & corollarum, quas acceperat: ſed integras domorum inſulas, agros, ancillas, veſtes floridiſſimas, & aurum ad ſatietatem.* ita in re noſtra: nos, amores, virtuteſque noſtras ingenti pretio Deus comparauit, quem inuicem vili, pomis nimirum, id eſt, affectibus noſtris comparamus: emit temptus, emens emitur bono noſtro. vtrumque paucis comprobandum.

2045. Iacebat in grandi, & væcordi Dei obliuione, humanum genus: à Domino ingratiſſimè ſe eximens, operam & amores creaturis mancipabat: mancipium libidinis, libentiſſimam à ſe Dei gratiam alienans. Conatur ergo piiſſimus Dominus, illud iterum ſibi conciliare, & tunc ad Abraham, *egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, in terram quam monſtrabo tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum*, Geneſ. 12. num. 1. ita ne? tot cumulanda erant dona, tot præmia Patriarchæ apponenda, vt vocantis Dei voci obediret, imperium ſequeretur? certa aut nulla, aut minora ſatis erant, vt iret: omnia tamen neceſſaria, vt amando iret, ingenitam ementi Domino, amoris impenſurus libertatem. D. Chryſol. ſerm. 147. *Abraham vocat de geminibus, auget nomine, patrem fidei facit, comitatur via, inter cæteros ſeruat, ditat rebus, honorat triumphis, promiſſis oppignerat, eripit iniuriis, hoſpitalitate blanditur, mirificat germine deſperato: vt tot repletus bonis, tanta diuinæ illectus dulcedine charitatis, Deum diligere diſceret, non pauere, amando colere, non pauendo.* hæc omnia Deus impendit, vt homo amorem penderet: his donis, humani generis emit amores, quod timor diuinæ maieſtatis effugarat.

2046. Pauperibus ſpiritus ſtimulum additurus Chriſtus, & hominibus glorioſæ huius virtutis affectum immiſſurus, regnum promittit, & iſtud quidem cœleſte: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, Matth. 5. num. 3. vt qui hominibus Deos per eſſentiam eſſe, naturâque ipſa cœli reges non poterat communicare:

ad minus regiam dignitatem, cum quâdam per gratiam Deitate attribueret, & quorsum, inquis, tantum impendij? vidistin' aliquando bonorum quæ sub hasta sunt, emptorem auidissimum, primo iactu, summum quod potest esse pretium afferentem, ne quis alius suspitatis immisceatur mercibus, & licèt aliunde audax, immenso tamen prioris iactûs pondere obrutus, abeat desperans? hoc ergo fecit Deus, summam cui homines inhiant dignitatem primitus apposuit, vt nullus impostor mercem illi eriperet: maiora adhuc positurus, si horum mens humana capax esset. fauet D. Gregor. Nyss. in tract. de Beat. ad cap. 5. Matth. *quoniam magnum quiddam, & supra omnia propemodum quæ magni fiunt inter homines, regni nomen in via est: idcirco vsus est etiam eo, ad supernorum declarationem. nam si quiddam aliud excellentius, quàm regnum apud homines esset, per illud potissimum nomen, animum audientis sursum quasi alis additis euexisset, & erexisset ad inexplicabilis, & inenodabilis beatitudinis studium, & cupiditatem.* cupit Deus virtuti gloriosæ anhelent homines, & totum in hac negotiatione cœlum expendere, vt & expendit sanguinem, non recusat.

2047. Retulit per multa capita Moyses, immensa propemodum beneficia, quibus Deus Hebræam temp. promeruerat: quo adusque felix promissæ terræ ingressio *Deuter.* 10. *numer.* 1. annuntiatur: subiungit autem ibidem numer. 12. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te: nisi, vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ.* pende illud, *& nunc.* quasi dicat, non gratis, sed tanto exhibito pretio, exigit seruitium, amoris obsequium postulat, imò & extorquet: tanto enim præbito emptionis commercio, licèt durissimus venditor mitescet. Balduinus ibi. *Diligendus est Deus in beneficiis suis, toto corde, in promissis totâ anima, in iudiciis suis, ex omnibus viribus, in præceptis ex omni mente. Sunt autem beneficia Dei, alia conditionis, alia reparationis, alia quotidianæ consolationis. Ecce quomodo magnificauit Deus facere nobiscum: multitudine beneficiorum nos obruit, & amorem molitur beneficiis extorquere.* Sic emptio etiam amore recreatur, & vi pretij extortum, lubens accipit. Sed de Deo nos emente, latissimè alibi disputabo.

2048. Maius est, virtutis & amoris nostri tenuitate, inuicem ematur Deus, vt mercibus ipsis, quas pretio redemerat, suauissimè nobis emptitius redimatur. Hoc ergo etiam, vt dicebam, voluit hic sponsa, dum se dilecto tribuit, dilectum sibi. Laboribus & visitationibus suis, Christus virtutes eius emerat, & amores: vnde tota dilecto viuit, nihil sibi iuris proprij iam relinquens: at eo ipso, quòd dilectus his pomis pascitur, & amoris præhitl affectibus inescatur, iam sponsæ, diuinum, si fas dicere, beniuolæ pietatis mancipium adhæresceit. ideo Gilibertus ad illud Christi Cant. 4. num. 9. *vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*, sic scribit serm. 30. *Non potes sponsa amatori tuo vicissitudinem plenam rependere: ipse tamen non desinit superimpendere, quod rependit. tibi nondum plene solutum est, & tamen obligatum se putat. quidquid illi rependis, non accipit quasi debitum, sed quasi gratuitum, quasi prouocatum ad dilectionem se præsentit, dum cor suum vulneratum fatetur*, qui prius gratiâ suâ sponsam prouocauerat, & iuuerat, ad virtutes & amorem: eodem postea se vulneratum dicit, vt tanquam mutuo pretio se amoribus addictum adsignificet, tanquam mercede conductum ad redamandam sponsam protestetur. obligatus itaque amori seruit: redamat quasi sumpto iam pretio, vt noster totus esse videatur.

2049. Vt vitam Christo eriperent, vitam suam, ne dum diuitias omnes profunderent Pharisæi, & tamen dum proditor iniquam venditionem peracturus accedit Iudas: tantummodo, *statuerunt ei triginta argenteos*, Matth. 27. numer. 15. O quid agis miser! immensam summam si exigis, comparabis. O quid pateris numen? cur vilissimo vendi sic permittis! respondet pulchrè D. Paulinus epist. 4. *Nos enim ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate: ipse nobis hac pietate pretiosior, quòd se vili vult æstimari, vt à nobis ematur.* quis enim illo pretio Deum sibi non emeret: quo etiam vilissimum mancipium, caro non staret? Aptissimè D. Ambros. *lib. de instit. virg. cap.* 13. sic scripsit. *Ideo pauper factus est Dominus, cùm diues esset, vt eum omnes emant, & egenos præcipuè suâ paupertate locupletet.* quam cupit, à quouis emi, qui cuiuìs abiectissimo pretio se exposuit.

2050. Præcurrit Magdalena ardentiori igne instimulata, ad sepulchrum: post illam Petrus & Ioannes, quibus anxiè plorans ait: *Tulerunt Dominum de monumento*, Ioann. 20. numer. 2. abeunt illi, perseuerat sola, animam potius, quàm amorem per lachrymas effusura, & paulo pòst, interrogantibus Angelis respondet: *tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum*, ibidem numer. 13. Sed cur *meum* apud Angelos addit, quæ tantummodo priùs apud Apostolos, sine additamento, *Dominum* expresserat? quia priùs communem illum sibi cum Apostolis reputabat, nunc iam sibi vni possessum, credebat merito. Argutè Galfridus ibi. *Sanè ad Apostolos dixerat, tulerunt Dominum: cum quibus optabat habere communem non modò eius dominationem, sed laborem quærendi, & de ipsâ inueniendi difficultate mærorem: nunc verò regressis illis à monumento, quid illi restat, quæ sola remansit, nisi vt dicat: tulerunt Dominum meum*, nec immeritò, iam enim Dominus ille, olim communis, fiebat priuatus Dominus, & peculium Mariæ, quæ illum ardenti amore promeruerat, atque sibi faustè emerat possidendum.

2051. Hinc intelliges, cur ipsa Magdalena, cum reliquis fœminis, Christum resurgentem attrectarit, & tenuerit: *accesserunt, & tenuerunt pedes eius*, Matth. 28. numer. 9. manus enim iniiciunt, tanquam in bona propria, tanquam in propriam possessionem. attende. Veteres iniectâ manu, rem sibi iure legitimo asserebant, & vt audi affectum sumendæ possessionis exhiberent, complexu toto immisso, ab iniusto possessore vindicabant. ideo Mart. *lib.* 1. *epig.* 16. de bonis fugitiuis dixit eleganter communi formulâ huc respiciens:

Hæc vtrâque manu, complexuque assere toto.

Bene ergo vtrâque manu, & complexu toto: fœminæ sanctissimæ, quæ piissima inquisitione, amore ardentissimo lachrymis tenerrimis Christum comparatant, atque emerant: eundem tanquam suum liberaliter asserunt, & velut priuatum bonum sibi capiunt. ita capiendus

Chrysologus

Chrysologus ad hunc locum *serm.* 80. vbi ita. *Haberi se voluit, qui passus est se teneri.* haberi nimirum instar possessi boni, qui instar attrectati boni, liberalique manu asserti, vt aiunt, tenebatur. Cæsar olim, auctore Suetonio, Africæ appulsus, & è naui prosiliens, casuque lapsus, vt infaustum omen auerteret, imò & in aliud felicissimum conuerteret, terrà amplexu apprehensâ dixit: *Africa te teneo.* ac si diceret. Superabo Africanos: Africam subditam habeo, quam liberali manu tentam, meam assero. Sic meliùs in re nostrâ, diuina habetur possessio, quæ tenetur.

2052. Dubitant nonnulli cur Christus ab ipso ortu suo cœlos non aperuerit, animas non bearit, spiritum Paraclitum non emiserit: cur statim sapphirinas sedes illas, confractis adamantinis vectibus non penetrarit, ad diem vsque resurrectionis & ascensionis suæ, rem dilatans. visusque respondere Chrysologus *serm.* 136. locutus de Adelpho sanctissimo, qui ipsum priùs familiarissimè visitarat. *Beatus planè iste animus, & ab omni morbo arrogantiæ remotus, qui ad pauperis diuersorium priùs intrauit, vt ante humanitatis debitor, quàm largitor existeret. Imitari Deum euidenter iste gestiuit, qui ante humana in corpore suscepit obsequia, quàm beneficia homini diuina concederet.* hæc est summa perfectio, perfectissimus apex liberalitatis, ita dare, vt reddere videaris. Adelphus Episcopus sanctissimus, hospitalitatis deuotæ obsequia priùs accepit, oratiunculam Chrysologi audiuit, vt cùm postea ditissima munera præberet, eloquentiæ suæ flumina solueret, fulmina vibraret: solutio ista potius, quàm donario putaretur. Sic Deus prius accepit Virginis Deiparæ, & Ioseph officiosam pietatem, sororum Marthæ & Mariæ, Apostolorumque obsequia: vt spiritum quem emisit, cœlum quod reserauit, piissima quadam simoniâ emere videremur: dumque animas & virtutes sibi emit, homines eisdem Deum sibi possessum gratulentur. Sed de hoc multa suprà, plura in Conceptione Deiparæ congeremus. Nunc ista satis, vt mutuâ emptionis possessione, vt ab illo sponsam, sic ab ista eundem suauissimè comparari intelligatur.

§. XV.

Laudes sunt, instar pestis, auertendæ.

2053. IN hoc ipso cap. 6. sic additur de sponsa: *viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ laudauerunt eam.* subditurque statim numer. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* vix laudatur, cùm progreditur, cùm discedit, nimirum, nouerat si adhuc mortalem & fascinabilem: progrediturque fugiens, ne laudibus audiendis immorata, mores corrumperet: fugiebat consurgens, ne eò vsque fascinans illa laudatio perueniret: imò struebatur acies, vt, si aliter nequiret, armis arreptis, oppugnantes modestiæ mœnia, laudes expugnaret. Aptè in re simili D. August. Confess. 10. cap. 36. *Nobis, quoniam propter quædam humanæ societatis officia, necessarium est amari & timeri ab hominibus, instat aduersarius veræ beatitudinis nostræ, vbique spargens in laqueis, euge euge: vt dum auidè colligimus, incautè capiamur.* Capitur sanè laudibus, laqueorum instar, virtus: vix vltrà felici libertate explicanda. Abiit iam in parœmiam vox illa:

— *laudataque virtus*
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Sed hoc de humanâ, id est, falsâ virtute, verum: nihil fallacius, si Christianæ virtutis negotium pertractemus. hæc laudata non crescit, sed decrescit, penitusque quandoque contabescit.

2054. Recentes adhuc virtute Protoparentes, sic aggreditur Dæmon. *Cur præcepit vobis Deus*, &c. Genes. 3. non solùm responsionem captat, sed & ipso primo verbo, vtpote laudatorio, statim capit. & vbi, inquis, laus huius interrogationis? adest certè, eo nocentior, quo rectior euibratur: idem enim est, ac si dicat: indignum planè, vt virtuti vestræ, & fortunato statui, aliquid denegetur: iniuriæ ergo de præcepto imposito capite vindictam: pomo ventrem, mentem diuinitate replete: eritis sicut Dii, & debito virtutis dignitatisque vestræ præmio fruemini. non poteras pessime, & callidissime serpens, bene moratas cousque animas sæuiori telo ferire: hoc vno laudis adhibitæ, rem tuam perficis, miseros conficis. Sic visus locum capere D. Ambros. scribens de viris quibusdam sanctissimis olim, & postea arrectâ laudis cupidine, in hæresim prolabentibus, lib. 10. epist. 84. *tantam firmitatem, & tam sublime propositum, qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & vnde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio*, &c. *In paradiso namque Ecclesiæ constitutos, & virtutum delitiis abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriæ voluntatis, manum præsumptionis extenderent.* quæ omnia vt vides ad primam Euæ deceptionem: cui non apertum vitij amorem, nisi sub latentis laudis cupiditate, valuit immittere.

2055. Timebat quidem nobis, à tanto damno, Propheta: ideo monet Psalm. 33. numer. 10. *Timete Dominum omnes Sancti eius.* Sed quid timeant, dicat aliquis, qui iam securi? qui de perfecta charitate foras mittunt timorem? qui facie ad faciem speculantes, in Deum transformantur? non id de cœlestibus iam iustis intelligendum: sed de iis Sanctis, qui adhuc in terra degentes, possunt adductis laudibus perire: sunt istis laudes timori, quibus quà viuis, incompleto adhuc Deus est amori: solum cœlestes non timeant, qui iam à laudum nocentium peste sunt securi. D. Bernard. ad hunc locum *serm.* 5. *in Festo omn. Sanct.* post alia: *Non est quòd laudare vereamur, verissimè certissiméque laudabiles: non est quòd glorificari cunctemur, sic absorptos in gloriâ, vt nostrâ omnino nequeant laudatione moueri: non est quo vanitas intret, vbi veritas iam totum occupauit.* At non laudentur iusti in vitâ suâ, imò timentes Dominum, laudes fugiant, ne fortè laudatiunculis moueantur: adhuc in vanitate vitæ commorantes, ne fortè vanitati morem gerant: pestis huius periculum arceant, necesse est.

2056. Dilectissimum Iudam suam, tanquam iustorum typum commendaturus Iacob, sic habet: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui*, Genes. 49. numer. 8. at quantus timor in his

his fraternis laudibus? vidit credo ipſe Iacob, ideo ſtatim addit: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti*, numer. 9. nuper inter amplexus fraternos, inter debitas maieſtatis acclamationes, & ſubitò in monte in ſolitudine? vnde tam breui venator, qui paulo antè, dicitur triumphator? mauult ſcilicet ſe ſolitarium, quam ſtipatum: laudes fugit, ne fugaret virtutem. fugat enim prudentiam, qui non fugat periculum. ideo D. Auguſt. *lib. 2. de ſerm. Dom. in Monte, initio*, ad rem aliam, ſed totus ad hanc mentem: *Si inter quos viuis, te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore ſunt: ſi autem te laudauerint, tu in periculo.* ecquod enim maius periculum, quàm ſequentes meritò laudes, neceſſariò pati per ſequentes? ſi negas iuſto laudis, fur es præmij, ſi tribuis, ipſius virtutis prædo reputaris. quantum ænigma! fugit itaque Iudas capturus laqueis feras, ne ipſe laudum laqueis capiatur. Soluunt fratres laudantes, quod debent: ſed ille debet fugere, quod laudatur.

2057. Hinc Dauid. *Auertantur erubeſcentes, qui volunt mihi mala: auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge*, Pſalm. 39. numer. 4. Excute ſeriò verba: alij enim erant hoſtes, qui mala volebant: amici alij, qui laudes & euge euge intonabant. cur ergo dum illos rubori tradit, hos confuſioni ſimili vult immiſſos, idque celeriùs, & à ſe ſtatim penitus auertendos? quia ſæuius malum ab amicis laudantibus patiebatur. bene eſt. adhuc tamen reſtat dubium, cur hos non ſolùm auertendos, ſed etiam erubeſcentes flagitabat. fugerat Dauid quidem: ſed cur erubeſcant, qui officio, ſolutis laudibus, ſatis faciunt? nimirum cupiebat Dauid apud laudantes amicos vilior apparere, & ita vilis, vt amici, quòd priùs illum laudarant, erubeſcerent. quaſi dicat ad Deum. Erubeant hoſtes, quia tuo fauore munitus ab illorum defendor violentiâ: ſed amici pariter, inimicorum functi officio, dum mihi, euge inclamant laudatores, ſtatim (quia periculoſius eſt contagium) agnitâ vilitate mea, laudaſſe aliquando, erubeſcant. Ita D. Bernardus, ſibi rem applicans *epiſt. 72.* explicat Prophetam. & poſt multa de maleuolis: iam de beniuolis laudatoribus ſic concludit. *Precor, vt quicumque exiſtimant de me, ſupra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, auertantur: id eſt, à laudibus meis, in quas ignari nimiè feruntur, reſiliant, & pedem retrahant. quomodo? quando videlicet cognoſcentes plenius, quàm immoderatiùs laudant, & conſequenter erubeſcentes vel errorem ſuum, vel amici deprehenſam inutilitatem. qui licèt innocenter, tamen nocent, dum beneuolè quidem, ſed nimiò laudant, auertantur retrorſum.* Sic mauult iuſtus inutilitate fœdus apparere, quàm fœdandus turpius, laudibus exponi.

2058. In eandem mentem iterum Pſalm. 52. numer. 6. *Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent.* vel, vt alij legunt: *Deus confringet oſſa hominum placere volentium.* qui ſunt enim, qui placere volunt hominibus, niſi qui inuicem ab eiſdem laudes captant? pende tamen, cur non totus hic humanæ, ideſt, vanæ auræ captator, dicatur diſſipandus, ſed ſolummodo eius oſſa ponantur confringenda, & videbis iuſtiſſimum irati numinis indicium: permittit enim vt irrogata laus fulminis inſtar, externâ carne intactâ, intima oſſa comminuat, eneruet fortitudinem, vnde poſtea quouis opprobrij genere corruant eneruati. ita D. Auguſt. tom. 2. epiſt. 64. *Non fruſtrà dictum eſt, Deus confringet oſſa hominum placere volentium. quid enim languidius, quid tam ſine ſtabilitate, ac fortitudine, (quod oſſa ſignificant,) quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat, cùm ſciat falſa eſſe, quæ dicuntur? cuius rei dolor, non modò animæ viſcera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa eius confringeret.* itaque amore laudis, encomiorum acroamate, peſtilenter ſpiritus eneruatur, & velut faſcinatus contabeſcit, ne quid poſtea duriuſculum ferre poſſit.

2059. Deſcenderat Sanſon in Thamnata, fit illi, hoc eſt, morti, obuius leo, quippe iuuenis feram, irruente ſpiritu confecit, & addit textus: *hoc Patri & Matri noluit indicare*, Iud. 14. num. 6. puto ne eius virtus debitis parentum laudationibus clara, euaneſceret: nam ſi ab initio aſſueſceret domeſticas etiam laudatiunculas captare, poſtea fortè de tot proſtratis hoſtibus, de tot portentis editis ſuperbiret. Scitè D. Gregorius *in Reg. cap. 13.* licèt non ad hunc locum: *qui in minimis laudes appetit, cùm maiora opera fecerit, ardentiùs & auidiùs laudes quærit.* abhorret ergo Sanſon omnem laudatiunculam, cuius amorem hydropicum agnoſcit, & perdendæ virtuti robuſtiſſimum. Salubre propterea conſilium illud Eccleſ. 13. numer. 16. *Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum ſubuerſione tua ambulas.* tota cautio vni auditui admouetur, & meritò: ſubuertitur quippe virtus, quæ laudis audiendæ peſtem non euitat. ideo bene Auguſtinus ſuper. numer. citatus. *Non enim huius hoſtis vires ſentit, niſi qui ei bellum indixerit, quia etſi cuiquam facile eſt laude carere, dum negatur: difficile eſt eâ non delectari cùm offertur.* periculoſum hoc bellum ſi initur, ſi pugnatur durum: ſolum cùm fugitur, feliciter indictum.

2060. Peragrabat Chriſtus Dominus Geraſenorum regionem, quem vbi Dæmon, miſerum hominem torquens vidit, *à longè cucurrit, & adorauit eum*, Marc. 5. numer. 6. Iudicem trepidaturus, expulſorem fugiturus potiùs videbatur, & tamen non ſolùm venit, ſed currens properat vltrò, Domino, quem timebat, adſtiturus. quid ita? iam diu venire ad Chriſtum ſatagebat, experturus an tantumodo homo eſſet, an etiam diuinitatis particeps habendus: ergo vt videt, vt accurrit, tentationis iaculum vibraturus. ideo ſubdit, *Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi?* numer. 7. captabat enim per laudes Saluatori dictas, (ſi fortè is homo purus eſſet) intemerabilem ſanctitatem eiuſdem temerare. Chryſol. ibi ſerm. 17. *credit infelix, vt quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, poſſit adulatione pulſare. Sed ille conſueuit vinctos abſoluere, reuocare captiuos, nec acquiſitos, ſed conditos à ſe ſibi reſtituere terminos: hoſtem liberâ virtute percellere, nec factione pellaci inimicum ſuorum requirere poſſeſſorem.* quaſi hoc præteritis tentationibus telum, longè fore robuſtius iudicaret. & bene id inter Dæmonis pellacias, *liberâ virtute* facturus dicitur Chriſtus: quia homines vix poſſunt, virtutem laudi non proſtrare captiuam: vix pellacem declinant factionem, & peſti ſæuæ cedentes corrumpuntur.

2061. Neque mirum patiatur ſeruitutem, qui ſeruitutis extremam notam, flagellum ſcilicet, patitur patienter. id, ni fallor, voluit amicus Iobi,

de

de iusto locutus : *à flagello linguæ absconderis , & non timebis calamitatem cum venerit* , cap. 5. numer. 21. quod enim sæuius flagellum potest excogitari , quàm illud quo trepida virtus laceratur? sentiunt sanè illud satis dolenter iusti: atque pro magno reputant beneficio , si a laudatorio verbo , tanquam a sæuo verbere abscondiri defendantur. huc accommodo D. Chrysostomum *in cap. 9. Matth. hom. 27.* vbi ita. *Insipiens est , qui gaudet laudatus in facie : vir autem sapiens quando laudatur in facie , flagellatur in corde.* hoc est , sentit dolorem impactū sibi flagelli. quia nulla insipientia maior, quàm ignorare , laudatorium verbum , verber esse , virtutumque laudatum facinus , fascinari, & perrumpi.

2062. Fatentur id ipsi peccatores Psalm. 11. numer. 5. *qui dixerunt , Linguam nostram magnificabimus , labia nostra a nobis sunt.* vbi Vatablus ex Hebræo vertit : *qui dicunt linguis nostris perrumpemus.* quia scilicet dum magnifica loquuntur, dum laudes alicuius Intonant , animam perrumpunt , & miseram eius virtutem tabefaciunt. Adducet hinc nox illa Prouerb. 27. numer. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi , de nocte consurgens , maledicenti similis erit.* cuius litteralem sensum alibi fusiùs explicabo. tropologicum sic cape , quia nimirum quæ virtus , quasi in somno humilitatis suæ secura quiescebat ; fortè extra tempus laudibus excitata , miserè contabescet. Aptius est , quod scripsit Galfridus ad hunc locum. *Nox est vita ista mortalis , ignorantia tenebris terræ , & culparum obscura caligine. in ea tamen consurgens , amico suo voce grandi benedicit : qui in vita sua laudare hominem , & non parcè laudare præsumit. itaque similis est maledicenti , dum immiliter vilem fumum excutit , & beatificans in errorem inducit.* Hæc sunt cur in hoc loco sponsa , auditis laudibus fugiens discedit , tanquam pestem encomia sibi dicta cupiens euitare.

§. XVI.

Quantus nasus , dignoscendis voluptatis fallaciis , atque Dæmonis technis requiratur.

2063. VNum verbum ex cap. 7. delibandum nasuta , idest, prudens (sic fere Patres) sponsa de respiciendo Damasco celebratur : *Nasus tuus sicut turris Libani , quæ respicit contra Damascum* , numer. 4. *Damascus* autem , idem est , atque *bibens sanguinem* , voluptatum scilicet carnalis libido. hanc ergo (ac dissimulata incedit) vt cognoscat sponsa , summâ indiget prudentia , ingenti naso : laudanda maximè , si distantem subodor[illegible] , R[illegible] ns ibi, postquam de his multa , sic conc[illegible]. *Damascus namque interpretatur bibens sanguinem & illum significat , de quo Apostolus loquitur dicens: Sed quomodo tunc is , qui secundum carnem natus est , persequebatur eum , qui secundum spiritum , ita & nunc* quæ vt capias , pende apte Apostoli [illegible] in hoc loco Galat. 4. numer. 19. *persequentem* Ismaelem di[illegible]e. quem Sara [illegible] *numer. 9. ludentem* appellauit. re en[illegible] mina adhuc caligans lusum sub [illegible] his pleniori spiritu mostus , [illegible]

do aperuit persecutionem : vt discerenius [illegible] te sub mentita specie boni , veram vol[illegible] fallaciam subodorari. ipse se aperit Rupert[illegible] sic subiungens. *forti imo spei , ac discreti[illegible] naso opus erat contra omnem eiusmodi f[illegible] fratrem , ludendo persequentem , & persequendo ludentem : ne vsquequaque illudat ,* [illegible] *si corpus lædit , saltem animam non decipiat.* P[illegible] h [illegible] condi[illegible] tionem impenetrabilem [illegible] hiber c[illegible] nalis se[illegible] sus lusum , & luctum præbet : gaudium offert , sed gladium affert nisi à prudenti naso , ni[illegible] a turri[illegible] speculâ non c[illegible] scendu[illegible] Videamus ergo fusiùs , quam f[illegible] incedat voluptas , qu[illegible] mirus artifex , quam[illegible] que f[illegible] gax e[illegible] in [illegible] entiendis pro [illegible] Dæmon : inde enim c[illegible] parebit , quantopere na[illegible]us t[illegible] tus sponsæ fuerit necessarius.

2064. Ah lasciuam Babylonem ! exclamat Ieremias , [illegible] lpæ matrem , virtutis nouercam , libidinis fomentum ! quid tunc , si purpurâ induaris , & aureo poculo porrigas venenatum vinum , quo n[illegible] orbi petit inebriatus nam in manu Dei , sub eius potestate constitueris , vbi primum expedierit , deturbanda cades , cades , Babylon magna , cùm expedierit. hoc sibi vult illud *calix aureus Babylon in manu Domini , inebrians omnem terram de vino eius biberunt gentes , ideo commota sunt* , cap. 51. numer. 7. [illegible] latium plane est , concept[illegible]o damno, vt tyrannis tanta in manu , & potestate Domini constituatur , vbi ipse voluerit deturbanda. At cur id damni quandoque dicant eueniret? cur ita stultescant homines , vt venenato vino propetent inebriandi ! quia latenter , & in aureo calice porrigitur. Diuus Ambrosius lib. de Elia cap. 15. *qua ratione calix aureus? quoniam , quia veritate deficit , quærit illecebram: vt specie saltem pretiosa ad bibendum aliquos possit allicere.* nouit misera , auertendos inuitatos si detegatur : non nisi sub vana specie decipit desipientes. decipietur quisquis nisi nasutus sub auri fallacia , potiunculæ venenum odoretur.

2065. Quis vnquam legit delitias , & diuitias Salomonis , qui non putaret omnium pretiosissimas, in componendo nuptiarum suarum thalamo impendendas ? parum putares si ebore , cedroque coustructus , aurea peristylia adamantibus nitentia exhiberet : parum si purpureis sericisque peristromatis velaretur. quid ni , si sexagi[illegible]ta principes , iique robustissimi , accincti semper , thalamo isti , tanquam excubitori thesauro vigiles , & excubantes admouentur? quid ni , si ferculum eius & currus , ad despectum geminarum , etiam pauimentum illus intersterebat : Audi tamen post exquisitum ferculi apparatum , quid de thalamo , & quàm simpliciter proferatur : *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt* , &c. & nihil de compositione , nihil de ornatu. *Cant. 4. numer. 7.* vt vid[illegible] tur fortissimi adhibiti custodes , non tam vt ornatum defendant , quàm ne q[illegible]s [illegible] undè comprus , & externus ornatus , di[illegible]æ vol[illegible] pta[illegible]is lectulum interpolet. Nunc audi me[illegible] tricis , [illegible] u F[illegible]sæ voluptatis , in sternendo l[illegible]cto suo , blandimenta *Intexui funibus lectulum meum : straui tapetibus pictis ex Ægypto: asperfi cubile meum myrrhâ , & Aloe , & cinnamomo,* P[illegible]ouer. 7 numer. 16. & vnde tam lætum discrimen? ab vtriusque facie , & profanæ voluptatis

voluptatis ratione. illa pura, & nuda exhibetur, quia nihil vult celare, quæ secundùm se totam, ardentes cupiendam, de syocera veritate, confidit satis. hæc sternitur, vt abscondat turpitudinem, sub Ægyptiis tapetibus, tenebris potiùs dixeris Ægyptiis, patentes aliter horrores vult celatos: latet, vt capiat, quia patens exsibilabitur. Gilibertus *serm.* 17. ad locum Cant. citatum. *Bonus lectulus, qui non rigatur lacrymis, qui non in tenebris sternitur, qui nihil habet in se triste, nihil tenebrosum: sed totus lux, & lætitia est, qui non indiget sterni tapetibus de Ægypto, quibus in Prouerb. mulier meretrica lectulum sternit. nihil in se habet lectulus Salomonis alieni ornatus, nihil picti, nihil mundani: sed totum sancta voluptas, & solida veritas.* Sic diuina voluptas nuda incedit, sic profana fucata latet: illa vt placeat, ista vt noceat: nisi prudenti sagacitate detegatur.

2066. Vt opibus, gregibus, & voluptatibus suis deseruirent Rubenitæ, sacra, in hostes Dei, prælia contempsere. reportatur ab aliis tribubus triumphus: in cuius faustissimo epinicio, sic ad Rubenitas strenua virago, victrix Debora. *Quare habitas inter duos terminos, vt audias sibilos gregum?* Iud. 5. num. 16. incusantur quòd lordanis campestria incolentes, & gregum suorum lucris & voluptatibus immorantes, in fratrum auxilium venire recusarunt. Sed pende verba curiosiùs. Si greges erant, quomodo sibilabant? si sibilos emittebant, cur alieno oues, & non proprio nomine serpentes appellantur? meræ Sirenum, id est, voluptatum conditio hîc exprimitur. Audiebant musica Sirenum carmina nauitæ, & dulcissima quædam animæ blandimenta iudicabant, sed non impunè: ad Lyram quippe delirantes raptis dulces illos & fallaces sonos ad scopulum naufragantes, mortis suæ nænias esse, seriò agnoscebant. Eleganter Claud. 3. *de rap.*

——— Siculi latus obsedere Pelori
Accursaque malo, iam non impunè, canoras
In pestem vertere Lyras: vox blanda, carinas
Alligat, audito frenantur carmine remi.

Sic sub alienissimâ Musicæ specie, pestis dissimulata veniebat. Audiendus nunc ad locum Deboræ D. Anton. Dom. 3. post Trinit. *Inter duos terminos habitat, qui non infelicem ingressum, nec miserabilem egressum attendit: sed voluptatibus propriij corporis deseruit, & sic audit sibilos gregum, id est, sibilem & suauem persuasionem quinque sensuum. Sensualitas autem videtur habere vocem gregum, & eius suggestio, sibilus est serpentum: prætendens gregum innocentiam, & lupi tegens versutiam, & sic venena fundit serpentum in animam.* En tibi sub cantu Sirenum, mortis luctum: sub gregis balatu, sibilum serpentum: sub specie decorâ, monstrum fœdissimum.

2067. Sic est: propriè de Sireni, siue voluptate capiendum est illud Horat. *in Arte,*

——— turpiter atrum
Desinit in piscem, mulier formosa supernè.

vultum enim ostendebat pulcherrimum, nullius dol indicem: absconditâ parte illa monstrosa, qua poterat prætereuntes deterrere. Sed subdo sacra. Propinauit protoparentibus diuinitatem Dæmon: vt etiam humana nobis eriperet concessa, & sub tam diuersa specie, præcersum suum ingenium occultauit. ideo Chrysolog. de triplici scandali genere locutus, sic habet *serm.* 27. *à diabolo sunt illa, quæ fallunt specie: quæ prætendunt bona, cùm mala inferant: sicut illud ad Adam, cùm nobis humana abstulit, dum diuina promittit.* Sic enim mitus artifex, se, porrectasque voluptates transfigurat, vt sola mutabili specie capiat, firmam eius formam fugituros. Propterea contra Dauidem, id est, virum iustum Dæmon insorrectutus, sub nomine Goliath Gethæi delitebat, 1. *Reg.* 17. *n.* 4. imò, qualis veniret, publicabat. D. Anton. de Padua serm. Dom. 4. post Pasch. *Goliath interpretatur transfigurans: Gethæus interpretatur formidans, & significat diabolum, qui transfigurat se in Angelum lucis, quia in propria figurâ formidas deprehendi.* Sic enim semper sub aliena facie delitet, vt quem benignum aspicis, subdolum non formides.

2068. Hinc in summis illa Dæmonis expugnandi difficultate, per omnia, quæ tibi occurrunt, insuperabilia, tamquam princeps posuit Deus experimentum, vultus eius operimentum, seu laruam penetrare. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Iob 41. num. 4. pergamus paulatim, & cur ita difficile? Respondet D. Nilus in lib. Ascet. *perinde est, ac si diceret: Facies ipsius, non est perspicua: multis enim indumentis tegit improbitatem, primò quidem aspectu, dolis alliciens, & sub insidijs, occultam perniciem struens.* & meritò quidem dixit, *multa indumenta*: alludens, credo, ad vim litteræ, vbi non tam indumentum faciei, dicitur reuelandum, quàm indumenti facies operienda: quasi tam variè, tam facile, facies Prothei æmula, mutaretur, vt non tam videatur facies ipsa mutari, quàm induta larua, in alias & alias transformari. Eleganter id ibi exprimit Olympiodorus in catena Græca. *Faciem indumenti dicit, diuersas quas vicissim personas, quasi histrio suscipit: ouis enim naturam fingendo imitatur, cùm lupus existat: nec non in Angelum lucis transfiguratur, cùm sit tenebræ.* Apta comparatio: sicut enim olim histriones, numquam aperto vultu in scenam prodibant: sed in eodem dramate repræsentaturi diuersa, diuersas semper laruas assumebant: sic & Dæmon non prodit, se ipsum ostentando, sed nunc has, nunc illas personas assumendo: vnde non tam à propria facie ad laruam, quàm ab hac, ad nouam semper aliam pertransit. ideo statim subditur n. 5. *& portas vultus eius, quis aperiet?* quia faciea mille tegumentibus inuolutam, nunquam adultimum sui venire permittet. In Sixtianis legitur: *in rugas pectoris eius, quis vtique ingredietur?* quasi non plures sub peccatore verset versutias, quàm in vultu subeat versipellis mutationes: ac proinde vultus, & pectus, vnum idemque esse intelligatur.

2069. In nulla tamen tottius vultus parte, larua fallacior, quàm in oculis: de quibus num. 9. *oculi eius, vt palpebra diluculi.* clatiùs in Græco: *oculi eius species Luciferi.* totus terribilis est, & tenebricosus: vt visus, quosuis obuios effugaret. At quorsum fictâ luce allicere conatur? sicut cæcus & delusus papilio, totus pendulus lucernæ instat, lumen circuit: vbi redactus in cineres propria morte, lucis ambitæ radius sacrificet, & à lucerna capitur desipiens: sic dæmon pulchrâ Luciferi specie stellatus, inscios captat, miseros captiuat consumendos. D. Nilus libro citato. *Hac dicit, vt retegat malitiam ipsius, qui sumit in oculis speciem Luciferi, vt ad se trahat intuentes: aspides autem intus fouet, vt accedentibus perniciem afferat.* vbi aliquando aspides, venena sua secretius occultarunt? vbi vsquam occultior pestis delitescit? & huic detegendæ nasus, & prudentia insignis non requiratur?

Sed cape adhuc aliquid grandius ex eodem capite, vbi ex professo visus Deus, fallacias nobis infensissimi huius hostis detectas voluisse: *feruescere faciet quasi ollam profundum maris, & ponet quasi cùm vnguenta bulliunt.* ibidem num. 22. vidistin' ali

aliquando mare tumescens, sæuum tempestate fœdâ, & centri conuulsione fœdissimum notastin, quàm turpem exhalet mephitim, adeò vt odor teterrimus, robustissimos etiam soleat prouocare ad nauseam detribare? vnde ergo, (quando sic se res habet) grauis halitus, graueolens amaritudo, vnguentis suauissimè spirantibus, & admoto igne dulcissimam efflantibus auram: sptè in hoc loco veniat comparata? mira nimirum est techna, exquisitum nequissimi hostis, inimicissimi dæmonis artificium: qui sic dolosè procedit, vt teterrimum voluptatum odorem, sub vnguenti suauissimi pallio dissimulet. pulchrè Gilibert. *serm.* 17. ibi: *Mors est in hac olla: ollam hanc succensam vidit Ieremias* cap. 1. *& faciem eius a facie Aquilonis. qualis vnguentorum artifex, qui de mortis ollâ, vita vapores exire simulat: qualis artifex, qui ollæ succensâ faciem, quasi ab Austro feruere facit, per quam potius ab Aquilone, mala exardescunt in terra.* Sic vnguentum ex mephiti euaporat, & Dæmonis flatus, id est, infausti Aquilonis turbo sæuissimus: leuissima diuini spiritus aura, gratissima cœlestis Austri respiratio computatur. habes iam caussam, cur sic nauta, sic prudens celebretur sponsa, vt possit has sibi noxias fallacias præcauere.

§. XVII.

Infernus ignis aut vrit absque luce, aut lucet ad tormentum.

2071. Concludo appendicem breui notatiunculâ ad illud cap. 8. num. 6. *Dura sicut infernus æmulatio.* Suppono ergo tamquam probabile ad litteram, ex mente aliquorum, zelotypam & mordacem, suspiciosi amantis æmulationem hîc significari. Quæro autem, cur hæc inferno maximè comparetur? de qua re, ni fallor, sic puto statuendum. Amor zelotypus, merâ & vana suspicione correptus, totus cæcutiens, intestino ardore consumitur, & in mediis suspicionis corrodentis tenebris, totus conflagrat: cæcus vndique & obscuratus; id tantummodo videt, vnde acriùs videndo torqueatur. eni ergo vsquam aptius comparetur, quàm inferno igni: cuius id singulare, & proprium est stemma, vt aut vrat absque luce, aut luceat ad tormentum? id iam ostendo, vt germana explicatio, clarior ab ipsis tenebris splendescat.

2072. Vocauit sanctus Iob, infaustam illam inferni regionem, terram miseriæ, & tenebrarum: *vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* de quo latè à cap. 10. num. 22. Sed bene, dicat aliquis: nonne Deus omnia in pondere, numero, & mensurâ ordinauit? nonne eius iustitia punitiua, pro meritis pœnas distribuit proportionatas? qui ergo in inferno, ordo iste deficere dicatur? certè ille, ille hic summus est ordo, vt flamma inferni nullo seruato naturæ ordine sit in ardorem sæuus: sit cæcus in lucem. latissimè de hac re D. Gregor. ibi lib. 9. cap. 39. *Mirâ potentiâ, iudicantis æquitas ordinat, vt pœna animam quasi inordinata confundat. vel certè abesse ordo supplicys dicitur, quia quibuslibet rebus in pœnam surgentibus, propria qualitas non seruatur, &c. hic flamma, quæ succendit, illuminat: illic, vt superiùs verbis Psalmistæ docuimus, ignis, qui cruciat, obscurat. hic metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit, quod timebatur: illic, & dolor dilaniat, & pauor angustiat. horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate.* optimus quidem sic ordo, inordinatus: vt disterepent qualitates, aliunde in igne coniunctæ, ad illius pœnam, qui ad culpam, à Deo, cui coniunctissimus debebat esse, discrepauit.

2073. Conciliabis inde illud Christi Matth. 25. n. 4. *Discedite a me maligni, in ignem æternum.* cum iis eiusdem, vbi eisdem inferni pœnis altum damnaturus, sic habet: *ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, Matth. 22. num. 13. nam si ardenti igni, & accensis flammis condemnatur: vnde nam in medio flammarum incendio, caliginosæ tenebræ prodibunt? conciliabis, inquam, ex Gregorio citato cap. 38. *Natura ignis est, vt ex seipso & lucem exhibeat, & concremationem: sed transactorum vltrix illa flamma vitiorum, concremationem habet, & lucem non habet, &c. si itaque ignis qui reprobos cruciat, lucem habere potuisset: is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur.* discedunt quidem à Deo priùs per culpam, & postea ad pœnam, & discedunt pariter à semetipsis, ignis proprietates, (quas congenitâ societate, natura copularat:) vt sæuiùs hanc vindictam exequantur.

2074. Describebat Propheta Deum iudicem, quando in conspectu eius exardescet ignis, & tempestas validè obruet peccatores: deinde subdit, *vox Domini intercidentis flammam ignis*, Psalm. 28. num. 7. Sed cur intercidetur ignis iste, qui vnitus, diriùs sæuiturus videbatur? cur intercisus diuiditur, qui totus in peccatores actiùs conflagraret? quia diuisio est, quæ non vim agentis minuit, sed potius auget pœnam patientis. Audiendus D. Basilius hic hom. 5. *Profectò multo mirabilius est, ignis naturam dissectam esse, quàm mare rubrum in partes diductum esse. attamen vox Domini continuam & vnitam ignis naturam discindit, & quamuis ignis, humana industria indiuisibilis esse videatur: attamen precepto Domini disseratur, ac dispartitur. Arbitror autem, quòd ignis preparatus in supplicium diabolo, & Angelis ipsius, dissecatur voce Domini: vt quoniam duæ sunt in igne facultates, vstoria & illuminatoria: acris quidem & punitoria vis ignis, permaneat apud eos, qui digni sunt, vt vrantur. illuminatoria verò ac splendens ipsius facultas, ad exhilarandos, beatarum gaudio fruentes cedat.* Intercidit ergo in hoc igne qualitas, non quantitas: vt hac vnitus torqueat robustus: illâ disiunctus, tenebrosus sic miseris infligatur.

2075. Propterea ideo Iob citatus, semper Infernum, *vmbrâ mortis* caligantem attestatur. quia, vt bene ibi D. Gregor. cap. proximè citato: *sicut mors exterior ab animâ diuidit carnem: ita mors interior à Deo separat animam. vmbra ergo mortis, est obscuritas diuisionis, quia damnatus quisque, cum æterno igne succenditur, ab æterno lumine tenebratur.* quia nimirum tanti sunt tenebræ illæ incendij, vt quidquid exterioris erat lucis, inde obtenebretur. bene D. August. lib. de spir. & Ani. tom. 3. *Flamma comburet, sed tenebras non discutiet: erit enim in igne obscuritas.* & talis obscuritas, inquam ego, vt qui illâ caligat, vt ab æterno, sic etiam ab interno lumine priuetur. Idem se explicat Gregor. additis illis, quæ iam initio dedi. & clariùs adhue expendens illud Psalm. 57. num. 9. *Sicut cera quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.* de quo ita ibidem: *Ignis enim super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur. quia quos illa flamma gehennæ deuorat, à visione veri luminis cæcat: vt foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret.* Ecquæ tenebræ vsquam caligantiores, quæ non solùm oculorum lumen, sed verum mentis eripiunt splendorem?

2076. Veruntamen quandoque infernus ignis, & ipsæ obscuræ tenebræ lucent, vt initio dicebam,

sed

sed ad tormentum. Pende mihi signatè tenebras illas, *Matth.22.num.* 13. de quibus suprà, vocari, *tenebras exteriores.* Sed cur ita, si intimè pertingunt miseros cruciandos? quia peccator, qui dum viuebat, caliginosus & scelera occultans, interiores quasdam deprehenditur tenebras fouisse: iam in flammis infernis, videtur ad quasdam transire tenebras exteriores, quæ dum à luce separant, veritatis tenebræ sunt, dum verò publicant, & manifestant delicta, *exteriores,* id est, manifestæ, & quodammodo lucidæ dicuntur. Galfridus *ad lib.* 4. *Reg. cap.* 5. obiter id illustrat, arguens peccatorem, qui sub duræ proteruiæ pallio, occultat culpas. *Inueniet hac duritia, duriorem, & qui noxias interim fouent latebras, proijciuntur in tenebras exteriores. in tenebris siquidem positus, iam non intus, sed foris erit: alienus quidem à luce veritatis: sed ab ea palam, & publicè redargutus,* vt ita infausta luce rideat se ridentes ad tormentum: aut saltem redargutus, ostentui aliorum obiiciatur.

2077. Quis non ridet, (nisi fortè miretur:) inferni illius Diuitis, inter impia scelera, pietatem, dum Lazari missionem rogat, ab Abrahamo? *Rogo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum,* Luc. 16. num.27. At ego te interrogo hominum miserrime, (vnum sciens te in hac petitione, non illorum bono, sed minori tuo malo prouidè consulere) quid times si veniant ad te, quos vt sanguinis, sic etiam morum consortes meministi? certè timet, ne tenebræ rarescant, ne caligans aliunde flamma illucescat, & cogatur complices aspicere, vnde vlteriùs dolens torqueatur. D. Gregor. cap.39. *Qui ad doloris sui cumulum, propinquorum absentium meminit, constat proculdubio, quia eos ad augmentum supplicij, paulo post potuit præsentes videre,* &c. *sicut electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit: ita è diuerso gehenna flamma reprobis, & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam: vt damnatorum oculis ignis supplicij, & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, dilecti qualiter crucientur ostendat.* Quàm dura conditio lucis! quàm maligna lux miseris æstimabitur! quæ tenebras aperit, leuamen vt operiat, & solum parat splendorem, vt illis latendi, aut non videndi peiora pereat effugiolum.

2078. Certè chaos erat immensum, inter infaustum hunc diuitem, & Lazarum felicissimum, & tamen tenebricosa vorago. vox ter caligans, tenebræ condensatæ, fumosos necessariò oculos non impediunt, quo minus Lazarum videat in sinu Abrahæ, & proinde in pœnis se videri recognoscat. Quidni? lucebat ignis ad tormentum, qui ad quoduis leuamen cæcutiebat. Iterum Gregor. *Quid autem mirum, si secum quoque reprobos aspiciat cremari: qui ad doloris sui cumulum, eum quem despexerat, in sinu Abraha vidit?* Abbreuiatur chaos, & in mediis tenebris collucet, vt sæuiùs de alienæ felicitatis aspectu torqueatur. imò quod eius infelicitas cernitur, lancinatur. id enim voluit D. Basilius suprà, dum in hoc igne exhilarandis beatis lucem admittit: qui de iustâ inflictâ impiis pœnâ collætantur. meritò ergo adurens, & solum lucens ad pœnam zelotypia, vt dicebant, inferno igni venit comparanda.

2079. Quæres tamen obiter ad calcem huius tropologiæ, cur eâ curâ, imò & miraculo ignis infernus à Deo temperetur, vt aut nihil lucis, aut lucem tantùm habeat ad torquendum? ego putarem factum, vt ostenderetur aptissimè infernas pœnas culpis respondere. quibus Christiana disciplina, Iesu humilitas spernitur, & virtutis insigne abhorretur: id curant maximè, vt oculis alienis externi luceant, quin interni accendantur charitate, exque hac inani luce, sibi gloriolam superbi aucupentur: quàm ergo aptè illi destinantur igni, vbi aut vrantur sine luce, aut luceant ad tormentum? ignem spreuere, charitatis inferno torqueantur igne. Solam affectarunt lucem, luce priuentur, aut hâc solùm ad torturam perfundantur. dicam plura de hoc impiorum affectu alibi, Deo auspice: hîc vnum verbum vt prædicta proportio intelligatur.

2080. Venit Christus in lucem gentium: æternum lumen de lumine, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Putares è tanto sole, mille radios in hominum genus eiaculandos, quibus cælestis Solis æmuli colluceremus. Ast quàm aliter Christus! *Ignem veni mittere in terram,* Luc.12.num.49. Speres iam ab hoc igne, radios, luces splendores: sed quid tunc ille? *& quid volo, nisi vt accendatur?* accensum volebat ignem, non lucentem. D. Bernard. serm. de Natiuit. Bapt. *Qui indicat me, Dominus est, qui feruorem ab omnibus exigit, splendorem verò, non ita. ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? hoc nempe commune mandatum, hoc est quod exigitur ab vniuersis: nec vlla, si deesse contigerit, admittitur excusatio.* Væ illis, quibus facessit ardor, & extra tempus lux affectatur: quibus incendium luget, flamma importuna fulget: inferno enim igne sic consignantur.

2081. Capies hinc quid sit illud Baptistæ: de Christo locutus igitur, ita ille: *illum oportet crescere, me autem minui: qui desursum venit, super omnes est,* Ioan.3. num.30. cur enim minuendus Baptista, apud Dominum qui tribuit omnibus incrementum: nisi quia iam vno ardore contentus, lucem, vtpote tunc minus necessariam remittebat? attende. Erat Ioannes, *lucerna ardens & lucens,* Ioan. 5. & bene priùs *ardens,* quia anhelabat ardori; deinde *lucens,* quia tantum ex obedientiâ, Soli Christo orienti, tamquam matutina stella, allucendi partes subibat. ergo vbi solem videt eleuatum, ne videretur ad præsentiam melioris lucis, lucis affectator: sed solius ardoris maioris ac maioris candidatus. Idem Bernard. ibidem: *Quomodo minui? splendore vtique, non feruore: retraxit radios, collegit se, ne fieret sicut is, qui totum profert spiritum suum.* Certè quod aliis superbè profers, tibi aufers. Deinde ex ore Ioannis, sic concludit sanctus Doctor. illum oportet crescere, qui exhauriri non potest, de cuius plenitudine omnes accipiant: me autem minui, cui datus est spiritus ad mensuram, & danda magis opera, *vt ardere semper valeam, quàm lucere. præcessi solem, tamquam sidus matutinum. abscondi necesse est, orto iam sole. non est mihi nisi modicum olei quo vngar, volo illud in vase tutius, quàm in lampade possidere.* Lucet quidem oleum in lampade, sed consumitur: iacet in lecytho, sed securum: charitas intus ardens, durat etsi tacitè: si foris extra tempus lucere præsumat, consumetur. id ergo contra cùm faciant peccatores, meritò cæco igni, aut lucenti ad pœnam addicuntur.

LOCA SACRA
quibus noua lux obiter adhibetur.

Non sacra omnia quæ in hoc opere attuli, mi lector, operæ pretium duxi hic congerere, sed illa tantùm, quibus nouam lucem obiter impertiui pro litteræ explicatione; an verò maligna fuerit lux, & importuna, prudens iudicauerit: quandoque omnino necessariam non iueris inficias. Productus hic numerus est marginalis.

TESTAMENTVM VETVS.

Psal 67.

Matthæus.

Apud Matth. 14. n. 3 adultera Herodis vocatur Herodias: quam credo in impiis nuptiis solemni more nomen sibi à coniuge accepisse. 417

Illud Matth. 15. n. 2. vbi à Pharisæis discipulis obiicitur non lauare manus suas, τὰς *suas* eum epitasi, & scommaticè dictum puto. 33

Paulus

Apostolus 1. Corinth 11. n. 6. & 15. fortè de comis vultum velantibus explicandus. 217

Nutrices matris vocabantur, ideo Paulus 1. Thessal. 2. num. 7. dum se nutricem vocat, non tam alumnos memorat, quàm filios. 190

Illud Ephes. 4. n. 8. de captiua captiuitate, raptam Synagogam apud Dauidem designat, tamquam formam rapinæ nuptialis. 40

Hebr. 13. n. 20. signatè Deus pacis dicitur, cùm Christum Pastorem mittit, quia bellum rei pastoritiæ & rusticæ perniciosum. 16

Apocalypsis.

Cap. 18. n. 14. ideo omnes delitiæ & desideria Babylonis ad poma reducuntur, quia cùm describatur meretrix, philtricum aliquid ab illis aucupabatur. 112

AVCTORES

AVCTORES

Huc admiſſi, & cum face dimiſſi.

Longum Auctorum, quos citant, contexere ſyllabum ſolent nonnulli: id ego neque tui negotij, neque otij mei futurum exiſtimaui. eos ergo tantummodo reduco ad elenchum, quibus nouus, aut maior, quà correctis, quà explicatis, oboritur ſplendor. Annotatur hîc numerus marginalis.

Ss 4 *Nicetas.*

INDEX

INDEX

Rerum & Verborum quæ in hoc opere continentur.

Solus numerus marginalis notandus.

Amor

Faciunt

 Milites

FINIS.